image
not
available

NAZIONALE
14
26 G
8
BIBLIOTECA
VITT. EMANUELE

ANDREAS
FRATER SIMONIS PETRI;
SEV
DE GLORIA S. ANDREÆ APOSTOLI
LIBRI XII.
DVAS IN PARTES DIGESTI;

QVARVM PRIOR, RES EIVS GESTAS CONTINET: ALTERA, quæ spectant beatam eius memoriam complectitur.

HIS ACCESSERVNT VINDICIÆ INSIGNIS Epistolæ Presbyterorum & Diaconorum Achaiæ, de eius Passione, ad vniuersas Ecclesias.

Auctore ANDREA DV SAVSSAY, Episcopo & Comite Tullensi, &c.

LVTETIÆ PARISIORVM,
Sumptibus SEBASTIANI CRAMOISY, Regis & Reginæ Architypographi,
& GABRIELIS CRAMOISY, viâ Iacobæâ, sub Ciconiis.

M. DC. LVI.

Cum Priuilegio Regis, & Theologorum approbatione.

SANCTISSIMO AC BEATISSIMO PATRI, ET DOMINO N. D. ALEXANDRO VII. VNIVERSALIS ECCLESIÆ PONTIFICI MAXIMO.

Humillimus Filius, ANDREAS El. Episcopus Tullensis, post deuota sacrorum pedum oscula, ΑΘΑΝΑΣΙΑΝ precatur.

N redit Andreas ad fratrem, rursus Petrum quærit, & officij, quod ei dudum præbuit, nunc repetit vicem: scit vmbram eius mira operari, sub ea gestit quiescere. Apud Te, BEATISSIME PATER, *fauorem eius & patrocinium ambit. Petri proprium*

eſt opus, firmare fratres ſuos, immo & eoſdem tueri. Nam is primus omnium fuit, qui igneæ linguæ gladio coapoſtolos ſuos, aduerſus impios defendit. Is ipſe Petrus, unà cum ſede, ad ſucceſſores ſuos ſpeciale munus detuliſſe videtur, eorum ſedes, pignora, doctrinam & memoriam protegendi. Sed inſuper fraternum amorem in vnicum germanum ſuum, ipſorum in præcordia tranſfudit: quo incenſi, Damaſus, Symmachus, Gregorius Magnus, Leo III. & IV. Pius II. Paulus II. & V. nupérque Vrbanus VIII. feruentem, intuitu Petri, Andream honorificandi, animi incitationem, quaſi quodam inſitæ pietatis æſtu, prodiderunt.

At Andreas viciſsim obtentu fratris, in eius ſedem, eximium amorem,

cultum & fiduciam, omnem denique animi sui affectum hactenus ostendit, séque his astrinxit titulis (quasi adamantinis nexibus) huic vnicæ Christi Ecclesiæ basi atque fastigio: siquidem tam fraternæ charitatis amans, quàm osor schismatis, Græciam olim suam, procul deseruit. Ociùs ex Oriente fugit in Occidentem, nec enim sine eius voto (at diuino præsertim nutu) eius venerabile Corpus Amalphim translatum est; ex quo liquor medicus, perenni miraculo scaturiens, in omnes regiones exundat, vt pænè totus orbis Christianus testatur. Sacrum eius Caput Roma Tua reuerenter habet, in augustissimo Vaticani sacrario, sub amantissimi Fratris custodia collocatum.

Nihil in terris ei fermè supererat,

quàm nomen, & rerum diuinè gestarum memoria. At hæc ipsa, eandem in clientelam poscit vltrò committi: & quidem eo tempore, quo Romæ benignum inuenit receptorem. Te scilicet, SANCTISSIME PONTIFEX, *qui mox ac Sedem Apostolicam conscendisti, piam Tuam in eius cultum, perinsigni facto, declarasti mentem. Basilicæ enim eius vrbicæ de Valli-cella, frontispicium (quod plerisque retrò sæculis, tam potentem manum expectabat) magnifica mole iußisti instaurari.*

Cuius obsequij gratiam vt rependat, ad Te lætabundus accurrit, huius verbi Domini sui non oblitus: Qui recipit Prophetam in nomine Prophetæ, mercedem Pro-

phetæ accipiet. *Hanc ecce Tibi, de se benè merito, festinat polliceri, seséque in eius pignus totum obstringit Beatitudini Tuæ.*

Sed & alia ratio huius accedit occursus. Diligunt quàm maximè Sancti cum Christo regnantes imitatores suos, qualem Te huius sanctissimi Apostoli obseruatorem semper exhibuisti. Fuit Andreas non minùs feruens amator, quàm facundus encomiastes crucis: cuius mortificationem iugiter in Tuo corpore portas. Fuit mortis Domini ardens æmulator, & eiusdem memoriæ in magno sacramento pietatis quotidianus celebrator: & Tu hoc exemplum, non impari religionis feruore, imitaris. Decet Te igitur, hoc factum & documentum Apostolicum, tua summa auctorita-

te tueri, aduersus neotericos sectarios; (hoc est tremendi ipsius mysterij iuratos hostes) qui Acta & dicta ipsius Beati Andreæ, in sui extremi agonis edita conflictu, ab eiúsque discipulis vniuerso orbi testata, consertis viribus adoriuntur. Quo tamen in conatu dum infeliciter depugnant; sicut Ecclesiæ, de sua temeritate & pertinacia victoriam præbent manifestam: sic Andreæ Beatissimo Apostolo, vel inuiti, nouum & maximè illustrem apparant triumphum: Tibi verò, PATER SANCTISSIME, *auctius notæ pietatis decus excitant; & omnibus Christi Sacerdotibus, tam præclarô exemplô, stimulos acriores incutiunt*, indesinenter operandi, in ea parte ministerij, quæ (*vt Magnus ait Epiphanius*)

Christianorum præcipua ſalus eſt.

Sed mihi pluribus hæc ad Te profari, BEATISSIME PATER, *vix vllum eſt operæpretium. Tibi enim omnium Pontificum, vt verè Maximo, ſic & ſapientiſsimo, quanti meriti & gloriæ ſit Beatus* ANDREAS *in Apoſtolorum conſeſſu, quantumque Epiſtolæ diſcipulorum eius, de ipſius glorioſa morte, in ſacrificij Chriſtiani cauſa, momentum ſit: magis multò, quàm mihi, notum eſt, & compertum.*

Quamobrem non alio ſequeſtre aut conciliatore vſus, quàm ipſo ſacratiſſimo Apoſtolo: ad Nominis Tui tutelam, patrociniúmque confugi. Quod vt mihi non defuturum confidam: facit ille tuus imprimis erga litteras ingenuus amor; facit & quo flagras, pieta-

tis religionísque, cognitus omnibus, & vbique exploratus ardor; faciunt præcellentes ingenij artes, virtutésque præstantissimæ, ob quas Ecclesiæ Catholicæ Principatum, publica omnium vota iamdudum despondebant: & quem, auspice Christo, consona sacri Collegii suffragia, tandem meritissimè detulerunt. Facit denique Tuus in me, quem nuper mira dignatione prouexisti ad Episcopatum Tullensem, perspectus & exploratus animus, quo me Beatitati Tuæ æternùm deuinxisti. Cuius insignis gratiæ, ne me vllus mortalium vsquam putaret immemorem: in debitæ gratitudinis mnemosynon, hoc qualecumque vigiliarum mearum & studiorum opus, sacro Tuo Culmini consecrandum censui. Obnixè rogans Sanctum hunc

Apostolum, *vt Te*, BEATISSIME PATER, *& quam regis toto orbe Ecclesiam*, *fauore atque ope cœlesti sustentet*, *& fulciat*; *serenatóque rursum cœlo*, *quod in eius gloriosa passione*, *magno splendore refulsit*; *post tot atros bellorum turbines*, *reuocato tandem grato pacis lumine*, *Pontificatus Tui* (*quem diuturnum ac felicem fore*, *omnes Boni desiderant*) *iucundam recordationem*, *memoriæ Posterorum consecret sempiternæ.*

PRIVILEGE DV ROY.

OVIS par la grace de Dieu Roy de France & de Nauarre, à nos amez & feaux Conseillers les Gens tenans nos Cours de Parlement de Paris, Toulouze, Roüen, Bourdeaux, Dijon, Aix, Grenoble, Rennes & de Metz, Baillifs, Preuosts, Seneschaux ou leurs Lieutenans, & à tous nos autres Officiers & Iusticiers, & à chacun d'eux endroit soy, ainsi qu'il appartiendra, salut. Sçauoir faisons que considerant comme le feu Roy nostre tres-honoré Seigneur & Pere desirant honorer la memoire des Saints de France, ausquels il auoit speciale deuotion, par quelque monument public qui pûst conseruer le souuenir de leurs dignes actions, & exciter la Posterité à leur veneration, & à l'imitation de leurs exemples, il auroit fait choix de la personne du sieur DV SAVSSAY l'vn de ses Conseillers & Predicateurs ordinaires, tant pour sa pieté que sa signalée doctrine & erudition reconnuë non seulement par ses predications, mais encore par plusieurs doctes liures tant Latins que François, par luy faits & mis au iour, qui ont esté recueillis du public auec applaudissement, pour composer le Martyrologe des Saints de France, dont ledit sieur Du Saussay par vn trauail continu de dix années se seroit acquité si heureusement, qu'ayant esté ledit Maryrologe imprimé, il auroit esté receu par tout auec beaucoup d'estime & d'vtilité; & mesme esté tellement agreé par nostredit Seigneur & Pere, que chaque iour il se le faisoit lire comme vn perpetuel entretien de sa deuotion. Et dautant que la premiere impression est entierement debitée, & que ledit sieur Du Saussay, nonobstant ses emplois d'Official & Grand-Vicaire de l'Archeuesché de Paris (ayant produit depuis, plusieurs autres Oeuures, entre autres vn volume des Ecriuains Ecclesiastiques de France, & trois autres intitulez les Panoplies, Clericale, Sacerdotale, & Episcopale) a trauaillé encore à la correction & augmentation dudit Martyrologe, auquel il a aioûté vn grand nombre de Saints, auec les notes particulieres sur chacun, & vn grand volume de commentaires qu'il desireroit mettre en lumiere, comme aussi consecutiuement plusieurs autres œuures qu'il a faits, & autres qu'il espere de produire de temps à autre pour la plus grande gloire de Dieu, l'auantage de l'Eglise, le bien de nostre seruice, & le profit des peuples: Et parce qu'il luy importe fort que sesdits liures déia imprimez, ne soient reimprimez à son insceu, ce qui tourneroit au dommage de ceux qu'il y auroit employez, & du public: Et pour euiter qu'ils soient alterez ou deprauez par negligence, ou par malice, & aussi afin de pouruoir à ce que ceux qui sont & seront à imprimer, le soient bien & exactement selon son intention; ce qu'il ne peut esperer qu'en confiant par luy sesdites editions à personnes dont la capacité & fidelité luy soient connuës: Sur quoy il nous auroit tres-humblement supplié & requis nostre permission & priuilege exprés de ce faire. POVR CE EST-IL que nous inclinans fauorablement à ladite supplication & requeste dudit sieur DV SAVSSAY, par nous nommé à l'Euesché de Toul, pour les considerations susdites, & pour la fidelité qu'il a témoignée en plusieurs occasions au bien de nostre seruice: Nous auons à iceluy permis & accordé, permettons & accordons par ces presentes, de nostre pleine puissance & autorité royale, de faire reimprimer & imprimer ledit Martyrologe & toutes ses autres œuures, par tels Libraires & Imprimeurs que bon luy semblera, tant de fois qu'il desirera, soit en Latin ou en François, & en tel volume & caractere qu'il verra bon estre, & pour le temps qu'il accordera: Auec defenses à tous tant Marchands Libraires & Imprimeurs, que autres de quelque estat ou condition qu'ils soient, d'imprimer ou faire imprimer soit dedans ou dehors nostre Royaume, tronquer & alterer ledit Martyrologe & toutes autres œuures, ny d'en faire extraire aucun traité, vendre ny debiter, si ce n'est du consentement dudit sieur Du Saussay, ou de luy ou ceux qui auront pouuoir & droit de luy, sur peine de confiscation des liures & exemplaires qui seront trouuez auoir esté imprimez ou mis en vente contre & au preiudice des presentes, soit en public ou en particulier, de six mille liures d'amende, applicable vn tiers à nous, vn tiers aux Pauures, & l'autre tiers audit sieur

Du Sauſſay, ou autres ayans droit de luy, ſans aucune diminution : Voulons & nous plaiſt auſſi, qu'en mettant ou tranſcriuant au commencement ou à la fin de chacun deſdites œuures vn extrait du preſent Priuilege, il ſoit tenu pour ſuffiſamment ſignifié, & venu à la connoiſſance de tous, comme ſi expreſſément & particulierement il leur auoit eſté notifié : CAR tel eſt noſtre plaiſir : nonobſtant Clameur de Haro, Chartre-Normande, ny autres choſes à ce contraires. DONNE' à Paris le dixiéme iour de Nouembre l'an de grace mil ſix cens cinquante-trois : & de noſtre regne le onziéme. Signé, Par le Roy en ſon Conſeil, MYTHON.

Ledit Seigneur Eueſque de Toul a cedé ſon preſent Priuilege pour cet Oeuure au ſieur Sebaſtien Cramoiſy ancien Conſul & Eſcheuin de la ville de Paris, & Imprimeur ordinaire du Roy, pour le terme de dix ans, par acte du 27. de Mars 1656. Signé, ANDRE' DV SAVSSAY *Eueſque & Comte de Toul, &c.*

DOCTORVM APPROBATIO.

NOS *infraſcripti ſacræ Facultatis Theologiæ Pariſienſis Doctores, fidem facimus, perlectum à nobis Opus eximium, cui titulus eſt :* ANDREAS FRATER SIMONIS PETRI: *ſeu,* De Rebus geſtis & glorioſa memoria S. Andreæ Apoſtoli libri XII. Auctore Illuſtriſſimo & Reuerendiſſimo Domino D. ANDREA DV SAVSSAY Tullenſi Epiſcopo Electo & Confirmato, necnon Eminentiſſimi D. Cardinalis Retzij Paſienſis Archiepiſcopi Vicario generali. *In quo Auctoris multiplex eruditio, omnibus iam pridem ſatis nota, cum pietate inſigni erga ſanctiſſimum Apoſtolum eluceſcit : quapropter, cùm nihil niſi ad fidei confirmationem, & morum informationem contineat, libenter illum probauimus. Pariſiis, die 22. menſis Martij, anno Domini 1656.* A. DEBREDA. L. BAIL. IOISEL.

OPERIS SYNOPSIS

DE GLORIA

B. ANDREAE APOSTOLI,

PARS PRIMA.

RES EIVS GESTAS CONTINENS, à pag. 3. ad 172.

LIBER PRIMVS.

De S. Andreæ rebus gestis à primo eius ad Christum accessu, vsque ad ipsius Domini gloriosam Ascensionem.

OPERIS SYNOPSIS.

LIBER II.

De S. Andreæ rebus gestis à resurrectione Domini, ad vsque Beati ipsius Apostoli gloriosam passionem, à pag. 83. ad 167.

LIBER III.

Agonem enarrans venerandæ Passionis S. Andreæ Apostoli, à p. 167. ad 272

PARS SECVNDA
DE GLORIOSA S. ANDREÆ APOSTOLI MEMORIA.

LIBER I.

Sacræ eius memoriæ veneratio, seu Natalis eius diei celebritas.

ART.

LIBER II.

LIBER III.

Pignorum eius sacrorum cultus & gloria.

LIBER IV.

Quo eius insigniora miracula recensentur.

LIBER V.

Regnorum Patrocinia.

LIBER VI.

Ecclesiarum Cathedralium Tituli.

LIBER VII.

Ecclesiarum Inferiorum Tutela.

LIBER VIII.

Encomia SS. Patrum in eundem Beatum Apostolum.

LIBER IX. ET VLTIMVS.

EPISTOLA PRESBYTERORVM ET DIACONORVM ACHAIÆ,

PARS PRIOR.

PARS ALTERA.

Qua Aubertini Ministri Caluiniani futiles argutiæ & obiectiones, aduersus hanc Epistolam, refelluntur.

ANDREAS

FRATER SIMONIS PETRI;

SEV

DE GLORIA

S. ANDREÆ APOSTOLI

LIBRI XII.

DVAS IN PARTES DIGESTI:

QVARVM PRIOR, RES EIVS GESTAS continet: Altera, quæ ſpectant beatam eius memoriam, complectitur.

QVIBVS ACCESSERVNT VINDICIÆ, inſignis Epiſtolæ Presbyterorum & Diaconorum Achaiæ, de eius paſſione, ad vniuerſas Eccleſias.

PRÆMONITIVNCVLA.

SCRIPTVRVS *res gestas sancti Andreæ Apostoli, qui inter Christi Discipulos, vt vocationis gratiâ, sic zelo diuini honoris, vitæ sanctimoniâ, virginalis pudicitiæ ornatu, laborum tolerantiâ, inuicti animi fortitudine, gloriâ passionis, miraculorum splendore, ac memoriæ omni æuo venerabilis celebritate plurimùm antecelluit: operæ pretium existimaui narrationem eiusmodi, ordine certo contexere. Porrò nullum fore reor aptiorem, eo qui ab eius nomine, patria, natalibus exordium ducit: deinde statum ac professionem exponit; tum vitæ conuersationem persequitur, actus, peregrinationes, prædicationem, mortem denique recenset gloriosam, & immortalis memoriæ coruscum toto orbe decus ostendit.*

DE GLORIA B. ANDREÆ APOSTOLI.

PARS PRIMA RES EIVS GESTAS CONTINENS.

LIBER I.

De S. Andreæ rebus gestis, à primo eius ad Christum accessu, vsque ad ipsius Domini gloriosam ascensionem.

CAPVT PRIMVM.

De Sancti Andreæ nomine.

NOMINVM consideratio apud sapientissimos quosque viros, magni semper est habita momenti, quasi ab ipsis naturæ initiis deriuata. Plato rectè dicebat pulchra nomina imponenda esse pueris, vt hac ratione, quasi quodam stimulo, ad honesta quæque excitarentur. Sic non sine numine, Apostolo huic obtigit præclarum nomen. *Melius est enim nomen bonum*, (ait Ecclesiastes 7. 2.) *quàm vnguenta pretiosa, & diuitiæ multæ*, Prouerb. 22. 1. Antequàm elici possit

ab ipsa etymologia, nominis Andreæ excellentia & dignitas, necessarium est præstituere, cuius idiomatis, vel linguæ proles sit. Tostatus Episcopus Abulensis in Matth. 10. q. 32. secutus Chrysostomum ibidem, arbitratur ipsum Andreæ nomen Hebræum, vel Syrum esse: attamen in toto veteri Testamento non habetur. Refert quidem Aristæus in lib. de LXX. interpretibus, à Rege Ægypti Ptolemæo Philadelpho, missum Andream principem Somotophilacem pro sacræ Scripturæ versione, ad Eleazarum summum Iudæorum Sacerdotem. Sed hic Andreas ipsi Regi Ptolemæo charissimus, Hebræus non erat, vt patet ex officio quod gerebat apud illum Regem, & ipsius Pontificis Eleazari ad eum responsione. Auctor igitur glossæ interlinearis, meliùs censet Andreæ nomen esse Græcum: ex quo enim Græcorum & posteà Romanorum imperium Hebræi subierunt, eorum vt mores, sic & nomina sensim vsurpauêre, vt aliàs docuimus, in nostra LXXII. Domini Discipulorum Synopsi: & ex libris patet Machabæorum, Actisque Apostolorum, vbi nomina Stephani, Philippi, Pauli, Lucij, aliáque eiusmodi Græca & Latina, vsu inter Iudæos recepta passim leguntur. Quod si à significatu vocabuli, eiusdem origo inuestigetur, sanè non conueniunt circa nominis scaturiginem Interpretes, sed ex diuersa illius significatione, originem ipsius nominis reddunt obscuriorem. Non est vlla tamen nominis huius expositio, quæ pulchra & præclara non sit. Eusebius dictus Emissenus, seu rectiùs Emesenus, at reuerà Eucherius Lugdunensis, Andream sonare ait, *respondentem*, Isidorus *decorum;* cui longè diu antea præcinuerat Damasus PP. in Hymno *de Andrea crucem passo*, his versiculis,

Extat in Biblioth. SS. PP. tom. 2. Græcolat. edit. Paris. an. 1634. p. 356. &c.

Decus sacrati nominis,	*Andrea Christi Apostole,*
Vitámque nomine exprimens:	*Hoc ipso iam vocabulo,*
Hoc te decorum prædicat	*Signaris isto nomine,*
Crucis beata gloria.	*Decôrus idem mysticè.*

Interpretationis auctor nominum Hebraïcorum, Chaldæorum, Græcorúmque, Sixtinis Bibliis subiunctæ, non solùm *virilem,* seu *fortem*, sed etiam *fortissimum* indicat designare. Apposítè & verè S. Augustinus ep. 102. obseruat significatæ rei, nomen significans aliquando feliciter accidere. Tres illæ significationes optimè huic magno Apostolo conueniunt. Sanè siquidem intentioni magistri sui Ioannis Baptistæ fortunatè respondit, dum eo indicante Messiam

verbis istis, *Ecce Agnus Dei, qui tollit peccatum mundi*, confestim ipso Ioanne relicto, Christum secutus est, cui postmodùm iugiter adhæsit. *Decorus* etiam valde coram Domino extitit sanctissimus hic Apostolus. At species eius atque decor, potissimùm apparuit, dum penderet in cruce: erat enim ibi sicut rutilus adamas, vel ignitus carbunculus, aut margarita pretiosa aureo indita annulo. Sicut rosa vernans in spinis, sicut sol in firmamento, sicut Angelus, odoramenta suauissima, Deo offerens in aureo thuribulo: vnde illud sacrum epinicium, quod Ecclesia, eius in triumphali die concinit: *Dilexit Andream Dominus in odorem suauitatis, dum penderet in cruce: dignum sibi computauit martyrem, quem vocauit Apostolum dum esset in mari.* Christus enim ambulans secus mare Galileæ, vt negotiator cælestis quærens in terra bonas margaritas, Andream inuenit vt gemmam speciosissimam & pretiosissimam, quam inæstimabilis gratiæ suæ munere sibi comparauit, atque signaculo crucis insertam, vt diuino sigillo, sua effigie ac similitudine insigniuit. Quamobrem scitè à S. Petro Chrysologo beatus Andreas appellatur, *perfectum Christi crucifixi simulacrum*: christiana siquidem perfectio in nostra cum Christo conformitate consistit, iuxta illud Pauli, *Quos præsciuit, & prædestinauit conformes fieri imaginis filij sui.* Rom. 8. 29. Vnde quantò maior est hominis cum hoc diuino exemplari conformitas: tantò maior est quoque perfectio, & quo maior perfectio, eo etiam maior est pulcritudo. idcirco Angelus à Propheta dicitur *signaculum diuinæ similitudinis, & perfectus decore*, quem scilicet velut speculum tersissimum ac nitidissimum, puro sinu, è diuini vultûs splendore excipit, & velut à fonte gloriæ mutuatur. Andreas ita in cruce factus est decorus, ideam nempe sibi impressam Christi similitudinis genuinè excepit, ac expressit imitatione perfectissima, quâ ipsis Angelis stuporem incussit, Deo autem maximè complacuit. Cæterùm *virilis* seu *fortis*, ac etiam *fortissimi* eidem Apostolo beatissimo, egregiè conuenit vocabulum. ANDREÆ, qui volunt Græcum esse nomen, hinc deducunt, quasi dicas ἀνδρείαν, virilem, robustum, seu fortem. Sic & Venerabilis Beda exponit, tractatu de nominum Hebraicorum interpretatione: Andreas, *Respondens in pabulo*, vel *decorus in statione*, aut secundùm Græcam etymologiam ἀπὸ τοῦ ἀνδρὸς, à viro, *virilis*. Quæ nuncupatio nulli

Ioan. 1. 29.

Ezech. 28. 12.

Beda tom. 3.

Sanctorum magis aptè competit, quàm huic glorioso Apostolo, cuius inuicta animi fortitudo, sic in ipsius passione emicuit: vt summam in admirationem rapuerit præstantissimos Ecclesiæ Patres, quos tametsi eloquentissimos, stupore & extasi perculsos, mutos ferè & elingues reddidit, imparésque dignis eius præconiis exequendis, seipsos fateri coëgit.

Hinc meam in mentem subit non despicienda cogitatio: cur scilicet cùm duos illos fratres Petrum & Andream elegit Dominus, priori quidem nouum imposuit nomen; Andreæ verò, nec mutauit nomen, nec nouum indidit? Certè ratio peculiaris fuit, cur Simoni, Cephæ, seu Petri superadderet vocabulum, quam in limine Commentarij nostri exegetici in vtramque ipsius B. Petri epistolam, me non fugit nuper annotâsse. Quare autem Andreæ non imposuerit nomen nouum, ratio est eximia, eadémque propria huius loci. Mos fuit olim apud Hebræos, vt qui in suo nomine haberent quatuor literas nominis Dei יהוה alio vocabulo insignirentur. Nemo autem Scripturæ tantisper peritus ignorat nomen ***Fortis***, vnum fuisse ex præcipuis Dei nominibus; hoc enim constat ex plurimis feréque innumeris locis sacræ Scripturæ. vnde ad innuendum, quòd venturus Messias, non sicut Prophetæ, merus homo esset futurus, sed insuper Deus verus: simul Dei, & Fortis nomina cælestis vates Isaïas, ei propria fore prænunciauit: ***Vocabitur***, inquit, ***nomen eius admirabilis, consiliarius, Deus, fortis, pater futuri sæculi, princeps pacis.*** Hinc igitur eximium amorem prodidit Dominus, quo Andream primigenum suum Discipulum præ cæteris dilexit. Volebat in eo expressum ire perfectissimum sui simulachrum. Hinc in lectulo suo secum, velut filium charissimum, illum conquiescere fecit: voluit ipsum eodem mortis genere occumbere, quo ipse mori pro Mundi salute dignatus est. Tametsi enim Petrus in cruce quoque agonem peregit suum: non tanta tamen cum Christo conformitate, tanta cum gloria, quanta Andreas eodem in curru triumphauit. Non satis autem fuit Christo Domino lectuli sui, ac currûs gloriæ illum efficere consortem; insuper nominis sui participatione illum præ omnibus Apostolis honorauit. Fortem enim ab incunabulis voluit secum appellari: quo nomine ingentem illam animi fortitudinem, quam ipse Andreas exhibiturus erat in morte, pro gloria ipsius Domini sui oppetenda, quasi patenti diu ante indicio præ-

Isai. 9. 6.

signaret : & ideò nomen eius non mutauit, nec huic (quod excellentissimum esset, vt pote diuinum,) aliud superaddidit.

CAPVT II.

De Beati Andreæ patria.

PAVCISSIMIS verbis, sed admodùm perspicuis edocere nos voluit Spiritus sanctus, quodnam sit nostri Apostoli natale solum, Ioan. 2. vbi sequentem Petri & Andreæ vocationem, Philippi adlectionem sanctus Euangelista narrauit, subiungit continuo verborum nexu : *Erat autem Philippus à Bethsaida ciuitate Andreæ & Petri.* Erat porrò Bethsaida pagus in tribu Issachár ad littus maris Galileæ, Capharnaum inter & Magdalum; cuius situm breuiter, sed nitidè sanctus Hieronymus in indiculo de locis Hebraicis describit, *Bethsaida est*, inquit, *ciuitas Galileæ Andreæ, Petri, & Philippi Apostolorum.* At plenior hæc est, oppidi illius descriptio.

Ioan. 1. 44.

Tom. 3. p. 911.

Bethsaida nobilis quondam Galileæ ciuitas in ipso littore maris Galileæ condita, vna è decapoleos regionis vrbibus: hodie exiguus est pagus paucis admodùm constans tuguriolis, Maurorum habitaculis: Aquilonarem maris angulum occupat, iuxta quem influit riuulus, limpidis optimísque aquis scatens, quæ in vicinum mare Tiberiadis influunt. Auctor est Nicephorus lib. 8. hist. Ecclес. cap. 30. Helenam Constantini Magni parentem super fundamenta domus Petri Ecclesiam non ignobili structura erexisse, cuius nulla tamen hodie vestigia superstant. Hîc Christus Petri socrum febricitantem solo tactu sanauit, cæco visum restituit, multósque ante ipsas Petri ædes, variis afflictos morbis curauit, atque à dæmonum vexatione liberauit. Incolæ tamen qui hoc tempore erant, fuerunt tanto lumini rebelles; quapropter eis Dominus exprobrauit inexcusabilem nequitiam, & non parùm, tam ingratæ ciuitati, vicinæque Corozaim, eadem de causa, comminatus est Matth. 11. 21. *Væ tibi Corozain! væ tibi Bethsaida! quia si in Tyro & Sidone factæ essent virtutes quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio pænitentiam egissent. Verumtamen dico vobis, Tyro & Sidoni remissiùs erit in die iudicij quàm vobis.* Crimen Beth-

ſaidæ & Corozain eo grauius erat, quòd Chriſtus ibi inierat ſuæ prædicationis exordium, iuxta quod prædictum fuerat ab Iſaïa Propheta, c. 9. *Primo tempore alleuiata eſt terra Zabulon, & terra Nephtalim, via maris trans Iordanem Galileæ gentium. Populus qui ambulabat in tenebris vidit lucem magnam, habitantibus &c.* Vidit quidem, ſed non excepit, at illuminationis ſuæ contempſit auctorem: verùm humanam malitiam Chriſtus ſua bonitate ſuperauit. Ex ciuitate tam incredula primos Euangelij ſui nuncios aſſumpſit, Andream videlicet, & fratrem eius Petrum, ac Philippum, qui prærogatiuâ vocationis inter cæteros Apoſtolos maximè præcelluerunt. His verò non minimum obtigit decus, ſed magna gloria, raráque felicitas, è medio tantæ prauitatis exire: patria ſanè fuit iis dedecori, ſed ipſi magno fuerunt patriæ ſuæ decori ac ſplendori. Eduxit certè ex ciuitate tam flagitioſa Chriſtus hos tres inſignes ſuos Apoſtolos, vt, *vbi abundauit delictum, ſuperabundaret & gratia.* Opus Dei eſt facere *de tenebris lumen ſplendeſcere*, de rupe ſiccisſima limpidæ aquæ latices elicere, déque fonte amaro, dulces educere riuulos. Viri iuſti magna ſemper ornamenta ſuæ patriæ, quantumuis ſceleratæ, ſuis natalibus contulerunt, maiora verò commoda erga patriam, charitate. Elias igneus præ zelo Dei, Propheta, non tantùm Theſbites, ſed *de habitatoribus Galaad*, ſignatim diuino in codice inſcribitur; quia ante eius ortum Galaaditæ ita impij & ſcelerati erant, vt ab Oſea * piratis & latronibus aſſimilarentur; non ſatis erat eis vitulos aureos adorare, ipſi idola quæque fabricabant, quibus vicini quoque, in Dei veri contumeliam abuterentur: ſed ex quo feruenti ſpiritu zelóque diuini honoris Elias illuxit & exarſit, populi huius impietas liquefacta defluxit, cultúſque ibi diuinus, qui ferè extinctus erat, reuixit. Hinc vbi dolore concuſſus Oſeas lamentabatur dicens: *Nunquid non eſt reſina in Galaad, aut medicus non eſt ibi?* Chaldaicus, ſequens Rabbi Ionathan, ait Paraphraſtes, *deſiderabam doctrinam Eliæ Prophetæ, qui fuit de Galaad, cuius verba medicina erant.* Nam tot ſpiritûs ſui reliquit ibi ſanctus Elias hæredes, vt vſque ad Chriſti aduentum illic perſeuerauerint ſinceri veri Dei cultores. Sanctus Gregorius à conſimili præconio Iob virum ſanctiſſimum dilaudat, qui populum Huſitidem prorſus idololatriæ deditum, ſua illuſtri pietate, ac ſpectatis virtutum exemplis, ab impieta-

te

Math. 4. 16.
Rom. 5. 20.
2. Cor. 4. 6.
3. Reg. 17. 1.
* Vide Theodoretum in c. 6. Oſeæ.
Ierem. 8. 22.

te ac iniustitia feliciter vindicauit. *Huz*,(inquit beatus ille Pontifex,) *quis nesciat quòd sit terra Gentilium? Gentilitas autem eò obligata vitiis extitit, quò cognitionem sui conditoris ignorauit. Dicitur itaque vbi Job habitauerit, vt hoc eius laudibus proficiat, quod bonus inter malos fuit.* Hac ratione Spiritus sanctus, Pergami Episcopum in Ioannis Apocalypsi summa extollit commendatione: *Scio*, inquit, *vbi habitas, vbi sedes est Sathanæ, & tenes nomen meum, & non negasti fidem meam.* c. 2. 13. At illam vt ardentiori spiritu propugnaret, atque ab impiorum exitiosis conatibus tueretur: vt eos ad saniorem mentem conuerteret, benignè ibidem admonetur. In laudem patris fidelium Abrahæ refertur, quòd multas animas fecerit, dum inter Chaldæos habitaret. Hebræi enim docent, * animas illas fuisse Neophytos, quos ad Dei cultum Abraham erudiebat, sicut Sara edocebat mulieres in religione vera; sic quoque Iob Hussitides, in vera Dei notitia ac etiam religione, tam verbis quàm exemplis erudiuit: sic fortunata euasit tandem Bethsaida, sanctorum trium horum Apostolorum natalibus ac conuersatione, piáque sollicitudine; qua post Christi crucem & triumphum effectum est, vt pertinaces huius vrbis incolæ, qui illum loquentem non audierant, miracula operantem inter eos paruipenderant; demum Saluatorem mundi, verúmque Deum agnouerint, eiúsque Euangelium ac cultum syncero corde tandem sint amplexi. Hinc ipsorum Apostolorum peruigili instantia, plantata illic Christiana pietate creuit religio, floruit fides in tantum, vt gloriosa ibidem insurrexerit Ecclesia, ædésque sacra nobilis sub Petri germani Andreæ titulo, Helenæ sanctissimæ Augustæ deuotione extructa fuerit, cui tandem Episcopale decus accessit. Bethsaida secundùm Bedam in Hebraïcorum nominum interpretatione significat, *domus frugum, domus pecudum*, seu *domus venatorum*: Exierunt ex hac domo, magni tres Apostoli, quorum operâ feliciter vsus Christus Dominus, collegit suæ passionis copiosas fruges, animas scilicet suo sanguine redemptas; mori etenim voluerat in arbore crucis, *vt filios Dei dispersos colligeret in vnum.* Ex hac etiam domo assumpsit pastorem illum mundi Oecumenicum, cui tam amanter ouilis sui curam commendauit, *Pasce*, inquit, *oues meas, pasce agnos meos*; & robustum illum venatorem Andream, qui tot

* *Apud Lipoman. in caten.*

populos ac gentes ſua prædicatione ad iugum Chriſti coëgit; quin potiùs eius ad amorem illexit prodigioſo amore ac præconio crucis. De Samſone duce populi Dei fortiſſimo, celebre eſt Patrum elogium, *plures occidit moriens quàm viuens* : at Andreas moriens in cruce, plures attraxit ad vitam, quàm toto vitæ anteactæ fecerat excurſu.

CAPVT III.

De paterna origine ſancti Andreæ.

QVEMADMODVM nihil eſt tam honorificum filiis, quàm bono & honeſto genitore eſſe natos : ſic nec patri aliquid accidere poteſt fortunatius, quàm filios bonos, & virtute præſtantes genuiſſe; vtrimque igitur dixero beatos, patrem primorum Apoſtolorum Petri & Andreæ in filiis, & filios viciſſim in proprio parente. Plerumque Scriptura ſacra patrum nomina præterit aliquot Prophetarum, tametſi ſtudioſè aliorum quorumdam annotare ſoleat. Eorum quorum ſilet nomina, omiſſio cur facta ſit, nonnulli quærunt Interpretes ſacrarum literarum: alij quidem ſic factum volunt, vt nemo in ſola Maiorum gloria conquieſcat, etenim nobilitatem generis parum ad virtutem conferre; præclarius reuera eſt, ſuis parentibus dare lucem, quàm ab illis accipere : alij dicunt Scripturam tacuiſſe memoriam parentum quorumdam Sanctorum, quia laudabile nihil erat in eis. Si cauſam quæris cur Iob ſanctiſſimi viri, & fulgentiſſimi exemplaris perfectæ patientiæ, nulla mentio patris facta ſit in Scriptura? Reſpondent Origenes, homil. 1. in Iob, ſanctique Hieronymus ex traditione Hebræorum in Geneſ. 36. & Auguſtinus, lib. 13. de Ciuit. Dei c. 47. aliique, quia Iob principem ſuæ gentis habuit Eſau reprobum hominem, parentem verò Zaræ, qui ſtirpi ſuæ ſimilis infidelis, ac nefarius fuit. Nihil ergo mirum ſi viri ſanctiſſimi progenitores Scriptura maluit ſilentio præterire, cùm ipſorum memoria fœda ſit & indigna, quàm edere in publicam lucem. At ſecus Andreæ & Petro glorioſiſſimis Apoſtolis contigit, quorum multoties pater in Scriptura non modò deſignatur, ſed nomen eius vt purum & memoria dignum, ore Chriſti ſacratiſſimo ter pronuntiatum eſt, Matth. 16.

ait Iesus ad Petrum, *Beatus es Simon Bar-jona, quia caro & sanguis non reuelauit tibi*, &c. Et Ioan. 1. *Intuitus eum Jesus, dixit ei, Tu es Simon filius Iona.* Et c. 21. *Dixit Simoni Petro Iesus, Simon Ioannis*, (seu Ionæ) *diligis me plus his?* S. Hieronymus in opusculo de nominibus Hebraicis in sectione de Euangelio Matthæi, nomen Bar-jonæ recensuit, quod sic interpretatur, *Bar-jona filius columbæ; Syrum est pariterac Hebræum, Bar quippe linguâ Syrâ, filius, & Iona columba, vtrâque linguâ dicitur.* Porrò perpetuum cognomen Andreæ est *frater Simonis Petri:* Ergo, sicut ipse Petrus, erat Bar-jona, *filius Ionæ, seu filius columbæ.* Beda in interpretatione Hebraicorum nominum, littera B. Tom. 3. addit, *filius simplicitatis.* eodem titulo filiationis Bar-jona cum fratre suo æquipariter erat. Columba simplicitatis symbolum est, vnde Apostolis suis commendat Dominus, *simplices vt sint sicut columbæ;* simplicitas autem in scriptura pro innocentia & morum rectitudine passim vsurpatur: sic Iob dicitur *vir simplex, & rectus, ac timens Deum, & recedens à malo.* Talis erat vt verisimile est pater Andreæ & Petri, nam nomen quo designabatur hoc insinuat. Quod ne casu ei contigisse putes, intercedit Christi ipsius auctoritas, qui ex hoc ipso nomine patris in filios decus, ac bonum omen arcessiuit. De ipso Bar-jonæ nomine dixi in Commentario posterioris Epistolæ S. Petri, ad caput postremum, vbi etiam de columbæ mansuetudine ac simplicitate nonnulla signaui obseruatu non pœnitenda, quæ non tantùm in Petrum quadrant, sed pariter Andreæ conueniunt ad amussim, vt patet ex eius gestis. Certè sancta Ecclesia columbinam simplicitatem in Andrea agnoscit, de eius innocentia in illius natali prædicans, *Vir iste in populo suo mitissimus apparuit, sanctitate & gratia plenus, iste est qui assiduè orat pro populo*, &c. Et rursum hæc eius elogia illius ex passione pro tertia antiphona recitat in eius festi laudibus. *Concede nobis* (verba sunt populi Patracensis ad Ægeam iudicem) *hominem iustum, redde nobis hominem sanctum, ne interficias hominem Deo charum, iustum, mansuetum & pium.* Ex quibus titulis summa gloria in Ionam patrem Andreæ redundat; Si enim *gloria patris est filius sapiens*, quantò maior est gloria filius iustus, sanctus, mansuetus, pius & Deo charus? Inter huius enim Apostoli insignia, est illud eximium encomium, *Doctor bonus & amicus Dei Andreas*, &c. *dulcis Apostolus*

Matth. 10. 16.
Iob. 1. 3.
Prou. 11.

(exclamat S. Bernardus,) *& primitiua vocatio Domini Saluatoris! qui idcirco illum viſcerali amore prædilexit.*

Cæterùm hoc notare iuuat: Andream fuiſſe patris ſui primogenitum. Locus foret communis hîc de priuilegiis primogenitorum latè exſpatiari: ſed epitomes non patitur ratio, inire fuſam adeo digreſſionem: quapropter memor mei huius inſtituti, gradum hîc effuſiorem cohibeo. Sed monendum hîc tamen puto lectorem, vt ſedulò caueat à recentiorum ſectariorum fallacia & fraude, qui perculſi Petri priuilegiis expreſſis in Euangelio, aliiſque noui Teſtamenti codicibus, illa vt eludant, dicunt eiuſmodi prærogatiuas Petri, indicia eſſe ætatis, non verò argumenta dignitatis & poteſtatis: Primatum enim eius in prioratu natiuitatis totum conquieſcere. Sed apertè ex loco Ioannis 1. reuincuntur: prior enim Petrus vbique in libris Euangelicis ac Apoſtolicis ſuo fratre Andrea, præterquam hoc loco nominatur, quo ſolo Andreas ei anteponitur, vbi de natalium iure habetur ratio: *Erat autem Philippus* (ait cæleſtis ſcriba Ioannes,) *à Bethſaida ciuitate Andreæ & Petri;* Si enim Petrus fuiſſet Andrea maior natu, vbi ſermo erat de vtriuſque origine, primus ordine collocandus erat. Cùm igitur econtrà, Petro Andreas hîc tantummodò anteferatur, facilè datur hinc intelligi, Andream ætatis erga fratrem obtinuiſſe primatum, quem hoc ipſo iure ei debitum nonnulli Patres fatentur.

CAPVT IV.

De ſtatu & genere vitæ Beati ipſius Apoſtoli, [illegible] arte ſcilicet piſcatoria.

VEMADMODVM nobilitas generis ex ſe apta eſt nata, hominum animos vanis quibuſdam tumoribus & fumis implere: ita ex oppoſito natalium obſcuritas multùm valet ad conciliandum humilitatem: proinde aptiorem facit hominem ad placendum Deo, iuxta illud Sapientis, *Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam.*

Auctor eſt Gregorius Nyſſenus in rebus geſtis Gregorij

Thaumaturgi, Antistitis Neocæsariensis, Alexandrum quendam Carbonarium mira Dei dispositione in Comanæ ciuitatis Episcopum designatum. Cùm enim defuncto Præsule insignis illius ciuitatis in deligendo successore, scinderetur aduersa in studia, proinde & suffragia vulgus: plures autem è prima nobilitate de sanguinis splendore, diuitiarum copia, amicorum frequentia sibi applaudentes, eum sibi gradum pollicebantur. At Gregorius Thaumaturgus huic electioni moderandæ præses aduocatus, diuino irradiatus lumine in vnum Alexandrum, qui carbonariam exercebat, suffragium suum contulit, quem à fuligine carbonúmque sordibus mundatum sacris vestibus induit, ac Episcopum ordinauit, móxque tanta illi accessit maiestas, vt vel ipsi faterentur æmuli, à Deo id consilij dimanâsse, cuius proprium est infirma *mundi deligere, vt fortia & sublimia quæque confundat*: & obscura splendidis anteferre, vt quæ maximè fulgent, obscurorum quæ magis illustrat, obumbret claritate. Pulchrè id obseruat factum in electione Matthiæ Apostoli Arator sub Vigilio Papa S. R. E. Subdiaconus lib. 1. Carminum in Acta c. 2. hac insigni serie, 1. Cor. 1.

Nunc opus est votis, quod verba prophetica clamant,
Quem liceat supplere vices: tunc summa precantes
Constituere duos, Ioseph cognomine iustum,
Matthiámque Dei paruum, quod nomen, vt aiunt,
Hebræo sermone sonat, humilémque vocando
Comprobat. O quantum distant humana supernis
Judiciis, parui merito transcenditur ille
Laude hominum qui iustus erat.

Sicut in hoc delectu vltimi Apostolorum duodecim, se gessit Deus, sic ab initio se habuerat in primorum duorum Apostolorum Andreæ & Petri electione ac vocatione. Vnde quæso eos assumpsit? Ambulans iuxta mare Galileæ eduxit eos ex spuma maris & limo terræ: vocauit eos de naui; (huc collineat Ecclesiasticum illud responsorium, *Simon Petre antequam te vocarem de naui, noui te, & super plebem meam constitui te.*) Vocauit eos de infima hominum sorte: *Erant enim piscatores* (ait sacer Euangelista Matthæus) *& vocauit eos.* Solent filij patrizare, id est patris sui mores ac genium imitari, eandem sequi professionem, idem vitæ genus amplecti. Sic Iacobus & Ioannes Apostoli patre piscatore nati, eandem artem exercebant: vnde in eo-

rum vocatione expressum est, *Erant in naui cum Zebedæo patre eorum reficientes retia sua: & Dominus vocauit eos: Illi autem statim relictis retibus & patre, secuti sunt eum.* Eiusdem artis erant Petrus & Andreas paulò antè vocati; qui audita voce Domini *continuò relictis retibus, secuti sunt eum.* Matth. 4. At nihil de ipsorum patre, qui fortè iam obierat: sed res per se clamat, ambos istos fratres, patris sui quoque artem esse secutos; locus ipse huic vitæ generi opportunus suos incolas ad hoc facilè inuitabat: id planiùs ex eius fusiori descriptione patebit.

Mare Galileæ, quod & Tiberiadis, Zenereth, & Stagnum Genezareth in sacris literis appellatur; Iosepho lacus Genezar, hodie Tabatiæ dicitur: aquas habet dulces, salubres, & fontanis ac fluuialibus aquis meliores & leuiores: éstque collibus amœnissimis fructiferisque vndique cinctus. Longitudine (si Plinio lib. 5. hist. natur. c. 15. credimus) sexdecim, latitudine sex tantùm continens milliaria. Sed vt Iosephus Antiq. lib. 1. c. 1. & Egesippus lib. 7. c. 28. censent, longitudine centum & quadraginta stadia, latitudine quadraginta, Iordanis fluuius medium perfluit & in lacum posteà Asphaltitem labitur. Tota hæc regio egregiis quondam & celeberrimis oppidis circumsepta erat, & Christi miraculis plerisque fuit illustrata; nam in littore inter Capharnaum & Bethsaidam iter faciens, Andream & Petrum, deinde duos Zebedæi filios ad Apostolatum vocauit. Siccis pedibus super laci huius vndas ambulauit, ventis & fluctibus imperauit, etiam sedauit tempestatem, ventorum flatus compescuit, solóque verbo cunctis stupentibus reddidit mare tranquillum: Petrum hîc penè subuersum è fluctibus liberauit; & post resurrectionem suam discipulis, qui piscatui tota nocte incassum institerant, stans in littore iussit vt ad dexteram nauigij rete mitterent; quo facto præ nimia piscium copia scisso rete, agnouerunt ipsi Discipuli Dominum, & ipsum Deum confessi sunt. Varij autem generis optimos & prægrandes in maxima copia pisces producit hic insignis lacus, troctas, lupos, squalos, cyprinos, aliósque sapore atque specie ab alterius loci piscibus discretos & longè præstantiores: haud mirum igitur si tractus huius indigenæ piscatui sese facilè applicabant, cùm inde victum sibi non solùm compararent, sed vitæ simul ducerent innoxium

exercitium. Hinc leges ciuiles & canonicæ omni hominum statui piscatum licitum esse decernunt, potissimùm in mari & fluminibus, quæ sunt publici iuris. l. 2. §. Si quis in mari: ne quid in locis publ. P. l. finali. §. Iniuriarum, & l. fin. si de vsura, P. leg. in tantum, de rerum diuis. in P. §. flumina. Vnde canones licèt venationem Clericis & Monachis, præsertim clamosam prohibeant: piscatione tamen eos vti posse concedunt Apostolorum exemplo. Quærunt Patres, cur Apostoli post vocationem suam, ad piscatoriam artem redierint, Matthæus autem assumptus è telonio, ad id non est reuersus? S. Gregorius Hom. 24. in Euangelia, hæc tractans verba Petri ad socios post Domini resurrectionem, *Vado piscari*, hanc quæstionem sic proponit & soluit; *Piscatorem Petrum* (inquit) *Matthæum verò telonearium scimus: & post conuersionem suam ad piscationem Petrus rediit, Matthæus verò ad telonij negotium non resedit, quia aliud est victum per piscationem quærere, aliud autem telonij lucris pecunias augere. Sunt enim pleraque negotia quæ sine peccatis exhiberi aut vix aut nullatenus possunt: quæ ergo ad peccatum implicant, ad hæc necesse est, vt post conuersionem animus non recurrat.* Et paulò antè, *Negotium* (piscationis) *quod ante conuersionem sine peccato extitit, hoc etiam post conuersionem repetere culpa non fuit.* Paulò aliter respondet S. Augustinus tract. 122. in Ioan. scilicet non fuerat illis prohibitum salua officij integritate, victum sibi necessarium conquirere, nam etiam Paulus victum sibi manibus comparabat, textoriam exercens, dum ab iis quæ sui erant muneris vacabat. Piscatum igitur Petrus & socij eius reliquerunt quantùm ad lucrum, non tamen quantum ad sustentationem propriam. Adde quòd nondum erant in Iudæorum & Gentium conuersione occupati, nondum Spiritum Sanctum adepti, nondum à Domino in vniuersum mundum ad Euangelij prædicationem ablegati: poterant adhuc igitur in piscium captura versari, quia necdum tempus venerat, quo iuxta Domini promissionem futuri erant piscatores hominum. Pulchrè igitur & appositè Andream cum fratre de arte piscatoria ad hominum capturam à Domino vocatum, hac insigni apostrophe Mantuanus Poëta egregius compellat & affatur, Fastorum sacrorum lib. 11.

Vide Gregor. Petrum Syntagmat. Iuris lib. 39. c. 10. §. 14.

Andrea germane Petri, sanctissima Ionæ
Progenies, qui Baptistæ documenta, viámque

Ante ſequebaris, quàm te cum fratre vacantem
Retibus acciret ſoboles diuina . . . .
. . . .
Tu Galilæus eras, tu circa littora cymbâ
Vectabare, trahens varios ex gurgite piſces:
Sed ſine remigio Chriſtus, ſine retibus vllis
Te docuit piſcari homines, animáſque vocare
Ex ſcelerum ſtagnis, ſtygiíſque paludibus orci,
Mitteréque ingentem diuûm in viuaria prædam.

CAPVT V.

Andreas priùs extitit Diſcipulus magni Ioannis Baptiſtæ, quàm ad Chriſtum illius indicio veniret.

MIRVM eſt quod de B. Ioanne Baptiſta S. Auguſtinus inquirit, Cur diſcipulos adlegerit ſibi Chriſto præſente, nec ipſe inter Chriſti diſcipulos tranſierit? *Hic igitur Joannes non inuenitur* (inquit ſerm. 23. de Sanctis) *inter diſcipulos Domini; ſed inuenitur potiùs diſcipulos habuiſſe cum Domino, quid eſt hoc? quis eſt iſte homo? homo tantùm. quis homo tantus? quantus tantus homo? Tamen non ſequebatur inter diſcipulos Dominum, & ſequebantur eum diſcipuli: abſit vt dicam contra Dominum, ſed tamen quaſi extra Dominum. Diſcipulos habebat Chriſtus, diſcipulos habebat Ioannes; docebat Chriſtus, docebat Ioannes &c.*

Apud Metaph. hom. 2. de Nat. Ioannis Bapt. Ita quidem, ſed Ioannes docebat vt Chriſto teſtimonium perhiberet; docebat quod à Chriſto didicerat, cùm ab eo repletus eſt Spiritu ſancto, dum eſſet adhuc in vtero matris ſuæ: *O res admirabiles!* (inquit Chryſoſtomus,) *& quæ ſuperant opinionem! Quæ in cælo ignorauerunt Angeli, cognouerit Ioannes, qui geſtabatur in vtero? Thronos latuit, & eum qui erat in matrice minimè præteriit? Celauit Dominationes, & ei qui erat in ventre reuelauit myſterium ſuſceptæ carnis œconomiæ.* Paria habet orat. de Præcurſore Domini, Antipater Epiſcopus Boſtrenſis: *Fuiſti* (ait ad ipſum Ioannem) *Spiritu afflatus, vt qui donum Prophetiæ accepiſti in vtero, ſaliens in ventre ea dicebas, quæ Moyſi cùm conſenuiſſet, Deus ſigni-*

Apud ipſum Metaph.

gnifi-

gnificauit: Quæ de causa te maiorem Prophetis vocauit sponsus Ecclesiæ. Et infrà: *etenim antequam esset natus, Deus ei apertè tradidit gratiæ mysterium, gratiæ thesauros apud eum deposuit, & ea quæ ignorarunt in cælo choros ducentes Angeli, Ioannes discebat, dum adhuc in matris vtero gestabatur.* Nec huic doctrinæ aduersatur quod ait ipse Ioannes, *Et ego nesciebam eum:* non enim eum vultu nouerat, quia nondum faciem eius viderat; sed probè sciebat Messiam quem adorauerat in vtero, quem prædicabat in deserto, de cælo in terram descendisse, de Virgine natum esse, atque adeo iam inter populum conuersari: vnde Ioannes huius præsentiæ non nescius Iudæis dicebat; *Medius autem vestrûm stetit, quem vos nescitis &c. cuius non sum dignus vt soluam corrigiam calceamenti.* Quapropter cùm dixisset, *Et ego nesciebam eum,* (scilicet vultu ac conuersatione) subiunxit: *sed vt manifestetur in Israël, propterea veni ego in aqua baptizans.* Postquàm verò ei locutus est, ipsúmque baptizauit, & columbam delapsam è cælo super eum vidit, ac vocem patris audiuit dicentis: *hic est filius meus dilectus:* tunc exactius de eo testimonium perhibuit, tunc eum populo ostendit, tunc circumstantibus dixit: *Ecce agnus Dei, qui tollit peccatum mundi.* Docebat igitur Ioannes, seu vox eius nihil nisi Christum sonabat; habebat discipulos, sed eos ad Dominum transmittebat: ad hoc enim tantùm eos erudiebat, vt cognoscerent Christum, vt sequerentur eum, vt in eum crederent, vt ei iugiter adhærerent, vt diuinam eius doctrinam ediscerent, vt gloriam eius viderent, vt nomen eius prædicarent, vt pro eo vitam & sanguinem profunderent, vt eius Euangelium morte gloriosa obsignarent, vt mundum vniuersum ad eius fidem & cultum conuerterent, & sic cum triumpho palmas & coronas immarcessibiles eius in regno consequerentur.

Ioan. 1. 33. &c.

Præclarè S. Ambrosius instituendo virgines, ait lib. 2. sub initium, *Primus discendi ardor, nobilitas est magistri:* hoc ardore incensus Andreas, ex quo vocem audiuit diuini præcursoris, statim ad eum se contulit; eius de auctoris gratiæ aduentu præconium lætus audiuit & credidit; vidit admirabilem eius conuersationem, incomparabilem vitæ sanctimoniam vidit, & talem ac tantum magistrum dilexit, reueritus est, ac se se in eius disciplinam mox tradidit; nihil enim sibi fortunatius obtingere posse censuit, quàm eius contubernio frui, sub ipsius magisterio edoceri, viam

Domini aduentantis ab eo perdiſcere, præcepta eius tenere, ſanctiſſimos mores imitari, eius Angelicam puritatem, & miram auſteritatem æmulari, ſacris eius veſtigiis inſiſtere, quibus iter ad cælum, via ad Chriſtum, ad eius regnum aditus ſternitur, & ad vitam æternam, verámque felicitatem reſeratur ingreſſus. Tot ac tantis ſuauiſſimis illecebris ac philtris pellectus Andreas, ad Ioannem velox acceſſit, vltróque ſeſe eius diſcipulum profeſſus eſt. Magnus Eccleſiæ doctor Auguſtinus rectè vt aſſolet, dicit, *Ad diſcendum duo eſſe imprimis neceſſaria, nempe auctoritatem & rationem.* Auctoritas ſpectat docentem, nam vt præfatus ait S. Ambroſius, *primus diſcendi ardor, nobilitas eſt magiſtri.* Quis didaſcalus vnquam extitit nobilior Ioanne? qui gratiæ omen ſuo nomine protulit, qui aurora fuit, à qua cœpit dies noſtræ ſalutis. Lucifer qui ſolis gratiæ atque iuſtitiæ ortum præcucurrit: Iris quæ noſtras lachrymas & gemitus decore ſuo diſcuſſit lucerna lucens & ardens, quæ lumen verum in tenebris lucens prætulit ac præmonſtrauit. Ioannes, inquam, homo ille tot inter miracula natus, imò ipſe magnum miraculum factus, Propheta & pluſquam Propheta, primus Dei Apoſtolus, ac præcipuus nuncius Chriſti, Dei & hominis pronubus, amicus & prodromus; limes Legis, Prophetarum ſilentium, Euangelij initium, Chriſti vox & oraculum; Ioannes non naturâ quidem, ſed officio ac merito Angelus, reipſa Apoſtolus, Martyr & Virgo: Ioannes vt vnico dicam elogio, qui ſuperiorem nullum, parem habuit neminem: de hoc enim ſumma veritas Chriſtus inſigne hoc protulit præconium, *Inter natos mulierum non ſurrexit maior Ioanne Baptiſta.* Ioſue prima laus erat, quòd fuerit miniſter Moyſi, acceſſit Elizæo exhinc ſummum decus atque felicitas, quòd meruerit Eliæ eſſe diſcipulus. Parua hæc ſunt, ſi cum beatitate ac gloria Andreæ conferantur, qui ſingulari Dei beneficio promeruit magiſtro Ioanne vti ac frui, fieríque primus eius aſſecla, ſymmyſta, auditor ac alumnus: primogenitus grandis huius aquilæ pullus: nec enim tantùm eius fuit ſectator & auditor, ſed *diſcipulus inter omnes omninò primus*, vt pridem S. Gaudentius Brixienſis ille celebris Antiſtes ſeriò obſeruauit, ac feliciter admonuit *tract. de dedicat. Baſil.*

Matth. 11.

Ratio autem quæ mouere debet diſcipulum, non eſt ſola auctoritas docentis, ſed morum integritas, vitæ probi-

tas, & eius doctrinæ præſtantia. Doctrina Ioannis non ſolùm erat pura, ſublimis, & fructuoſa, ſed tota inſuper cæleſtis & diuina. Verùm vt auſtera erat eius vita, ſic ardua erat imitatio, nam abſtrahebat auditorum ſuorum mentes à terrenis cupiditatibus ac deliciis, & ad cæleſtium rerum, & æternorum bonorum deſiderium excitabat, pérque dura & aſpera exercitamenta diſcipulorum ſuorum impellebat animas ad vitiorum odium, & cultum virtutum, quo eas dignè præpararet in occurſum Domini, cuius aduentum prænunciabat. Non erat Ioannes magiſter, vt Phariſæi, pruriens auditorum auribus, ſed rigidus præco pœnitentiæ, & exemplar omnis auſteritatis: Vnde Marcus Euangeliſta hoc ducit ſuæ ſacræ narrationis exordium: *Fuit Ioannes in deſerto baptizans, & prædicans Baptiſmum pœnitentiæ in remiſſionem peccatorum. Et erat veſtitus pilis cameli, & Zona pellicea circa lumbos eius, & mel ſilueſtre edebat.* Hæc tamen tanta victus ac veſtitus auſteritas: hæc tam horrida quàm exoſa mundi amatoribus pœnitentiæ prædicatio Andream à Ioannis magiſterio & ſequela non deterruit, imò illum attraxit primum omnium, vt in eius diſciplinam ſeſe totum committeret. Scribit præclarè S. Hieronymus ad Nepotianum, *delicatus magiſter eſt, qui pleno ore de ieiuniis diſputat. Ioannes venit*, ait Dominus, *neque manducans, neque bibens.* Et diſcipulos ſuos ad crebra ieiunia, & prolixas orationes inſtruebat. Vnde facta Chriſto eſt interrogatio, *Quare diſcipuli Ioannis ieiunant frequenter, & obſecrationes faciunt?* Luc. 5.33. Porrò duræ ſunt ac difficiles admodùm eiuſmodi exercitationes, víxque homines reperiri poſſunt, qui valeant ſeſe illis aſſuefacere. At tam arduam diſciplinam amplecti Andreas Petri frater non formidauit; primus omnium ad Ioannem acceſſit, à quo eiuſmodi rudimenta cæleſtis Philoſophiæ ediſceret; nec enim ſe eius addixit magiſterio, vt eius documenta tantùm audiret, ſed etiam vt eius præcepta ſeruaret, & exempla eius ſanctiſſimæ vitæ ſummo ſtudio imitaretur. Egregiè dixit Philoſophus, 1. Politic. *Doctrina naturaliter procedit de homine ad hominem, ſecundùm operationes quas habet doctor ad diſcipulum.* Nactus erat Ioannes in Andrea diſcipulum ſua in theoremata procliuem, & Andreas didaſcalum in Ioanne ſuis propenſionibus ac deſideriis vndequaque conformem, & ad amuſſim ſuo genio adæquatum. Magna igitur contigit ipſi Andreæ felicitas,

tam excellentem magiſtrum conſequi, ſed non minor Ioanni obtigit gloria, talem ac tantum ſibi comparare diſcipulum, qui innumerorum poſteà hominum fuit piſcator, & dux ad æternitatem. Sanè quemadmodùm plurimùm lædit qui fontem inficit; ita latiſſimè patet eius beneficium, qui pectus inſtruit omnibus ſuo ductu & exemplo profuturum; *diſcipuli perfectio*, (ſcitè ait magnus Ambroſius ſup. 1. epiſt. ad Theſſal.) *magiſtri laus eſt*. Cognito Andrea diſcipulo, facilè cognoſces qualis fuerit Ioannes pædagogus ac magiſter.

CAPVT VI.

De prima vocatione B. Andreæ, & primo eius ad Chriſtum acceſſu.

A *diebus Adæ* (inquit B. Cardinalis Petrus Damiani ſerm. de priuilegiis S. Ioannis Baptiſtæ,) *vſque ad Ioannem, organum noſtrum verſum eſt in vocem flentium: quia vbi peccatorum frequentia, nec pœnitentiæ locus: duplex erat deplorandi materia; occidis? occidi iuberis: Sabbatho ligna colligis? lapidari iuberis. Et ille cui proprium eſt miſereri ſemper & parcere, niſi ferire non nouit. Ioannes natus oſtendit medicamentum vulneri, peccato pœnitentiam, veniam iniquitati. Hæc eſt prima vox, quam vox clamantis in deſerto propoſuit, & vox turturis, in terra noſtra.* Narrat Euſebius Ioannem Apoſtolum & Euangeliſtam, dum Epheſi reſidens, omnes erigeret & regeret Aſiæ Eccleſias, vnum ex ſuis diſcipulis impatientem diſciplinæ latronem factum: inſecutum paterno affectu, à ſiluis & latrocinio tandem inuentum retraxiſſe, meliorémque ad frugem conuerſum, in bono firmatum, etiam ad Epiſcopatum promouiſſe: præuio ſanè Domini exemplo, qui bonus paſtor ouem fugibundam, & à grege dilapſam & aberrantem ſuis ſublatam humeris ad caulas ſuas multa cum lætitia reuexit, altè ſemel ac iterum profeſſus, *ſe non veniſſe vocare iuſtos, ſed peccatores ad pœnitentiam.* Hinc vox ipſius incarnati Verbi Ioannes Baptiſta, præco primus diuinæ miſericordiæ, nihil aliud quàm pœnitentiam in deſerto proclamabat; quamobrem vas electionis Paulus in Synago-

ga Iudæorum Antiochiæ Pisidiæ prædicans hoc eis in memoriam reuocabat, Act. 13. 23. &c. *Deus ex semine Dauid secundùm promissionem eduxit Israël Saluatorem Iesum; prædicante Ioanne, ante faciem aduentus eius, Baptismum pœnitentiæ omni populo Israël.* Sed quæso num Andreas vel solus vel summus peccator in Israël erat, vt audita voce Ioannis inuitantis peccatores ad pœnitentiam & Baptismum pœnitentiæ, primus ad suscipiendum eiusmodi expiationis lauachrum, ad Ioannem præconem veniæ & remissionis præcurreret, & se reum omnium teterrimum primo illo ardore pœnitentiæ profiteretur? Fateor antequam accederet ad Ioannem, nulla virtutum eius in Euangelio expressè signata extat commendatio, sed nec ipsum Euangelium alicuius eum sontem fuisse memorat criminis. Dauid priusquam pœnitentiam ageret, adulterij & homicidij reus erat: Magdalena famosa fuerat in ciuitate peccatrix; & ipse vertex Apostolorum Petrus, non cœpit amarè flere, nisi postquam Dominum suum pertinaciter negauerat: Andreas verò qui primus cucurrit ad Baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum, nullius flagitij labe notatur in Euangelio, sed vitæ innocentis & incruentæ fuisse perhibetur; victum manu & arte licita quærebat, desiderio videndi proximè venturi Messiæ ardebat, cælibem agebat vitam, viam salutis inquirebat: magistrum virtutis, doctorem veritatis affectabat assequi, quem votis potitus tandem meruit in Ioanne inuenire, cuius mox audita voce, monitis credidit, & arduam ac asperam disciplinam libenter amplexus est.

Semita iusti (ait Scriptura) *quasi lux splendens procedit, & crescit vsque ad perfectum diem.* Prou. 4. 18. hoc inspicere licet in S. Andreæ planè miro ad gratiam & gloriam progressu. Aurora præcedit diem, dies crescit vsque ad meridiem. Promittit electis suis Christus Apocalyp. 2. 28. stellam matutinam. Variant Interpretes in stellæ huius expositione; quidam enim animæ beatificationem à noctis huius sæculi fine incipientem: quidam glorificationem corporis: quidam donum scientiæ seu sacræ Scripturæ intelligentiam: alij primam gratiam; alij denique ipsum Christum, qui de seipso ait, *Ego sum stella splendida & matutina.* Quò spectans S. Gregorius lib. 19. Moral. in Iob. c. 30. sup. illa verba c. 15. 38. *Numquid producis Luciferum in tempore suo? Christus* (inquit) *natus ex Virgine, velut Lucifer inter tene-*

bras nostræ noctis apparuit, quia, fugata obscuritate, peccati æternum nobis mane nunciauit; & præterea, qui viuus apparens post mortem, matutina nobis stella factus est, quia dum in semetipso exemplum nobis resurrectionis præbuit, quæ lux sequatur indicauit. Sanè Christus per gratiam internæ vocationis, sicut stella matutina B. Andreæ illuxit, & dum illi primùm apparuit, stellam ei matutinam dedit, sui nimirum ipsius notitiam & primam gratiam, cuius luce illustratus processit crescens fide, charitate, sanctitate vsque ad diem perfectum, illum scilicet diem, quo ipse sicut sol in zodiaco crucis exaltatus, mirísque splendoribus refulgens, suæ in Christum gratitudinis ac ardentis amoris indices has voces emisit: *Tu es Magister meus Christus quem vidi, quem cognoui, quem dilexi, quem confessus sum; ne me patiaris ab iniusto iudice deponi; tantùm in hac voce exaudi me, quia virtutem sanctæ crucis agnoui.* Ecce vt per primam Christi notitiam eius in amorem exarsit, procedénsque vt aurora consurgens, & crescens de gratia in gratiam, de virtute in virtutem, sol ipse euasit, pleno in meridie rutilans, tam grandi ardore quàm eximio decore & splendore.

Christus lux est (ait eius dilectus discipulus,) *quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Sed dicite, quæso, quem omnium hominum primum illuminauit? Sanè Ioannem Baptistam, quem adhuc clausum in vtero matris, sua visitatione sanctificauit, Spiritu sancto repleuit, & prima sui cognitione irradiauit; sed post Ioannem nullus Sanctorum prior Andrea, ab ipso sole gratiæ & iustitiæ Christo illuminatus est; primus est enim Christi discipulus, qui Christum vidit, & audiuit, ac in eum credidit, priusquam vllus hominum (excepto solo Ioanne magistro suo) fidei lumen suscepisset: Vnde *primus Christianus* meritò à SS. Patribus appellatur. Pulchrè ait S. Ambrosius, qui Ioannem loquitur, Christum prophetat, totus erat vox Ioannes; vnde perquirentibus Iudæis Elias es tu? dixit, non sum: Propheta es tu? & respondit, non: dixerunt ergo, Tu quis es? quid dicis de te ipso? ait, *Ego vox clamantis in deserto*: Non dixit vox clamans, sed vox clamantis, Verbi scilicet diuini, nempe Christi, qui per eum suum aduentum manifestabat. Ideo Ioannes clamans, nihil aliud quàm Christum loquebatur: vt semper eum in corde gerebat, sic habebat in ore, *Vox clamantis in deserto: dirigite viam Domi-*

Lib. 2. in Luc.

ni? qui iam medius vestrûm stat, & vos nescitis? At mira erat Iudæorum cæcitas, mira stupiditas, qui Christum iam venisse, & inter ipsos versari à Ioanne audientes, nunquam tamen ab eo poposcerunt, vt illum ipsis ostenderet, quem tamdiu Reges & Prophetæ videre desiderauerant, & iam ferè aduentare tot ac tantis vaticiniis prænunciauerant. Sed Ioannes hanc Iudæorum socordiam vt discuteret, petitionem eorum non expectauit: *Altera die vidit Ioannes Iesum venientem ad se, & ait: Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi. Hic est de quo dixi, Post me venit vir, qui ante me factus est. Et ego vidi, & testimonium perhibui, quia hic est filius Dei.* Quis ad tam illustre testimonium, ad tam felix nuncium, ad tam clarum indicium, astantium aperuit oculos, arrexit aures, mouit pedes, vt fulgentem coram se solem iustitiæ cerneret, sapientiam Dei incarnatam audiret, transeuntem agnum illum expiatorem omnis peccati, Saluatorem mundi, ad noxarum postulandam veniam, sequeretur? Nemo sanè tunc fuit, qui vel loco moueri parumper fuerit dignatus. Visus est Ioannes nationi illi incredulæ tanquam Loth loquens Sodomorum incolis, *quasi ludens loqui.* Christi vilis habitus, modestus incessus, humilis & pauper apparatus, illis contemptui ac ludibrio fuit. Quapropter nec Ioanni, quem tanti paulò antè fecerant, eum vt Christum ipsum esse arbitrarentur, fidem vllam adhibuerunt; at quasi vir iste sanctissimus hallucinaretur, aut eos vellet decipere fallaci testimonio: & Christum quem ostenderat, despexerunt, & eius testificationem indignam creditu censuerunt.

Ioan. 1.

Genes. 19. 14.

Sed *altera die iterum stabat Ioannes, & ex discipulis eius duo* (qui sanè hesterna die non aderant,) *& respiciens Iesum ambulantem dicit, Ecce agnus Dei.* Non dixit sicut nudiustertiùs dixerat, *qui tollit peccatum mundi*: non subiunxit, *Hic est filius Dei.* Sed ait tantummodò, *Ecce agnus Dei. Et audierunt eum duo discipuli loquentem, & secuti sunt Iesum.* Non hæsitarunt ambigentes quid facerent, non à magistro suo petierunt quid essent acturi, sed statim ac tria illa verba ore suo deprompsit, statim atque hæc audierunt, sine vlla mora aut cunctatione, agnum illum Dei, Iesum ambulantem ardenti animo, pernici gressu sunt secuti: cùm nemo innumerorum hominum qui astabant, qui iteratum hoc Ioannis de Christo præsente testimonium audiebant, lo-

ibid.

eo fuerit digressus, vt eorum exemplo Iesum conueniret, & vel minimo honorificationis signo prosequeretur. Sapienter & apposité Cardinalis Toletus hîc obseruat Iudæorum stupendam duritiem, & duorum illorum discipulorum Ioannis piam docilitatem. *Horum* (inquit) *discipulorum docilitas, multitudinem Iudæorum astantium, & nullam tanto testimonio fidem adhibentium condemnat.* Magnum sanè & illustre fuit hoc vocationis Andreæ, & socij eius anonymi præludium; *sequi enim Deum,* iuxta sapientem illustrium virorum sententiam, primus est gradus veræ sapientiæ, vt S. Ambrosius notat lib. 1. de Abraham Patriarcha c. 2. *Hoc autem* (inquit) *quod pro magno inter septem Sapientum dicta celebratur, Sequere Deum, perfecit Abraham, factóque præuenit dicta sapientum; nam secutus Deum exiuit de terra sua.* At maior hîc Andreæ quàm Abrahæ fides atque docilitas. Exiuit de terra sua Abraham, sed expressum antecesserat Dei præceptum: dixerat enim ei Deus, *Egredere de terra tua.* Verùm nulla Christi præcesserat iussio, quâ Andreas Ioannem deserere sanctissimum magistrum suum, & ipsum sequi Iesum, hactenus sibi facie, habitu, & conuersatione incognitum, impelleretur: sed sponte sua, vno condiscipulo comite, quem traxit secum exemplo suo, velociter, expeditè, libenter ad Christum accessit: nec adiit se expectantem, sed transeuntem secutus est; non autem tantùm secutus est, sed sistit progredientem, & insuper tacentem interpellauit. Non est quòd de cætero miremur Iosue solem in ipsius ad occasum excursu, sua voce cohibentem: cùm Andream videamus solem iustitiæ Christum breui sistentem compellatione. Cum socio suo Andreas secutus est Iesum. *Conuersus autem Iesus, & videns eos sequentes se, dixit eis, quid quæritis?* Ianum bifrontem ethnici quidem pinxerunt antè & retrò respicientem: Mysticæ quadrigæ quæ trahunt currum similitudinis gloriæ Domini (teste Ezechiele Propheta) *plena sunt oculis antè & retrò*: quid opus erat vt Christus, qui Deus verus est, proinde totus oculus, se conuerteret vt videret Andream & symmystam eius insequentes se? Minimè quoad se Christus hac conuersione, vt eos nosset, indigebat: sed nec opus erat ad eorum intentionem perscrutandam, ea interrogatione, *quid quæritis?* probè enim nouerat nihil eos quærere nisi seipsum: sed conuersus eos aspexit, vt sui vultus splendore, gratiæ

lumen

lumen eorum in animas transfunderet, ſuique ipſos amoris ardore inflammaret. Excepit mox ignem cæleſtem, hoc diuino traiectum in ſe conſpectu, Andreas cum comite ſuo, aitque, *Rabbi* (quod interpretatum dicitur Magiſter) *vbi habitas?* Sanè hic mihi videor ſponſam audire, ſic in Canticis ſponſum ſuum, præ deſiderio colloquendi & manendi cum eo, exorantem, *Indica mihi quem diligit anima mea: vbi paſcas, vbi cubes?* Cant. 1. 6. Pulchrè ad hæc Theodidactus pater Bernardus, *Anima ſtudioſa Dei, tria non ceſſat inquirere, ſcilicet iuſtitiam, & iudicium, & locum habitationis gloriæ ſponſi, tamquam viam in qua ambulet, vt de forma iuſtitiæ ſit formoſa, de iudiciorum notitia cauta, de deſiderio præſentiæ ſponſi caſta.* Talem prorſus decet ſponſam pulcram, eruditam, & caſtam: Talis anima frequenter ſuſpirat, imò ſine intermiſſione orat, quærere ſponſum præ deſiderio non ceſſat. Andreæ anima iam olim feruebat eiuſmodi deſiderio. Ex quo audierat à Ioanne proximam eſſe Chriſti manifeſtationem, veniſſe iam eum, eſſéque in turba medium, maiori flagrabat deſiderio eum videndi, & ſe ei prorſus addicendi. Notauit ingens illud S. Andreæ deſiderium S. Vincentius Ferrarius in ſermone de eodem beato Apoſtolo: *Dicebat* (inquit) *Ioanni, Pater oſtendito nobis Meſſiam quem iam aduenisse prædicas, de quo ſemper nobis loqueris. Tu iam eum vidiſti, noſti igitur optimè, cur tamdiu nos eius expectatione crucias? Oſtende eum nobis? oſtende quæſo & ſufficit nobis?* Tum Ioannes vt dilectiſſimi ſui diſcipuli feruentiſſimis votis ſatisfaceret accepta tandem fortunata occaſione, tranſeuntem Chriſtum illi oſtendit dicens: *Ecce agnus Dei* (ô Andrea,) quem totis animæ præcordiis deſideras? Tum igitur incredibili perfuſus gaudio Andreas currit, volat, irruit poſt Dominum, ab eòque enixè petit cum ſocio, *Rabbi vbi habitas?* Eſt autem apud Hebræos ſignificationis excellentioris *Rabbi*, quàm apud Latinos *magiſter*, & apud Græcos διδάσκαλος, quia eſt à verbo רב, quod ſignificat multiplicare, quaſi homo multa ſcientia & virtute præditus. qua ratione per eminentiam Chriſtus magiſter noſter eſt ſingularis, de quo ait pater cæleſtis, *Ipſum audite.* Vnde illud Matth. 23. 8. *Vos autem nolite vocari Rabbi, vnus eſt enim magiſter veſter,* ſcilicet Chriſtus, qui ideo dicit, *vos vocatis me Magiſter & Domine, & bene dicitis, ſum etenim.* Ioan. 13. 13. Sunt qui huic nomini Rabbi, quo An-

dreas & ſocius eius primi Chriſtum compellarunt, aliam aſſignant ſignificationem, nempe quod non ſolùm denotat magiſter,ſed cum ſpeciali attributo,meus : vt iam hoc nomine diſcipuli iſti duo innuunt ſe valedixiſſe Ioanni, ipſo ſuo diſceſſu, & nullum alium magiſtrum deinceps agnoſcere quàm Chriſtum, cui vnicè & conſtanter adhærere velint, eius doctrinam percipere, obſequiúmque illi iam perpetuum profiteri. Ideo ipſum illicò ſequuntur, nec ſequuntur tantùm, ſed vbi manet ſedulò inquirunt, *Rabbi vbi habitas*, Græcè legitur μένει, id eſt, *vbi manes?*

Dixit eis, venite & videte.] Mira dignatio Domini Saluatoris ! dicere ſolebat, *venientem ad me non eiiciam foras.* Genius hominum eſt, facilè ad ſe venientes non admittere ; nectere moras, occupationes, horam intempeſtiuam, locum collocutioni non idoneum prætexere : ſed viæ Dei quantum diſtant cæli à terra, tantum diſtant à viis filiorum hominum. Spiritus Dei bonus, ſanctus, certus, ſuauis, amans hominum, benefaciens, humanus, benignus, omnem habens virtutem. Spiritus iſte Ieſu ſpiritus eſt, qui quàm ſuauis ſit, benignus & benefaciens hîc oſtendit, Andream enim & comitem eius venientes ad ſe, & domum eius adire primo occurſu impellentes, non faſtidit, non repellit, horam nimis ſeram, locum incommodum, colloquium importunum, ſuſpectam eorum poſtulationem non cauſatur : ſed omnibus his reiectis mundi huius artificiis, eos ad ſe vltro venientes benignè excipit, ſuauiter allicit, & amicè inuitat, vt ad ſe veniant, & locum vbi habitat proſpiciant, ſique etiam velint ſecum ipſa die, quin & ipſa nocte quæ iam imminebat, commorentur: *venite*, inquit, *& videte*. Chriſto ſiquidem nulla ſera eſt hora noſtræ procurandæ ſaluti : locus omnis aptus eſt pœnitentiæ, nemo incapax veniæ & gratiæ, niſi qui ſuſcipere renuit. *Nemo eſt* (ait Propheta) *qui ſe abſcondat à calore eius*, quia propter nimiam charitatem qua diligit nos, ſinum ſuæ pietatis omnibus aperit hominibus. Præclarè Leo Magnus ait ſerm. 1. de Nat. Domini, *Nemo ab huius alacritatis participatione ſecernitur, vna cunctis lætitiæ communis eſt ratio, quia Dominus noſter peccati mortiſque deſtructor, ſicut nullum à reatu liberum reperit, ita pro liberandis omnibus venit. Exultet ſanctus, quia appropinquat ad palmam; gaudeat peccator, quia inuitatur ad veniam; animetur Gentilis, quia vocatur ad vitam.* Egregiè de M. Magdalena ad Domi-

Sap. 7. 22.

num ex improuiſo accedente dicebat S. Gregorius, *Quid miramur fratres, Magdalenam venientem, an Christum ſuſcipientem?* Venit Andreas cum ſodali ſuo ad Ieſum: ambos amanter ſuſcepit Ieſus. Non mirum eſt quomodo Chriſtus vtrumque ſuſceperit, ſed quomodo duo illi diſcipuli, quaſi ex condicto, acceſſerint ad eum: *Nemo poteſt dicere Dominus Ieſus, niſi in Spiritu ſancto. Nemo poteſt venire ad me* (ait Chriſtus Ioan. 6.) *niſi pater meus traxerit eum.* Quomodo igitur venit cum ſocio ad Chriſtum Andreas? ſanè quia interna animi motione, & inuiſibili vocatione eos ad filium ſuum dilectiſſimum traxerat & attraxerat cæleſtis pater. Sed addit loco ſignato Chriſtus, *Omne quod dat mihi pater ad me veniet. Omnis qui audiuit à patre & didicit, venit ad me:* Ex quo conſequens eſt Chriſtum dono patris non minimo, Andream in primum Diſcipulum accepiſſe: nec veniſſe Andream ad Dominum mero ſuo arbitrio, ſed tractum à Patre, impulſum à Spiritu ſancto, illuſtratum ab ipſo Chriſto. Sanè Chriſtus eſt verbum & ſapientia Patris: Spiritus amor & nexus vtriuſque: opera trium diuinarum perſonarum ad extra ſunt indiuiſa, per certam tamen accommodationem, vt opera quæ à diuina ſapientia dimanant, aſſignantur Verbo ſeu filio, quæ ſunt bonitatis Spiritui ſancto referuntur: ſic opera poteſtatis Patri æterno tribuuntur, qui idcirco dicitur *pater omnipotens,* non quòd illud attributum non ſit commune tribus diuinis perſonis, ſed quòd patri qui fons eſt diuinitatis & prima ſanctiſſimæ Trinitatis perſona, creatio quæ opus eſt diuinæ omnipotentiæ, ſoleat in ſcripturis ac ſymbolo aſſignari. Vocatio igitur Andreæ tam admirabilis, non fuit opus naturæ, ſed diuinæ virtutis & gratiæ, neque enim potuiſſet venire ad filium, niſi eum traxiſſet pater, potenti brachio ſuæ omnipotentiæ ac virtutis: ſed interceſſit etiam in hac vocatione Filij & Spiritus ſancti propria operatio, iuxta prædictum Chriſti oraculum, *Omnis qui audiuit à patre & didicit, venit ad me.* Sanè præclara illa verba *audiuit, didicit, venit,* trium denotant diuinarum perſonarum hoc in opere concurſum, Pater ab æterno loquitur generans filium, ſed non auditur à nobis niſi per eum, qui eius eſt Verbum, vnde Paulus ad Hebræos ait, *nouiſſimè locutus eſt nobis in filio;* Sed nemo credit filio, niſi vt credat à Spiritu ſancto moueatur & illuſtretur lumine gra-

tiæ. Sed etiamsi homo cognoscat filium, non tamen venit ad eum, nisi victoriali potentia trahatur à Patre. Efficit igitur filius vt homo audiat; Spiritus sanctus, vt discat & credat; Pater verò, vt trahatur & veniat. sic igitur Andreas edoctus interna locutione à Filio, irradiatus & inflammatus à Spiritu sancto, & tractus intrinsecùs à Patre, venit ad Filium, & secutus est eum; etiam antequam vocatione extrinseca Christus ei & socio (quem nonnulli putant fuisse Ioannem Euangelistam) dixisset, *venite & videte.* Qua voce fecit eos desiderij compotes, etenim rogauerant eum, ac sequi iam cœperant: *Magister vbi habitas?* tunc enim dixit eis: *Venite, & videte.* Vnde subiungit immediatè sanctus Euangelista, *venerunt & viderunt vbi maneret, & apud illum manserunt die illo.* Scilicet à crepusculo vespertino, seu solis occasu, vsque ad sequentis diei initium.

Cæterùm vt hîc bene monet Toletus, quid audierint à tanto Magistro & Domino ac tam benignè eos accipiente, sanctus Euangelista non narrauit: sed si licuit Beato Laurentio inter flammas & carbones ardentes tota nocte pro Christo certanti, dicere: *Mea nox obscurum non habet, sed omnia in luce clarescunt:* numquid fas non erit asserere ipsi Andreæ & eius condiscipulo tota nocte cum Christo manenti, & audienti ab eo verba vitæ æternæ, noctem illam caliginis omnis fuisse expertem, sed die lucidissimo, ipsâque meridie clariorem extitisse; cùm lux illa diuina, Filius & sapientia Patris, & splendor eius gloriæ, in tenebris luceret, ac quicquid est triste ac nubilum ab eorum oculis repelleret, diuinísque suis fulgoribus ipse sol iustitiæ ipsorum mentes irradiaret. Scitè ac magnificè Bernardus mellifluus ille Cantici Canticorum explanator, edisserens verba illa speciosa sponsæ ad dilectum suum, *Indica mihi vbi pascas vbi cubes in meridie.* Cant. 1. 6. *Erat* (inquit serm. 33.) *dies Christi vera meridies, qui solaris præsentiæ sua fugauit auroram* (prius verò noctem.) *O verè meridies! plenitudo feruoris & lucis, solis statio, vmbrarum exterminatio, desiccatio paludum, fœtorum depulsio! ô perenne solstitium! quando iam non inclinabitur dies! ô lumen meridianum! ô vernalis temperies! ô æstiua venustas! ô autumnalis vbertas! Hunc locum tantæ claritatis & pacis & plenitudinis indica mihi.* Locum illum Christus, Andreæ suo dilectissimo, filio pri-

mogenito, primo omnium suo sectatori, simúlque eius socio, indicauit cùm dixit illis, *venite ac videte :* Tunc enim *venerunt & viderunt, vbi maneret : & apud eum manserunt die illo.* Quàm impropria locutio, dicet fortassis quispiam ! Tunc enim cùm hoc actum est, aduesperascebat, nox iam imminebat, vt notat ibidem Euangelista, igitur dicendum potiùs fuerat, *manserunt apud illum nocte illa.* Sed de industria diem dixit, nox enim esse non potest vbi sol lucet. Vbi erat Christus lux mundi & sol iustitiæ, splendor gloriæ, nulla noctis caligo, nulla tenebrarum esse poterat obscuritas. Non minùs verè tunc igitur potuit Andreas, quàm ipse Dauid dicere : *In meditatione mea exardescet ignis. Nox sicut dies illuminabitur. Et nox illuminatio mea in deliciis meis. Notas mihi fecisti Domine vias vitæ, adimplesti me lætitia cum vultu tuo, delectationes in dextera tua vsque in finem.* Magnus Augustinus hîc se non potest, præ admiratione felicitatis Andreæ & eius consortis, continere, *Ostendit eis Dominus* (inquit Tract. 7. in Ioan. post initium) *vbi maneret, & fuerunt cum illo : quàm beatum diem duxerunt ! quàm beatam noctem ! quis est qui nobis dicat quæ audierunt illi à Domino ? ædificemus & nosmetipsi in corde nostro, & faciamus domum, quò veniat ille, & doceat nos, & colloquatur nobis.* Sed excutiamus aliam temporis circumstantiam, *Hora autem erat quasi decima.* Non assolet S. Ioannes in suo Euangelio notare minutas temporis partes, horas videlicet, nisi cùm vult innuere rem quam mox exaraturus est, maximi esse momenti. Sic passionis Domini horam studiosè consignat, *Erat autem Parasceue Paschæ, hora quasi sexta, &c.* Ioan. 19. 14. sic collocutionis ipsius Domini cum Samaritana muliere notat præcisè horam ; *Hora autem erat quasi sexta.* Ludit egregiè Arator poëta sacer lib. 1. Carminum in Act. c. 21. circa eiusdem horæ sextæ mysterium, qua S. Lucas notat super Petrum mentis excessum cecidisse, ait enim,

Ardua progreditur cœnacula Petrus adire,
Iam medio torrente die, locus instruit albus
Despiciénsque solum : Petrum cælestia semper
Non terrena sequi : Sexta quoque circulus hora
Detegit ætatem, qua Christus venit in orbem,
Largiri saluantis opem, numerúsque dierum
Prætulit exemplum, quo condidit antea mundum

Quem vetat hac ipsa veniens ætate redemptor
Peccati ditione premi, sic denique sexta
Fertur & illa geri, fessus de calle magister
Cum putei super ora sedens, per vasa puellæ
Pocula quærit aquæ, requiem facturus vbique
Ecclesiæ de fonte suæ: Qua Petrus in hora
Esurit, ille sitit, &c.

Sitis autem Domini (quæ hora sexta diei contigit) egregiè S. Augustinus, in ipsa hora insinuatum obseruat à S. Ioanne in Euangelio, latens mysterium: sic enim exactè circumstantias rei tum gestæ expendit: *Iam* (inquit tract. 15. in Ioan.) *incipiunt mysteria. Non enim frustra fatigatur Iesus: non enim frustra fatigatur virtus Dei,* &c. *Fatigatur tamen Iesus, & fatigatur ab itinere & sedet, & iuxta puteum sedet, & hora sexta fatigatus sedet.* Porrò hîc consimiliter idem beatus Euangelista signatim & præcisè horam denotat, qua Christus Andreæ & socio eius dixit, *Venite & videte; & venerunt, & viderunt vbi maneret, & apud eum manserunt die illo: hora autem erat quasi decima,* videlicet à solis ortu: nam Iudæi (vt in opere meo de horis canonicis lib. 5. c. 12. demonstraui,) ab ortu ad occasum solis diem numerabant, & duodecim horis, totidémque noctem diuidebant momentorum circulis. Decima igitur hora ab ortu solis, iam eius ad occasum vergebat. Manserunt igitur duo fortunati illi discipuli cum Domino, tota illa nocte à decima hora, quæ nonam immediatè sequitur, vsque ad primam horam sequentis diei; hoc est horis quatuordecim non interpolatis. *Nónne sunt duodecim horæ diei?* (ait
Ioan. 11. Dominus,) *Melior est dies vna in atriis Domini* (inquit di-
Psalm. 83. uinus Psalmographus) *super millia.* In principio mundi, fa-
Genes. 1. ctus est, ait Moyses, *vespere & mane dies vnus.* Cœpit primus dies Andreæ illuminationis à vespere, & se in mane sequens euoluit. Nec mysterio vacat, quòd duabus horis diei excessit mensuram. Futuri enim erant orbis illuminatores quatuordecim Apostoli, videlicet primò duodecim, quibus duo posteà nempe Paulus & Barnabas additi sunt, horum omnium ordine vocationis primus Andreas ad Christum accessit: ipso fratre collegij Apostolici principe, futurus *non minor in donis, licèt minor in imperio.*

CAPVT VII.

Andreas frater Simonis Petri, priuilegio gratiæ factus est eius pater: ipsum enim genuit in spiritu, cùm eum sollicitè quæsitum inuenit, & inuentum feliciter adduxit ad Iesum.

ERAT *autem Andreas frater Simonis Petri, vnus ex duobus qui audierant à Ioanne, & secuti fuerant eum.* De duobus hîc vnum proprio nomine Euangelista designat, nempe Andream, alterum sub silentio prætcrit. Sunt qui censeant sic factum, quia ipse Ioannes erat qui hoc scribit, sed ratio ista leuis est momenti, nam Ioannes in suo Euangelio non semel sui ipsius meminit, & in fine ait, *Hic est discipulus ille quem diligebat Iesus, qui testimonium perhibet de his, & scripsit hæc.* Probabilior igitur videtur Euthymij opinio; scilicet alterius discipuli hîc tacuisse nomen, quia insignis non erat. Verùm neque hæc ratio satisfacit; dato enim quòd notus non erat, expressione sui nominis in Euangelio satis innotuisset, perpetuúmque lumen nominis fuisset inde consecutus. Ratio igitur hæc mihi melior apparet, quòd satis habuit Euangelista nomen Andreæ vt dignioris expressisse, qui iam primus erat Ioannis discipulus, & Christi futurus erat insignis Apostolus: sic fecit Lucas in Euangelio c. 24. vers. 18. dum de duobus peregrinis quibus euntibus in Emmaus Christus rediuiuus apparuit verba faciens, vnius tantùm qui notus erat, ipsius Domini affinitate nomen consignauit, alterius tacuit. Et sic in Actis c. 5. vers. 21. *Adueniens princeps sacerdotum, & qui cum ipso erant.* Et similiter, *Respondens autem Petrus & Apostoli.* Sufficere item censuit diuinus scriptor præcipui nomine signato, aliorum nomen quod minùs scitu necessarium erat prætermittere. Sed potior ratio est huius silentij, quia discipulus comes Andreæ, ad rem non conferebat, quam narrandam continuò sanctus ipse Euangelista aggrediebatur: siquidem post Andreæ vocationem volebat S. Ioannes vocationem Petri describere, cuius Andreas iam illuminatus à Christo, impulsu Spiritus sancti

auctor extiterat. Digna erat enim immortali memoria, ipsius Andreæ actio tam insignis, ipséque summa commendatione dignus erat, quòd non satis existimauerit se totum dedisse Christo, nisi & ipsi fratrem vnicum lucrifaceret. Magna in illustris huius facti serie mysteria delitescunt, quorum potiora hîc visum est operæpretium, pij in Lectoris gratiam enucleare. Pergit igitur sic Euangelicus rei gestæ narrator.

Inuenit hic primùm fratrem suum Simonem :] Nescit tarda molimina (ait S. Ambrosius) Spiritus sancti gratia. Protinùs hac incensus Andreas, mane discedens domo in qua cum Domino noctem transegerat suauissimam, festinus quærere fratrem perrexit, quem inuenti tanti thesauri, quem singulari gratiæ beneficio repererat, efficeret secum participem. Hoc clarè insinuant verba hæc Euangelica, *Inuenit hic primùm fratrem suum Simonem.* Scitè & acutè Bernardus expendens Angeli verba ad Deiparam Virginem, *Inuenisti gratiam apud Dominum,* sic exponit, *Inuenisti gratiam vtique quam quærebas.* Sic ait Christus, *qui quærit, inuenit.* Inuenit igitur Andreas fratrem, quem quærebat. Sunt qui sic exponunt *inuenit prior ;* quasi & alter discipulus Petrum quoque quæreret. Sed si hic esset sensus beati Euangelistæ, non dixisset, *inuenit primùm,* sed inuenit primus. At res per se clamat, Andream qui nihil carius habebat vnico illo fratre, fraterno amore feruentem, illum ante omnia quæsiuisse: cui aduentum Messiæ tamdiu desideratum nunciaret, simúlque ad eius conspectum, amorem, ac obsequium inuitaret. Inuenit igitur quærens ipse solus primùm, non casu aliquo, sed diuino nutu, fratrem suum Simonem, & dicit illi,

Inuenimus Messiam.] Bone Deus ! quot in duobus tantùm verbis mysteria ? in his duobus verbis *tota pendet Lex & Prophetæ.* Videte quæso qualis & quantus orator Andreas è schola Christi, cui vna tantùm hæsit nocte, prodierit ! duabus voculis legem & Euangelium complexus est. Quicquid enim Patriarchæ præfigurarunt, Prophetæ prædixerunt, lex typis ac mysteriis expressit, iusti omnes desiderauerunt ; Apostoli prædicauerunt, hac tam breui quàm mirabili epitome continetur : inuenisse etenim Messiam, id est Christum, desiderium collium æternorum, in quo sunt omnes sapientiæ & scientiæ Dei thesauri reconditi : est

omne

omne quod desiderabile est inuenisse, *sic Deus dilexit mundum vt filium suum vnigenitum daret.* Cùm autem nobis illum donauit (ait vas electionis Rom. 8.) *nónne etiam cum illo omnia nobis donauit?* Inuenit igitur omnia qui Christum inuenit, qui est *principium & finis*, Α *&* Ω, *via, veritas, & vita*. Viso igitur fratre, Andreas præ ingenti gaudio seipsum non capit, erumpit exiliens toto corde ac pectore in hanc vocem, *Inuenimus Meßiam*, (quod est interpretatum Christus.) Ponderat hunc nouum effatum Chrysostomus homil. 17. in Ioan. *Inuenimus* (ait), *verbum est expectantis & desiderantis, imò si addis Meßiam,* sanè tam gratum nuncium est exultantis & tripudiantis, simúlque eximiæ erga fratrem dilectionis testimonium: Non enim dixit Andreas, *Inueni Meßiam*, sed *inuenimus*, ad significandum hoc tantum bonum quod sibi contigerat, non sibi proprium, sed etiam peruium fratri suo esse, imò tam magnum, adeo diffusum & copiosum, vt toti humano generi sua participatione pateret. Ioannes indicans Christum dixerat, *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Ex quo collegerat Andreas vniuersi mundi Christum Saluatorem esse, ideò dictus fuerat à Propheta, *desideratus cunctis gentibus*, quia pro omnium expiatione & redemptione sanguinem suum cum vita profusurus erat. Quapropter gratissimum toti mundo nuncium Andreas ferebat: vnde plurali numero, hoc enunciando vsus est, *Inuenimus Meßiam*, tanto effusiùs exultans, quantò bonum maius ac diffusius esse nouerat, inuenerat fontem vitæ, cuius aquam tota vita ardenter exsitierat. Sciebat porrò fratrem suum eodem ardere desiderio, sitique eadem exuri: Lætissimo igitur ei animo nunciat sese fontem illum quem Moyses olim tam feruenter concupierat, tam enixè flagitauerat, tandem inuenisse. Itaque vt veniat secum ocyùs ad fluenta salutis, quæ iam ipse prælibauerat, instanter fratrem inuitat, *Inuenimus Meßiam!* Hoc sanè fraterni animi, cognati amoris & synceri affectus Andreæ erga Simonem erat indicium, quin & officium, non stetit enim Andreas nuncij terminis, sed institit monitis, nec à cœptis quieuit, donec reipsa fratrem ad Christum perduceret.

Et adduxit eum (inquit sacer Euangelista) *ad Iesum:*] Officio functus est aduersus fratrem Andreas, quo pridem Moyses erga Aaron futurum Pontificem, Deo auctore,

vſus fuerat. Moyſes eum obuium habuit in monte Dei, cùm in Ægyptum pergeret, & *oſculatus eſt eum, narrauitque Moyſes Aaron fratri ſuo omnia verba Domini, quibus miſerat eum, & ſigna quæ mandauerat, venerúntque ſimul.* Exod. 4. 27. 28. Sic certè Andreas, Simoni omnia quæ facta fuerant & quæ audierat à Chriſto tota illa nocte, qua cum eo diuerſatus fuerat, enarrauit, & verbis vſus eſt quibus ipſum ad Chriſtum inuitaret. At Euangeliſta hæc omnia paucorum illorum verborum compendio perſtrinxit, quemadmodum ſcienter & rectè Chryſoſtomus monet homil. 17. Sicque *illum adduxit ad Ieſum*, non ad Ioannem, primum ſuum magiſtrum, ſed ad Ieſum, à quo perfectè inſtruendum non dubitabat, ad Ieſum, inquam, nam magnum magiſtrum cum multo maiori & meliori commutauerat: idcóque ad Chriſtum, in quem omnes transfuderat amores, fratrem ſuum ſuauiter allexit, ſollicitè inuitauit, feliciter perduxit. Vides igitur Petrum adduci ad Chriſtum, ſed à fratre ſuo Andrea: quomodo talis frater, Chriſto Domino fratrem ſuum non lucrifaceret, non repræſentaret? Meritò ac ſenſatè, ſcitéque S. Hieronymus ep. 7. ad Lætam parentis eius citam conuerſionem præſagiit, his verbis, *Iam candidatus eſt fidei, quem filiorum ac nepotum credens turba circumdat: Ego puto etiam ipſum Iouem ſi habuiſſet talem cognationem, potuiſſe in Chriſtum credere.* Fieri igitur non poterat vt Simon Petrus à tali tantóque fratre ſollicitatus ad Chriſtum, cum ipſo non veniret. Andreas virilem ſonat & fortem, quid mirum igitur ſi potuit Simonem, qui obediens dicitur, ad ſalutis auctorem pertrahere? Sed expendenda etiam venit prædicati ſubiunctio, *adduxit eum ad Ieſum*; eum inquam, qui Chriſti vices obiturus erat, qui princeps Apoſtolorum, cæli ianitor, cuſtos & paſtor vniuerſi gregis Chriſti futurus erat. Sic factum igitur non ſine diuina diſpenſatione, vt *maior ſeruiret minori.* Andreas etenim maior Petro natu, prior vocatione; inferior Petro gradu honoris & poteſtatis in regimine viſibilis Chriſti regni ſubiacuit, & ei quodammodò inſeruiit, dum ductoris officio illum ad Chriſtum perduxit. Notauit hoc ſapienter Cardinalis Toletus ſuo in hunc Ioannis locum commentario, *Admiranda eſt* (inquit) *hoc loco profectò diuina ſapientia, Simonem qui maior Andrea futurus erat, per minorem inſtrui & ad ſe adduci vo-*

luit, ne maior à minori discere erubescat, & vt dignitatem Petro non ob sua merita, sed ex gratia ei datam esse ostenderet. Verùm caue tamen, ne Petrum per omnia maiorem fuisse Andrea intelligas: nec enim maior erat Andrea vllo modo, quando ab eo Christi notitia illustratus, & ad eum adductus fuit. Maior fuit posteà secundùm quid: prærogatiuâ dignitatis, iure potestatis; non autem merito sanctitatis: Minora sunt certè dona gratiæ gratis datæ, gratiæ gratificantis seu sanctificantis donis. Sanctorum merita coram Deo, & in statu gloriæ æternæ: non autem gradu dignitatis & eminentia potestatis qua præditi fuerunt in hac vita, sed ex mensura gratiæ & operibus iustitiæ quibus præcelluerunt, suam dimensionem sortiuntur. Nemo autem nouit quæ sit hæc mensura, nisi is qui spirituum omnis carnis ponderator est Deus. Sanè Petrus in medio huius mortalis vitæ cursu, Andreæ fratri suo nonnullis honoris titulis, & fortè meriti quibusdam gradibus antecelluit: sed eum vicissim Andreas plerisque antegressus est. Præeminuit sanè Petro non solùm ætatis priuilegio, sed vocationis etiam prioritate. Non inferior fuit sanctitate: maior fuit gloriâ postremi certaminis, eminentiâ passionis. Insuper hoc titulo officij quo adduxit eum ad Iesum, eum ita sibi ipse deuinxit, vt non habuerit vnquam Petrus, quo parem ei vicem rependeret. Potuit enim non immeritò dicere Andreas fratri suo, quod vas electionis Paulus scripsit spirituali filio suo Philemoni, ep. ad ipsum vers. 19. *Vt non dicam tibi, quod & teipsum mihi debes.*

CAPVT VIII.

De secunda Andreæ & Petri vocatione, & eius arcanis: scilicet de mysticis piscibus, mari, rete, hamo, sagena, ac piscatoribus.

GRÆCI in Menologio suo, (abbreuiato scilicet, quod dedit in lucem typis editum Genebrardus, in limine Commentarij sui in Psalmos post Kalendarium Hebræorum) die 30. Nouembris sic signant natalem B. Andreæ hac ipsa luce celebrem, *Andreas primus ad Apostolatum*

vocatus, Ioannis 1. Primum enim Andreæ ad Christum accessum, vocationem ad Apostolatum existimant. Nemo autem potest inficiari priorem omnibus Apostolis Andream ad Christum venisse, atque verba gratiæ & salutis eius ex diuino ore percepisse; quo edoctum, ad ipsum Dominum adduxisse fratrem. Id enim euidenter patet ex Euangelio quod suprà copiosè expositum est. Sed alia est vocatio ad fidem, alia ad Apostolatum: permiscent vtramque Græci, quamuis distinctè ab Euangelistis referantur, vt videre est Ioan. 1. & Matth. 4. Marc. 1. & Luc. 5. Quamobrem res sic conciliari potest, vt Andreas quidem titulo vocationis ad fidem primus censeatur Christi discipulus, & primus Christianus (si modò dumtaxat Magistrum eius Ioannem Baptistam excipias, qui ei Iesum indicauit, quem continuò secutus est). Quoad Apostolatum verò præit vocatione cum fratre suo reliquis omnibus Apostolis: sed ipsum non antegreditur fratrem, quia ipsum vnà cum eo, ambósque simul Christus ad Apostolatum vocauit; quemadmodum disertè enarrant duo sancti Euangelistæ Matthæus & Marcus: nec enim Lucas hanc vocationem refert. Et falluntur qui hæc verba Domini ad solum Petrum per occasionem dicta, *Noli timere: ex hoc iam homines eris capiens*; vt ipse Lucas recitat, pro expressa vocatione ad Apostolatum interpretantur. Cùm tota quæ illic extat narratio reclamet, miniméque cum vocatione ipsa ad Apostolatum quam Matthæus & Marcus referunt conueniat, vt ex serie vtriusque rei, diuerso loco, diuerso tempore, diuersóque modo gestæ fit perspicuum. Lucæ igitur locum qui nihil ad Andream pertinet, hîc non illibenter prætermittimus: Matthæi verò cui ad amussim Marcus concordat, locum, vt nostro huic instituto conferentem, hîc expendendum & illustrandum suscipimus.

ARTICVLVS I.

De illorum fratrum secunda vocatione.

AMBVLANS *Iesus iuxta mare Galileæ*, ait Matthæus c. 4. Consonat Marcus c. 1. dicens, *Et præteriens secus mare Galileæ:* Tempúsque notant, scilicet paulò postquam è deserto victor de Sathana Iesus rediisset: & postquam ait Marcus traditus est Ioannes, seu vt scribit Matthæus, *Cùm*

audiisset Iesus quòd Ioannes traditus esset; anno scilicet Christi ineunte trigesimo primo, qui primus fuit dispensationis suæ, quo scilicet prædicare exorsus est. Sequitur apud Matthæum, *Vidit duos fratres, Simonem qui vocatur Petrus, & Andream fratrem eius*: Succinit Marcus, *Vidit Simonem & Andream fratrem eius*. Vbi videre est Petrum Andreæ præponi, quamuis à Ioanne, vt suprà notatum est, postponatur. Et sanè Andreas tribus titulis Petro præcellit: ætate, vocatione, perfectioris vitæ delectu, sicut post Epiphanium hæres. 51. Sophronius Hierosolymitanus obseruat serm. de certam. SS. Apostolorum Petri & Pauli, vbi ait: *Andreas cælibem vitam ducens, præcursoris Domini factus est discipulus*: Petrus verò negotiis intendebat, qui vxori & familiæ ac *patris senio prouidebat*. Sed beati Euangelistæ Matthæus & Marcus his posthabitis Andreæ prærogatiuis, quibus Petro præstabat, Petrum Andreæ prætulerunt, quia non primam Andreæ vocationem, non cælibatum, non vitæ perfectioris electionem, sed consilium Domini respexerunt, cui Petro primatum Apostolatus dare complacuit. Vnde Matthæus catalogum Apostolorum tenendo hanc rationem subindit, cur Andreæ ipsius germanum licèt natu minorem, & fortè etiam discipulis aliis dotibus inferiorem prætulerit: *Hæc sunt* (inquit Matth. 10. 2. 3.) *nomina Apostolorum: Primus est Simon qui dicitur Petrus, & Andreas frater eius*. Sed quæres cur in primatus honore, munereque Christus Petrum Andreæ antetulerit? Affinem huic postulato S. Hieronymus aduersus Iouinianum scribens proponit quæstionem: Cur scilicet Petrum ipse Dominus in hac capitis Apostolorum dignitate, potestatéque prætulerit Ioanni dilecto suo, Apostolo, Prophetæ, Euangelistæ, Martyri, Virgini, Angelorum consorti? Respondet autem, ætati hoc honoris decus esse delatum, ne videlicet adolescens & pæne puer prouectæ ætatis hominibus imperare videretur: quæ sanè efficax est quoad spectat Ioannem, responsio. Verùm quæ Andreæ respectu non procedit, nam si ætati delatum est, Andreæ qui Simone maior erat natu, primatus iure ipso ætatis conferendus erat. Mihi igitur non parum probatur Cardinalis Toleti ratio, electum fuisse Petrum à Domino, nullis ferè tunc titulis commendabilem, vt non ob eius merita, sed ex mera gratia ei datam fuisse hanc super fratrem

cæteróſque Apoſtolos præeminentiam, Chriſtus oſtenderet. Addere mihi liceat ideo non collatam fuiſſe Andreæ, qui iam tot meritis radiabat, ne illum propria virtute hunc honorem fuiſſe aſſecutum homines arbitrarentur. Non ignoro tamen aliam cauſam à Cardinale Baronio Annal. tom. 1. anno Chriſti 31. aſſignari, videlicet eximiam Petri fidem & præclaram illam confeſſionem Chriſti diuinitatis, quam edidit dicens, *Tu es Chriſtus filius Dei viui.* Verùm diu antè Andreas parem ferè fidei profeſſionem emiſerat, dicens ipſi Petro, *Inuenimus Meſſiam, quod interpretatum eſt Chriſtus.* Sed nihilominus in hoc fidei præconio Petrus Andreæ præpolluit, ſiquidem Andreas id à Ioanne didicerat de Chriſto dicente: *Ecce agnus Dei*, &c. *Et ego vidi, & teſtimonium perhibui, quia hic eſt filius Dei*, quem ideo mox Andreas ſecutus eſt. At Petrus non ab homine, ſed à Deo immediatè didicit, quod de ipſo Chriſto magnifica hac confeſſione eſt profeſſus, *Tu es Chriſtus filius Dei viui.* Vnde ei confeſtim reſpondit Chriſtus, *Beatus es Simon Barjona, quia caro & ſanguis non reuelauit tibi, ſed Pater meus qui in cælis eſt.* Verùm hoc nihil derogat aliis Andreæ prærogatiuis, rectè enim dicit B. Hieronymus, *diuerſa ſunt dona diſcipulorum Chriſti*: diuiſiones enim gratiarum ſunt: *Et alij datur ſic*, (ait Paulus) *alij verò ſic: hæc enim omnia operatur vnus atque idem ſpiritus, diuidens ſingulis prout vult.* 1. Cor. 12. 4. 11.

Ioan. 1. 41.

Sed vt iam de diuerticulo neceſſario, rectam in viam redeam, verba Euangeliſtarum de communi vocatione vtriuſque fratris ad Apoſtolatum excutere perſequamur, *Vidit Ieſus duos fratres.* Incipiens Eccleſiam ſuam colligere Chriſtus, à germana fraternitate ducit exordium: ſtatim à lapſu parentum generis humani, * Cain fratri ſuo Abel inuidere cœpit, quem ipſo ex liuore occidit. Ex illo iurgio fraterno, ſequens omne cœpit inter electos & reprobos, pios & impios diſſidium: fraternus inter homines amor ferè extinctus eſt, vixque inter duos fratres vera reperiri deinceps potuit amicitia; ſi de profanis hiſtoriis quærantur exempla, de conditoribus vrbis Romæ nónne poëta verè cecinit, Lucretius lib. 1. Pharſal.

* Nota.

Fraterno primi maduerunt ſanguine muri.

Quanta fuere odia fratrum Liſymachi & Menelai, Atrei & Thyeſtis, Amulij & Numitoris, Etheoclis & Polynicis?

& si exempla sacris ex litteris petimus, quantum exarsit liuoris ac odij incendium inter Iacob & Esaü, inter Abimelech & fratres eius, inter Absalom & Amon? Ideo olim adagium percrebuerat, *quàm rara est concordia fratrum?* Hinc Ioseph qui fratrum aduersum se inuidiam & odium magno experimento persenserat, cùm eos remitteret ad patrem, ante omnia illos admonuit, ne in via irascerentur. Dauid qui intestina odia & cruenta dissidia inter filios suos magno cum cordis dolore sua in domo viderat, nihil magis desiderabat quàm coniunctos syncero amore fratres conspicere, *Ecce quàm bonum*, inquit, *& quàm iucundum habitare fratres in vnum!* Ideóque fraternam vnanimitatem comparabat suauissimo ac pretiosissimo vnguento, quo Aaron delibutus fuerat, & cum rore fœcundante montes Sion & Hermon, demúmque asserit vbi syncerus fratrum reperietur amor, Deum isthuc missurum benedictionem, hoc est omnis boni affluentiam, scilicet stabilem pacem ac veram felicitatem. *In tribus* (inquit Ecclesiasticus c. 25.) *placitum est spiritui meo, quæ sunt probata coram Deo & hominibus: concordia fratrum, & amor proximorum, & vir ac mulier bene sibi consentientes.* Vbi fratrum concordiam primo loco posuit quia tunc erat rarissima, adeout Threnodus Propheta suo tempore periisse lamentetur non tantùm inter proximos amicitiam, sed etiam germanam beneuolentiam inter fratres, *vnusquisque* (inquit) *se à proximo suo custodiat, & in omni fratre suo non habeat fiduciam, quia omnis frater supplantans* (fratrem) *supplantabit, & omnis amicus fraudulenter incedet.* Ierem. 9. 4. Nec desiit causa huius gemitus donec princeps pacis Christus veniret, cuius opus proprium futurum erat, *Interficere inimicitias, & pacificare omnia, siue quæ in cælis, siue quæ in terris sunt.* Igitur colligere volens Ecclesiam suam, à vocatione duorum fratrum hoc opus auspicatus est, *Ambulans Iesus secus mare Galileæ vidit duos fratres*, concordes, vnanimes, syncero fraterni amoris affectu inuicem deuinctos, *Simonem* scilicet, *& Andream fratrem eius.* Andreas nuper verè genuinum amorem erga fratrem suum prodiderat, cùm de eius salute, se adeo sollicitum ostendit, vt postquam inuenisset Saluatorem, quiescere non potuerit, donec illum fratri manifestaret, & ad Ipsum eundem perduceret, summâ fraternæ charitatis instantiâ. Vitam agebat Andreas

cælibem, cuius cultum ſub Ioanne magiſtro didicerat, cui ſe addixerat, expers non ſolùm coniugij, ſed curarum huius ſæculi, magiſtri ſui ſtudioſus imitator, cuius primus erat diſcipulus. Miſertus tamen fratris qui matrimonio illigatus, vxoris & familiæ curæ ac ſuſtentationi obſtrictus erat, memórque illius diuini oraculi, *frater adiuuans fratrem, quaſi ciuitas firma*: vt iuuaret fratrem ſuum, audito Ioanne, ad Simonem fratrem reuertebatur, ipſique in captura piſcium opem ferebat, parco victu & veſtitu contentus. Poſtquam verò acceſſit ad Chriſtum, ſéque illi totum addixit, ad quem & adduxit fratrem, iterum cum fratre ad piſcationem rediit, non ſine nutu Domini, qui artis huius exercitium non obeſſe pietati neque iuſtitiæ docuerat. Nec enim veriſimile eſt aliàs quàm de ipſius conſilio ac beneplacito, à quo iam verba vitæ æternæ prælibauerat, ad ſolitæ artis vſum Andream reuerti voluiſſe. Placuerat ſanè Domino Andreæ erga fratrem charitas, mutuáque placebat etiam inter eos quæ vigebat fraterna dilectio, concordia, vnanimitas, propter quam eos impensè dilexit, primos ad Apoſtolatum elegit, & ipſos in exemplum perfecti amoris fraterni Eccleſiæ ſuæ propoſuit; quam colligari perpetuo volebat ipſius nexu fraterni amoris. Hinc vſitata Ethnicis, de auctore fidei noſtræ dictitatio; * *Voluit omnes ſuos diſcipulos dici ac eſſe fratres.* Hinc illud Tertulliani Apologetici aduerſus gentes c. 39. *Cœtum ipſum Chriſtianorum vocatum eſſe nomine fraternitatis, ob incredibilem amorem, vſque etiam ad Gentilium ſtuporem, qui non poterant quin exclamarent; vide vt inuicem ſe diligant, & vt pro alterutro mori ſint parati?* Iura autem fraternitatis huius in Andrea & Petro, & mox in Iacobo ac Ioanne, à Chriſto Domino dedicatæ, Tertullianus ibidem ita recenſet, *Nos fratres meritò dici, non iure tantùm naturæ quo quiſque frater & proximus eſt, ſed quia patrem vnum Deum agnoſcimus, vnum ſanctitatis ſpiritum bibimus, de vno vtero ignorantiæ eiuſdem, ad vnam lucem proceſſimus veritatis.* Salomon ædificando templum Dei duas pulcherrimas & ingentes columnas eius in frontiſpicio collocauit: Chriſtus auſpicando Eccleſiam duos fratres elegit bonos, pios, pacificos, concordes, quos quaſi perfecta fraternæ charitatis exemplaria & religionis Chriſtianæ columina ac mundi lumina, in fronte myſticæ molis Eccleſiæ conſtituit, in

* *Lucianus in Peregrino.*

in quæ omnium oculos fidelium studiosam ad imitationem defigeret, *Ambulans Iesus iuxta mare Galileæ vidit duos fratres, Simonem, qui dicitur Petrus, & Andream fratrem eius.* Velut architectus sapiens qui duo apta marmora excidendis duabus columnis æquiparibus, hæc lustrat, dimetitur, destinat, disponit, accommodat, huic fulciendo, & ornando quod meditatur sublimi ædificio.

Mittentes rete in mare :] Notatu digna circumstantia, qua efficacia diuinæ gratiæ, & vis huius vocationis euidenter apparet. Duos Zebedæi filios subinde Christus offendit, vocauítque reficientes retia sua : igitur in actu piscationis non erant, aliquo fruebantur otio, quo retibus resarciendis operam darent sine incommodo. At Petrus & Andreas mittebant rete in mare : igitur in capturæ piscium erant ipso procinctu. sed in ipso actu cùm piscationi toti intenti essent, ipsos nihilominus Christus ad se vocauit, *Venite post me*, inquit, non indulsit moram, non dedit inducias, sed iussit vt indilatè ipso opere relicto, vnde ipsorum victus & sustentatio tota pendebat, & quod in fieri erat, ad se venirent, & quò illos vellet ducere, illico sequerentur.

ARTICVLVS II.

De eius Arcanis.

ET *faciam vos fieri piscatores hominum.*] Humili quidem similitudine Dominus, sed ex materia & officio sumpta, duas res maximas, Apostolatus scilicet dignitatem, & futuram gentium conuersionem designauit. Allusit diuina sapientia ad Simonis & Andreæ artem, & præsentem actionem. Vidit duos illos fratres *mittentes rete in mare. Erant enim piscatores* (aiunt præfati duo Euangelistæ). *Et dixit illis : venite post me, faciam vos fieri piscatores hominum.* Hoc iam olim per Ieremiam Spiritus sanctus prædixerat, vbi ait, *Ecce ego mittam eis piscatores multos, dicit Dominus, & piscabuntur eos. Et post hæc mittam eis multos venatores, & venabuntur eos de omni monte, & de omni colle & de cauernis petrarum.* Apostolorum officium tam eximium est, quàm varium & multiplex, ideóque multis nominibus sacris in scripturis designatur ; agricolæ dicuntur, satores, messores, vinitores, pastores, venatores, sed primo metaphori-

co nomine hîc à Domino piscatores appellantur, *venite post me*, inquit, *faciam vos fieri piscatores hominum.* Pisces igitur sunt homines, mare mundus, piscatores Apostoli, rete vel hamus, aut sagena, qua capiunt vel concludunt mysticos pisces, est verbum Dei. Singula hæc digna sunt peculiari elucidatione.

§. I. *De mysticis piscibus.*

* *Habacuc* 1. Facies homines vt pisces.

1. PISCATV capi homines non possunt, nisi primùm pisces efficiantur. * Pisces originaliter ex aqua procreantur, ab aqua naturaliter nutriuntur, in aqua viuunt, extra aquam deficiunt. 1. Homines sanè gignuntur in terra, sed in aqua regenerantur, scilicet *per lauacrum aquæ in verbo vitæ:* Ideo pridem baptisterium dicebatur piscina, quia in hoc vitali fonte nascuntur homines vt pisces, & primo spiraculo vitæ spiritualis diuina influente gratia spiritu vitæ frui incipiunt, iuxta quod Ezechieli Prophetæ dictum fuerat, *de torrente magno impetu profluente de templo: Ecce erunt pisces multi satis postquam venerint illuc aquæ ipsæ, & sanabuntur, & viuent omnia ad quæ venerit torrens, & stabunt super illos piscatores.* Ezech. 47. Secundò, Porrò sicut pisces in mari vnde exorti sunt, viuunt, & in mari nutriuntur: ita in baptismo renati Christiani ibidem suum inueniunt alimentum. Alimentum animæ Christus est, qui idcirco de seipso ait, *Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus. Panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.* Ideo ex eius crucifixi corporis latere percusso fluxit sanguis & aqua, sanguis in pretium, aqua in lauacrum, aqua in purgationem peccati, sanguis in alimentum vitæ, nam *anima est in sanguine;* quamuis in ipsa sit aqua, & lauacrum & cibus. Vnde S. Cyprianus cum aqua baptismi iungens baptismum pœnitentiæ, & cibum vitæ, quia sine vtroque baptismo nemini patet ad Eucharistiam legitimus aditus, eleganter ait serm. de resurrect. Christi, *Ex hoc fonte non solùm ablutionis primæ vndas haurimus, sed & compunctionis & lachrymarum perennes effluunt riui, misericordiarum suauitas & totius pietatis affectus.* Tertiò, Pisces in aqua viuunt, extra aquam deficiunt. Sine innocentia enim baptismali, vel pœnitentiali gemitu, Christiani non possunt in vita spirituali consistere, nec cibo quo nutriuntur

Vide Sidon. Apollin. lib. 2. ep. 2. ad Domit.

Ioan. 6.

ad immortalitatem, id eſt, adoranda Euchariſtia, vtiliter frui. Iuſtus ex fide viuit; quandiu in anima viget fides, ſpes eſt veniæ ac vitæ æternæ: mortua fide, de ſalute hominis omnis excidit expectatio, *quia qui non credit, iam iudicatus eſt*, &, *ſine fide impoſſibile eſt placere Deo.* Quandiu ſumus in Catholici baptiſmi piſcina, in Eccleſiæ ſinu, quæ fons eſt hortorum, puteus aquarum viuentium, viuimus: ſi Eccleſiæ communionem deſerimus, deficimus & morimur, quia extra Eccleſiam non eſt ſalus; ſed poteſt tamen hæc metaphora piſcium in ſenſum aduerſum retorqueri: piſcis enim in aqua fortis eſt & velox, induſtria valet & viribus, nunquam quietus, nunquam vno in loco conſiſtit, ſed prædæ captandæ gratiâ, huc & illuc auidiſſimè diſcurrit, ſed ſi in terram trahatur, nihil poteſt, tantiſper mouetur, & citò moritur: ſic peccator ad ea quæ mundi ſunt, diligens, acutus, fortis, ſollicitus; ſed ſi ad negotia animæ eum diuertas, ſtatim torpet; *Sapientes ſunt vt faciant malum, bene autem facere neſcierunt.* Inſuper ſunt quidam piſces, qui ſingulari ratione improborum gerunt figuram: alij qui piorum hominum typi ſunt. Leuit. 11. piſces qui mundi dicuntur, ſunt qui pinnulas, ſeu alulas & ſquammas habent, immundi verò qui iis ſunt deſtituti. Itaque anguilla & murenula, quæ nunc in deliciis habentur, olim immundi erant piſces, quibus ſub lege veſci non licebat. Quod diſcrimen exponens Magnus Gregorius lib. 5. Mor. c. 6. ait, *Piſces qui habent pinnulas, ſaltus dare ſuper aquas ſolent. Soli ergo ſunt electi, qui in eo quod imis deſeruiunt, aliquando ad ſuperna, mentis ſaltibus ſciunt conſcendere.* Econtrà reprobi profundis aquarum gurgitibus merſi his tenaciter ſic hærent, id eſt curis huius ſæculi, & deliciis carnis tam altè ſunt immerſi, nihil vt niſi terrena ſapiant, nihil niſi de mundo cogitent: de Deo & ſuperna vita ne quidem loquantur, ad ea verò quæ æterna ſunt nunquam erigant mentem; quibus illud Exod. 7. ideo contingit, *Piſces qui ſunt in flumine morientur*; quia qui ſic viuunt in hoc mundo, vt toti ſint illi defixi putreſcunt in hoc limo, & pereunt in peccatis ſuis; ſine pœnitentia etenim quicumque lapſus eſt poſt baptiſmum in reatum grauem, ex hoc cœno, hoc ex pelago emergere non poteſt. S. Auguſtinus ſequiorem in partem piſcem accipit, quia piſcis mutus eſt: nemo ſiquidem qui ſit & eſſe velit coram Deo & homi-

Ioan. 3.
Hebr. 11.

nibus mutus, partem habebit in cælesti regno, *Væ mihi*, ait Propheta, *quia tacui. Corde enim creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem.* Ideo ante baptismum elicitur ab initiando confessio fidei per recitationem symboli, & expressam articulorum eius professionem. Sic postquam Philippus Eunuchum Æthiopem docuisset quæ Christi sunt, ab eo iam ardenti spiritu sitiente lauacrum salutis, fidei Christianæ professionem exegit, priusquàm voti compotem efficeret; *Et dum irent per viam* (ait sacer Actuarius c. 8.) *venerunt ad quandam aquam, & ait Eunuchus, Ecce aqua, quid prohibet me baptizari? Dixit ei Philippus, Si credis ex toto corde, licet, & respondens ait, Credo filium Dei esse Iesum Christum,*

Isa. 6.
Rom. 10.

Conspectis properanter aquis, ardescere cœpit
Eunuchi fœcunda fides, qui gurgite mersus
Deposuit serpentis, &c.

Sic igitur piscis mundus ille qui superiùs enataret & sursum tenderet effectus, in baptismi vitalibus vndis regeneratus est; piscis inquam mundus, sed non mutus, nam *quod corde credidit ad iustitiam, ore confessus est ad salutem.* Sed vnde tanta huic Eunucho felicitas? ex operis sui merito? Neutiquam, prima siquidem gratia quæ iustificat hominem, sub meritum non cadit: hoc excellenti typo significatur Ioan. 21. vbi legimus, cùm Christus in corpore rediuiuo paulo post resurrectionem suam, in littore maris Tyberiadis discipulis suis piscatui incumbentibus apparuisset, signóque admirabili repentinæ capturæ, quam fidentes eius verbo fecerunt, ingentis piscium multitudinis suam diuinam potentiam manifestasset: illi cognoscentes Dominum, confestim ad eum nauigio onusto tanta præda aquatilium venerunt, Petro solo præeunte, qui solito ardore se, vt ocyùs ad illum perueniret, in mare iecerat: *Vt ergo descenderunt in terram*, (ait diuinus scriptor testísque Ioannes) *viderunt prunas positas & piscem superpositum, & panem*, &c. *Et dicit eis Iesus, prandete.* Quæstio inde oritur ac inter Patres mouetur, vnde hic prandij tam subitus apparatus prodierit? S. Cyrillus lib. 12. in Ioan. c. 63. existimat Christum piscem ex aquis diuina sua virtute traxisse, similiter dici potest ignem & panem, vnde voluit deprompsisse, & subitò suis exhibuisse discipulis, quod improbabile non est; sed verior videtur sancti Chrysostomi ac Eu-

Ioan. 21.

thymij opinatio, nimirùm quòd hæc tria, ignem, piſcem & panem repentè fecerit ex nihilo, ſiquidem vt ſubiungit Chryſoſtomus non fuērunt facta ex ſubiecta materia, ſicut fecerat ipſe Dominus, piſces & panes illos multiplicando, quibus turbas ſequentes ſe in deſerto ſatiauit. Hoc igitur miro prorſus facto Dominus ſignificauit, homines mutari in myſticos piſces, illuminari ſuperno fidei igne, cæleſti pane nutriri ad vitam æternam, non ex eorum meritis, ſed mera ſua gratia, quam nullum meritum anteceſſit. Atque ſatis pro inſtituto de myſticis piſcibus: de quibus eſt excellens ſermo ſancti Bernardi, in feſto ſancti Andreæ.

§. II. *De mari.*

II. IAM de mari myſtico, etiam vbi ſpirituales piſces ab Apoſtolis, corúmque ſucceſſoribus capiuntur: *Vidit Ieſus duos fratres Simonem & Andream mittentes rete in mare.* Mundi ſtatus mari aptiſſimè comparatur, ſi enim mare amarum eſt, ſi infidum, ſi procelloſum, ſi inſtabile & varium, periculíſque plenum, quid quæſo mundo ſimilius? Quid enim in mundo ſtabile, quid diuturnum, quid non infinitis propemodùm caſibus & periculis obnoxium? Vt enim rectè S. Gregorius ait, *Vbique in mundo mors, vbique luctus, vbique deſolatio, vndique percutimur, vndique amaritudine replemur, & tamen cæca mente carnalis concupiſcentiæ eius amaritudinem amamus, fugientem ſequimur, labenti inhæremus: & quia labentem retinere non poſſumus, cum eodem ipſi labimur & perimus.* Eſt in Palæſtina mare quod dicitur mortuum, vbi ſcilicet Iordanis influit. In hoc mari & eius paludibus nullus piſcis, aliúdve animal naſci, aut aliunde illatum viuere poteſt. De hoc celebre eſt illud dictum S. Hieronymi, *Nihil quod ſpiret & poßit incedere, præ amaritudine nimia, in hoc mari reperiri poteſt, nec cochleolæ quidem, paruíque vermiculi & anguillæ, ac cætera animantium ſiue ſerpentium genera, quorum magis corpuſcula ſcire poſſumus quàm nomina.* Sanè mundi typus eſt mare mortuum: nemo qui mundum amat, ſpiritu viuere poteſt. *Chariſsimi* (ait dilectus diſcipulus) *nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo ſunt; ſiquis diligit mundum non eſt charitas patris in eo, quoniam omne quod eſt in mundo, concupiſcentia carnis eſt, & concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ,* 1. *Ioan.* 2. 15. &c.

quæ non est ex patre. Mundus transit & concupiscentia eius. Amatores huius sæculi toti in fluctibus versantur, imò vt fluctus defluunt, *fluctus feri maris* (inquit S. Apostolus Iudas) *despumantes suas confusiones.* Videbis fluctum maris tanquam montem altum venire, quasi terram absorbere velit, sed cùm littus arenámque contingit, deficit, nihil relinquens nisi gracilem spumam, & omnem immunditiam.

Isa. 57. *Impius* (ait Propheta) *quasi mare feruens, quod quiescere non*

Psalm. 36. *potest: Vidi impium superexaltatum super cedros Libani, & transiui, & ecce non erat.* In hoc mundo omnia transeunt velut nauis cuius vestigium non manet. Transit nauicula, nec curas, quia parua est: venit nauis immensa grandi strepitu, magna aquæ diuisione, sed cùm pertransierit, nec eius superest vestigium. Mundus iste est quasi *mare*

Psalm. 103. *magnum & spatiosum manibus, illic reptilia, quorum non est numerus.* Transeunt per hoc mare pauperes, & plebei exiguis nauiculis suis. Transeunt reges & principes, diuites ac potentes magnis nauibus, magnus fit sonitus, sed cùm transierunt, nec minimum eorum vestigium cerni-

Psalm. 9. tur: *perit memoria illorum cum sonitu.* Sed quis hîc fortassis me insimulabit quasi auctorem ineptæ comparationis: in mari enim mortuo (cui mundum assimilaui) nemo piscatur, quia viuens hîc nullus est piscis, nec minimum reptile: sed in hoc mundo, homines etiam impij viuunt & faciunt vt plurimum quicquid lubet? Respondeo, quòd de vidua infrunita & minimè casta, vas electionis ait,

1. Tim. 5. *Vidua quæ in deliciis est, viuens mortua est;* Et quod scribit dilectus Iesu, ad eum qui vanitate inflatus in statu suo

Apoc. 3. superbiebat, *Nomen habes quod viuas & mortuus es*, Apoc. 3. Viuunt quidem amatores huius mundi carnali & animali vita, sed non spirituali quæ sola verè vita est & via ad æternitatem: sed vide infinitam Dei bonitatem & admirabilem sapientiam: quicquid viuum in mare mortuum illabitur, continuò moritur, homines immersi fluctibus maris huius sæculi, quamuis antequàm eius gurgitibus absorberentur, viuerent Dei notitia & cultu, ex quo tamen in profundum præcipites abierunt, viuere desinunt,

Psalm. 48. nam à vita spiritus excidunt, & *mors eos depascit.* Verùm sicut ex his funestis aquis in mortem incidunt, Dei gratia per aquam viuificantur, sanauit Deus aquas, & vim viuificandi indidit eis: Iordanis aquæ in mare mortuum

influebant, sed illud ſanare non poterant. Eundem in modum Moyſis doctrina illabebatur in mundum, at ſanare eum non valebat. Deſcendit de cælo magni conſilij angelus, & mouit aquam : deſcendit filius Dei in Iordanem, vt aquas eius ſanctificaret *, ſanctificatus hic fluuius influxit in mare mortuum & ſanauit illud. Influxit vnda ſalutifera Euangelij in hunc mundum, ſicut præcepit Chriſtus ſuis Apoſtolis, *Euntes in mundum vniuerſum prædicate Euangelium omni creaturæ, qui crediderit & baptizatus fuerit ſaluus erit.* Sic igitur mundi aquæ mortiferæ ſanatæ ſunt : ſanari autem dicuntur aquæ, cùm à ſalſedine, amarore, & ſterilitate, ad dulcedinem, fœcunditatémque transferuntur. Vnde Elizæus 4. Reg. 2. *Sanaui*, inquit, *aquas has, & non erit vltrà in eis mors, nec ſterilitas.* Sic ſanauit Deus aquas maris mortui, id eſt mundi, quia ſalſedinem, amarorem, infœcunditatem, & mortem eius, cum dulcedine & fœcunditate & vita, influentibus Euangelij aquis commutauit. Vnde mare illud quod ne piſcem quidem vnum gignebat, iam nunc tot producit, quot nunc baptiſmus regenerat homines. Apoſtoli igitur facti à Chriſto piſcatores hominum tot animas capiunt in hoc mari, quot ad Chriſtum conuertunt, quótque Euangelij prædicatione illuminant, & baptiſmo purificant atque viuificant: quapropter in ſolenni fontium baptiſmalium benedictione quæ fit quotannis Sabbato ſancto in vigilia Paſchæ, necnon in vigilia Pentecoſtes, ore Sacerdotis Eccleſia ſic Deum orat, *Reſpice Domine in faciem Eccleſiæ tuæ, & multiplica in ea regenerationes tuas, qui gratiæ tuæ affluentis impetu lætificas ciuitatem tuam, fontémque baptiſmatis aperis toto orbe terrarum gentibus innouandis ; vt tuæ maieſtatis imperio ſumat vnigeniti tui gratiam de Spiritu ſancto*, &c. *Vt ſanctificatione concepta ab immaculato diuini fontis vtero, in nouam renata creaturam progenies cæleſtis emergat*, &c. *ſit fons viuus, aqua regenerans, vnda purificans.* Atque hactenùs ſatis de mari, in quod rete mittunt Apoſtoli, & eorum ſequaces ad piſcandum animas, quas extrahunt de mundi huius mortiferis gurgitibus, non vt eas occidant, ſed mortuas viuificent, & attractas perducant ad beatam immortalitatem & gloriam æternam.

* *Greg. Naz. orat. in ſancta lumina.*

Matth. 28.

§. III. *De rete, hamo, & sagena.*

III. NVNC quædam de rete, hamo, & sagena subiungenda, quæ tria sunt piscationis instrumenta.

1. Rete compactum est instrumentum ex filorum quibusdam ligaminibus, seu variis circulis innodatis & constrictis, quod in mare vel fluuium piscatores iniiciunt, quo inuoluunt pisces, captósque ad se pertrahunt. 3. Reg. 7. Hiram fecit ad ornatum templi Salomonis capita duarum columnarum ad modum retis. Duæ primæ columnæ, quibus Christus verus Salomon structuram mystici templi, id est Ecclesiæ frontispicium decorauit, fuerunt duo illi fratres Simon & Andreas, quos pertransiens secus mare Galileæ vidit mittentes rete in mare. Familiare fuit Petro, non alio vti instrumento quàm rete ad capturam piscium, siquidem Matth. 4. *Dominus vidit eum cum Andrea mittentem rete suum in mare.* Et Luc. 5. *Cùm ascendisset Iesus in nauim Simonis dicit ei & sociis, duc in altum & laxate retia vestra in capturam: & respondens Petrus dixit illi, Præceptor, per totam noctem laborantes nihil cepimus, in verbo autem tuo laxabo rete; & cùm hoc fecissent, concluserunt piscium multitudinem copiosam.* Rursus post resurrectionem suam dixit Dominus Petro & eius sociis, *Mittite in dexteram nauigij rete, & inuenietis. Miserunt ergo, & iam non valebant illud trahere præ multitudine piscium.* Ioan. 21. 6. 7. Alij etiam Apostoli rete vtebantur, nam Ioannes & Iacobus *relictis retibus & patre*, vocantem *Dominum secuti sunt.* Sed non vacat mysterio quòd Petri rete non rumpitur, vnde signatim scribit Ioannes c. vlt. sui Euangelij, *Ascendit Simon Petrus & traxit rete in terram, plenum magnis piscibus centum quinquaginta tribus, & cùm tanti essent, non est scissum rete.* At rete Ioannis ipsius eiúsque fratris Iacobi rumpebatur aliquo casu, vel scopuli, vel rupis illisione, cùm eos etenim Christus vocauit, *Vidit ipsos reficientes retia sua.* Nulla fuit ab his & aliis fundata Ecclesia, quæ scissuræ obnoxia non fuerit, quæ schisma non perpessa fuerit, quæ alicuius scissuræ, id est hæresis, scopulo non fuerit disrupta. At Petri rete numquam rumpitur, *Rogaui pro te* (ait illi Dominus) *vt non deficiat fides tua. Tu es Petrus & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam: & portæ inferi non præualebunt aduersus eam.* Tempore simultatis quæ diu inter

ter Alexandrum III. Papam, & Fredericum Imperatorem cognomento Ænobarbum intercessit, furens ipse Imperator hos versus vulgari fecit aduersus Romanam Ecclesiam:

Roma diu titubans variis erroribus acta,
Corruet, & mundi desinet esse caput.

Cui mox ex parte summi Pontificis responsum est,

Niteris incassum nauem submergere Petri,
Fluctuat, at nunquam mergitur illa ratis.

Sic & rete Petri numquam scindi vel disrumpi potest, textura compactum indissolubili; vicem etiam ipse Petrus Christi tenet, qui ait Ioan. 10. *Quicquid dat mihi pater ad me veniet, & nemo potest rapere de manu mea: Pater enim meus quod dedit mihi maius omnibus est.* Vtitur etiamnum successor Petri Romanus Pontifex annulo piscatoris, cui Petri effigies insculpta est, rete suum è cymba mittentis in mare, quo pisces mysticos, animas ipsas rationales è profundo pelagi eruens sursum trahit. Sed quod capit Petrus, Christo cedit, cuius imperio piscator perpetuus animarum constitutus est. Ad hunc annulum piscatoris spectasse videtur Clemens Alexandrinus lib. 3. Pædagogi c. 11. vbi ait, *Et si sit aliquis qui piscetur, meminerit Apostoli & puerorum qui ex aqua extrahuntur.* At de vsu huius annuli signatorij summi Pontificis, copiosè non ita diu disserui in Panoplia Episcopali lib. 3. c. 4.

II. *Hamo* etiam *capiuntur pisces.* Duo autem habere debet hamus, vt piscibus capiendis aptus sit: primum vt fortis sit quo possit trahere & tenere piscem quem semel ceperit; alterum suauitatem escæ qua piscem alliciat. Esca est verbum Dei, continens æternæ felicitatis promissa, & præmium maximum bonorum operum: fortitudo huius hami est prædicatoris Euangelici instantia, ac perseuerantia in animarum ad salutem sollicitatione, iuxta illud Pauli ad Timoth. 2. ep. 4. *Prædica verbum, insta opportunè, importunè, argue, obsecra, increpa, in omni patientia & doctrina.* Sed verendum quod continuò sequitur, *Erit enim tempus quo sanam doctrinam non sustinebunt, at coaceruabunt sibi magistros prurientes auribus,* adeo enim miseri sunt homines, vt dicant Prophetis & Euangelistis: *dicite nobis placentia: videte nobis errores?* Optimè pius & doctus (tametsi non vetus) prædicatorum informator, sic de eorum ignauia,

quin potiùs malitia, qui adulterant verbum Dei, cathedram veritatis vertentes in theatrum vanitatis, non ſine gemitu conqueſtus eſt: *Obſecro* (inquit) *quiſnam adulter eſt verbi Dei, & quis maritus verbi Dei? Certè maritus filios intendit, adulter delectationem ſolùm.* Ita veri prædicatores curant Dei filios in Spiritu procreare, ſicut Paulus, *Filioli* (inquit) *quos iterum parturio donec formetur Chriſtus in vobis.* Falſi verò prædicatores adulteri ſunt, qui hos filios non intendunt, ſed ſuum nomen & plauſus populi per ſuam & auditorum ſuorum delectationem. Iſa. 48. ait Dominus, *Ego Deus tuus, docens te vtilia*, non ait ſubtilia, placentia, delectabilia. Multa autem in auditoribus culpa eſt, qui curioſa audire deſiderant: Neſcis miſer peccata tua confiteri, & vanas cupis audire quæſtiones? eloquentiæ humanæ ſpargi vis tibi floſculos, blandimenta, & adulationes quæris; ſana non ſuſtines audire documenta? reſpuis ſalutaria monita, artificia oratoriæ artis ardenter exoptas? Noſſe verò quæ ſunt peccatorum tuorum remedia, & iuſtitiæ Chriſtianæ præcepta, vias vitæ non curas? Audis cum plauſu prædicationem auribus prurientem? fugis ad gemitus hortantem & lachrymas? Hæc fuit infelicitas Adæ, cui datæ ſunt duæ arbores, altera ſcientiæ, altera vitæ, comedit de ligno ſcientiæ, reliquit lignum vitæ, & perditus eſt, nam dum vitam fugit, mortem inuenit; & quo hamo ineſcatus periit, progeniem ſuam traxit in æternam perniciem. Sunt piſces adeo cauti, vt eſcam corrodant hami vnco infixam, ſine vnci deglutione: ſic miſeri faciebant Iudæi, de quibus Deus loquens ad Ezechielem ſic queritur, *Fili hominis es eis ſicut carmen muſicum, quod ſuaui dulcique ſono canitur, audiunt verba tua, ſed non faciunt ea.* (Ezech. 33. 32.) *Væ nobis!* ait magnus Hieronymus, *ad quos illorum vitia tranſierunt?* Sæpe concionatorem in Eccleſia audimus, ſed ſola dulcia & placentia auribus excipimus, ſalutaria quæ ſunt, quia guſtu ſunt amara abhorremus. *Durus eſt hic ſermo* (aiunt plerique cum Iudæis, Ioan. 6.) *Et quis poteſt eum audire?* Non mirum igitur ſi prædicator ſui laboris nullos colligat fructus, ſi piſcator Apoſtolicus hamo verbi Dei bene inſtructo vix vllum piſcem capiat. At ſatis de hamo.

III. De ſagena alio piſcationis inſtrumento, iam quædam dicamus obiter. Vas eſt ex viminibus confectum, cu-

ius os latè patet, vt faciliùs pisces in eam irruant eo cæco impetu quo feruntur, extrema verò pars clausa est, ne ex quo semel ingressi sunt, egredi queant: *simile est regnum cælorum* (ait Dominus Matth. 13.) *sagenæ missæ in mari, & ex omni genere piscium congreganti.* Hamo vnus tantùm piscis capitur; rete plurimos simul inuoluit; sagena multos etiam includit paruos & magnos indiscriminatim. Apostoli missi sunt prædicare Euangelium omni creaturæ: nam patet mystica sagena Apostolicæ prædicationis Iudæis, & gentibus, omníque homini tam fideli quàm infideli, iusto & peccatori: siquidem in vnam Ecclesiam visibilem confluunt boni & mali, nec apertum fiet discrimen electorum & reproborum, nisi in extremo Dei iudicio: vnde sequitur in citato textu Matth. 13. *Quam cùm impleta esset educentes, & secus littus sedentes elegerunt bonos in vasa sua, malos autem foras miserunt. Sic erit in consummatione sæculi, exibunt Angeli, & separabunt malos de medio iustorum, & mittent eos in caminum ignis,* &c. Sed hoc notare iuuat nihilominùs inter sagenam & Ecclesiam, discrimen duplex, 1. quòd de sagena pisces egredi non possunt semel ex quo sunt in eam illapsi, patet enim aditus, sed clausus est exitus: at qui in Ecclesiam per baptismum semel ingressi sunt, de ea possunt exire, & multi propéque innumeri, qui in communionem veræ Ecclesiæ scilicet Catholicæ ascripti fuerant, schismate vel hæresi sunt eius è gremio infeliciter elapsi, quos ideo *subtractionis filios* Apostolus vas Hebr. 10. electionis aptissimè vocat: Iudas dux illorum extitit, hic enim primus exiuit de loco vbi cœnabat Iesus cum discipulis suis, vt proderet eum, Ioan. 13. *Cùm autem accepisset iste buccellam, continuò exiuit.* Sic illi hæresiarchæ, qui in ipso nascentis Ecclesiæ ortu sectas perditionis excitarunt, scissa Ecclesiæ vnitate de ea exierunt, & eos quos seducebant secum pertraxerunt. De his dilectus Apostolus ait 1. ep. 2. *Antichristi multi facti sunt,* &c. *Ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis: si enim fuissent ex nobis permansissent vtique nobiscum.* 2. Quòd in sagena pisces qui mali erant, non efficiuntur boni: at qui mali ad Ecclesiam veniunt homines hamo Apostolico attracti, quantumuis impij ac iniqui fuerint antea, iusti fiunt & boni; si macri erant, impinguantur; si sordidi, expurgantur; si profani, consecrantur: hoc indicat Apostolus 1. Cor. 6. 9. vbi ait,

Nolite errare, neque fornicarij, neque idolis seruientes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, neque fures, neque auari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces regnum Dei poßidebunt. Et hæc quidem fuistis aliquando, sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed iustificati estis in nomine Domini nostri Iesu Christi, & in spiritu Dei nostri. Modò quis in hanc sagenam, in Ecclesiam scilicet quæ Dei domus est, & omnium fidelium mater, dummodò in ea permaneat, licèt pro humana fragilitate in aliqua peccata labatur, tamen pharmaca ibi inueniet ita efficacia & salutaria, vt ab omni morbo quantumuis graui sanari possit. Est enim ibi piscina illa mystica, in quam qui
1. *Ioan.* 5. 2. *&c.* immittitur post descensum Angeli qui diuinam vim aquæ suo motu indidit, sanus fit à quacumque detineatur infirmitate. Atque hæc quidem de sagena bonos & malos pisces congregante.

§. IV. *De piscatoribus*

VIx necesse est vt de mysticis piscatoribus, Apostolis scilicet & eorum successoribus, dicam iterum; iam enim vbi de genere vitæ, arte scilicet piscatoria quam exercebant duo fratres Petrus & Andreas, satis fusè disserui pro huius opusculi instituto: atque etiam verba Domini quibus eos vocauit ad Apostolatum cùm mitterent rete in mare, satis perspicua sunt, vt hinc colligatur analogia, quæ extat inter officium piscationis, & munus Apostolicum: *Venite,* inquit, *post me, & faciam vos piscatores hominum.* Promiserat Deus iam olim per Hieremiam c. 16. se missurum ad suorum electorum vocationem, piscatores & venatores. Venatores sunt locales Episcopi & Parochi qui animas fugientes quærunt & insequuntur, easque venantur & capiunt ac referunt ad propriæ Ecclesiæ gremium, de omni monte, & omni colle, ac de cauernis petrarum, &c. Sed verò Apostoli piscatores vocantur potiùs quàm venatores, quia non ad vnum populum, vel ciuitatem, vel pagum missi sunt, sed in mundum vniuersum: ideo mittunt rete suum in mare, quæ est aquarum congregatio, & omnium nationum typus, vt in tota vastitudine, qua patet vniuersus orbis retia sua mittant in capturam piscium. *Ite,* (ait eis Dominus) *docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, docentes eos seruare omnia*

quæcumque mandaui vobis. Ideo in omnem terram exiuit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. Addi poteſt meritò, Apoſtolos potiùs piſcatores quàm venatores vocari, quia ipſi non violentis cædibus, ſed dulcibus ſermonibus & inculpatis moribus ſuauiter traxerunt homines, non ad ſe, ſed ad Chriſtum, ſuum & omnium Dominum, ac ſenſim ſine ſenſu eos in retia Eccleſiæ compulerunt, vt viuos caperent & ad meliorem vitam transferrent. Eſca eorum fuit promiſſio vitæ cæleſtis; denique obedientia atque docilitas vocatorum & captorum oſtendit ad oculum, quàm dulcis & ſuauis fuerit eorum piſcatio. At ſatis hactenùs ſupérque de hac Euangelica metaphora myſticorum piſcium, maris, retium, hami, ſagenæ, & piſcatorum, quorum primi fuerunt Simon Petrus & Andreas frater eius.

CAPVT IX.

De ordine & loco, quem habet S. Andreas in Apoſtolorum conſeſſu; tam ex Catalogo qui in Euangelio deſcribitur, quàm conſtanti Eccleſiæ iudicio.

POSTOLORVM excellentiam æſtimandam eſſe ex loco & ordine quo in catalogo Euangelico numerantur docti nonnulli non temere coniiciunt: ſic Petrus Damiani excellentiam S. Bartholomæi ea ex prærogatiua collegit, quam habet in Apoſtolorum numero: *Cùm* (inquit ſerm. 41. qui 1. eſt de S. Bartholomæo) *ſenatus Apoſtolicus iudicij ſibi vendicet ſolium, atque inter omnes beatorum ordines egregiæ dignitatis obtineat principatum, iſte in eorum catalogo non mediocriter inſignis atque conſpicuus ſextum obtinet locum; Ait enim Euangeliſta Matthæus, duodecim autem Apoſtolorum nomina ſunt hæc, Simon qui dicitur Petrus, & Andreas frater eius, Iacobus Zebedæi & Ioannes frater eius, Philippus & Bartholomæus, Thomas & Matthæus Publicanus, Iacobus Alphæi, & Thadæus, Simon Chananæus, & Iudas Iſchariotes, qui & tradidit eum,* &c. *Marcus etiam eundem* (Bartholomæum) *ſexto loco conſtituit. Vnde colligere poſſumus quanta in B. Bartholomæo meritorum prærogatiua claruerit,*

qui tam ſublimis tantæque gloriæ viros in Apoſtolica dignitate præcellit; præfertur enim Matthæo, qui in myſtica Euangeliſtarum quadriga principalem poſſidet locum, & tamquam Phiſon inter cæteros fluuios de paradiſi fonte primus eructat, atque omnem mundi latitudinem Euangelicæ doctrinæ fluentis inundat. Præponitur nihilominus B. Thomæ, cuius digitus magiſter factus eſt mundi, qui principali quadam dignitate dicendus eſt index, quia veritatem Dominicæ carnis ignorantibus indicauit. Hic enim Beatus Apoſtolus certitudinem ſua nobis dubietate prouidit, & dum ſcrutatur vulnera Saluatoris, euertit errores atque verſutias hæreticæ prauitatis. Palpat enim veritatem carnis, & intelligit omnipotentiam deitatis, Dominus (inquit) *meus, & Deus meus!*

Eodem argumento elicit Thomas Stapletonus, polemicorum Theologorum hoc poſteriori ſæculo facilè princeps, in opuſculo, cui titulus eſt *de S. Thoma Apoſtolo, Collectaneum: ipſo die natali eius in Academia Duacenſi publicè recitatum:* eiuſdem B. Thomæ in ſenatu Apoſtolico eminentiam: ait enim ferè initio illius doctæ ac piæ diſſertationis, *Sanctus Apoſtolus Thomas, qui & Didymus*, &c. *etſi ex tribus primis illis Apoſtolis qui videbantur eſſe columnæ, vt loquitur Paulus, non erat, illis tamen proximus & cæterorum poſt illos ferè primus & præcipuus, quòd fuerit, non leue argumentum eſt quòd ab Eccleſia Romana, tum in Canone Miſſæ, tum in Litaniis publicis proximo poſt Ioannem & quinto ſemper loco ponatur.* Extat hoc opuſculum tom. 3. operum Stapletoni ipſius, inſertum tractatui quem inſcripſit: *Tres Thomæ*, ſeu, *res geſtæ S. Thomæ Apoſtoli, S. Thomæ Archiepiſcopi Cantuarienſis & Martyris, ac Thomæ Mori Angliæ quondam Cancellarij.*

Rata mihi ſunt nec minùs grata hæc duorum magnorum virorum Petri Damiani & Thomæ Stapletoni axiomata, quæ fundamento non inſtabili, ſed firmo & ſolido nituntur, auctoritate ſcilicet Euangelica quoad Bartholomæum, & Eccleſiaſtica theoria ac praxi quod ad Thomam ſpectat: non enim priuato iudicio dimetienda venit dignitas, ſanctitas, & præeminentia Sanctorum, præſertim Apoſtolorum, qui omnium ſine vlla controuerſia cæterorum excellentiam, ipſo Apoſtolico honore ac merito tranſcendunt & ſuperant, *primùm enim in Eccleſia Deus* (ait Paulus vas ipſe electionis) *Apoſtolos poſuit*, de quorum ſpe-

ciali quoque prærogatiua disputare vel decernere longè minùs nostrum est; scitum est dictum sapientis, Prouerb. 16. 2. *Omnes viæ hominis patent oculis Dei: spirituum ponderator est Dominus*; Vnde pius auctor celeberrimi libri de Imitatione Christi, sapienter nos monet non disputare de Sanctis, quisnam maior vel minor fuerit, sed seriò eniti, eorum promereri suffragia & imitari virtutes. grauiter & piè profectò. Verumtamen quia omnes viæ hominis in oculis Dei patent, & ipse spirituum ponderator est, standum est eius infallibili iudicio: sanè ex quo diuina veritas & sapientia Christus de Ioanne suo præcursore dixit, *Inter natos mulierum non surrexit maior Ioanne Baptista*, nefas est dicere aliquem hactenus extitisse Ioanne ipso maiorem, licèt nefas non sit aliquem fuisse inter Prophetas, & quosdam iis eminentiores Sanctos (*puta Ioseph virum Mariæ, de qua natus est Jesus qui vocatur Christus*), qui ipso Ioanne non fuerint minores. sic ex quo tuba cælestis & vox Christi Paulus supernè afflatus intonuit, *Posuit Deus in Ecclesia sua primùm Apostolos*, nemini fas est aliquem Sanctorum Apostolis anteponere. Temerarium verò esset omninò dicere, quis inter Apostolos primus, quis secundus, quis medius, quis postremus? Nisi Deus ipse qui merita nouit omnium & singulorum patenti signo indicasset. Quemadmodum igitur certissimum est Petrum esse omnium primum, quia sic consignatur in catalogi ipsorum Apostolorum exordio: sic minimè dubitandum est inter Apostolos Andream secundum asserere, quia hæc eius prærogatiua eodem ex loco euidentissimè patet, disertè enim sacer Euangelista Matthæus c. 10. ait, *Duodecim autem Apostolorum nomina sunt hæc, Simon, qui dicitur Petrus, & Andreas frater eius, & Jacobus Zebedæi, & Ioannes*, &c. Sic & S. Lucas c. 6. numerat; *Et cùm dies factus esset* (inquit) *vocauit discipulos suos, & elegit duodecim ex ipsis quos & Apostolos nominauit, Simonem quem cognominauit Petrum, & Andream fratrem eius, Jacobum & Ioannem, Philippum & Bartholomæum*, &c. Nec valet eorum obiectio qui opponunt aliter Apostolos numerari à Marco, qui suo in catalogo Andream quarto tantùm loco reponit, siquidem ratio est manifesta cur ita fecerit: Ponit in principio sui catalogi tres Apostolos, quibus Christus nomina non tam commutauit, quàm noua indidit, nec hanc intercidit

Matth. 1.

ſeriem, quia ſolùm intendebat nouæ nuncupationis dare indicium, non autem recenſere ordinem vocationis, nec excellentiam meriti & ſanctitatis, ita enim ſcribit: *Et aſcendens in montem vocauit ad ſe quos voluit ipſe, & venerunt ad eum, & fecit vt eſſent duodecim cum illo. Et impoſuit Simoni nomen Petrus, & Iacobum Zebedæi, & Ioannem fratrem Iacobi, & impoſuit eis nomina Boanerges, quod eſt filij tonitrui, & Andream, & Philippum, & Bartholomæum, & Matthæum, & Thomam*, &c. Vbi poſtponit ſolùm tribus præſignatis, quibus Chriſtus noua dedit nomina, eos quibus noua vocabula non impoſuit, móxque redit ad rectum ordinem quem Matthæus habita ratione vocationis & natiuæ recenſionis cum Luca tenuerat: ſed hæc enumeratio, ſola ex hac conſideratione deſumpta, primordiali priuilegio vocationis & electionis, quo cum fratre Petro Andreas præpollebat, non derogat; cui nomen non mutauit Chriſtus Dominus, aut nouum attribuit, quòd id vocabulum à natiuitate ſpeciali gratiæ munere ſortitus fuiſſet, quod cæteris queiſque epithetis præcellebat, cùm vnum eſſet ex nominibus diuinis, vt ſuprà cap. 1. vbi de Andreæ nomine ex profeſſo diximus, prorſus euadit manifeſtum. Sic non aduerſatur ſibi Lucas, nec quicquam detrahit Andreæ quod Actuum 1. ipſum Andream loco quarto recenſionis aſſignat: nec enim ibi deſcribebat catalogum Apoſtolorum ſecundùm electionis & vocationis ordinem, ſed tantùm ſpectabat ſtatum eorum habitationis, in cœnaculo montis oliuarum, vbi cellulæ erant, in quibus manebant bini & bini: *Et cùm introiſſent in cœnaculum* (inquit) *vbi manebant Petrus & Ioannes, Iacobus & Andreas, Philippus & Thomas, Bartholomæus & Matthæus*, &c. Ex recentioribus loci huius interpretibus Lorinus hanc eiuſmodi inſolitæ hactenùs dinumerationis rationem ſolerti iudicio obſeruauit; *Ponitur* (ait) *Ioannes poſt Petrum ſecundus*, &c. *quod aliàs ne Lucas quidem fecit, catalogum texens Apoſtolorum, aut alius ex Euangeliſtis, quia nunc fortaſſe ordinem ſeruauit quo Apoſtoli ſedebant aut manebant in illo cœnaculo, prout indicare videntur verba illa præcedentia: Et cùm introiſſent in cœnaculum, aſcenderunt vbi manebant Petrus & Ioannes*, &c. Ita Lorinus, qui ſubinde expendens Andreæ quarto ordine in hac Lucæ nomenclatura collocationem, rectè etiam ibidem animaduertit, *Rectus ordo poſtulabat vt poſt Petrum fratrem*

An-

Andreas primus locaretur, vt à Matthæo & Luca in Euangelio factum est. Sed peculiarem causam prænotauimus, cur Lucas & Marcus (qui alioquin priuilegij Andreæ sunt constanter tenaces) locis signatis interuerterint veram & primordialem Apostolorum seriem: quia tunc non habebatur ratio prærogatiuæ Apostolatus, sed cognominationis & habitationis ipsorum Apostolorum. Fixum igitur manet Andreæ priuilegium, ex sua in secundo Apostolici senatus loco recensione. Nec obstat quòd in canone Missæ & in Litaniis, tertio ordine numeratur, interiecto Paulo inter Petrum & Andream: hoc enim solius Pauli, non ius natiuum, sed accessorium est, vt Petro semper immediatè associetur; habita ratione scilicet non vocationis, sed indiuiduæ coniunctionis, in fundatione Romanæ matris omnium cæterarum Ecclesiæ, cui (vt ait Tertullianus) *totam doctrinam cum sanguine profuderunt*, quæ eis idcirco hoc epinicion canit: *Gloriosi principes terræ, quomodo in vita sua dilexerunt se, ita & in morte non fuerunt separati.* Ratio igitur huius seiunctionis Petri & Andreæ, ex interiectione Pauli dimanat. Cæterum interiecto Paulo ipsa Romana Ecclesia Andream immediatè reponit in ipso sacro canone & publicis Litaniis, ac etiam in die sancta Parasceues, qua cessat sacrificij consecratio, at fit dumtaxat à sacerdote communio sub vna tantùm specie, scilicet sub hostia die præcedenti, quæ dicitur in cœna Domini, consecrata, post recitationem Dominicæ orationis, subiungitur enim & alta dicitur voce, ore solius sacerdotis, quæ singulis aliis anni diebus submissa voce dici consueuit hæc insignis deprecatio: *Libera nos Domine ab omnibus malis præteritis, præsentibus, & futuris, & intercedente beata & gloriosa sempérque Virgine Dei genitrice Maria, cum beatis Apostolis tuis Petro & Paulo, atque Andrea, & omnibus Sanctis, vt ope misericordiæ tuæ adiuti, & à peccato simus semper liberi, & ab omni perturbatione securi.* Florus antiquus Latinæ Liturgiæ interpres notat hoc loco paucos quidem, sed eminentissimos Sanctos pro intercessoribus adhiberi: sed in his excellentissimis honorificè expressis, omnes Sanctos contineri. Quo de ritu eiúsque origine, & causa specialis expressionis trium præcipuorum Apostolorum cum sanctissima Virgine Deipara, olim homiliam propriam conscripsi: Iterum verò lib. 2. vbi de gloriosa memoria S. Andreæ tra-

In præscr.

ctandum erit, de eodem ritu, eiúſque cauſa, Deo dante diſſeram. Cæterùm ex præmiſſis facile iam eſt colligere, quanta præſtet excellentia S. Andreas in Apoſtolico conſeſſu: ſi enim, vt ſuprà oſtenſum eſt, Apoſtolorum dignoſcitur præeminentia ex gradu quem obtinent in Apoſtolico collegio, gradus verò elicitur ex loco & ordine quo in ipſorum catalogo digito Dei exarato, in ſacroſancto Euangelij codice, & ab Eccleſia in diuina liturgia, ac litaniis delineato. Hinc ſanè promptum eſt colligere beati Apoſtoli Andreæ inter Apoſtolos inſignem dignitatem. Sic eam agnouit & obſeruandam monuit B. Petrus Cardinalis, cognomento Damiani, præfatus: quo enim argumento euicerat S. Bartholomæi conſpicuum in ſenatu Apoſtolico decus, eo quòd ſcilicet in ſerie Apoſtolorum ſexto loco numeratur, ſic enim S. Andream eadem de cauſa aſſerit præcellentem, ſerm. 57. qui primus eſt de *S. Andrea*, paulo poſt initium: vt pæne ægrè ferat in ſacro Apoſtolorum indiculo, ipſum ſecundo tantùm loco reponi, qui vocatione ipſo Petro ſuo fratre prior exiſtit. *Et Andreas quidem* (ait) *in Apoſtolici ſenatus catalogo ſecundus ponitur, qui tamen in agnitione Domini, iuxta Euangelicam fidem, primus inuentus eſt.* Hinc verò in fine eiuſdem ſermonis elicit miram eius humilitatem. *Et vt magis* (inquit) *ſtupeas, non moleſtè tulit, quòd in fide primus, factus eſt ordinis dignitate ſecundus, nec Zelo ductus eſt, quòd Petrus qui eius ducatu poſterior credidit, cuiúſque ad fidem ipſe prauius fuit, prioratûs tamen inter Apoſtolos iura ſuſcepit. Hanc nempe mortificationis regulam oculis noſtris ſupernus magiſter appoſuit, hanc nobis veræ humilitatis normam, per quam illum recta via ſequeremur, exhibuit. In illis namque primis diſcipulis, quos & mundi doctores inſtituit, omnium virtutum formam expreſſit.* Hæc Petrus Damiani, qui ſequenti de eodem B. Andrea ſermone inter initium & medium nihilominùs non dubitat Andream ipſi Petro & cæteris omnibus anteferre his verbis, *Magiſter & Dominus noſter, cuius ſchola eſt in terris & cathedra eſt in cælo, ex his omnibus quos elegit, praelegit Andream Apoſtolum, cuius ſolemnitatem & vocibus & cordibus inclamemus, ô dulcis Apoſtolus, & primitiua vocatio Saluatoris! qui in ipſum Apoſtolicum chorum, tanti prioratus inſignitur faſtigio?* Videtur ſanè ſibi patenter hic doctor aduerſari, nam anteà conceſſerat ſecundùm expreſſam Euangelij auctoritatem, B. Petrum om-

nium esse Apostolorum primatem : hic verò audet dicere, Andream in chori Apostolici conuentu insignis prioratus fastigio illustrari ; at bene est quòd pugnantia hæc vt apparent alio loco conciliat, dum duos istos beatissimos fratres primos esse ait Christi discipulos : vix tamen capi mente potest quomodo in eodem collegio duo sint primi nisi diuersa ratione. Dicendum igitur Apostolos Christi fuisse discipulos, antequàm ab eo ad Apostolatum promouerentur: hoc disertè docet suo in Euangelio S. Lucas cap. 6. vbi ait, *Factum est autem in diebus illis, exiit in montem orare, & erat pernoctans in oratione Dei; Et cùm dies factus esset, vocauit discipulos suos, & elegit duodecim ex ipsis, quos Apostolos nominauit.* Quo fundamento supposito iam dico negari * Nota. non posse Andream esse omnium Christi discipulorum primum, & hoc iure sibi ius primatus vendicare. Quamobrem passim à Patribus Euangelico nixis testimonio, meritò dici primum Christi discipulum, adeóque Christianorum omnium antesignanum : qua ratione nec ipse Petrus primùs est, sed secundus tantùm, quia vt S. Ioannes in Euangelio testatur, ipsum in Christo Andreas eius frater; imò pater secundùm fidem peperit, nam *adduxit illum ad Iesum.* Sed si ad Apostolatum respiciamus, tum negari non potest *primum Apostolorum esse Petrum,* cùm hoc expressum habeatur in Euangelio, vbi legitur, *Duodecim autem Apostolorum nomina sunt hæc, primus est Simon Petrus;* primus scilicet gradu dignitatis & eminentia potestatis. Túmque mutatur ordo, nam Andreas qui discipulorum Christi primicerius est, Christi voluntate & delectu, cedit Petro primatu, & fit inter Apostolos secundicerius (sicut eum in eius elogio die 30. Nouembris Martyrologij Gallicani, nominaui, iuxta apertam Euangelij auctoritatem :) mox enim vbi diuinus Euangelista Matthæus dixit, *primus est Simon, qui dicitur Petrus,* continuo nexu sub- *Matth.* 10. iungit, *& Andreas frater eius.* Quo loco & ordine eundem recensent sancti Euangelistæ Marcus & Lucas, hic cap. 6. ille cap. 3.

Sanè sicut apud Romanos celebris erat dignitas Primicerij, sic sequentis honoris erat Secundicerij munus ; qui in quocumque ordine primum locum obtinebat, is primicerius vocabatur, vt videre est apud doctissimum Brissonium lib. 14. de verborum significatione : qui ei proximum, se-

cundicerius dicebatur ; vnde primus Notariorum non alius erat quàm Notariorum primus (vt legitur apud Caſſiodorum lib. 6. variar. 16.) qui ſecundicerius Notariorum, hic primum immediatè ſequebatur. Sicut igitur Patres Beatum Stephanum protomartyrem vocitant *Martyrum primicerium*, ita non dubium quin Andreas ſit Chriſtianorum & omnium Chriſti diſcipulorum primicerius. At verò Petrus quem vices ſuas obire voluit Chriſtus in Eccleſia, Apoſtolicíque eſſe chori principem, hoc titulo Apoſtolorum primicerius eſt, quia eorum primus eſt. Andreas verò in hoc ſacro ſenatu quia proximum locum obtinet poſt Petrum, Apoſtolici eiuſdem collegij ſecundicerius cenſendus eſt, titulo ſcilicet Apoſtolicæ vocationis (qua cum ſuo fratre cæteris quibuſque præſtat) & gradu electionis, & honore dignitatis.

S. Aug. vel Fulgentius ſerm. de S. Stephano.

Quæ cauſa eſt, cur diuinæ Apocalypſis tam noui quàm veteres interpretes, vbi Apoſtoli, fundamentorum duodecim cæleſtis Sion nomine denotantur, qui per diuerſas lapidum pretioſorum totidem ſpecies deſignantur: quemadmodum his verbis ſignificari Petrum docent, *primum fundamentum iaſpis*; ita & his Andream, *ſecundum, ſaphirus*, exiſtimant indicari. De Petri analogia cum iaſpide non inaccuratè dixi in Panoplia Epiſcopali lib. 3. inſcripto de Annulo Epiſcopali c. 4. De conuenientia autem Andreæ cum ſaphiro in Panoplia Clericali part. 2. lib. 4. qui de colore Clericalis habitus prænotatur cap. 6. vbi de coloribus ab Eccleſia Romana in vſu ornamentorum & ſacrarum veſtium vſurpatis, articulo 4. quo tractaui *de colore violaceo*, §. 1. conſignato *de dignitate huius coloris tam morali quàm myſtica*, vbi de cæruleo colore ſeu cyaneo, violaceo affini diſſeritur. hîc enim cur Andreas Apoſtolus fundamento ſecundò ſtructo ex ſaphiro aſſimiletur, eiuſmodi ratione demonſtraui. Alij S. Andream ſymboli Apoſtolici ſuffragatorem, primi Apoſtoli germanum & ſupparem in ortu, vocatione & morte ſaphiro ſignificari volunt; qui deſiderio cæleſti æſtuans, & radiis Chriſti (apud eum dum primus omnium manſit) percuſſus, in eius amorem totus exarſit, & terrena omnia, proſpera æquè ac aduerſa calcauit; ac in aërem ſublatus, biduo in cruce pendens, ſcintillis amoris è præcordiis erumpentibus, Chriſti Magiſtri & archetypi ſui gloriam prædicans, circumfuſus cæleſti lu-

ce, & diuina lætitia plenus migrauit ad gloriæ & honoris immarcessibilem coronam. Ezechielis insuper scriptura commemorat, quòd locus in quo Dei thronus est, saphiri habeat similitudinem, eo quòd Domini gloria in hoc colore mirum in modum resplendeat, nam hic color præ se fert imaginem fulgoris supercælestis. Auctoris non contemnendi sententia est, inter Prophetas illum maioris excellentiæ æstimandum, qui magis Christo conformis est. si transitio fiat ad Apostolos, non ineptè dixeris illum meritò reliquos inter præcellere, qui Christum meliùs imitatur, id est, quasi expressa eius imago illum repræsentat. Nemo autem Apostolorum perfectiori similitudine Christum crucifixum expressit, quàm Andreas, ei in crucis trophæo factus genuinè consimilis, quíque idcirco appositissimè dictus est à beato Petro Chrysologo, *Christi crucifixi viuum ac perfectum simulachrum.* In cruce enim, Christi non tantùm thronus est, sed etiam speculum omnis eius gloriæ, sanctitatis, sapientiæ, amoris, & charitatis expressiuum. Nihil saphiro pulchrius in auro radianti, nihil Andrea speciosius, nihil suauius in cruce pendenti, prædicanti, patienti, exultanti, viuenti, morienti, vincenti, triumphanti. Quibus fulgoribus ac odoramentis Christi in se allexit eximium prorsus amorem : vnde Ecclesia de eo concinit : ***Dilexit Andream Dominus in odorem suauitatis, dum penderet in cruce.*** Quin & ipsius Ecclesiæ, eum in cruce admirantis, sicut de se excitauit stuporem, ita & amorem ac venerationem singulorum sibi conciliauit: Quo ex affectu Petrus Damiani in 2. eius epinicio sic exclamat : *O dulcis Apostolus ! & prima vocatio Saluatoris*, &c. *Non subterfugit nos, quia quodammodo tenerrimus est, & dulcior in cordibus fidelium: cuius passio tanta spiritus deuotione distillat, vt mentes audientium adipe & pinguedine replere videatur.*

Ezech. 1.

P. Berchor. in reductorio, &c.

CAPVT X.

Expenditur dictum B. Andreæ ad Dominum : Eſt puer vnus hîc, qui habet quinque panes hordeaceos & duos piſces : ſed quid hæc ſunt inter tantos? *Et expers culpæ, verùm potiùs dignus laude ſanctus ipſe Apoſtolus demonſtratur : excuſſis variis circa hoc tam veterum quàm recentiorum opinionibus.*

Ioan. 6. 9.

AGNI ſunt nominis auctores, qui hoc loco arguunt S. Andream humanæ diffidentiæ, & dubitationis de Chriſti diuina poteſtate : licèt enim culpæ huius auctorem Philippum faciunt, deriuant in Andream eiuſdem ſupinæ ignorantiæ labem. S. Cyrillus Alexandrinus acriter vtrumque hunc Apoſtolum hoc nomine perſtringit, nec leuiter culpat lib. 3. in Ioannem ad hunc locum: *Anguſtus* (inquit) *Philippi animus non percipit Ieſum cuncta poſſe.* Et infrà, *Andreas conſentanea Philippo ſentit, & affinem indicat quodammodo de Seruatore Chriſto habere quoque opinionem ; ipſe quoque arguitur, cùm enim virtutem eius non agnouerit, nec adeo ex præcedentibus miraculis perceperit, Ieſum cuncta poſſe: idque facillimè indicat. Indicat ſiquidem penes puerum eſſe piſciculos : verumtamen hæret in fide : Hæc enim, ait, quid ſunt inter tantos?* Quæ verba Cyrilli duriuſculè dicta eſſe, & ſi cum Euangeliſtarum hiſtoria accuratè conferantur ſolidè ſtare non poſſe, facile eſt (ſalua ſemper Cyrilli ipſius reuerentia) palam oſtendere. Sanè ſi aliqua verbis Andreæ ſignatis hæret incredulitas, ſi qua dubitatio, vel hæſitatio, non ſoli Andreæ, nec Philippo, ſed omnibus ſimul Apoſtolis ex æquo tribuenda eſt ; quemadmodum è rei geſtæ circumſtantiis, quæ ab Euangeliſtis narrantur, fit perſpectum : aliquando vnus Euangeliſta tacet quod alius exprimit : aliquando ſupplet quod alius omiſit. Sic iſto loco aliquid à Ioanne prætermiſſum eſt, quod Lucas ſuppleuit ; ait enim c. 9. diſertiſſimè, *Accedentes duodecim dixerunt illi* (ſcilicet Chriſto Domino), *dimitte turbas, vt euntes in caſtella, villáſque quæ circa ſunt, diuertant, & inueniant*

eſcas, quia hîc in loco deſerto ſumus? Quibus reſpondit Ieſus, Vos date illis manducare? At illi dixerunt, Non ſunt nobis plus quàm quinque panes & duo piſces, niſi fortè nos eamus & emamus in omnem hanc turbam eſcas: Erant autem ferè viri quinque millia. Vnde patet, ſi in verbis Philippi & Andreæ dictis aliquis reatus eſt diffidentiæ aut incredulitatis, eo non minùs Petrum quàm Andream, Ioannem quàm Philippum, imò reliquos omnes Apoſtolos obſtrictos fuiſſe, quia quod illi duo dixerunt, hoc idem omnes Apoſtoli ſine exceptione vlla vnanimiter dixêre. Verùm omnes eos abſoluunt ab omni piaculo, & nominatim Philippum & Andream, alij Patres non inferiores B. Cyrillo. Primus eſt S. *Hom. 41. in Ioan. tom. 3.* Ioannes Chryſoſtomus, qui dum de verbis aliorum Apoſtolorum non meminit, ea de re diſſerens ita prorſus ait, *Cùm venientem ad ſe vidiſſet multitudinem Ieſus.* Alij Euangeliſtæ dicunt, *Diſcipulos obſecraſſe Ieſum, ne ieiunos dimitteret.* Quid quæſo criminis S. Chryſoſtomus hîc in Apoſtolis agnoſcit? ſed neque in Philippo, continuò ſiquidem ſubiungit Ioannes, Ieſum Philippum rogaſſe. Vtrumque mihi verum videtur, alio & alio tempore, illud quàm hoc antiquius. Sed quamobrem Philippum interrogat? Norat (Ieſus) qua diſcipuli magis doctrina indigerent: Hic eſt qui poſtmodùm ait, *oſtende nobis patrem, & ſufficit nobis?* propterea eum rogauit, vt magis appareret miraculum, & coactus confiteri penuriam, meliùs intelligeretur miraculi magnitudo, quàm ſi ſimpliciter feciſſet. Vnde ſubdit Ioannes, *hoc autem dicebat tentans eum, ipſe enim ſciebat quid eſſet facturus.* Vt ergo olim Abraham, ita & Philippum nunc tentat, & ſic interrogando admonet, vt diligentiùs conſideret miraculum, &c. Cùm igitur interrogaſſet Philippum, dixit Andreas frater Simonis, *Eſt puer vnus hic, qui habet quinque panes hordeaceos & duos piſces, ſed quid hæc inter tantos?* Prudentior quàm Philippus Andreas, non tamen penitùs rem intellexit. Cenſet hîc igitur Chryſoſtomus Andream ſubolfeciſſe miraculum: cui occaſionem præbuiſſe etiam Cyrillus agnoſcit. Meliùs igitur reſpondit ac fecit Andreas, quàm Philippus. Vnde iterum Chryſoſtomus ſubnectit, *Præceſſit ergo Andreas Philippum, non tamen in ipſum cacumen euaſit.* Neſciebat enim perfectè quid Dominus facturus eſſet, nam Chriſtus nemini ſuam intentionem patefecerat, ſed ipſe ſolus ſciebat, ait Ioan-

nes, *quid esset facturus.* Si qua igitur hîc hæsit ignorantia, mera fuit inscitia facti, quod nôsse equidem Andreas non potuit, quamdiu in mente Domini latebat. Nullum hîc igitur ipsi obrepsit peccatum vel dubitationis, vel incredulitatis: quomodo enim de Christi potentia dubitaret Andreas, qui Christum non tantùm agnum Dei tollentem peccata mundi, sed filium Dei prædicari à Ioanne magistro suo audierat, & mox illum secutus fuerat, edoctúsque ab ipso Domino, Christum eum esse firmiter crediderat, ac tam illustri præconio fuerat confessus, cùm dixit fratri suo ingenti cum animi lætitia, *Inuenimus Meßiam, & adduxit eum ad Iesum?* Secundò, S. Augustinus tract. 24. in Ioannem, quo huius miraculi Euangelicam historiam diligenter expendit, ignorantiam facti solam agnoscit in Philippo, cui tamen propterea nullam imputat culpam, à qua sensit Andream prorsus immunem, cuius verba integra refert, at nec minimum reprehendit. Tertiò, Beda perpetuus Augustini assecla & fidus referendarius, scribens in Ioannem, super hunc ipsum locum sugillat quidem Philippum tarditatis in fide; recitatis autem subinde verbis Andreæ nullam, circa hæc, dicam ipsi mouet, nec culpam ei vel leuem impingit. Quartò, mihi excidere non patior, Theodori Mopsuesteni, Leontij, Ammonij, antiquorum Matthæi interpretum, omnem maculam ab Andrea amouentium singularem opinionem: quòd scilicet hos quinque panes & duos pisces quos obtulit Domino, præsto adesse prodiderit, ne sibi eos velle reseruare aliis videretur discipulis. Quæ quidem opinatio licèt amorem paupertatis & columbinam simplicitatem in Andrea supponat, non tamen nucleum veritatis attingit. Meliùs certè Chrysostomus cum ipso Cyrillo, & vtrumque sequentes Theodorus Heracleotes, Leontius, & Theophylactus censuerunt, qui plus fidei Andream quàm Philippum asserunt ostendisse: videri enim spe aliqua futuri miraculi hæc dixisse, scientem scilicet Moysen miraculoso pane cibasse populum famelicum in deserto, & Eliam panem aliquando multiplicâsse, nuper verò ipsum Dominum in nuptiis aquam mutasse in vinum; nec enim difficilius existimare poterat, augere panem & pisces, quàm vinum ex aqua procreare; aliqui tamen ex præsignatis auctoribus qui culpant Philippum, desiderant aliquid maioris fidei in Andrea,

Tom. 9.

quare

quare igitur non eam exigunt perfectiorem in Petro, qui cum cæteris collegis suis idem dixit ac fecit, vt suprà probauimus ? status sanè temporis considerari debet, humanæ conditionis & præsertim intentionis quam Apostoli & nominatim Philippus, etiámque Andreas, qui cæterorum (secundùm Ioannem) tota in illa actione duces fuerunt, habuere. Ordine quæso has res excutiamus, túmque liquidò non solùm veritas apparebit, at hoc insuper assequemur, vt probemus Patres qui nobis aduersari videntur, nobis reuerà assentiri, ac inter se etiam esse concordes.

I. Quoad statum extantis tunc temporis : stat ipse Cyrillus non tantùm pro Andrea, sed etiam pro Philippo, quin [illegible]teris omnibus A[illegible]tolis dum sic ait, *Philippo non-* [illegible] *[illegible]risti Saluatoris nostri dignitas patebat.* [illegible] addit eum non diuinam omnipotentiam, sed rerum naturalium ordinem tantùm spectasse, postea à leuitate errati, si quodpiam excidit vtrique, ambos excusat, ait enim, *Imbecilliùs quodammodo quàm decebat par illud discipulorum respondit.* Tamen verbis suis vtrumque hunc Apostolum ostendit Dominum glorificasse. Nam cùm memorati sancti discipuli, &c. apertè dixerint, ille quidem *ducentorum denariorum panes non suffecturos iis, vt vnusquisque modicum quid accipiat :* hic verò de quinque panibus ac quinque piscibus, *quid hæc inter tantos ?* extollunt quodammodo his verbis miraculum, & Saluatoris potentiam illustriorem reddunt.

II. Idem Cyrillus hos & cæteros Apostolos à conditione naturæ humanæ, quæ etiam post susceptam gratiam ad res diuinas adæquatè concipiendas non extenditur, itidem excusat. *Considera*, inquit, *mentem hominis ad certos vsque fines intelligendo protendi, licèt vtique purgata sit*, &c. *Et supernaturalibus rebus cedit vel inuita.*

III. A simplicitate intentionis iterum eos excusat, quæ bene cognita Christo Domino, effecit, vt magna cum mansuetudine eorum dicta exciperet : *Solitam*, inquit, *benignitatem Saluator cum eis exercet, nec enim acerbiùs eos insectatus est.* Quæ ratio à B. Cyrillo assignata sufficit ad emolliendum omnia quæ duriùs antè dixerat, de vtriusque Apostoli incredulitate & diffidentia ; si enim illorum hic fuisset reatus, quo grauior, vt rectè ait idem Cyrillus, nul-

lus esse potest. *Nos* (inquit) *morborum & malorum extremum, incredulitatem esse dicimus.* Sanè Christus tantum crimen in duobus illis Apostolis suis, sine graui reprehensione non præteriisset. Cùm Petrum qui ex nimio humanitatis affectu, ipsi passionem suam prænuncianti inconsideranter responderat, *Domine hoc absit à te? Non erit tibi hoc?* tam acerbè increpauerit, vt ei diceret protinùs, *Vade post me Sathana, scandalum es mihi, quia non sapis quæ Dei sunt, sed ea quæ hominum?* At hic nec Philippum, nec Andream Dominus tantisper obiurgauit; quin Andreæ grata verba sic habuit, vt inde sumpserit occasionem miraculi faciendi, quod statim operatus est. Hoc abundè patet [illegible] [Ioa]nnis Euangelio, mox enim ac dixerat Andreas, *Est p[uer] [un]us hic quinque panes [hordeaceos] [et] duos pisces* [illegible] *xit ergo Iesus* (subiungit immediatè Io[annes]) [illegible] *discumbere*, &c. *Accepit autem Jesus panes, & cum g[ratias] egisset, distribuit* * *discumbentibus; similiter & ex piscibus*, &c. Propositionem igitur Andreæ non reiicit vt improbam aut importunam, sed admisit benignè respondens vt est apud Marcum, *Afferte mihi illos huc.* Solito mentis acumine Origenes hoc obseruat, noluisse Christum benedicere ac multiplicare panes & pisces, nisi ad se allatos Apostolico ministerio. *Donec* (inquit ad cap. 14. Matth.) *hi quinque panes cum duobus piscibus non afferebantur à discipulis Iesu, non creuerunt neque multiplicati sunt, neque poterant multos alere. Quum autem illos accepisset seruator, primùm suspexit in cælum, posthac benedixit, mox diuidens ac frangens dedit discipulis, vt illi turbis apponerent.* Scitè dixerat paulò antè idem Origenes, *hic Christum voluisse ostendere, Apostolici esse officij nutrire animas*, scilicet verbo diuino & cælesti pane reficere, vnde Dominus priusquam hoc miraculum aggrederetur ipsis dixerat, *Date illis vos manducare?* Iam tunc igitur in partem huius ministerij Andreas ingressus est; sicut enim is fuit qui hos panes perquisiuit ac inuenit, Christóque iubenti attulit, non dubium est quin ipse imprimis distribuerit: impiger enim erat Andreas ad vocem Domini, quam mox ac audiebat, solitus erat sequi ac exequi sine mora. Ex his igitur patet quòd nullam tota hac in re meruit Andreas reprehensionem, at dignus potiùs non modica laude fuerit propter velox ad mandata Domini obsequium, & pium quem exhibuit erga tot ho-

Matth. 16. 23.

* *Legit Augustinus tract. 24. in Ioannem*, Iussit distribui

mines fame deficientes in deserto commiserationis affectum.

Quæ omnia si attentiùs considerasset Thomas Stapletonus insignis alioquin Sanctorum cultor, strenuúsque eorum gloriæ aduersus nuperos hagiomachos vindex, non ita durè cum sanctis his duobus Apostolis Philippo & Andrea se gessisset, sermone aliàs docto & luculento in Dominica 4. Quadragesimæ, vbi sanè minùs consideratè vtriusque dicta expendit ac reprehendit. Prudenter autem iuxtáque piè ac eruditè Cardinalis Toletus in suo super Euangelium Ioannis Commentario, hanc historiam tractauit, vbi dextrè & appositè Philippum quidem ex accuratiori collatione narrationis Marci & Ioannis excusat: Andream autem nec purgare quidem cogitat, quia opus ei esse non censet vlla defensione; hunc in modum solers hic S. Ioannis elucidator de ipso B. Andrea disserit. *Omisit Euangelista noster* (scilicet Ioannes) *quod Marcus Dominum dixisse narrauit, & secundùm quod responderunt, describit: Misit autem Dominus discipulos vt viderent quot panes haberent, vt eos cognoscere faceret omne humanum deficere subsidium: Nihil enim inuenerunt apud se. Apud eos verò qui de turba erant puerum repererunt habentem quinque panes hordeaceos & duos pisces: Sed Andreas humana considerans (de quibus tum agebatur,) sed hæc, addidit, quid sunt inter tantos? quasi dicat, omne humanum deficit subsidium, nam & hoc tam modicum est vt multitudini collatum, quasi nihil esset reputari debeat.* Ita ille magnus Cardinalis, haud minùs sapienter quàm piè & religiosè. Dionysius Carthusianus in sua super Ioannem enarratione eodem modo verba S. Andreæ, *Sed quid hæc inter tantos?* exposuerat, procul ab omni reprehensione, *Id est*, inquit, *parum aut nihil proderunt tantæ multitudini: Vt reuerà nihil profuissent nisi Dominus benedictione sua exilia hæc alimenta multiplicasset.* Andreas igitur qui sequens iussionem Domini promptior fuerat ad hæc vitæ humanæ subsidia inuestigandum, & expeditior ad ipsa inueniendum, Dominóque præcipienti afferendum, ipsum tam gratis obsequiis ad operationem tanti miraculi, non sine diuino nutu ac afflatu, ferè sollicitauit, quia iam, vt notant citati prisci interpretes, ipsum Dominum quid diuini moliri ex tot interrogationibus ac motionibus præsenserat.

Tom. 4.

CAPVT XI.

Andream cum Petro, & duobus Zebedæi filiis magis Christo familiarem, quàm cæteros omnes Apostolos extitisse.

PHRASES habet plerasque S. Marcus Euangelista sibi proprias, & singulares nonnullas elocutiones, quæ apud alios Euangelistas non leguntur: exemplis id patet quæ breuiter referam insignibus. Primò, apud S. Matthæum cap. 3. vers. 16. 17. legitur de Christo à Ioanne baptizato: *Vidit spiritum Dei descendentem sicut columbam & venientem super se.* At S. Marc. cap. 1. vers. 10. superaddit, *& manentem in ipso.* Secundò, ait Matth. 9. 14. *Et cùm venisset Iesus in domum Petri,* subiungit Marc. *& Andreæ,* &c. *Et statim dicunt illi de illa* (socru scilicet Petri, quæ febribus ardebat). Hoc igitur S. Ambrosius in lib. de viduis sic exponit, vt iunctim Petrus & Andreas pro ea rogauerint: optátque ipse pro nobis variis modis febricitantibus, sancti illi Apostoli dignentur esse apud Dominum intercessores. Tertiò, vbi Matthæus scribit Dæmoniacum dixisse Domino, *Venisti ante tempus torquere nos.* c. 9. 29. adiungit Marcus c. 1. *Scio qui sis, Sanctus Dei.* Quartò, Lucas c. 9. sic habet, *Conuocatis autem duodecim Apostolis dedit illis virtutem & potestatem super omnia dæmonia, & vt langores curarent, & misit illos prædicare verbum Dei & sanare infirmos,* quemadmodum etiam habet Matthæus c. 10. Verùm Marcus hîc duo insignia subnectit, non enim solum perhibet Christum eos misisse c. 6. vers. 7. sed addit, *Cœpit eos mittere binos,* insupérque adiicit, *Et vngebant oleo multos ægros, & sanabant eos:* Quæ sequela singularis est obseruationis & grauis momenti, vt in Commentario nostro exegetico super epistolam Iacobi, ac Commentario super nostrum Martyrologium Gallicanum, sub inscriptione de diuersis Christianorum vnctionibus, fecimus perspicuum. Quintò, Matthæus c. 26. vers. 11. ita scribit, *Nam semper pauperes habebitis vobiscum, me autem non semper habebitis.* At Marcus c. 14. vers. 7. hæc interiicit obseruatione digna,

Et cùm volueritis, poteritis illis benefacere. Rursus Matthæus ibidem vers. 63. ita habet, *Adiuro te per Deum viuum, vt dicas nobis, si tu es Christus filius Dei?* Addit Marcus, *benedicti.* Sextò, vbi Matthæus enumerat pias mulieres quæ Dominum à Galilæa, vsque ad crucem secutæ sunt, & nominat insigniores, dicens, *inter quas erat Maria Magdalene, & Maria Iacobi, & Ioseph mater, & mater filiorum Zebedæi*, c. 27. 56. subnectit Marcus c. 15. vers. 40. *& Salome.* Septimò, vbi Matthæus breuiter narrat factum Iosephi ab Arimathæa funeratoris Domini c. 27. 58. *Hic accessit ad Pilatum, & petiit corpus Iesu. Tunc Pilatus iussit reddi corpus.* At Marcus duas supplet circumstantias notatu admodum dignas, *Audacter* (inquit c. 15. vers. 43. & 44. *introiuit ad Pilatum, & petiit corpus Iesu: Pilatus autem mirabatur si iam obiisset, & accersito Centurione, interrogauit eum si iam mortuus esset, & cùm cognouisset à Centurione, donauit corpus Ioseph.* Octauò, vbi Matthæus refert loquentem Angelum ad sanctas mulieres sepulturæ Domini sollicitas, ait eum dixisse, *Citò euntes dicite discipulis eius*, &c. c. 28. vers. 6. At signanter Marcus addit, *& Petro.* Quæ omnes Marci sanctissimi Euangelistæ propriæ phrases, & interiectiones, ac additiones magni esse ponderis, si seorsim excutiantur, cuique accuratiùs consideranti fiet procul dubio manifestum.

Cæterùm hîc vnam insignem, quæ singulariter ad nostrum facit propositum, de industria postremo loco exactiùs ponderandam reseruaui. Matthæus c. 24. vers. 3. &c. sic habet, *Sedente autem eo super montem Oliueti accesserunt ad eum discipuli secretò, dicentes, dic nobis quando hæc erunt, & quod signum aduentus tui & consummationis sæculi?* Verùm Marcus rem gestam sic enarrat, vt non omnes generatim discipuli, sed quatuor tantùm, hæc insinuet à Domino postulasse c. 13. vers. 3. & 4. *Et cùm sederet* (inquit) *in monte Oliuarum contra templum, interrogabant eum separatim Petrus, & Iacobus, & Ioannes, & Andreas: Dic nobis quando ista fient, & quod signum erit quando hæc omnia incipient consummari? Et respondens Iesus cœpit dicere illis, Videte ne quis vos seducat*, &c. Locus hic sanè insignis est, & multum valet ad intentum nostrum fulciendum.

Vt nucleum igitur hunc aperiam, mihi Dionysius Carthusianus quamuis alia de re loquens, viam sternit art. 16.

Enarrationis in Ioannem: dicit Ioannes dictum ab vno discipulo, puta Philippo & Andrea, quod alij Euangelistæ scribunt à discipulis communiter dictum: Tota enim societas fertur facere, pati, vel dicere, quod facit, sustinet, vel dicit pars eius, maximè si pars illa saltem dignitate & auctoritate si non numero, cæteris sit potior: quod etiam in iure receptum est tam canonico quàm ciuili, & vbique vigenti praxi, & vsu. Quo posito axiomate perfacile fuerit Matthæum cum Marco conciliare: Ait Matthæus accessisse discipulos ad Dominum, & de postremi eius aduentus signis, ac etiam de tempore ipsos illum interrogasse: sed restringit Marcus hunc accessum ad quatuor dumtaxat, quos nominatim recenset fuisse Petrum & Iacobum, Ioannem & Andream. Sunt sanè reipsa Matthæus & Marcus bene concordes, quia Matthæus in Petro & Iacobo, Ioanne & Andrea totum senatum Apostolorum, vniuersum cœtum Christi discipulorum, vt societatem quamlibet in præcipuis membris censuit repræsentari: Marcus verò hoc etiam intelligens, omnes Apostolos & discipulos ad hos quatuor primipilares contraxit, & cæteros prætermisit, quos in illis eminenter contineri ob spectatam eorum excellentiam meritò existimabat. Doctissimus Maldonatus hac in eadem sententia versatur, siquidem ad præcitatum Matthæi locum, in hunc modum ratiocinatur, *Propterea enim videtur Marcus eorum qui accesserunt nomina expressisse. Et est credibile quatuor illos discipulos, qui Christi omnium erant familiarissimi, & secretioribus mysteriis interesse soliti, solos voluisse de re maxima Christum interrogare, existimantes faciliùs eum sibi solis, quàm omnibus in commune discipulis dicturum esse: Erat enim de templi excidio periculosum loqui, quemadmodùm Stephano obiectum est.* Addere poterat, & ipsi Christo, vt ex Euangeliis constat. Sed sibi igitur timebant sic interrogantes discipuli: Nam de Christo id nemo prudens existimare potest, qui mori pro mundi salute propria sponte venerat, & de proximo templi excidio palam nec semel fuerat prolocutus.

At quæstio non leuis hîc discutienda occurrit, quid mouerit Petrum, Iacobum, Ioannem & Andream hæc à Christo perquirere? Respondet Maldonatus, *credi posse naturali eos studio quo omnes homines teneri solent, futura maximéque ea quæ se, patriámque suam attingunt, sciendi adductos fuisse.* Cui sic opinanti suffragatur illud Lucæ testi-

monium referentis in exordio Actuum Apostolorum, Apostolos omnes hoc ita desiderio exarsisse, vt cùm Christus iam ascenderet ad Patrem vltimo postulato suo (animo altiùs ac profundiùs hærenti) eamdem ipsimet abeunti fecisse quæstionem. *Igitur* (scribit B. Lucas) *qui conuenerant interrogabant eum dicentes, Domine si in tempore hoc restitues regnum Israel?* Ex quo satis patenter liquet eorum omnium præcordiis hanc curiositatem altiùs fixam insedisse. Quemadmodum igitur vltima in cœna Petrus audiens Dominum prænunciantem se mox ab vno ex suis Apostolis traditum iri in mortem, pruritu incensus sciendi quisnam adeo infelix, Dominum vt proderet suum futurus erat, interposuit operam Ioannis, quem plus cæteris à Christo diligi nouerat, (in cuius rei signum ipse Ioannes tum recumbebat in ipsius Domini sinu) vt id ab ipso Christo, fretus tanta eius beneuolentia sciscitaretur, *Innuit ergo huic Simon Petrus, & dixit ei; Quis est de quo dicit?* &c. Sic planè verisimile est Apostolos qui ardebant æstu sciendi rem tanti momenti, quæ de summa omnium aliarum decernebat, videlicet secundum Domini aduentum in gloria, & mundi consummationem, rogasse hos quatuor primores Apostolos, vt tantum arcanum ab eo sibi reuelari deposcerent, quos maximi amoris testimoniis non nesciebant ab ipso Domino honorificari. Nec sanè illos fefellit hæc de his quatuor totius collegij Apostolici coryphæis existimatio: nam Christus qui hactenùs de vltimo suo aduentu & sæculi fine subobscurè & strictim locutus fuerat, palam & diffusè de tanto arcano illis disseruit, vt adeo quicquid nunc Ecclesia toto orbe diffusa de his nouit, inde didicerit, & hinc quodcumque de iisdem docet diuinis consiliis, ac postremis rerum successibus eliciat. *Ioan. 13. 24.*

Priuilegium igitur horum quatuor Apostolorum, qui primitiæ fuerunt vocationis & dilectionis Christi, intimæ cum eo familiaritatis & singularis beneuolentiæ, quam eis ipse ab initio & vsque semper testatus est, palam hoc ex loco resultat. Hanc autem satis perspicuè demonstrat Matthæus, dum ait eos Dominum secretò vt eum interrogarent de re tanta conuenisse, seu vt Marcus loquitur *separatim* à cæteris, confidenter & obnixè esse deprecatos, vt quod nemini adhuc reuelauerat sibi, quos tanta amicitia prosequebatur, reserare dignaretur.

CAPVT XII.

Andream antesignanum credentium, adductorem fuisse & ducem Iudæorum & Gentium, ad Iesum.

1. Cor. 15. 41. ICVT stella differt à stella in claritate, sic Sancti differunt ab inuicem in gratiæ donis; *alij enim datur sic, alij verò sic* : Sed conferunt hæc omnia ad maiorem Dei gloriam, ipsorúmque Sanctorum propriam vnicuique clarificationem : Hinc illud Ecclesiastici dum Sanctorum veteris Testamenti effert encomia : *Sic amplificatus est Elias in mirabilibus suis : Et quis potest similiter gloriari ? Surrexit enim quasi ignis, & verbum ipsius quasi facula ardebat, ideo receptus est in turbine ignis, in curru equorum igneorum.* Ferunt Rabbini Iudæorum ex antiqua traditione, Eliam in cunabulis fuisse ab Angelis non lacte sed globulis igneis enutritum, ideo totus vt ignis exarsit. Vnde in monte Horeb inquisitus à Deo, quid hîc agis Elia? postquam scilicet pseudo-Prophetas occiderat, & fugerat à facie Iezabelis impiæ Reginæ, quæ ipsum interficere quærebat : *Zelo* (inquit) *Zelatus sum pro Domino exercituum, quia dereliquerunt pactum tuum filij Israël, & derelictus sum ego solus, & quærunt animam meam.* Cui ait Dominus, *Vade & reuertere in viam tuam.* 3. Reg. 19. Reuersus est igitur Elias, & eo ardore quo pro Dei cultu & eius lege æstuauerat, maiori adhuc efferbuit, donec à Domino in curru igneo ignitísque quadrigis raptus est, reseruatus ad gloriæ Dei ampliores vindicias in nouissimis temporum.

Eccles. 48. 1. 2. &c.

Interim ipsum Rabbini tradunt hac à Deo honoratum gloria, vt quia dum hîc vixit zelum habuit pro Deo & Testamento eius incomparabilem, quoties quis puerulus ex filiis Israël secundùm pactum initum à Deo cum Abraham circumciditur, adsit ipse quasi pro Deo æmulator & testis. Vnde Hebræi in qualibet circumcisione solebant sedem apparare vacuam, in qua ipse inuisibiliter assistens durante illa actione resideret, adeo vt eodem temporis ar-

ticu

ticulo idem ipſe Elias præſens adeſſet in totidem locis, quibus iuxta legem circumciſionis cæremonia celebrabatur. (Vnde quidam Hebræorum magiſtri, egregium documentum expreſſerunt pro præſentia reali, ſed inuiſibili Meſſiæ in ſacrificio quod ſecundùm ordinem Melchiſedech inſtituturus erat;) Igitur Elias ſecundùm ſpiritum quo efferbuit pro lege Dei, ab ipſo æquo iudice & iuſto remuneratore egregiè honorificatus eſt.

Mirabilis eſt Deus in Sanctis ſuis, quibus prout ſibi complacuit (non ſine tamen conuenientia) dona ſua diſtribuit. Pulchrè S. Hieronymus in epiſtola ad Amandum; *Deus in Salomone* (inquit) *eſt ſapientia, in Dauide bonitas, in Iob patientia, in Daniele futurorum cognitio, in Petro fides*, &c. *in Ioanne virginitas, in cæteris cætera.* Quid ergo eſt in Andrea? certè animarum zelus.

Iam ſingulari capite huius libri ardentem eius zelum oſtendimus, ex eo quòd ſtatim ac agnouit Chriſtum, fratrem ſollicitè quæſiuit, & tandem inuenit, eíque communicato ſuo gaudio, ex eo quòd Meſſiam tamdiu deſideratum inuenerat, non deſtitit vrgere fratrem, donec illum ad ipſum Chriſtum perduceret. Notant circa hoc factum Chryſoſtomus, Cyrillus, Beda, Theophylactus, Andream non defodiſſe in terram talentum quod à Domino acceperat, ſed ad lucrum Domini ſui expoſuiſſe, nec quieuiſſe donec illi fratrem ſuum Petrum, etſi curandæ familiæ addictum, & piſcationi, quæ ars eſt tenaciſſima, implicitum acquireret & deuinciret. Quia igitur Andreas adhuc neophytus in fide tanto zelo, tanta charitate exarſerat: Dominus qui nihil irremuneratum relinquit, talentum quod ipſe Andreas ſtatim multiplicauerat adauxit, vtque zelum quem primo ſpiritus impetu oſtenderat magis ac magis ſuccenderet, officium ei credidit, quaſi ius perpetuum, non modò quærendi animas ad ſalutem, ſed inuentas ad ipſum Dominum adducendi, & ei in munus gratiſſimum præſentandi. Ferunt Hebræi, inter beatos ſpiritus Angelum eſſe ſpecialem qui dicitur Angelus, ſeu princeps, facierum; eo quòd à Deo miniſterium accepit animas electorum corpore exutas ſiſtendi in conſpectu Dei, & ante thronum eius præſentandi: Eccleſia palam docet hunc Angelum alium non eſſe quàm Michaëlem potentiſſimum ſuum protectorem, glorioſiſſimúmque principem militiæ cæleſtis: ſic enim con-

cinit in reſponſorio poſt lectionem 6. officij diuini in feſto ipſius B. Michaëlis Archangeli: *Venit Michaël Archangelus cum multitudine Angelorum, cui tradidit Deus animas Sanctorum, vt perducat eas in paradiſum exultationis.* Verſ. *Data eſt poteſtas Archangelo Michaëli ſuper animas Sanctorum, vt perducat eas in paradiſum exultationis.* Ideo in ordine commendationis animæ in agone ſui exitus anxiantis, ait: *ſuſcipiat eam S. Michaël Archangelus Dei, qui militiæ cæleſtis meruit principatum.* Et in offertorio Miſſæ pro defunctis orat: *Ne abſorbeat eas* (animas) *tartarus, ne cadant in obſcurum, ſed ſignifer ſanctus Michaël repræſentet eas in lucem ſanctam, quam olim Deus promiſit Abrahæ & ſemini eius.*

Conſortium huius Angelici muneris S. Andreas accepit à Domino, ſicut patet non ſolùm ex eo quòd adduxerit fratrem ſuum ad Ieſum, ſed etiam quia primitias Gentium Chriſto obtulit, iam ad crucem pro mundi ſalute properanti. Ioannes dilectus Domini, qui primi exempli teſtis eſt, etiam eſt ſecundi, ſic narrat vbi de iſagoge tractat ipſius Domini paſſionis, *Erant autem quidam Gentiles qui aſcenderant vt adorarent in die feſto: Hi ergo acceſſerunt ad Philippum qui erat à Bethſaida Galileæ, & rogabant eum dicentes, Domine volumus Ieſum videre. Venit Philippus & dicit Andreæ: Andreas rurſum & Philippus dixerunt Ieſu; Ieſus autem reſpondit eis dicens, Venit hora vt clarificetur filius hominis. Amen, amen dico vobis, niſi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit ipſum ſolum manet, ſi autem mortuum fuerit multum fructum affert.* Magnum enim myſterium hic aduentus Gentium ſignificabat, erant enim gentes ad Ieſum venturæ poſt mortem & reſurrectionem eius; Erat igitur hic citus Gentilium ad ipſum acceſſus, conuerſionis mundi per Euangelium Chriſti, quod Apoſtoli toto orbe prædicaturi erant, non obſcurum præludium. Quapropter Chriſtus audito primo illorum ad ſe aduentu, ingenti gaudio exiliit, hanc in vocem exultationis erumpens: *Venit hora vt clarificetur filius hominis.* Sed expendamus circumſtantias facti.

Ioan. 12. 20. &c.

Hi ergo Gentiles acceſſerunt ad Philippum, &c. *& rogabant eum dicentes, Domine volumus Ieſum videre.* Hæſitant hîc interpretes, quid cauſæ erat, cur ad Philippum rectà acceſſerint. Multi multa hîc dicunt, ſed quæ meris con-

iecturis absque vllo certo fundamento nituntur. simplicior est responsio si dicamus, vel quia illum nouerant, aut quia primus ille occurrit; sed maior est difficultas in assignanda causa cur Philippus illos non rectà direxerit ad Dominum, sed venerit ad Andream, eique retulerit ipsorum Gentilium feruens Christum videndi desiderium. S. Ioannes Chrysostomus homil. 65. in Ioannem (quem S. Cyrillus, Theophylactus, Euthymius, aliique sequuntur) breuiter respondet, Philippus Andreæ refert tamquam maiori, quia scilicet anteibat ætate, aut maior erat apud Christum merito & auctoritate. Prius dubium est, alterum extra dubium: sed hoc ipsum non soluit adæquatè quæstionem: nam etsi Andreas maior erat Philippo ordine vocationis, & priuilegio auctoritatis: Petrus, & Iacobus, & Ioannes iisdem titulis Philippo præeminebant, cur igitur Philippus ad horum vnum aut alterum, maximè ad Petrum qui primus erat Apostolorum, aut Ioannem qui dilectus erat Domini, se non contulit, sed ad Andream venit, cui rem tanti momenti detulit ipsi Christo renunciandam? sanè nulla subest probabilior ratio, quàm quòd id fecerit vel motus impulsu diuino, vel quia sciebat quòd Andreas ab initio Petrum fratrem ad Christum adduxerat, vel quia crederet sic Dominum disposuisse, vt qui peterent ad ipsum accedere, ductu ac auspiciis Andreæ ad se perducerentur. Primatum Petro Apostolicæ dignitatis, Christus cum cæli clauibus contulerat; Ioannem præcipua sua dilectione honorauerat, (adeo vt Petrus ipse in vltima cœna per ipsum de re secreta Dominum interrogauerit) Philippo vt nonnulli volunt dederat curam panum, Iudæ Ischarioti dispensationem eleemosynarum: at Andreæ primogenito suo munus commiserat eos ad se perducendi qui aditum ad se petebant & introduci volebant, extra turbas, ad suum quietiorem conspectum. Nec est enim quòd Philippo idem munus creditum existimes, occasione siquidem dumtaxat egit quod hîc fecit, qua Gentiles isti obuium illum habentes rogauerunt vt ipsos Christum videre cupientes, quo posset modo voti compotes faceret. Ipse verò qui non ignorabat id muneris non ad se spectare, ad Andream, cuius hoc erat officium rectà venit, eique exposuit pium illorum desiderium. Re verò inter se communicata hoc modo, ambo quidem referendam Domino ipsi censuerunt:

At Andreas dux huius legationis ſuo functus fuit officio: *ipſe* Ioan. 12. 22. enim & *Philippus dixerunt Ieſu.* Vbi vides ſanctum Euangeliſtam valde circumſpectè eſſe locutum: Nec enim primo loco recenſet Philippum, quem primum Gentiles illi affati fuerunt, ſed Andream illi præponit, ad quem illorum poſtulationem Philippus ipſe retulerat, quam cùm probaſſet Andreas, venit cum eo Philippus vt aſſecla, & Andrea præſante, Philippo ſuffragante, Gentilium illorum petitio, ad Chriſtum non ſine feruenti commendatione fuit relata. Qua audita Chriſtus exiliit ſpiritu, iámque horam adueniſſe quam tamdiu concupierat ſuæ clarificationis, per mortem ſalutiferam vniuerſo mundo, proteſtatus eſt. ſic manifeſtè patet ſingulare hoc Andreæ priuilegium, animas Chriſti cognitionis cupidas diuinis eius ſiſtendi obtutibus: quod eximium donum à Domino meritò conſecutus eſt ab ipſo tempore primi ſui ad ipſum acceſſus, quando ſcilicet mox ac Chriſtum cognouit, atque diuino eius ore edoctus principia didicit quæ Chriſtianæ fidei ſunt, charitate ſuccenſus fratrem ſuum Simonem diligenter quæſiuit, ac non ſine diuinis auſpiciis inuentum, ad Chriſtum adduxit. Exhinc cum Michaële Archangelo magnus hic Apoſtolus, princeps facierum diuino munere factus eſt: quamobrem arctiùs quàm par ſit (quod cum bona venia dixero) illi S. Gregorius ius tantùm aſſignat in die iudicij Achaiam Domino præſentandi; *Ibi Andreas poſt ſe* (inquit) *Achaïam in conſpectum ſui iudicis conuerſam ducet.* Homil. 17. in Euangelia.

Ampliora illi iura Beda venerabilis adſcribit, non modò ſcilicet Achaïæ populos, ſed omnes omnium gentium homines perducendi ad Dominum. Vnde in oratiunculis quæ ſubiunctæ ſunt eius Collectaneis & floribus, ad finem tomi tertij, Doctor ipſe inſignis ſic orat, *Rectorem mundi Chriſtum, ex Virgine natum Dominum, precibus peculiariter & Apoſtolos rogemus. Petrus mihi Apoſtolus aperiat ianuam vitæ, & Paulus prædicator Gentium introducat in cælum: Andreas virtutem tribuat ante tribunal Chriſti.* Congruè profectò & appoſitè Beda ſic eloquitur: Petri etenim eſt aperire ianuam paradiſi, quia accepit à Chriſto (qui habet claues vitæ & mortis) claues regni cælorum; Pauli verò, qui raptus vſque in tertium fuit cælum, officium eſt nos à terrenis abſtrahere, & efferre ad cæleſtia, qui ideo cla-

mat nobis iugiter, *Nostra conuersatio in cælis est: si verè consurrexistis cum Christo quæ sursum sunt sapite, vbi Christus est in dextera Dei sedens, non quæ super terram.* Vnde cum sic in epinicio eius natalis sancta Ecclesia interpellat,

Doctor egregie Paule mores instrue,
Et mente polum nos transferre satage,
Donec perfectum largiatur pleniùs,
Euacuato quod ex parte gerimus.

Andreæ igitur quænam sunt partes propriæ? videlicet nos vsque in conspectum Christi perducere, nec hoc tantùm, sed vsque ad terribile tribunal comitari, suisque pretiosis apud Dominum suffragiis efficere, vt excusso omni horrore ac pauore securi adesse possimus coram diuina eius maiestate, ab omni nimirum reprobationis metu liberi, & plena repleti fiducia ac certitudine, de nostra salute & gloria. Ideo Andreas biduo fixus in cruce, lætus in ea pependit, cum ingenti animi feruore populum docuit, viam in cælum exaltatus à terra præmonstrauit, Christum sedentem in regno sui patris perfusus inenarrabili gaudio suspexit, adorauit, vtque spiritum suum susciperet faciem eius tantùm sitientem, obnixè deprecatus est, sicque ouans & exiliens mortuus est, lumine copioso circumfusus, suauissimos exhalans odores, quos etiamnum in tumulo efflat ac effundit. Dulcissimus hic Apostolus sic igitur potens factus nobis auxiliari, vt tempore nostri ex hoc mundo excessus pauores & terrores mortis ac inferni non persentiamus, sed cum Christiana lætitia & alacritate in cælum hinc commigremus, atque ab omni pondere peccati expediti, ac ab omni perturbatione securi, ab ipso sancto Apostolo (sicut fratrem ad Christum olim cum lætitia adduxit, & Gentiles ipsum Iesum videre cupientes, eius in conspectum auspicato suo interuentu direxit) non iam ad tribunal iustitiæ, sed ad thronum gratiæ & misericordiæ perducti feliciter præsentemur. Orandus est igitur Andreas (ait Beda venerabilis in iaculatoria sua precatione præsignata) vt impetret nobis assistendi ante tribunal Christi virtutem. Ritus iam olim viget in Ecclesia Parisiensi, Sabbato sancto in vigilia Paschæ, vt Litaniæ tres solemniter concinantur, prima ante Cerei benedictionem, secunda in processione ad fontem baptismalem, tertia in reditu post aquæ in fonte consecrationem. In his tribus Litaniis præ-

cipui Apoſtoli diuerſas diſtributi in claſſes inuocantur, quarum vnaquæque proprium habet primicerium. Primæ igitur chorum ducit Petrus, cui ſolus aſſociatur Paulus; Secundæ coryphæus eſt Andreas, cui Matthæus, Iacobus & Thomas ſubiunguntur: Tertiæ ſignifer eſt Ioannes, cui ſolus copulatur Bartholomæus. De horum delectu & aliorum omiſſione impræſentiarum non inquiram, ſed ſubit in mentem perſcrutari, cur Andreas chorum ducat in aditu ad expiatorium fontem? quæſtionem paucis vt abſoluam verbis, hæc cauſa mihi eſſe videtur, quòd Andreas non tantùm fuerit primus Ioannis Baptiſtæ, imò ipſius Domini diſcipulus, ſed ſolitus fuerit animas quærere & ad Chriſtum adducere; baptiſmus verò eſt ianua vitæ & ſalutis: rectè igitur & planè congruenter, hic ſanctus Apoſtolus in proceſſione ad fontis benedictionem & vitæ apertionem dux ponitur, quia per eum via ad Chriſtum, qui veritas & vita eſt, noſtra ſternitur; cui dixit magnus ipſe Baptiſta, adhuc primùm oriente Euangelio, *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.*

CAPVT XIII.

In triduo mortis Chriſti, quid fecerit, vel paſſus ſit ſanctus Apoſtolus Andreas?

ERBA me prorſus deficiunt, lemma huius capitis meditantem, plúſque valet quàm elocutio ſilentium, ad inſinuandum, quid tunc Andreas, Chriſti in ſpiritu gratiæ primogenitus, vel fecerit, vel fuerit perpeſſus? vbi Verbum æternum obmutuit, quis loquetur? vbi Deus patitur, vbi machina orbis vniuerſi, ſi non adhuc diſſoluitur, funditùs tamen concutitur; vbi hoc impletur Prophetæ lugubre vaticinium, *Et Angeli pacis amarè flebunt*; vbi Apoſtoli exterriti percuſſo paſtore ſuo, vt oues certatim diffugiunt, & hac illac diſperguntur; vbi fons vitæ exſiccatur: vbi ipſa vita moritur, ſol vertitur in tenebras, & luna defluit in ſanguinem, petræ ſcinduntur, monumenta aperiuntur, velum templi duas in partes diſcinditur, omnes orbis commouentur cardines, ſtare loco quiſnam poteſt? & miſe-

randam totius naturæ faciem, rerum deplorandam vicem, generis humani extremam consternationem, vllo humani ingenij captu concipere, vel aliqua orationis industria, aut linguæ facundia exprimere? Certè nemo non dicam hominum, sed neque Angelorum huic edisserendo lemmati par fuerit. Petrus Christum negat, Andreas cum cæteris fugam arripit, Iudas prodit Dominum, nullúsque hominum superest, qui sui Creatoris, Saluatoris ac Domini sequatur vestigia, tueatur partes, opprobria vlciscatur, defendat innocentiam, auertat iniuriam, maiestatémque & gloriam, quo digna est zelo vindicet, aut condigna commiseratione prosequatur. Hinc igitur quia planè elinguis sum & hebes prorsúsque amussus & stupidus, auello mentis meæ aciem, linguæ cohibeo effatus, & manuum conatus procul amoueo. Non datur plus vltra, gradum hîc me sistere, vel pedem reflectere ocyùs, ab illo immenso vndequaque pelago dolorum oportet. At quia sequi Christum non possumus, hîc saltem nos decet primum eius discipulum, Andream cum cæteris fugientem assectari, non vt probemus eius fugam illi cum aliis communem, sed saltem vt quò vadat, quid agat, quid cogitet, quid patiatur in tanta rerum commotione, in tanto suo & Domini discrimine, in tanto naturæ & gratiæ conflictu dispiciamus.

Certè appropinquante tempore suæ passionis, Christus proximam eius horam multis rationibus, monitis, ac indiciis, suis ipse discipulis præsignauerat: Et quo magis illa instabat, eo magis eos de suo excessu & abscessu præmonebat: illi autem animo consternati tam dura nuncia audire non ferebant. Fluctuabat ipse Petrus, qui à Christo propter immotam in fide firmitudinem à petra, seu saxo adamantino hoc ipsum nomen Petri, singulari priuilegio sortitus fuerat; secretò suis Apostolis Dominus imminentem sibi mortem summa cum ignominia doloribúsque coniunctam inenarrabilibus, cùm vltimò Hierosolymam ascenderet prædixerat. Petrus ab eiusmodi dictis vehementer abhorrens, verba Domini impotens animi intercidit, *Et assumens illum Petrus*, (heu quàm stupenda temeritas!) *cœpit increpare illum dicens, Absit à te hoc Domine, non erit tibi hoc?* Matth. 16. Ægrè admodum tulit hoc Christus, qui, vt ait Tertullianus, *Petrum præ omnibus charissimum*

nihilominùs habebat, durísque adeo verbis vt res exigebat illum redarguit ac obiurgauit, vt acerbioribus vnquam compescuerit neminem. Sagacior igitur hinc factus Petrus, aliud in extremum se vertit & paratum se protestatur vitam pro Domino profundere, *Domine, tecum paratus sum, & in carcerem, & in mortem ire?* Luc. 22. 33. Cui respondit Dominus, *Dico tibi Petre, non cantabit hodie gallus donec ter abneges nosse me.* Tum nescius propriæ infirmitatis Petrus, & plus nimium de se præsumens solito feruore respondit, *Etiamsi oportuerit me commori tibi, non te negabo.* Nec solus ita de se præsumpsit, Marcus enim scribit, *similiter & omnes dixerunt*, sed nullus eorum verbis stetit, primúsque omnium Petrus, vt notum est, metu mortis correptus, ter Dominum in ipsa nocte cum iuramento abnegauit: alij verò etsi non negarunt, quia se statim subduxerunt periculo; fœdè tamen, Dominum comprehensum ab eius inimicis, deseruerunt, *Tunc discipuli omnes* (aiunt Matthæus & Marcus) *relicto eo fugerunt.*

Marc. 14. 30. 31.

Andreas igitur & ipse, qui primus ad Iesum accesserat, primus in eum crediderat, primus ipsum Messiam esse prædicauerat, & ipsum fratrem suum Simonem ad eum adduxerat, Dominum deseruit, & fugam cum cæteris omnibus Apostolis arripuit, iuxta hoc ipsius Domini verbum, *Omnes vos scandalum patiemini in me in ista nocte, scriptum est enim, Percutiam pastorem & dispergentur oues gregis.* Sed verba ista ponderanda sunt, *Omnes vos scandalum patiemini.* Non dixit scandalum facietis omnes, sed omnes scandalum patiemini. Iudas scandalum fecit, dum prodidit Dominum & eum fœdo tradidit osculo: scandalum fecit & ipse Petrus cùm ipsum Iesum abnegauit, & se nec eum nosse, haud sine graui scandalo, funestóque periurio protestatus est. Verùm Andreas eius frater (sicut nec Iacobus & cæteri) scandalum minimè fecit, sed passus est, & duplex quidem: alterum in Christo ipso, quem Messiam promissum, Dei filium, mundi expiatorem, gratiæ, fidei, ac beatæ spei auctorem agnouerat ac prædicauerat, tot opera diuina patrantem viderat: tam ignominiosè tractari, tam atrocia pati, tam turpiter mori, inter sceleratos reputari, inter duos latrones crucifigi cognouit. Alterum in ipso fratre, quem in fide genuerat, quem ad ipsum Iesum adduxerat: tanta ignauia Dominum dereliquisse, quanta

ta perfidia ſemel, iterum, ac tertiò abnegaſſe: hoc enim fraternum dedecus non abs re exiſtimabat Andreas in ſeipſum quodammodò redundare, quia ſicut vnius fratris virtus & gloria aliquam facit honoris alterius fratris portionem, ſic illius crimen & opprobrium in hunc non leuem iniicit labem. Verùm hæc doloris Andreæ potior cauſa non erat, ſed Dei offenſio, & perditio fratris quam timebat, cùm tantum eſſet eius ſcelus, vt non abſque delinquentis ſeria & ſeuera pœnitentia, ac magna Dei miſericordia, elui poſſet & expiari. Lugebat Saul Samuël. nónne Andreas fratrem ita grauiter lapſum lugebat? Et ſi ipſe Petrus ad ſe reuerſus peccatum ſuum amarè flebat: nónne fratris dilectiſſimi dolor & gemitus Andreæ acriter cruciabat animum, iam ingenti mœrore & anguſtia pro Domini opprobriis & doloribus, diráque eius tandem morte pæne confectum? præclarè ait Bernardus ep. 145. *Triſtitia pia eſt, vitiis aliorum tribulari.* At Andreas non ſolùm plorabat fratris ſui culpam, ſed propriam etiam, qua metu præſentis periculi ipſe nimis formidoloſus & parum fidei tenax, Dominum captum & abductum ab eius inimicis inter cruentas eorum manus, vt agnum manſuetum inter lupos truculentiſſimos deſeruerat. Quamuis enim conſimili cæterorum Apoſtolorum noxa nonnihil excuſaretur, inde tamen nouum vulnus patiebatur, quod eius dolorem adaugebat. Quot erant Apoſtoli, tot ei fratres; quapropter communem eorum formidinem, fugam, & reatum, triſtitiam, ac mœrorem, multum conferre non ad lenimentum doloris, ſed ad augmentum anguſtiæ ſentiebat. Addebat cumulum caſus lamentabilis infortunati Iudæ,

———Qui ſignifer oſcula fingens,
Pacis ab indicio, bellum lupus intulit agno.

Sed interim Andreæ, mortis & crucis Domini, iugis meditatio fuit: hæc vna fuit tot in preſſuris eius cogitatio, quæ ſanè tandem non infructuoſa fuit, altas enim radices eius præcordiis iam tunc infixit, quæ altam ſenſim in arborem pullularunt. Inde enim deſiderium concepit reddendi Magiſtro ſuo aliquatenùs vicem. hinc orta eſt ſiquidem ardens illa patiendi & pro Chriſto moriendi in cruce cupiditas, qua præcipuo gratiæ munere ad extremum potitus eſt. Ignea eius verba ad crucem, quam ſibi paratam

vbi primùm conſpexit, ſic amanter allocutus eſt, id ſatis ſupérque teſtantur: eius paſſionis ſic enim acta ferunt authentica, *Incredibili gaudio exultans ad locum certaminis properabat, cernénſque à longè paratam ſibi crucem, exclamauit, Salue crux, quæ in corpore Chriſti dedicata eſt, & ex membrorum eius tanquam margaritis ornata; antequam te aſcenderet Dominus, timorem terrenum habuiſti, modò verò amorem cæleſtem obtinens, pro voto ſuſciperis,* &c. *Securus ergo & gaudens vt venio ad te, ita tu exultans ſuſcipias me, diſcipulum eius qui pependit in te; quia amator tuus ſemper fui, & deſideraui amplecti te: ô bona crux! quæ decorem & pulchritudinem de membris Domini ſuſcepiſti; Diu deſiderata, ſollicitè amata, ſine intermiſsione quæſita, & aliquando iam concupiſcenti animo præparata, accipe me ab hominibus, & redde me magiſtro meo, vt per te me recipiat, qui per te me redemit.* Perpendite, quæſo, illa verba, *O bona crux diu deſiderata, ſollicitè amata, ſine intermiſsione quæſita, & aliquando tandem concupiſcenti animo præparata: ſuſcipe me diſcipulum eius qui pependit in te: quia amator tuus ſemper fui*, videlicet ab ea luctuoſa, ſed ſalutifera die qua magiſter meus in te pependit & per te me redemit. Pendente igitur in cruce Chriſto, Andreas hæc alta mente myſteria crucis meditabatur: Extunc feruentem illum crucis amorem ſuis præcordiis infixit: Extunc crucem à Chriſto dedicatam, vt pulchram ac dilectiſſimam puellam ſibi deſponſatam, magno cordis affectu amplexari cœpit; nec deſiit quærere crucem amicam ſuam donec tandem eam inuenit, & lætus expanſis brachiis ei copulatus eſt. At de hac re fuſiùs, vbi de eius martyrio, ac titulo triumphali.

LIBER II.

De S. Andreæ rebus gestis, à resurrectione Domini ad vsque beati ipsius Apostoli gloriosam passionem.

CAPVT I.

De S. Andreæ lætitia in Christi resurrectione, & ascensione.

RESVRREXIT *Dominus, & apparuit Simoni:* Luc. 24. 33. Cur non potiùs Ioanni, aut Andreæ? nempe Petrus ex quo negauerat Dominum, magna in animi mœstitia ac amaritudine versabatur, totus in lachrymas & gemitus effusus erat; & cùm esset omnium Apostolorum desolatissimus, hoc maximè diuino indigebat solatio: sciebat Dominus & moriens & rediuiuus ingentem eius dolorem, videbat pœnitentiam, considerabat lachrymas, & ardentem eius in se perpendebat amorem, quamobrem eius angustiæ commiseratus ne deficeret animo, ei (vt cùm in mari fere iam fluctibus demersus clamaret, *Domine saluum me fac!*) dexteram adiutricem porrexit; Matth. 14.30. præuenit eum in benedictionibus dulcedinis, eíque opem & solatium tulit in auxilio opportuno, *Dicite discipulis eius & Petro,* (ait ad Magdalenam & eius sodales Angelus) *quia surrexit.* Nónne satis erat dixisse, *Dicite discipulis eius?* ex quibus Petrus vnus erat. Egregiè respondet S. Gregorius, Petro nominatim iussit Angelus lætum hoc nuncium significari, ne scilicet (quia ter Dominum negauerat) exclusus esse à gratiæ eius beneficio videretur: sed Christi in eum mira benignitas, hoc Angelico præconio non satis habuit eum consolari; illum inuisere citò dignatus est, ei

Hom. 21. in Euang. ita & Euthymius in hunc locum.

ſiquidem priuſquàm cæteris Apoſtolis apparuit, ipſum ſcilicet vt ſuo aſpectu optatiſſimo, ac propriæ vocis ſolatio, ab omni mœſtitudine & anguſtia recrearet. Nec dubium enim quin conſolatoria ei verba locutus ſit, quibus eius exterſit lachrymas & gemitus, omnémque metum & formidinem de reatus vltione ſuſtulit, & ſpem ei non modò dedit veniæ, ſed ſecuritatem.

Ioanni dilecto ſuo non ita citò Dominus apparuit, quia expers erat tanti piaculi, & beatiſſimam matrem Domini ſanctiſſimam Virginem apud ſe habebat, ſibi vt eius filio à Chriſto in cruce commendatam: quæ cùm in viua fide perſtaret Dominicæ reſurrectionis, Ioannis infirmitatem frequenti ſolatio ſuſtentabat, gloriam Domini rediuiui proximè manifeſtatam iri, tam ipſi quàm cæteris Apoſtolis indubitatè promittens.

Viſum autem eſſe Iacobo Dominum, poſtquam Petro apparuit, Paulus 1. Cor. 15. 7. &c. ſcribit, *Chriſtus reſurrexit tertia die ſecundùm ſcripturas, & viſus eſt Cephæ*, &c. *Deinde viſus eſt Iacobo, deinde Apoſtolis omnibus*, &c. Verùm de quo Iacobo Paulus hîc loquatur, eius non patet ex dictis. Cùm de Iacobo minore mentionem faciebat, ſolebat addere *fratrem Domini.* Hoc cognomentum hîc non adhibet, quamobrem de Iacobo fratre Ioannis & filio Zebedæi, quod ait intelligere probabilius eſſe videtur. Scio ambiguam, ſed antiquam de Iacobo, cognominato fratre Domini, fabulam, à Hieronymo maximo Eccleſiæ Doctore fuiſſe penitus reiectam & exploſam. Igitur quod refert magnus Gentium Apoſtolus, loco adeo celebri de Iacobo maiore dicto, fratre Ioannis videtur accipiendum eſſe. Sed ſi ita eſt, cur prælatus Ioanni? nempe non quia ipſo Ioanne erat ſenior, ſic enim omnes Apoſtoli illi præferendi fuiſſent, quoniam omnibus erat Ioannes ipſe iunior, vt planè ex ſacris codicibus ac Eccleſiaſticis monimentis conſtat. Aliud igitur hîc latet arcanum. Nulli Martyrum hæc contigit felicitas & gloria, quæ Stephano protomartyri, vt nempe, in eo quod iniit pro fide Chriſti certamine, apertis cælis ipſum à dextris Dei ſtantem cerneret, ſe tali conſpectu ad pugnam excitantem, & quaſi pugnantem cum pugnante quia lapidabatur in lapidato. Sicut Martyrum fuit primicerius Stephanus, ita & iſte Iacobus fuit Apoſtolorum Protomartyr: Apparuit illi igitur Chriſtus de morte triumphans ſtatim

ac visus est Petro, vt illum ad proximum pro se agonem animaret, ac etiam armaret exhibitis gloriosæ passionis suæ trophæis.

Sed numquid Andreæ primogenito suo Christus non apparuit? Si agitur de expressa scripturæ auctoritate, certum est quòd Apostolis collectiuè ipso die gloriosæ suæ resurrectionis Dominus se præbuit visibilem: Cùm enim duo discipuli quibus se manifestauerat in fractione panis, reuersi protinùs ab Emmaunte Hierosolymam, nunciarent Dominum se vidisse rediuiuum: *Dum hæc loquerentur* (ait Lucas) *stetit Iesus in medio, & dixit eis, Pax vobis; ego sum, nolite timere,* &c. *Videte manus meas & pedes, quia ego ipse sum: palpate & videte, quia spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere.* Aliis verbis idipsum S. Ioannes commemorat: *Cùm esset sero* (ait) *die illo vna Sabbatorum, & fores essent clausæ, vbi erant discipuli congregati propter metum Iudæorum, venit Iesus & stetit in medio, & dixit eis, Pax vobis? Et cùm hoc dixisset ostendit eis manus & latus. Gauisi sunt discipuli viso Domino.* Certo igitur certius est Andream cum cæteris Apostolis, (excepto Thoma qui tunc cum eis non erat) ipso die quo resurrexit Dominus illum vidisse, & gaudij huius inenarrabilis, quo ipsi tunc Apostoli viso Domino exultarunt, fuisse participem. Porrò de priuata Domini apparitione Andreæ facta, illa vel alia die, non apertè liquet ex serie Euangelica. non tamen inde necessariò sequitur quòd illi seorsim non apparuerit Dominus, *Multa enim fecit Iesus* (ait B. Ioannes paulò ante finem sui Euangelij) *quæ non sunt scripta in libro hoc.* Ioan. 20. 21.

Sic in sacro codice nullibi expressum legimus quòd Christus dilectissimæ suæ matri, beatissimæ Virgini Mariæ, tunc apparuerit. Et tamen Sanctorum auctoritas, & ipsa etiam ratio iustitiæ ac pietatis verum esse demonstrant quòd Christus ipsam benedictam Virginem suam Genitricem, primam lætificauerit glorioso suo conspectu; S. Ambrosius lib. de Virg. id ita planè asserit, *Maria primò vidit resurrectionem Domini.* Cælius Sedulius doctus ac pius ille presbyter, qui floruit sub Theodosio Iuniore circa ann. 430. in carminibus sacris quæ de mirabilibus operibus Dei & de Christo Domino cecinit, sic habet,

Semper Virgo manens, huius se visibus adstans

Luce palam Dominus, priùs obtulit, vt pia mater, &c.

S. Bernardus id quoque docet serm. de resurrect. Domini. *Prima vidit Dominum* (ait) *in forma gloriosa, non ad confirmationem dubij, sed ad consolationem gaudij: Unde Euangelistæ eam non recensent*; Quia scilicet res est rectæ rationi congruentissima & euidentia sui satis perspicua. Rupertus Abbas Tuitiensis qui paulo ante S. Bernardum claruit lib. 7. de diuinis officiis eandem tenet sententiam, & sic illustrat; *Gestit Christiana deuotio, perpendere quantus torrens gaudij inundans animam eius ferro doloris confossam, inebriârit: cùm rediuiuus filius illi ante omnes mortales, materno Virginem non defraudans honore, victoriam suam annunciarit.* S. Antoninus ex traditione loquens (in Chronico 1. part. c. 7. de Christi resurrectione) *Creditur,* inquit, *licèt in Euangelio non habeatur, quòd ante omnes primò apparuit Mariæ matri suæ, vt quæ plus omnibus doluit, citiùs & magis consolaretur: & quia plus hæc meruit, cùm omnibus aliis deficientibus in fide firma fuerit, & hæc est causa quare non iuit ad monumentum.* Rationes istæ magni certè sunt ponderis ad illam traditionem confirmandam, quam nixus etiam venerandæ antiquitatis monimentis refert Nicephorus Callistus historicus Græcus celebris, in historia sua Ecclesiastica, quam Andronico Imperatori Seniori dicto nuncupauit lib. 1. c. 22. dicens, *Christum quidem primùm à matre conspectum, deinde apparuisse sanctis mulieribus, denique dilectis suis discipulis.* Vnde patet argumentum negatiuum hîc fallere: Et proinde nec ad alias apparitiones extendi posse, quæ firmis rationibus & congruentiis fulciuntur. Sequenda hîc est igitur præclara hæc S. Augustini sententia; *Vbi deficit auctoritas videndum est quid suadeat ratio, fiátque de ratione auctoritas, sine qua nec est, nec valet auctoritas.* Quæ sanè multò firmior erit, si ratio qua nititur petita ex ratione auctoritas, ab ipsis sacræ scripturæ principiis eruatur. Quo posito axiomate sic progredior: S. Lucas in exordio Actuum Apostolorum loquens de Christi Domini à sepulchro & inferno reducis, apparitionibus, quibus se post tam insignem victoriam Apostolis suis manifestauit, sic ait, *Quibus & præbuit seipsum viuum in multis argumentis per dies quadraginta apparens eis, & loquens de regno Dei.* Apparuit igitur eis triumphator Christus per dies quadraginta, id est quadraginta vt minimùm vicibus, siquidem vnico

die suæ resurrectionis Dominus, secundùm Cardinalem Toletum (qui id elicit ex Euangelio) *quinquies*, secundùm Maldonatum eadem principia sequentem, *sexies*, sese eis præbuit aspectabilem. Sed ad summum Toletus ex codicibus sacris, duodecim dumtaxat numerat Christi apparitiones ab eius resurrectione vsque ad ipsius ascensionem; Maldonatus computat tredecim; Lorinus in Acta c. 1. vers. 3. constrictus plerisque ratiocinationis suæ & aliorum angustiis, tandem eò deuenit vt patenter dicat, *Non dubito præter eas, quæ vel ab Euangelistis, vel ab Apostolo commemorantur, plures alias fuisse*: quod satis apertè innuit S. Lucas dicens, ipsum Dominum apparuisse suis Apostolis *per dies quadraginta*. Vnde planè constat præter duodecim vel tredecim supradictas visiones, super septem & viginti esse quæ ab Euangelistis non enarrantur. Et verò si Paulum Apostolum consulamus, magnum hîc nobis lumen ex dictis eius affulgebit, ait enim: Tradidi etenim vobis « imprimis quod accepi, quoniam Christus mortuus est pro « peccatis nostris secundùm scripturas, & quia sepultus est, « & quia resurrexit tertia die secundùm scripturas. *Et quia* « *visus est Cephæ* (ipso scilicet die resurrectionis, quo etiam die se ostendit decem Apostolis, nam aberat Thomas cùm primùm venit ianuis clausis) *& post hoc vndecim* (nimirum post dies octo Thoma iam non absente) *Deinde visus est plusquam quingentis fratribus simul* (huius apparitionis nullibi sancti Euangelistæ meminerunt). *Deinde visus est Iacobo* (scilicet seorsim), *deinde Apostolis omnibus* (nimirùm, vt sequitur ex eadem verborum serie, sigillatim), *nouissimè autem omnium tamquam abortiuo visus est & mihi*. 1. Cor. 15.7. &c. Qua ex insinuatione resultat manifestè Christum priuatim Andreæ, vt cæteris separatim Apostolis, apparuisse eo dierum interuallo, qui numerum Apostolorum longè excedunt ac superant, *Apparuit enim illis* (ait Euangelista Lucas) *per dies quadraginta loquens de regno Dei*. Non quòd singulis diebus, quibus post resurrectionem suam oculis humanis apparere dignatus est, omnes simul Apostoli, eum se suorum sistentem aspectibus conspexerint, sed quia singulis his diebus quibus rediuiuus super terram conuersatus est, iis quibus voluit cùm gregatim, tum segregatim sese conspicuum exhibuerit, ad fidem suæ gloriosæ resurrectionis magis ac magis astruendum, eósque quos speciali

amore diligebat, amplioris beneuolentiæ testimonio prosequendum.

Quibus suppositis principiis, hoc iam habemus euictum: Christum non tantùm visum esse Simoni, vel Iacobo, seorsim, sed & Andreæ, & Ioanni, aliisque simul & seiunctim Apostolis. Nec est quòd quis obiiciat, me nihil ex tam accurata discussione lucrari. Prærogatiuas enim Andreæ hîc me quærere & recensere: Nihil porrò ex dictis, ipsi Andreæ singularitatis accedit, quod enim omnibus fuit pariter Apostolis commune, nullius proprium priuilegium censeri potest, *priuilegium enim ius est priuatum*, siquidem est *principis beneficium, contra ius commune*. Lubens hanc definitionem equidem admitto, sed id ad minus consequor: Andream priuatis sociorum priuilegiis imprimis esse potitum, gratia videlicet amicæ & familiaris Christi visitationis singulis factæ, postquam victor de morte è tumulo resurrexit, sicque ipsum Petrum & Iacobum (quibus testante Paulo Christus gloriosus visus est) nihil ex hoc habere, quo possint Andreæ anteferri.

Illi igitur, saltem vt cæteris, fuit commune de triumpho Domini sui gaudium, quod quantum fuerit nemo prorsus mortalium potest sermone vllo edicere. Christus ipse, qui causa auctórque fuit ineffabilis huius exultationis, ideam illius eorum lætitiæ (cùm esset in procinctu suæ passionis) illis suis diuinis verbis expressit, Ioan. 16. *Vos nunc quidem tristitiam habebitis; iterum autem videbo vos, & gaudebit cor vestrum, & gaudium vestrum nemo tollet à vobis.* Solet amantissimus pater, cùm domo discedere proponit & proficisci in regionem longinquam, congregatis filiis profectionem suam illis denunciare, eiúsque causas exponere: & vt eos consoletur duo præcipuè eis insinuat, primùm vtilitatem ac commoda quæ illis obuentura sunt, dum eorum causas atque negotia absens procurabit, maximè si in curiam regiam proficiscatur, vnde multa bona illis conciliabit. Secundò ostendit breuem se facturum moram, & citò ad filios rediturum, túmque maiorem fore lætitiam de suo reditu, quàm mœrorem & tristitiam contraxerint de eius absentia. Ad eum planè modum egit Christus cum dilectissimis discipulis suis; dolor ingens eorum corda peruaserat cùm audirent proximum eius abscessum: *Propterea* (inquit) *tristitia impleuit cor vestrum:* quæ

sanè

ſanè mox valde adaugebitur ex mea diriſſima atque turpiſſima morte, cuius iamiam imminet hora: ſicut igitur *mulier cùm parit, triſtitiam habet quia venit hora eius, cùm autem peperit puerum, iam non meminit preſſuræ, propter gaudium, quia natus eſt homo in mundum.* Et vos igitur triſtitiam habebitis, (dolorémque patiemini acutiſſimum, nempe dolorem vt parturientis, qui omnium vehementiſſimus eſt) ſed vt triſtitia mulieris parturientis breuis eſt, ita veſtra hæc anguſtia citò pertranſibit, *iterum enim videbo vos, & gaudebit cor veſtrum, & gaudium veſtrum nemo tollet à vobis.* Semel tantùm perpetiemini hanc triſtitiam, ſed ſemper hanc poſſidebitis lætitiam: citò enim reſurgam, iam ampliùs non moriturus, itaque non ampliùs dolebitis vnquam de mea morte, ſed ſemper gaudebitis de vita & reſurrectione glorioſa, quæ omne bonum afferet vobis, & ideo ſummum ingenerabit gaudium; gaudium perenne & perfectum, quod à me profectum nemo vobis vnquam poterit eripere, vel imminuere: Magna etenim eſt differentia huius gaudij à gaudio mundi, & gaudio carnis: quod mundi & carnis gaudium nunquam purum nec plenum eſt, ſed mixtum ſemper multiplici amaritudine, quoniam acutis conſcientię morſibus eſt refertum: at lætitia ſpiritualis, quam Chriſtus ſuis diſcipulis pro conſolatione promittebat, pura eſt ab omni ſpurcitia, & omnis eſt amaritudinis expers. Inſuper gaudium mundi infirmum eſt, & facilè deficit, leuíſque aura illud tollit: at gaudium ſpiritus fortiſſimum eſt, nec illud auferre valent mundi huius aduerſa, vel extorquere à corde piorum flagella, tormenta, crux, exilia, perſecutiones: efficit è ſpinis roſas, è lapidibus gemmas, ex carceribus & ergaſtulis aulas regias; & adeo dulce eſt, vt omnium amariſſimam mortem, ſuauiſſimam reddat. Hoc patet in omnibus Apoſtolis, nam *gauiſi ſunt viſo Domino,* ſed gaudio magno & ineffabili, quod non modò omnem excuſſit de morte eius triſtitiam, ſed & eorum præcordiis plenam & perennem indidit lætitiam. Andreas ex eo fonte gaudium illud permaximum delibauit, quod tota vita geſſit in corde, & quo in ipſa cruce vſque ad ſtuporem hominum & Angelorum exultauit, ipſámque crucem ad gaudij ſui participationem, admirabili feruore mentis exemplóque adhuc inaudito, & verbis quibus nemo vnquam vſus fuerat, inuitauit, ac etiam exhortatus eſt. Fons ſanè illius gaudij, Chriſti gloria fuit

resurgentis, & in cælum ad patris dexteram ascendentis, hic enim lætissimus conspectus, in animæ eius intimas medullas, transfusus, fontem illum lætitiæ perpetuò scaturientem in eius corde excitauit, qui eum in torrentem demum erupit, quo omnem submersit crucis dolorem & mortis amaritudinem, déque cruce in cælum adeo lætabundus & gaudens euolauit. *Salit fons aquæ*, quam electis suis dat Christus, *in vitam æternam:* Sic Andreas plenitudine huius fontis inundatus, de terra in cælum, hoc exiliens ineffabili gaudio, transcendit.

Ioan. 4. 14.

At tametsi eminenter Andreas in amore crucis, & iubilatione mentis in morte præcelluerit, sitque longo interuallo, cæteros quosque Christi discipulos, hac in gloria supergressus, nihilominùs S. Leo serm. 1. de ascensione Domini omnes Apostolos in fonte huius eximij gaudij participatione coæquauit. *Mors Christi* (inquit) *multum discipulorum corda turbauerat, & dè supplicio crucis, de emissione spiritus, de exanimati corporis sepultura, grauatis mœstitudine mentibus, quidam diffidentiæ torpor obrepserat. Unde beatissimi Apostoli, omnésque discipuli, qui & de exitu crucis fuerant trepidi, & de fide resurrectionis ambigui, ita sunt veritate perspicua roborati, vt Domino in cælorum eunte sublimia, non solùm nulla afficerentur tristitia, sed etiam magno gaudio replerentur.* Secundum quod ipse Dominus, in nocte qua tradebatur ad mortem, illis summa sua benignitate promiserat Ioan. 16. *Iterum autem videbo vos & gaudebat cor vestrum, & gaudium vestrum nemo tollet à vobis.*

CAPVT II.

Statim ab ascensu Domini, Apostolos Ecclesiam coëgisse ad sacras preces, atque in cœnaculo binos & binos habitâsse; Ideo non ordine dignitatis, sed huius associationis à S. Luca Act. 1. vers. 12. connumerari, & Andream quarto loco censeri, seiunctum à Petro, associatum Iacobo. In quo elucet diuinæ prouidentiæ arcanum consilium.

SANCTVS Lucas in Apostolicæ suæ historiæ exordio rem illam accuratè describit. Ascensione siquidem Domini diuino prorsus penicillo depicta, confestim subiungit, *Tunc reuersi sunt Hierosolymam, à monte qui dicitur Oliueti, qui est iuxta Hierusalem, Sabbati habens iter. Et cùm introissent in cœnaculum, vbi manebant Petrus & Ioannes, Iacobus & Andreas, Philippus & Thomas, Bartholomæus & Matthæus, Iacobus Alphæi, & Simon Zelotes, & Iudas Iacobi. Hi omnes erant perseuerantes vnanimiter in oratione cum mulieribus & Maria matre Iesu*, &c. Hîc vides nullum ordinem dignitatis, aut gradum excellentiæ diuino ab historico seruari, quia non de cuiusque hîc consignati præeminentia, sed de conuentu nascentis Ecclesiæ ad orationis exercitium. Petrus quidem primus omnium nominatur, quod vt in sacris passim catalogis legitur, hîc tamen valde mirum: quis enim sine scrupulo videat Petrum in sacræ recensionis apice constitui, vltimam verò omnium Mariam matrem Iesu, ideóque omnium dominam hac in serie numerari? Hallucinatum Lucam quis diceret eo in ordine tenendo, nisi perspectam haberet summam ipsius benedictæ Virginis Deigenitricis humilitatem, quæ semper esse infra omnes affectauit, quamuis ipsa sua spontanea demissione, immensè superauerit omnem Angelorum altitudinem & sublimitatem. *Act.* 1. 12.

Quid mirum igitur si discipulus crucis Andreas, qui Christi primogenitus erat, & Petrum ipsum ad eum adduxerat, quarto hîc se censeri loco ægrè non tulerit; poterat de illata iniuria conqueri aduersus Lucam, séque post-

liminio proprium in locum exigere reuocari, sed vltrò neglexit ius suum, & cum coapostolis suis potiùs de palma humilitatis voluit, quàm de dignitatis honore, & loci prærogatiua mouere litem. Amicissimus ei erat Lucas, qui etiam cum eo, in honore sepulturæ, non sine diuino nutu promeruit consortium: *Imperator Constantinus* (ait Hieronymus aduersus Vigilantium) *sanctas reliquias Andreæ, Lucæ, & Timothei, transtulit Constantinopolim* (ex Achaia) *apud quas dæmones rugiunt,* &c. *& illorum se sentire præsentiam confitentur.* Non sine numine hæc coaluit Lucæ cum Andrea, postrema quidem sed illustris societas, quam ambo irradiati diuino spiritu nescire non poterant. vt quid igitur Lucas Andream in hac nomenclatura suo loco mouit? quem ipse Lucas in Euangelio vbi de Apostolica vocatione & primitiuo ordine agitur, illi secundùm aliorum Euangelistarum morem, & rei gestæ ab initio veritatem, meritò assignauerat? Sanè videri non abs re potest quod conscius voti Andreæ, quem Patres, Christi vocant ideam crucifixi, cum inferioris loci cupidum & Dominum in humilitate, eiúsque sanctissimam genitricem benedictam Virginem imitari ambientem sic connumerauerit, non vt eius honorem minueret, sed ei potiùs hoc effusè cupienti gratificaretur. Attamen altera intercedit ratio, cur hîc S. Lucas natiuum commutauerit ordinem, etenim inter Apostolos præter ordinem vocationis & dignitatis, alius erat ordo, scilicet associationis, qua eos geminos & geminos Christus Dominus inuicem ipse copulauerat. S. Marcus Euangelij sui c. 6. vers. 7. hoc patenter insinuat his verbis, *Et vocauit* (Iesus) *duodecim, & cœpit eos mittere binos.* Hinc fortè nata est illa Petri cum Ioanne, quæ ferè perpetua subinde fuit connexio, vt ex plerisque locis Euangelicis & Apostolicis perspicuum est, præcipuè Ioan. 13. 22. 23. & 20. 2. 3. nec non 21. 7. 8. 20. 21. & in Actis 1. 13. 3. 1. & c. 4. 13. 19. Sicut autem hæsit Ioannes Petro, sic Iacobus Andreæ; Vnde S. Lucas signanter ait statim ab ascensione Domini, Apostolos quidem Hierosolymam rediisse, *Et introeuntes* (inquit) *in cœnaculum, vbi manebant Petrus & Ioannes, Iacobus & Andreas;* additque vni alterum coniungens, *Philippus & Thomas, Bartholomæus & Matthæus,* &c. Qua in Apostolorum congeminatione altum est conspicere diuinæ sapientiæ consilium, Petrus & Andreas fra-

S. Hieronymus lib. aduersus Vigilant.

tres erant, itémque Iacobus & Ioannes; at Ioannem seiunxit Spiritus sanctus à Iacobo, & Petro coniunxit: Andream diuisit à Petro, & ei Iacobum associauit; scilicet vt nimium frangeret carnalis fraternitatis affectum, & cùm de gloria Dei agitur postponendas esse ostenderet omnes amicitiæ humanæ connexiones ac propensiones diuinis obsequiis; solum Deum sequendum, omnes abrumpendos carnalis cognationis nexus, ad ei seruiendum: eundum esse quò vult & impellit, charissimos quosque deserendos, vbi eius amor & honor exigit: in societatem spiritus germanissimam recipiendos esse quos nobis comites aut duces assignat, eósque rursum relinquendos, & cooptandos alios quibus nos aggregat; initiò Ioannes adhæsit Petro, à quo subinde loco & habitudine disiunctus est: sic Paulus à principio cohæsit Barnabæ, quo cum edicto Spiritus sancti Apostolus Gentium ordinatus est, & varias Syriæ & Græciæ ciuitates prædicans gentibus Euangelium, peragrauit; deinde arcanis Dei consiliis reliquit Barnabam Paulus, & alios assumpsit sibi cooperatores. Vicissim Ioannem Marcum sibi ipse Barnabas adlexit, maiórque Euangelij propagatio processit ex eorum seiunctione, quàm ex coniunctione fuisset subsecuta. Sic maius incrementum recepit regnum Dei ex Andreæ à Petro diuisione, quàm ex adhæsione illorum mutua accepisset augmenti. *Beati Apostoli, vt non sibi nati erant, ita nec sibi vixerunt, nec itidem sunt mortui, sed ei qui nasci voluit & mori pro ipsis. Vbi erat impetus Spiritus*, hæ currus gloriæ Dei bigæ, hæ quadrigæ *gradiebantur, & ibant ad similitudinem fulguris coruscantis. Cùm fiebat vox sub firmamento submittebant alas suas.* Dulce fuisset Andreæ manere cum Petro, quem carne habebat fratrem, spiritu filium, nam in Christo Iesu illum genuerat: sed gratia naturæ obicem opponit, auellit à Petro Andream, & Iacobo iungit: Ioannem à Iacobo separat, & adunat Petro: deinde ipsum Petrum seiungit à Ioanne, & alligat Paulo, societate indiuidua, connexione perpetua: quid ad hæc dixerunt magni illi Apostoli? *non acquieuerunt carni & sanguini*, sine vel minima mussitatione diuinis placitis obedierunt. Præclaro mentis acumine hoc mirum Dei consilium, admirabiléque Apostolorum (maximè verò Petri & Andreæ) obsequium, Petrus Damiani obseruauit, & fidelium imitationi commendauit serm. 1.

S. Bern. serm. in vigil. App. Petri & Pauli.

Ezech. 1.

Gal. 1. 17.

de S. Andrea prope finem, *Incalescat* (inquit) *cor nostrum ad tam prompta, tam feruentißima deuotionis exemplum, & quod doctores nostros nouimus tunc fecisse, ipsi etiam diuina opitulante gratia studeamus implere. Ecce beatos fratres, Petrum videlicet & Andream, numquam post conuersionem legimus carnali quadam neceßitudine, sibimet inuicem familiariùs adhæsisse, quàm cæteris; non arctiùs inter se mutuo confœderatos affectu, non easdem prouincias prædicationis gratia consortitos: & vt magis stupeas non molestè tulit Andreas quòd in fide primus, factus est ordinis dignitate secundus, nec Zelo ductus est, quòd Petrus qui eius ducatu posterior credidit, cuiúsque ad fidem ipse præuius fuit, prioratus tamen inter omnes Apostolos iura suscepit: Hanc nempe mortificationis regulam oculis nostris supernus magister apposuit, hanc nobis veræ humilitatis normam per quam illum recta via sequeremur exhibuit: in illis namque primis discipulis quos & mundi doctores instituit, omnem virtutum formam signanter expreßit, vt vsque ad consummationem sæculi, vnusquisque fidelium ad eos imitationis oculos dirigat, & per eorum tramitem neutrolibet exorbitaturus incedat.*

Sed alia rursus occurrit mihi ratio, cur S. Lucas, hoc ordine Apostolos post ascensionem Christi, quo non antè censuerat enumerauerit; Respexit potiùs ad eorum palmas & coronas, quàm ad Apostolatus seriem: Andreas post Petrum passus est, multo magis post Iacobum qui Apostolorum omnium Protomartyr extitit, Act. 12. Ioannes superuixit quidem Andreæ, sed ei (vt infrà ostendam) imminens martyrium per trophæum crucis diuino iussu, prænunciauit: ideo superno lumine irradiatus Lucas hos tres præposuit Andreæ, quem isthic quarto dumtaxat loco hac de causa connumerauit. Sic Iacobum Alphæi, cognomento fratrem Domini, qui ferè centenarius martyrio affectus est (erat enim, vt scribit S. Hieronymus in suo catalogo c. 4. cùm mortem pro Christi fide & gloria oppetiit, nonaginta sex annorum, quo tempore solus Ioannes omnium iunior superstes erat); post Philippum & Thomam, Bartholomæum & Matthæum collocauit, quia videlicet post eos coronatus est. De Simone Zelote & Iuda Thaddæo non eandem prorsus videtur rationem tenuisse, sed eos coniunctim commemorasse, quia ambo in Persidem demum conuenientes, Christi fidem eodem glorioso mar-

tyrio ibidem obsignauerunt. Hos autem postremos recensuit, quia si non citiùs Iacobo, seriùs tamen cæteris Apostolis qui occubuerunt Martyres, vno eodémque die gloriosum suum agonem consummarunt. Non erat certè præferendus Iudas iste Iacobo suo fratri, qui ei maior natu, loco etiam præcedebat, erat enim sanctæ ciuitatis (quam nuper Christus suo sanguine irrigauerat) primus Episcopus. Huc spectans S. Bernardus lib. 2. de considerat. c. 8. *Denique* (ait) *Iacobus qui videbatur columna Ecclesiæ, vna contentus est Hierosolyma, Petro vniuersitatem cedens. Pulchrè verò ibi positus est, suscitare semen defuncti fratris, vbi occisus est ille, nam frater Domini dictus est.* Iudas autem cognominatus & à seipso inscriptus est, *Iesu Christi seruus, frater autem Iacobi**, qui minor collatus cum Iacobo filio Zebedæi & fratre Ioannis, respectu tamen ipsius Iudæ ac Simonis plerisque titulis maior erat. * *Iud. v. 1.*

Nec est quod hic quispiam aduersùs prædicta iterum arguetur, obiiciens, si S. Lucas Euangelista hoc in nouo Apostolorum indiculo, rationem sequitur eorum martyrij; cur Iacobum Zebedæi, quem tertium ponit, non statuit ante Petrum, qui diu post eius martyrium suum agonem consummauit? Ratio est, quia etsi Petrus passus fuerit post Iacobum, primus tamen omnium Apostolorum speciale suæ mortis prænuncium accepit à Domino, dicente, ei, *Cùm esses iunior cingebas te, & ambulabas vbi volebas, cùm autem senueris, extendes manus tuas & alius te cinget, & ducet quò tu non vis, significans qua morte esset clarificaturus Deum.* Adde quòd quamuis Petri & Iacobi mors futura esset coram Domino pretiosa, mors tamen Petri, futura erat Iacobi exitu longè illustrior, genere mortis, eiúsque effectu, successu, celebritate, ac gloria: Minuto capite Iacobo decus Hierosolymæ excidit ferè præcipuum: exaltato in cruce Petro, fundamentum Ecclesiæ vnda eius sanguinis irrigatum exurgere cœpit in proximam cælo altitudinem. Petrus vt omnium Apostolorum summus, ita est ferè vbique in scriptura, singularis; quapropter semper primus, in nullius eorum adæquatam per omnia comparationem venit, quemadmodum in tractatu, cui titulus est, *Petrus & Paulus*, ante annos aliquot memor sum ostendisse.

CAPVT III.

In ipso crepusculo orientis Ecclesiæ, Andreas non solùm Christi passionum cum fratre suo & reliquis Apostolis, testis: sed & socius ac particeps fuit.

Lib. cõtra Gnost. c. 20.

LEGANTER, iuxtáque verè Tertullianus olim scripsit, Synagogas Iudæorum esse fontes persecutionum Ecclesiæ: quia sicut riuuli à fonte oriuntur, & inde decurrunt: sic persecutiones Ecclesiæ cœperunt ab ipsarum Synagogarum, aduersus sanctos Apostolos (qui fontes sunt Christianæ religionis) odio & furore. S. Lucas terrenus medicus & cælestis Euangelista, in Actis Apostolorum, hanc veritatem palam ostendit, insequendo Christi Domini manifestum oraculum Matth. 10. 17. *In suis Synagogis* (quarum Hierosolymitana princeps erat) *flagellabunt vos:* Etenim complementum huius diuinæ monitionis c. 5. enarrat disertissimè, hoc verborum verè diuinorum nexu: *Conuocantes Apostolos* (scilicet princeps Sacerdotum, & qui cum eo erant) *cæsis denunciauerunt ne omninò loquerentur in nomine Iesu, quibus respondens Petrus & Apostoli dixerunt, Oportet magis obedire Deo quàm hominibus.* Nihilominus cæsi fuerunt Apostoli, *qui quidem ibant gaudentes à conspectu Concilij, quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati.* Quàm Petrus hîc quæso caput est! quàm cordatè ibi inter fratres seruat primatum suum, & strenuè Domini sui iura defendit? quàm magnanimiter Apostoli omnes cum eo hoc in consessu, quin & conflictu steterunt? quàm sapienter & piè responderunt? quàm fortiter atrocem adeo iniuriam ac flagellationis crudelissimæ sunt vnanimes perpessi? Egregiè in locum Actuum præsignatum disserens Chrysostomus, sic verba illa præsertim expendit, *Ibant* (postquam cæsi sunt) *à conspectu Concilij gaudentes. Tametsi* (inquit) *flagella non sint gaudij occasiones, sed tristitiæ & mœroris, nihilominùs flagella propter Deum, & causa propter quam flagellabantur gaudium eis pariebat. At ij qui flagellabant, in magna animi consternatione & hæsitatione nesciebant quid facerent: Audi enim eos quomodo post flagellationem ani-*

animo fluctuant & dicunt, quid faciemus hominibus istis? quid dicitis? flagellastis, innumera mala subornastis, & dubitatis? tam fortis & inuicta est virtus, nam dum patitur, affligentes vincit.

Dicebat Deus Ieremiæ Prophetæ, *Loquere ad eos omnia quæ ego præcipio tibi? Ne formides à facie eorum? Ego quippe dedi te hodie in ciuitatem munitam & in columnam ferream, & in murum æreum*, &c. *& bellabunt aduersum te, & non præualebunt.* Qui pugno percutit columnam ferream, non eam frangit, sed seipsum lædit; qui murum æreum vel saxeum pedibus pulsat, non eum deiicit, sed frustra impetit ac pedes illidit; sic qui Prophetam Dei nuncium impugnabant ac persequebantur ipsa ex eius insectatione debilitabantur, ipse verò fortior semper ex illorum impetitionibus euadebat, sagittæ paruulorum fiebant plagæ eorum: ita & Iudæis Apostolos cæco furore persequentibus vsu ueniebat; flagellis cædebant Apostolos, sed sicut malleus dum tundit incudem, obtunditur, illa verò ex repetitis ictibus fit durior: Et Ioan. 1. 18.

Vt pelagi rupes magno veniente fragore,
Quæ sese multis circumlatrantibus vndis
Mole tenet: scopuli nequicquam & spumea circum
Saxa fremunt, laterique illisa refunditur alga.

Sic sanè Iudæorum rabies, Apostolorum constantiâ & fortitudine ineluctabili refringebatur. Mera historiæ huius series, quam cælesti penicillo delineat Lucas, inanes Iudæorum aduersus Apostolos conatus ac euanidos impetus: Apostolorum verò inuictam patientiam, ac insuperabilem animi virtutem palam facit. Act. 5. *Adduxerunt magistratus & ministri Apostolos quos inuenerant in templo docentes, & statuerunt eos* (quasi seditionis reos) *in Concilio, & interrogauit eos princeps Sacerdotum dicens: præcipiendo præcepimus vobis, ne doceatis in nomine isto. Et ecce replestis Jerusalem doctrina vestra, & vultis inducere super nos sanguinem hominis istius* (Christi scilicet nuper ab eis crucifixi, quem ita abiectè habebant, vt nec nominare dignarentur). *Respondens autem Petrus & Apostoli dixerunt, Oportet magis obedire Deo quàm hominibus.* Huc aptissimè refert S. Gregorius hom. 30. in Euangel. illud Psalmographi, *Verbo Domini cæli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus eorum. Cælorum ergo* (inquit, scilicet qui enarrant gloriam

CAPVT III.

In ipso crepusculo orientis Ecclesiæ, Andreas non solùm Christi passionum cum fratre suo & reliquis Apostolis, testis: sed & socius ac particeps fuit.

Lib. cõtra Gnost. c. 10.



LEGANTER, iuxtáque verè Tertullianus olim scripsit, Synagogas Iudæorum esse fontes persecutionum Ecclesiæ: quia sicut riuuli à fonte oriuntur, & inde decurrunt: sic persecutiones Ecclesiæ cœperunt ab ipsarum Synagogarum, aduersus sanctos Apostolos (qui fontes sunt Christianæ religionis) odio & furore. S. Lucas terrenus medicus & cælestis Euangelista, in Actis Apostolorum, hanc veritatem palam ostendit, insequendo Christi Domini manifestum oraculum Matth. 10. 17. *In suis Synagogis* (quarum Hierosolymitana princeps erat) *flagellabunt vos:* Etenim complementum huius diuinæ monitionis c. 5. enarrat disertissimè, hoc verborum verè diuinorum nexu: *Conuocantes Apostolos* (scilicet princeps Sacerdotum, & qui cum eo erant) *cæsis denunciauerunt ne omninò loquerentur in nomine Iesu, quibus respondens Petrus & Apostoli dixerunt, Oportet magis obedire Deo quàm hominibus.* Nihilominus cæsi fuerunt Apostoli, *qui quidem ibant gaudentes à conspectu Concilij, quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati.* Quàm Petrus hîc quæso caput est! quàm cordatè ibi inter fratres seruat primatum suum, & strenuè Domini sui iura defendit? quàm magnanimiter Apostoli omnes cum eo hoc in consessu, quin & conflictu steterunt? quàm sapienter & piè responderunt? quàm fortiter atrocem adeo iniuriam ac flagellationis crudelissimæ sunt vnanimes perpessi? Egregiè in locum Actuum præsignatum disserens Chrysostomus, sic verba illa præsertim expendit, *Ibant* (postquam cæsi sunt) *à conspectu Concilij gaudentes. Tametsi* (inquit) *flagella non sint gaudij occasiones, sed tristitiæ & mæroris, nihilominùs flagella propter Deum, & causa propter quam flagellabantur gaudium eis pariebat. At ij qui flagellabant, in magna animi consternatione & hæsitatione nesciebant quid facerent: Audi enim eos quomodo post flagellationem ani-*

animo fluctuant & dicunt, quid faciemus hominibus istis? quid dicitis? flagellastis, innumera mala subornastis, & dubitatis? tam fortis & inuicta est virtus, nam dum patitur, affligentes vincit.

Dicebat Deus Ieremiæ Prophetæ, *Loquere ad eos omnia quæ ego præcipio tibi? Ne formides à facie eorum? Ego quippe dedi te hodie in ciuitatem munitam & in columnam ferream, & in murum æreum*, &c. *& bellabunt aduersum te, & non praualebunt.* Qui pugno percutit columnam ferream, non eam frangit, sed seipsum lædit; qui murum æreum vel saxeum pedibus pulsat, non eum deiicit, sed frustra impetit ac pedes illidit; sic qui Prophetam Dei nuncium impugnabant ac persequebantur ipsa ex eius insectatione debilitabantur, ipse verò fortior semper ex illorum impetitionibus euadebat, sagittæ paruulorum fiebant plagæ eorum: ita & Iudæis Apostolos cæco furore persequentibus vsuueniebat; flagellis cædebant Apostolos, sed sicut malleus dum tundit incudem, obtunditur, illa verò ex repetitis ictibus fit durior: Et Ioan. 1. 18.

Vt pelagi rupes magno veniente fragore,
Quæ sese multis circumlatrantibus vndis
Mole tenet: scopuli nequicquam & spumea circum
Saxa fremunt, laterique illisa refunditur alga.

Sic sanè Iudæorum rabies, Apostolorum constantiâ & fortitudine ineluctabili refringebatur. Mera historiæ huius series, quam cælesti penicillo delineat Lucas, inanes Iudæorum aduersus Apostolos conatus ac euanidos impetus: Apostolorum verò inuictam patientiam, ac insuperabilem animi virtutem palam facit. Act. 5. *Adduxerunt magistratus & ministri Apostolos quos inuenerant in templo docentes, & statuerunt eos* (quasi seditionis reos) *in Concilio, & interrogauit eos princeps Sacerdotum dicens: præcipiendo præcepimus vobis, ne doceatis in nomine isto. Et ecce replestis Ierusalem doctrina vestra, & vultis inducere super nos sanguinem hominis istius* (Christi scilicet nuper ab eis crucifixi, quem ita abiectè habebant, vt nec nominare dignarentur). *Respondens autem Petrus & Apostoli dixerunt, Oportet magis obedire Deo quàm hominibus.* Huc aptissimè refert S. Gregorius hom. 30. in Euangel. illud Psalmographi, *Verbo Domini cæli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus eorum. Cælorum ergo* (inquit, scilicet qui enarrant gloriam

CAPVT III.

In ipso crepusculo orientis Ecclesiæ, Andreas non solùm Christi passionum cum fratre suo & reliquis Apostolis, testis: sed & socius ac particeps fuit.

Lib. cōtra Gnost. c. 10.



LEGANTER, iuxtáque verè Tertullianus olim scripsit, Synagogas Iudæorum esse fontes persecutionum Ecclesiæ: quia sicut riuuli à fonte oriuntur, & inde decurrunt: sic persecutiones Ecclesiæ cœperunt ab ipsarum Synagogarum, aduersus sanctos Apostolos (qui fontes sunt Christianæ religionis) odio & furore. S. Lucas terrenus medicus & cælestis Euangelista, in Actis Apostolorum, hanc veritatem palam ostendit, insequendo Christi Domini manifestum oraculum Matth. 10. 17. *In suis Synagogis* (quarum Hierosolymitana princeps erat) *flagellabunt vos:* Etenim complementum huius diuinæ monitionis c. 5. enarrat disertissimè, hoc verborum verè diuinorum nexu: *Conuocantes Apostolos* (scilicet princeps Sacerdotum, & qui cum eo erant) *cæsis denunciauerunt ne omninò loquerentur in nomine Iesu, quibus respondens Petrus & Apostoli dixerunt, Oportet magis obedire Deo quàm hominibus.* Nihilominus cæsi fuerunt Apostoli, *qui quidem ibant gaudentes à conspectu Concilij, quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati.* Quàm Petrus hîc quæso caput est! quàm cordatè ibi inter fratres seruat primatum suum, & strenuè Domini sui iura defendit? quàm magnanimiter Apostoli omnes cum eo hoc in consessu, quin & conflictu steterunt? quàm sapienter & piè responderunt? quàm fortiter atrocem adeo iniuriam ac flagellationis crudelissimæ sunt vnanimes perpessi? Egregiè in locum Actuum præsignatum disserens Chrysostomus, sic verba illa præsertim expendit, *Ibant* (postquam cæsi sunt) *à conspectu Concilij gaudentes. Tametsi* (inquit) *flagella non sint gaudij occasiones, sed tristitiæ & mœroris, nihilominùs flagella propter Deum, & causa propter quam flagellabantur gaudium eis pariebat. At ij qui flagellabant, in magna animi consternatione & hæsitatione nesciebant quid facerent: Audi enim eos quomodo post flagellationem*

ani-

animo fluctuant & dicunt, quid faciemus hominibus istis? quid dicitis? flagellastis, innumera mala subornastis, & dubitatis? tam fortis & inuicta est virtus, nam dum patitur, affligentes vincit.

Dicebat Deus Ieremiæ Prophetæ, *Loquere ad eos omnia quæ ego præcipio tibi? Ne formides à facie eorum? Ego quippe dedi te hodie in ciuitatem munitam & in columnam ferream, & in murum æreum*, &c. *& bellabunt aduersum te, & non preualebunt.* Qui pugno percutit columnam ferream, non eam frangit, sed seipsum lædit; qui murum æreum vel saxeum pedibus pulsat, non eum deiicit, sed frustra impetit ac pedes illidit; sic qui Prophetam Dei nuncium impugnabant ac persequebantur ipsa ex eius insectatione debilitabantur, ipse verò fortior semper ex illorum impetitionibus euadebat, sagittæ paruulorum fiebant plagæ eorum: ita & Iudæis Apostolos cæco furore persequentibus vsu ueniebat; flagellis cædebant Apostolos, sed sicut malleus dum tundit incudem, obtunditur, illa verò ex repetitis ictibus fit durior: Et Ioan. 1. 18.

Vt pelagi rupes magno veniente fragore,
Quæ sese multis circumlatrantibus vndis
Mole tenet: scopuli nequicquam & spumea circum
Saxa fremunt, laterique illisa refunditur alga.

Sic sanè Iudæorum rabies, Apostolorum constantiâ & fortitudine ineluctabili refringebatur. Mera historiæ huius series, quam cælesti penicillo delineat Lucas, inanes Iudæorum aduersus Apostolos conatus ac euanidos impetus: Apostolorum verò inuictam patientiam, ac insuperabilem animi virtutem palam facit. Act. 5. *Adduxerunt magistratus & ministri Apostolos quos inuenerant in templo docentes, & statuerunt eos* (quasi seditionis reos) *in Concilio, & interrogauit eos princeps Sacerdotum dicens: præcipiendo præcepimus vobis, ne doceatis in nomine isto. Et ecce replestis Ierusalem doctrina vestra, & vultis inducere super nos sanguinem hominis istius* (Christi scilicet nuper ab eis crucifixi, quem ita abiectè habebant, vt nec nominare dignarentur). *Respondens autem Petrus & Apostoli dixerunt, Oportet magis obedire Deo quàm hominibus.* Huc aptissimè refert S. Gregorius hom. 30. in Euangel. illud Psalmographi, *Verbo Domini cæli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus eorum. Cælorum ergo* (inquit, scilicet qui enarrant gloriam

Dei, id eſt Apoſtolorum) *virtus de ſpiritu ſumpta eſt, quia mundi huius poteſtatibus contraire non præſumerent, niſi eos ſancti Spiritus fortitudo ſolidaſſet; quales namque Doctores ſanctæ Eccleſiæ ante aduentum huius fuerint Spiritus ſcimus, & poſt aduentum illius, cuius fortitudinis facti ſint conſpicimus. Hinc Petrus qui vna perculſus voce mulieris dum mori timuit, vitam negauit, poſtea principibus & ſenioribus magna auctoritate reſpondit, Obedire oportet magis Deo quàm hominibus.*

At ſolúſne Petrus ita reſpondit? ſignatim addit B. Lucas, alios omnes Apoſtolos idem vnanimiter reſpondiſſe, *Reſpondens autem Petrus & Apoſtoli dixerunt, Obedire oportet magis Deo quàm hominibus.* Petrus poſt Chriſtum erat quidem præcipuum Eccleſiæ fundamentum, *Tu es Petrus,* ait illi Chriſtus, *& ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam;* Sed non ait ſuper hanc petram ſolam, nam ſuper omnes alios Apoſtolos (qui Spiritus ſancti virtute, ſaxeam quoque adepturi erant firmitatem) Eccleſiæ diuinum ædificium ſuperſtruendum erat, vnde illud Apocal. 20. 14. *Et murus ciuitatis habens fundamenta duodecim, & in ipſis duodecim, nomina duodecim Apoſtolorum agni.* Quamobrem S. Hieronymus lib. 1. cont. Iouinian. dicere non dubitauit, *Apoſtoli ex æquo fundant Eccleſiam;* ideo eodem ſpectans Auguſtinus, Apoſtoli (inquit in Pſal. 78. 86. 92.) ſunt pedes Domini, quia Eccleſiam ſua firmitudine portant. Sunt igitur fundamenta, ſunt portæ, ſunt etiam columnæ. Non ſoli igitur Petrus, Iacobus & Ioannes columnæ erant, ſed Andreas quoque qui virilis ac fortis nominatur. Iacobus alter qui ſupplantator dicitur, & cæteri omnes, qui ideo totidem lapidibus myſticis aſſimilantur, Apoc. 20. & fundamenta muri ciuitatis omni lapide pretioſo ornata. Interpretes ſingulas has gemmas ſingulis Apoſtolis aſſignant ſecundùm propriam cuiuſque proprietatem. Aptior eſt illa expoſitio, quæ primum lapidem, iaſpidem ſcilicet, quo conſtat primum fundamentum, Petro tribuit, ſaphirum Andreæ, calcedonium Iacobo Zebedæi, ſmaragdum eius fratri Ioanni, ſardonicem Philippo, ſardium Bartholomæo, chryſolitum Matthæo, berillum Thomæ, topazium Iacobo dicto fratri Domini, chryſopraſum Iudæ ipſius Iacobi germano, hyacinthum Simoni, amethiſtum Matthiæ. Nimius eſſem ſi arcana horum pretioſorum lapidum, quibus Eccleſia fulcitur & innititur, per applicationem proprieta-

tum cum Apostolis singulis, quibus attribuuntur in illa serie, vellem hîc accuratius exponere: quod tamen aliàs non indiligenter præstitimus; sat fuerit hoc vnum hîc asserere, præter speciales proprietates hoc commune esse vniuersis Apostolis, quòd propter ineluctabile robur fidei & inuictam animi fortitudinem lapides, fundamenta, & columnæ domus Dei, quæ est Ecclesia, appellentur. Quæ nomina quàm aptè in omnes & singulos cadant, res ab eis gestæ tam coniunctim quàm seorsim, pro Dei gloria, & ædificatione Ecclesiæ in vniuerso mundo, clarius sole meridiano demonstrant. Fuit hic primus Synagogæ crudelis, aduersus Apostolos simul collectos, impetus: *Conuocantes Apostolos cæsis denunciauerunt ne omninò loquerentur in nomine Iesu.* Cesseruntne Apostoli, illorum interminationibus, conuitiis, & flagellis? Tantum abest, steterunt intrepidi vt columnæ firmissimæ ac prorsus inconcussibiles; *nam gaudentes abierunt à conspectu Concilij, quoniam digni habiti sunt, pro nomine Iesu, contumeliam pati:* Omni autem die non cessabant in templo & circa domos docentes & euangelizantes Christum Iesum. Egregiè ait Hieronymus, *Nisi Euangelium esset verum, sanguine non defenderetur.* Hæc prima Apostolorum persecutio fuit, huius defensionis exordium, primúmque xenium, quod Christo Domino, redemptori suo, totiúsque mundi Saluatori, Apostoli non ingrati de tanto eius beneficio, in aliquantulam vicem profusi, cum extremo vitæ spiritu, totius eius sanguinis rependerunt.

Rex Francorum Christianissimus, Parlamenti, hoc est supremæ suæ Curiæ senatores, purpura, cùm eos adlegit ad hoc munus, Senatoria cohonestat. Christus Rex gloriæ summos constituit Apostolos regni sui iudices. *Cùm sederit filius hominis in maiestate sua, sedebitis*, inquit, *& vos super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israël.* Ita quidem est, ais, sed quandonam illos coactos primò in Senatum, purpura iudiciali insigniuit? videlicet hac primùm vice, cùm cæsi & flagellati (ad sanguinem vsque) *ibant gaudentes à conspectu Concilij, quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati.* Senatoriam igitur purpuram, suo tinctam sanguine, tunc primùm assumpsit (at recepit potiùs) cum fratre suo Senatus Apostolici præside, collegísque suis, B. Andreas; & sanguinis sui primitias tum

Math. 19. 28.

Act. 5. 41.

primùm pro Domini sui gloria ac honore profudit.

Tum primùm, inquam, quia etsi Lucas aliarum flagellationum quas collectiuè Apostoli passi sunt à Iudæis Hierosolymis, mentionem deinceps non faciat, ipsi tamen Apostoli, apud illustrem suum discipulum Clementem, testes sunt se pluries ipsorum Principum Sacerdotum iussu, fuisse ibidem cæsos : illos siquidem sic loquentes ipse B. Clemens refert constitut. Apostolic. lib. 5. c. 6. *Siquis verò, qui se alioqui fratrem esse dicit, à diabolo deceptus maleficium committat, ac conuictus capite damnetur, vt adulter, aut homicida : Vitate eum, vt inuiolati seruemini ; & ne quis vestrûm suspectus sit de communione ac societate flagitij, & infamiam aspergat, quasi omnes Christiani sceleribus & flagitiis delectentur, quamobrem ab eis procul recedite. Iis tamen qui per calumniam propter Christum in carcerem inclusi sunt, aut morti addicti, aut vinculis, aut exilio, ferte opem, vt membra vestra ex manibus sceleratorum eripiatis. Quòd si quis cum eis compactus comprehensus fuerit, & verberetur, beatus est, quòd sit factus socius martyrum & imitator passionum Domini Jesu Christi : Etenim nos quoque* SÆPIVS *propter Christum sub Caypha, Alexandro, & Anna, acceptis plagis, exiuimus læti, quòd digni habiti essemus qui illa propter Christum pateremur ; Et vos gaudete, qui ista patimini.* Hæc sanctissimi Apostoli apud B. Clementem, Petri deinde, in sede Apostolica Romana, successorem.

CAPVT IV.

In primordiis Ecclesiæ, S. Andream cum cæteris Apostolis, constanter & intrepidè Hierosolymis perstitisse, inter asperas persecutionum procellas: vsquequò ibi plantata fide, & religione circumquaque fundata, ipsi Apostoli orbem vniuersum sorte partiti, singuli ad prouincias quæ sibi diuinitùs obtigerant, edocendas in fide, profecti sunt.

ARTICVLVS I.

Ecclesiam ortum ducere ab Hierosolymis, & inde ab Apostolis in orbem vniuersum fuisse propagatam.

HRISTVS post triumphum crucis, *cùm opus consummasset quod pater ei dederat vt faceret, gloria & honore coronatus,* iámque maturaret ad patrem reditum suum, conuocatis discipulis suis hæc vltima mandata dedit, *Euntes in mundum vniuersum docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, docentes eos seruare omnia quæcumque mandaui vobis.* Matth. 28. 19. 20. Marcus hanc eandem factorum, dictorúmque Domini in terra, coronidem his verbis exprimit, *Euntes in mundum vniuersum prædicate Euangelium omni creaturæ, qui crediderit & baptizatus fuerit saluus erit,* &c. *Et Dominus quidem Iesus postquam locutus est eis assumptus est in cælum & sedet à dextris Dei. Illi autem profecti prædicauerunt vbique Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis.* Ita S. Marcus c. 16. 15. &c. breuiter sed dilucidè, more suo. Ioan. 17.

S. Lucas in fine sui Euangelij discessum hunc Domini adhuc contractioribus verbis perstrinxit: sed in Actuum Apostolorum exordio, luculentiùs ac exactiùs enarrat, nonnulláque refert quæ Matthæus & Marcus prætermiserant, quæ hîc recensere minutim ad rem de qua agimus non pertinet: sola igitur quæ conferunt ad nostrum propositum hîc visum est operæpretium obiter retexere: *Et conuescens* (inquit Lucas) *præcepit eis Iesus* (scilicet Apostolis quos diuinitùs elegerat) *ab Hierosolymis ne discederent, sed expe-* Actuum 1.

ctarent promißionem patris, quam audistis (inquit) *per os meum, quia Ioannes quidem baptizauit aqua, vos autem baptizabimini Spiritu sancto non post multos hos dies.*

Vnde colligere licet hoc dictum Marci; *Illi autem profecti prædicauerunt vbique*, non sic esse crudè intelligendum, vt statim ac Christus in cælum ascendit, Apostoli relicta Hierosolyma & Iudæa, vniuersum in mundum prodierint ad Euangelium prædicandum: sensim enim & statutis quibusdam ab ipso Domino progressibus, id fieri oportebat, dixit enim eis: *Accipietis virtutem superuenientis Spiritus sancti in vos, & eritis mihi testes in Hierusalem & in omni Iudæa & Samaria, & vsque ad vltimum terræ. Et cùm hæc dixisset, videntibus illis eleuatus est, & nubes suscepit eum ab oculis eorum.* Paucísque interiectis ait S. Lucas, *Tunc reuersi sunt in Hierusalem:* Antè siquidem præceperat, ab Hierosolymis ne discederent, donec quem promiserat eis mitteret à patre spiritum veritatis. Vix porrò decem effluxerunt dies, cùm suum promissum impleuit; Tunc siquidem vt egregiè cecinit Arator lib. 1. carm. in Acta,

Spiritus ætherea descendens sanctus ab aula,
Irradiat fulgore locum, quo stemma beatum
Ecclesiæ nascentis erat, quibus igne magistro
Imbuit ora calor, dictísque fluentibus exit
Linguarum populosa seges, ———
——— *res maxima cogit*
Non reticere diu, quid sit quod spiritus almus
His datur in flamma; Iordanis ab amne columba?
——— *duo sunt hæc signa figuræ*
Vt sit simplicitas quam congrua diligit ales,
Quæ ne tarda gerat, sine dogmatis igne, tepores.
Sic pariter succensa fides, ibi destinat vndis
Vnanimes, hic ore iubet flagrare docentes:
Mentibus instat amor, sermonibus æstuat ardor.

Ne vnum quidem Apostolorum hìc tum defuisse docet B. Lucas: vbi enim catalogum eorum omnium præscripserat, quo eos nominatim recensuit, continuò subiungit, *Hi omnes erant perseuerantes vnanimiter in oratione cum mulieribus, & Maria matre Iesu, & fratribus eius.* Porrò cap. 2. dum repentinum refert Spiritus sancti illapsum in eos; *Erant* (inquit) *omnes pariter in eodem loco, & factus est repentè de cælo sonus tanquam aduenientis spiritus vehementis,*

& repleuit totam domum vbi erant sedentes. Et apparuerunt illis dispertitæ linguæ tanquam ignis, seditque supra singulos eorum, & repleti sunt omnes Spiritu sancto, & cœperunt loqui variis linguis, prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis, &c. Stupentibus autem nonnullis ad tam mirum euentum, aliis verò irridentibus, quasi non superno dono hi homines diuersis linguis loquerentur, sed musto pleni, cerebrosis euaporationibus agitati, verba promerent quæ nec ipsi intelligerent, mox Petrus defensionem crediti sibi gregis suscepit, *Stans autem Petrus* (ait Lucas) *cum vndecim leuauit vocem suam, & locutus est eis*. Vbi cæteros Apostolos (non verò gregarios discipulos) Petro in re tanti momenti quasi suo præsidi suffragatores astitisse diuinus Actuarius datâ operâ commemorat : quo præsentes omnes insinuet adfuisse, nondum scilicet in orbem terrarum dispersos : sed præceptum Domini obseruasse, qui abeundo sic iusserat, *Accipietis virtutem superuenientis Spiritus sancti in vos, & eritis mihi testes in Hierusalem ; & in omni Iudæa & Samaria, & vsque in vltimum terræ*. Enimuerò ipse Christus eodem die gloriosæ ascensionis suæ, exordium prædicationis ducendum esse ab Hierosolyma expressis verbis decreuerat, *Quoniam* (inquit Dominus apud Luc. 24. 46.) *sic oportebat Christum pati & resurgere à mortuis die tertia, & prædicari in nomine eius pœnitentiam & remissionem peccatorum in omnes gentes, incipientibus ab Hierosolyma* : hoc enim inculcat Dominus genuinum esse veræ religionis ab ipso institutæ, & suo sanguine consecratæ initium ; *Quoniam*, inquit, *sic scriptum est*, hoc est à Prophetis prædictum. Sic enim Dauid futurum vaticinatus fuerat. *Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion*. Psal. 109. & Psal. 49. *Vocauit terram à solis ortu vsque ad occasum, ex Sion species decoris eius*. Sic & Isa. 2. *De Sion exibit lex, & verbum Domini de Hierusalem*. Vnde Augustinus optimo iure præscribebat aduersus Donatistas (& consequenter aduersus quosuis alios hæreticos & schismaticos), quòd scilicet eorum secta initium Apostolicum non haberet ; quia ortum duxerat non ab Hierusalem, sed à Carthagine ; *vbi primò Episcopum* (inquit) *contra Episcopum leuauerunt*. Quo de principio elicit paulò pòst, hoc ipso indicio falsitatis, ab ipsorum factione, cuique vero Christiano esse abhorrendum : *Teneamus ergo*, inquit, *Ecclesiam ex ore Domini designatam, vnde cœptura, & quousque*

De vnit. Eccl. c. 4. & 10.

peruentura esset; cœptura scilicet ab Hierusalem, & peruentura in omnes gentes. Verùm neoterici hæretici hoc vt se extricent anfractu, suas quasque sectas ortas esse ex Hierusalem contendunt, *quia* (aiunt) *doctrina Apostolorum nihil differt à nostra, non enim riuuli euidentius à scaturigine profluunt, quàm nostra fides ab Euangelico fonte, qui ab Apostolis ad nos plano decursu dimanauit.* Sed præterquam quòd hîc est manifesta principij petitio, cùm supponat hoc ipsum quod maximè negatur: ex ipso loco qui adductus est, reuincuntur; Christus enim non solùm ait, *incipientibus ab Hierusalem,* sed addit doctrinam Apostolicam deriuatam iri ab hoc initio *in omnes gentes, & vsque ad vltimum terræ.* Sectarum verò seu antiquarum, seu recentium nulla fuit vnquam quæ propagata fuerit *in omnes gentes, & vsque ad vltimum terræ peruenerit.* Certis locis vt cœperunt, sic certis in locis pullulârunt, intra Prouinciæ alicuius tantummodò limites. Caluinismus feruet in Anglia, friget in Gallia, parum habet in Germania, nullus est in Italia & Hispania. Lutheranismus quibusdam in locis Germaniæ regnat, nihil alibi virium obtinet, atque plerisque in partibus vbi olim viguit, iamiam extinctus est. Orientis hæreses vix in Occidentem penetrarunt: Occidentis quæ nouissimis his temporibus ortæ sunt, nunquam in Orientalibus partibus locum quo mitterent radices inuenêre. Cùm Romana Ecclesia, Catholica, vbique etiamnum sit diffusa, & vel ideo verè Apostolica, quòd initium repetat à Hierosolymis, vbi Apostoli iuxta præceptum Domini suam prædicationem inceperunt, quæ sensim subinde defluxit, *in omnes gentes, & vsque ad vltimum terræ.*

Quemadmodum igitur cùm plantatur arbor, vt agat radices, ac paulatim crescat & ramos emittat, fructúsque proferat, quantum opus est curæ & laboris ei adhibetur: sic Apostoli scientes iuxta præceptum Domini, religionis Euangelicæ principium esse auspicandum ab Hierosolymis: Sedem ibi tamdiu fixerunt quovsque plantam illam diuinam à se sufficienter excultam & firmatam esse animaduerterunt; túmque vt eius longè latéque propagines dilatarent, digressi loco, Apostolicam suam curam, & prædicationem Euangelicam in omnes gentes protulerunt, *incipientes ab Hierosolymis,* & procedentes *vsque ad vltimum terræ.* Quæ-

Quæres hîc fortassis quando cœperit vt reipsa facta fuerit illa Apostolorum orbis inter se partitio, à se inuicem diuisio, & totum in orbem à Hierosolymis progressus? Tot quæsitis hîc mihi sigillatim respondendum est: dico igitur, facta est illa partitio atque seiunctio cùm Apostoli essent in procinctu totum in Christi nomine inuadendi orbem, eúmque eius regno, præuio crucis signaculo tam potenter quàm feliciter subigendi. Restat hoc igitur primum inquirere, quia ex ista epocha, ratio vtriusque alterius dependet. Meo igitur more quæstionem illam quæ hîc principaliter vertitur (hoc est candidè ac breuiter) quantum res tanti momenti patitur, & vires mihi ingenij suppetunt, non illubenter discutiam.

ARTICVLVS II.

De tempore diuisionis Apostolorum, eorúmque in vniuersum mundum dispersionis, ad prædicandum Gentibus Euangelium Christi.

QVATVOR nobis sunt (antequam quid solidè determinari possit) insignes, sed diuersæ hîc sententiæ, hac de quæstione præstituendæ;

I. Est asserti Melitonis Sardensis Episcopi, cuius ea de causa meminit Beda Venerabilis Retract. in cap. 8. Act. Apostol. Hic igitur auctor vetus certè qualiscumque sit in lib. de transitu Beatissimæ Virginis, qui extat tom. 7. Bibliothecæ SS. Patrum, tradit anno 2. ab ascensione Domini Apostolos per totum orbem diuisos, cœpisse Euangelium omnibus gentibus prædicare.

II. Est Apollonij antiqui Theologi, qui apud Eusebium Cæsariensem lib. 5. histor. c. 17. testatur se traditione non incerta accepisse, Dominum cùm rediret ad patrem, suis præcepisse Apostolis ne vsque ad duodecim annos ab Hierosolymis & circumiacentibus locis discederent, iísque exactis, in mundum vniuersum, diuini luminis geruli proficiscerentur. Fauet huic sententiæ Clemens Alexandrinus 6. stromat. c. 2. vbi dictum refert Domini à Petro cæteris Apostolis renunciatum: *Siquis velit ex Israël duci pœnitentiâ, & propter nomen meum credere in Deum, remittentur ei peccata, post duodecim annos.*

III. Est S. Chrysostomi, qui homil. 25. in Acta asserit,

nonnisi post Apostolicum Concilium, omnes Apostolos per orbem dispersos docuisse vniuersas gentes, sicut eis à Christo præceptum fuerat.

IV. Opinio est Baronij, qui posthabitis diuersis eiusmodi sententiis, propriam hanc statuit; contigisse nimirum anno 44. circiter dimidio, hoc est vndecimo ab ascensione Domini, illam Apostolorum dispersionem: quo anno primum eáque occasione censet Petrum Antiochiâ Romam venisse, & illuc transtulisse summam Christianæ religionis sedem.

De his quatuor sententiis, locus hic postulat, vt obiter quidem sed clarè disseramus; Prior sententia nullius est auctoritatis; non quòd Melito cui tribuitur, non fuerit auctor insignis & fide dignus, vt qui sanctitatis & sapientiæ laude præstans, Marco Aurelio Imperatori Apologiam pro Christianis scripsit ac obtulit, vt refert Eusebius lib. 4. histor. c. 25. vbi etiam meminit aliorum eius operum & signatim catalogi librorum veteris Testamenti; sed quia successu temporis factum, vt in vulgus sub huius Melitonis nomine liber spargeretur, de Transitu B. Virginis; quem communi consensu Docti reiiciunt; *Et sanè indignus liber est* (ait Cardinalis Bellarminus, solertissimus siquis alius Censor) *qui tanto viro tribuatur*: S. Hieronymus in Catalogo exactiùs Patris huius scripta recenset, scilicet præsignatum Apologeticum, de Paschate libros duos, de vita Prophetarum lib. 1. de die Dominica lib. 1. de veritate lib. 1. de generatione Christi lib. 1. de Prophetia sua lib. 1. de Philoxenia lib. 1. & alium lib. qui Clauis inscribitur; de Diabolo lib. 1. de Apocalypsi Ioannis lib. 1. καὶ περὶ ἐνσωμάτου Θεοῦ lib. 1. ἐκλογῶν lib. 6. vbi vides in tam copioso accuratóque catalogo ne verbum quidem fieri de illo opusculo de Transitu B. Virginis, quem sanè B. Hieronymus si extitisset in Codice Melitonis operum, vel aliunde notum fuisset in Ecclesia, neutiquam prætermisisset, cùm quicquid confert ad honorem Beatissimæ Virginis, nunquam præterire soleat, & huius auctoris nomen mellitum sit in eius ore, cui ideo in fine eius elogij hoc ex Tertulliano subnectit; *huius elegans & declamatorium ingenium laudant. Tertullianus*, &c. *dicit eum à plerisque nostrorum Prophetam putari.* Denique venerabilis Beda librum hunc, de Transitu B. Virginis non sine felle refellit, quia spurium

iudicauit, illámque ideo ſententiam quæ in eo continetur de præcepto Domini facto Apoſtolis ne à Hieroſolymis (Iudæave) diſcederent ante annos duodecim, aculeatis his confutat verbis, expendens ſcilicet hæc verba ſancti Lucæ de perſecutione ſub Stephano, *(Facta eſt autem in die illa perſecutio magna in Eccleſia, quæ erat Hieroſolymis, & omnes diſperſi ſunt per regiones Iudææ & Samariæ præter Apoſtolos): Si diſperſa* (inquit Beda) *Eccleſiâ Apoſtoli remanſerunt in Hieruſalem, vt Lucas ait, conſtat quia mendacium ſcripſit ille, qui ex perſona Melitonis, Epiſcopi Aſiæ, librum exponens de obitu beatæ genitricis Dei, dicit quòd ſecundo poſt aſcenſionem Domini anno, Apoſtoli fuerunt omnes, toto orbe, ad prædicandum in ſuam quiſque prouinciam diuiſi. Qui vniuerſi appropinquante obitu B. Mariæ, de locis in quibus prædicabant verbum Dei, eleuati in nubibus rapti ſunt Hieroſolymam, ac depoſiti ante oſtium domus eius: inter quos etiam Paulus nuper ex perſecutore ad fidem conuerſus Chriſti, &c. Quæ Scriptura etiam ſpecialiter de Ioanne Apoſtolo refert, quòd eo tempore Epheſi prædicauerit. Quæ cuncta verbis B. Lucæ apertè contradicunt, quibus narrat Apoſtolos, cæteris fidelibus ab Hieruſalem propulſis, remanſiſſe ibidem, & prædicaſſe per omnia, donec Eccleſia per totam Iudæam, & Samariam, ac Galilæam pacem haberet; quod in vno anno perfici non potuiſſe, nulli dubium eſt. Qui etiam* (Lucas videlicet) *manifeſtè inſinuat, Paulum non ſecundo poſt aſcenſionem Domini anno, in miniſterium gentium cum Barnaba ordinatum. Abſit autem vt credamus B. Ioannem Apoſtolum, cui Dominus in cruce, matrem ſuam Virginem virgini commendauit, poſt vnum annum receſſiſſe, & eam reliquiſſe ſolam, ac tanto tempore deiectam, vt etiam corpus ipſum defunctæ timeret ab hoſtibus eſſe comburendum*, &c. *Hæc ideo commemoraui* (ait ipſe Beda) *quia nonnullos noui, præfato volumini, contra auctoritatem B. Lucæ incauta temeritate aſſenſum præbere.* Hæc Beda ſatis validè ad infringendam libri huius perſonati Melitonis auctoritatem; non tamen ad refellendam vſquequaque illam, ipſi inſertam ſententiam de Apoſtolorum per totum orbem diſperſione; quia ratiocinatio eius epocha præcipuè nititur temporis, quo ex hoc mundo in cælum migrauit Beatiſſima Virgo; quæ ſane epocha adeo eſt incerta, vt propter auctorum varietatem, nihil certi de anno quo ſanctiſſima ipſa Deige-

nitrix assumpta est in cælum, statui possit, quamuis quòd verè defuncta sit, & statim ab obitu super choros Angelorum à filio rege gloriæ fuerit exaltata: nulla subesse possit dubitatio. Addi potest nonnihil fauere vmbratilis Melitonis assertioni de transitu ipsius B. Virginis, anno 2. post Domini ascensionem, illorum sententiam qui paruo tempore post ipsam Domini ascensionem eandem sanctissimam Virginem volunt hìc superstitem remansisse. Certè S. Hildephonsus serm. 6. de Assumpt. sic ait, *Nec diu hæc sacratissima Virgo post Domini ascensionem, in terris potuit remanere, quam desiderabant Angeli, cælum etiam ipsum de eius ascensione quatiebatur*: ita ille. Cui Petrus Exquilinus Episcopus manifestè suffragatur lib. 7. cap. 65. Catalogi Sanctorum ex reuelatione sanctæ Elizabethæ de Schonaugia (lib. 4. Reuelat. eiusdem) quæ habet: *quòd anno vno post Christi ascensionem superuixerit, & tot diebus insuper quot supersunt ab Christi ascensione, vsque ad diem assumptionis eius.* Vincentius in Speculo historiali lib. 8. c. 80. & Massæus in Chronico eandem sequuntur sententiam. At verò Martinus Polonus, cui Michaël Beutherus consentit, asserit anno 2. post excessum triumphalem Domini, ipsam Virginem eius genitricem assumptam fuisse. Neutra supputatio Bedæ fauet, sed dictis asserti Melitonis concordat, rationémque Bedæ euertit, sumptam ex eo quod arguit, si iam Apostoli anno 2. ab ascensu Domini dispersi erant, sequi quòd Ioannes depositum non seruauerit à Domino sibi in cruce commendatum, sed Virginem matrem iniuriæ inimicorum Christi expositam deseruerit. Si enim, vt signata fert traditio, Virgo sacratissima anno labente primo ab ascensione Domini obierit, vel secundo incunte, erat Ioannes ab eius custodia iam liber, hócque exactè functus suo officio, facilè poterat cum aliis Apostolis, ad Gentium illuminationem proficisci. Sed tantùm abest vt illa traditio sit authentica & stabilis, quæ longè aliis probabilioribus traditionibus è diametro repugnat. Si testium auctoritate certandum est, minorne fide digni sunt Hippolytus Thebanus, Epiphanius Constantinopolitanus presbyter, quin & Euodius Antiochenus Episcopus*, Petri ea in sede successor; auctoribus prioris illius sententiæ? At verò illi serió docent anno 9. à passione Christi, beatissimam eius matrem hoc de sæculo exiisse. Nec minoribus fulta est præsi-

* *Apud Nicephor. lib. 2. c. 3. hist. Eccles. Et Turrian. lib. 2. pro Epistolis Pontificum c. 16.*

diis rationum ac auctoritatum illorum sententia, qui anno 12. à Christi glorificatione, dicunt ipsam Virginem beatissimam carnem exuisse mortalem, & immortalem stolam induisse, vt nec ea aliorum, qui eam transiisse anno Dominicæ ascensionis 14. consignant; nec denique aliorum qui 15. (vt primus notat suo in Chronico Eusebius Cæsariensis) cui succenturiantur auctores non inferioris notæ. Aliæ præterea sunt opiniones non minoris certè apud omnes auctoritatis, quæ vt superiores suo pondere illidunt, ita ab iis vicissim conteruntur.

Tempus me deficeret illas minutim & exactè discutientem: Certè quæ dicta sunt sufficiunt ad Magni Baronij iustam admirationem, æquiori suffragio muniendam: *quomodò tantæ rei historia adeo intricata sit, vt cùm de re in seipsa plus supérque constet, de tempore quo contigit, tanta sit inter auctores sapientissimos, sanctissimos ac eruditissimos altercatio?* Inde enim sequitur nihil solidi hinc ad argumentum Bedæ fulciendum elici posse; sicut enim conglobatim asserti Melitonis traditionem obruunt, sic & Bedæ dicta penitùs amoliuntur. His igitur prætermissis, regula Tichonij seruanda est diligenter, quæ *quicquid auctoritati sacræ Scripturæ contradicit, meritò docet reiiciendum esse vt falsum, & fide prorsus indignum.* Cæterum cuiuscumque sit illa sententia, quam fictitio Melitoni quidam attribuunt, de epocha diuisionis Apostolorum anno 2. post ascensionem Domini peractæ, Scripturæ sacræ patenti testimonio, plerisque signato locis, repugnat. Non enim solùm constat ex Actis Apostolorum à Luca Euangelista descriptis cælesti afflatu, in atrocissima illa persecutione, qua Stephanus Protomartyr gloriosus occubuit, dispersos fuisse quidem omnes Christi discipulos, perculsos tantæ exagitationis metu per regiones Iudææ & Samariæ *præter Apostolos*, qui cùm Act. 8. 1.
Ecclesiæ sublimes essent columnæ, fixi & stabiles ibidem hoc contempto turbine superstiterunt: Cæterùm in Commentariis nostris super Martyrologium Gallicanum ad 3. nonas Augusti manifestè probauimus, S. Stephanum anno ipso Dominicæ passionis & glorificationis, de Iudaica perfidia illustrissimo martyrio triumphâsse, exacto die ipsa 3. Augusti: Tametsi alij sint qui persuasum habeant, illum nonnisi sub finem Decembris, rigente hyeme, hanc collegisse palmam inclyti sui certaminis, sub ipsis Apostolorum

oculis intrepidè Hierosolymis consistentium consummati : At verò non statim eo peracto Apostoli Hierosolymis discesserunt : hoc enim fuisset apertæ formidinis patens indicium, & inimicorum Christi manifestæ victoriæ , ac Apostolorum propudiosæ inertiæ perspicuum argumentum. Sed euidens eorum constantiæ in sua statione seruanda demonstratio ex eo resultat, quòd Paulus vertente anno ad Christum conuersus fuerit, qui cùm ab Anania Damasci baptizatus, hincque à Iudæis exagitatus, zelo quo feruebat asserendæ Christi gloriæ, Ecclesiæ quæ erat Hierosolymis aggregari summo affectu cupiebat : *Cùm autem venisset Ierusalem* (ait Lucas Actorum cap. 9. 26.) *tentabat se iungere discipulis , & omnes timebant eum non credentes quòd esset discipulus. Barnabas autem apprehensum illum duxit ad Apostolos, & narrauit illis quomodo in via vidisset Dominum, & quia locutus est ei, & quomodo in Damasco fiducialiter egerit. Et erat cum illis intrans & exiens in Ierusalem , fiducialiter agens in nomine Domini.* Vnde palam est adhuc eo tempore Apostolos consedisse Hierosolymis. Primus autem omnium fuit Petrus, qui visu edoctus superno ianuam Ecclesiæ Gentilibus reserauit anno 41. Cornelio Centurione cum eius familia diuino iussu baptizato. Porrò tunc adhuc Hierosolymis Apostolorum senatus considebat, vt idem commemorat Lucas Act. 11. vbi ait, *Audierunt autem Apostoli & fratres qui erant in Iudæa, quoniam gentes recipiebant verbum Dei. Cùm autem Petrus ascendisset Hierosolymam disceptabant aduersus illum, qui erant ex circumcisione dicentes, quare introisti ad viros præputium habentes, & manducasti cum illis? Petrus exposuit illis ordinem,* &c. *Quibus auditis tacuerunt & glorificauerunt Deum dicentes, Ergo & Gentibus pœnitentiam dedit Deus ad vitam?* Nullus adhuc cæterorum Apostolorum Gentibus prædicauerat, aut digressus loco fuerat, ad eorum vocationem aggrediendum. Hinc igitur funditus ruit prima illa opinio de Apostolorum per orbem vniuersum dispersione anno à cruce & triumpho Domini secundo, consignata.

Secunda, cuius Apollonius apud Eusebium auctor est, quamuis à Clemente Alexandrino nonnihil obfirmetur, eísque auctoribus quibus placet, Beatam Virginem anno ab ascensione Christi 12. obiisse, non parum sit commoda & accepta ; stare tamen nequit, si cum expresso B. Pauli te-

ſtimonio conferatur; ſcribit enim ad Galatas cap. 1. annos tres poſt conuerſionem ſuam, hoc eſt anno 4. ab aſcenſione Domini veniſſe Hieroſolymam *videre Petrum*, &c. *Alium autem Apoſtolorum* (inquit) *vidi neminem, niſi Iacobum fratrem Domini: Quæ autem ſcribo vobis* (ait) *ecce coram Deo quia non mentior.* Igitur certò certius eſt nullum Apoſtolorum, præter Petrum paſtorem Eccleſiæ vniuerſalis, & Iacobum Hieroſolymorum proprium Epiſcopum fuiſſe Hieroſolymis anno 4. ab aſcenſione Domini. Nec porrò in Iudæa erant, quia Lucas qui naſcentis in Iudæa & Samaria Eccleſiæ primordia diligenter commemorat, nullum tamen refert Apoſtolum, præter Petrum, Iudææ & Samariæ, locorúmque circumiacentium inſtructioni nauâſſe operam. Nec mirum, quia Iacobo gubernationem Eccleſiæ Hieroſolymitanæ reliquerat; Petrus verò Apoſtolorum ipſe coryphæus, proprius Iudæorum erat Apoſtolus, iuxta illud Pauli, *Qui operatus eſt Petro in Apoſtolatum circumciſionis, operatus eſt & mihi inter gentes.* Ergo Apoſtoli reliqui omnes, iam diſperſi erant in vniuerſum mundum ad exequendum præceptum Domini, *ite docete omnes gentes.* Accedit quòd S. Marcus, vt oſtendit Baronius Annal. tom. 1. Euangelium ſuum ſcripſit anno Domini 45. Atqui ex ipſius Euangelij extrema clauſula patet iam Apoſtolos tum per totum orbem diſperſos, non ſine fructu fidem Chriſti diſſeminaſſe; *Illi autem profecti* (inquit Marcus) *prædicauerunt vbique, Domino cooperante, & ſermonem confirmante ſequentibus ſignis.* Quibus verbis patet non de futuro, ſed de ipſo tempore quo hæc ſcribebat eum loqui, proinde iam diffuſam fuiſſe prædicationem Euangelij per Apoſtolos in omnes gentes, ideóque iam diu ante tam proſperum ſucceſſum Hieroſolymis diſceſſiſſe.

Galat. 1. 19. 20. — *Galat. 2. 8.* — *Marc. 16. 20.*

Tertia ſententia, quæ eſt S. Chryſoſtomi, quæ diſperſionem Apoſtolorum nonniſi poſt primum Apoſtolorum Concilium, cui Paulus interfuit, aſſerit contigiſſe, fundamento, vt videtur, nititur firmiſſimo, ipſius ſcilicet auctoritate Scripturæ, nam Act. 15. legimus ſuper legalium quæſtione, Paulum & Barnabam Antiochia miſſos fuiſſe ad Apoſtolos & ſeniores in Hieruſalem. Cùm autem ibi veniſſent, *ſuſceptos fuiſſe ab Eccleſia, & ab Apoſtolis & ſenioribus*, &c. Túmque Apoſtolos conueniſſe cum ſenioribus

videre de verbo hoc, Petróque præside in hoc sacro Senatu, Iacobo adstipulante, decisam fuisse illam quæstionem, Synodicámque epistolam, qua super hoc dubio, Apostolica sententia expressa erat, datam fuisse Paulo & Barnabæ hoc sub titulo, *Apostoli & seniores fratres iis qui sunt*
Act. 15. 23. *Antiochiæ, & Syriæ & Ciliciæ fratribus ex Gentibus, salutem.* Si autem credimus Baronio ad minutos apices rei gestæ historiam expendenti, Concilium illud Hierosolymitanum habitum fuit anno Domini 51. At vereor ne fluxa sit illa supputatio, quia non bene cum fundatione Antiochenæ & Romanæ Ecclesiæ facta successiuè à Petro concordat. Bellarminus in sua quæ certè exacta est & solida Chronologia, Petrum (relicta Iacobo Hierosolyma) Antiochiæ suam Cathedram constituisse notat anno Christi 39. Deinde Romam profectum anno 44. illic fundasse Ecclesiam, & sedem religionis supremam ibi collocasse. Est igitur hîc nonnullus scrupulus eorum, qui difficile esse intellectu volunt, quomodo anno Christi 51. Petrus Hierosolymitano Concilio præfuerit, qui iamdiu ex Oriente discesserat, & Romæ sedem suam instituerat anno Domini 44. Scio Baronium respondere exagitatum Roma Petrum cum Iudæis rediisse cum plerisque discipulis in Iudæam, & sic eo anno huic Concilio præsedisse. Sed Lucas qui expulsionis Iudæorum factæ à Claudio meminit his verbis, *Eo quòd*
Act. 18. 2. *præcepisset Claudius discedere omnes Iudæos* (scilicet tam hebraizantes quàm Christianos) *à Roma;* diu expulsionem illam contigisse innuit post Hierosolymitanum Apostolorum Concilium, cuius seriem refert cap. 15. multísque magnis rebus interpositis, illam narrat expulsionem cap. 18. Nec dubium quin ipse qui Pauli fuit indiuiduus comes, & eius exactè progressus refert, rem illam tam insignem consignauerit, vbi, & quando, & quomodo oportebat. Citiùs igitur multo necesse est fateri celebratum Concilium Hierosolymitanum, sed quo præcisè anno habitum fuerit, (cùm ex Scriptura non constet, nec aliunde vlla solida Chronologiæ suppetat ratio) hinc certò colligi nequit quandonam Apostoli dispersi fuerint in omnes gentes; quemadmodum statim post illud Concilium factum fuisse S. Chrysostomus insinuat. Quamobrem ex illa epocha difficultatis, quam enodare impræsentiarum satagimus, non licet elicere certam decisionem.

Quar-

Quarta porrò, quæ Baronij est opinio, vix vllius est momenti, cùm eadem fere sit cum Apollonij persuasione, quæ secundo huius examinis loco expensa est: non enim solido temporis insignis interuallo ab ea distat, sed minutis quibusdam particulis paucorum mensium, qui vix vnum annum conficiunt, & proinde non tanti sunt ponderis, vt valeant specialem sententiam statuere. Adde quòd superiores opiniones hanc opinionem grauiter impetunt, quæ insuper multas difficultates secum trahit.

Certè si ausim post tam eximios auctores hîc prodere quid sentiam, nulla eorum damnata opinione, quoniam longè illorum auctoritas meæ persuasioni præponderat, bona cum omnium venia, quintam proponam sententiam, quæ conciliandis his controuersiis, circa rei quæ vertitur chronologiam, non modicum, vt equidem reor, afferet lumen: scilicet eo tempore diuisionem Apostolorum factam esse, quo Christo procellam in auram mutante, alcyonei dies Hierosolymis iam pubescenti Ecclesiæ affulgebant. Lucas diuinus Actuarius benignam hanc auram, quando hortum Ecclesiæ primum afflauerit non obscuris indiciis consignat Act. 9. 31. *Ecclesia quidem per totam Iudæam, & Galilæam, & Samariam, habebat pacem, & ædificabatur ambulans in timore Domini, & consolatione Spiritus sancti replebatur;* quod paulo post Stephani, primi laureati Christi testis triumphum, & Pauli conuersionem, rectâ rerum gestarum lineâ Lucas enarrat. Contigisse autem iuxtà Pauli ipsius insinuationem oportet, intra illud quadriennium, quod ab eius illuminatione defluxit: nam ipse testis omni exceptione maior Gal. 1. asseuerat, se post tres annos à conuersione sua venisse Hierosolymam videre Petrum, Apostolorum autem ceterorum vidisse *neminem nisi Iacobum fratrem Domini.* Ex quo palam sequitur iam tum dispersos fuisse vbique alios Apostolos. quomodo enim si Hierosolymis adhuc extitissent, ipsos Paulus omnes, vt antecessores suos, postquam vidisset Petrum, & inde Iacobum, non salutasset? aut quorsum tam insigniter annotasset se nullum eorum ibi inuenisse, si illos vel quosdam alios ab iis tantùm duobus quos nuncupatim designat, illic reperisset? Quando hoc autem contigerit, licet ex præmissis indiciis ire collectum, adeóque ex Tertulliani vicini Apostolicorum temporum, vt eum beatus Hieronymus cognominat, constanti testimonio, quo asserit Apologet. cap.

5. *ſub extremis Tiberij Imperatoris temporibus*, quo regnante Chriſtus ſub Pilato crucem pati voluit, Eccleſiam pacem habuiſſe. Mortuus eſt autem Tiberius anno imperij 22. qui Chriſti nonus ſupra trigeſimum erat. Hac igitur pace bene vſi Apoſtoli, cùm iam officio ſuo plenè Hieroſolymis functi eſſent: par eſt credere illos mandati Chriſti memores, occaſionem accepiſſe, Euangelium extra Iudæam propagandi, illúdque omnibus gentibus prædicandi. Petri videlicet auſpicato conſilio, ſecuti exemplum, qui cæleſti viſu & mandato admonitus, oſtium Eccleſiæ, cuius à Chriſto acceperat claues, hac benigna afflante aura, Iudæis aperuerat.

Neque opponi poteſt, à Luca poſt hæc Concilium Apoſtolorum Hieroſolymis habitum narrari, cui Apoſtoli interfuerunt: Nam hinc non ſequitur omnes illic interfuiſſe, cùm miſſos tum Paulum & Barnabam Lucas commemoret *ad Apoſtolos & ſeniores qui erant Hieroſolymis*, quæ contractio adhibetur ad inſinuandum, non omnes, ſed aliquos tantùm ex Apoſtolis tunc Hieroſolymis extitiſſe: Et reuerà quinque ſolùm hìc tunc interfuerunt, ſcilicet Petrus, Iacobus & Ioannes (qui Hieroſolymitanæ Eccleſiæ columnæ ideo à Paulo ipſo appellantur,) ipſéque Paulus qui eò acceſſit cum Barnaba, iam diuino iuſſu Apoſtolus gentium ordinatus; Quibus (vt Paulus ipſe teſtis eſt Gal. 2.) ipſe Petrus, Iacobus & Ioannes dexteras ſocietatis dederunt, vt ipſi Iudæorum adhuc ſpecialem curam agerent, illi verò ad gentium illuminationem, ex iniuncto cælitus munere proficiſcerentur.

Anno igitur Chriſti circiter 39. (quo Petrus ipſe hac ſumpta occaſione, Hieroſolymâ Antiochiam petiit, illìcque ſuam collocauit Cathedram) hoc factum, ratio probabilior mihi perſuadet: Et quidem menſe Iulio, die 15. quo res, Chriſti in terris regno, omnium certè quæ factæ poſtmodùm fuerunt auſpicatiſſima, conſignata fuit ad perpetuam memoriam in ſacris Eccleſiæ Catholicæ diptychis. Quamuis enim in Martyrologio Romano ampliùs ipſa diuiſio Apoſtolorum non ſit expreſſa, adhuc tamen inſcripta manet in Martyrologio Bedæ, & Martyrologio Vſuardi à Molano recognito, necnon Martyrologio Maurolici; quæ inſuper notata retinetur in Tabulis Patriarchalis Eccleſiæ Aquileienſis, necnon in antiquis Gallicanæ Eccleſiæ Calendariis, Miſſalibus & Breuiariis; quemadmodum accu-

ratiùs insinuaui in notis super nostro Martyrologio Gallicano Idibus Iulij.

ARTICVLVS III.

De terrarum orbis facta ab Apostolis inter se partitione, ad præconium diuinæ misericordiæ omnibus gentibus annunciandum.

IGNEM venerat Dominus mittere in terram, nihilque magis vnquam concupierat, quàm vt ignis ipse (quo nomine fidei lumen & charitatis ardorem intelligebat) in omnium cordibus accenderetur, & toto terrarum orbe fulgeret. Ideo in ligno crucis moriens pro mundi salute incendium illud maximum excitauit; quod vt vbique flammas protenderet, iussit suis Apostolis*(quos statim ac ad patrem cælestem reuersus est cum gloria, diuino igne desuper immisso, in linguarum ignearum specie, inflammauerat) vt discurrentes cum Euangelicis facibus per vniuersum orbem terrarum, omnes gentes ac populos diuino hoc lumine irradiarent & ardore illo superno incenderent. Cùm igitur tempus illud fortunatissimum tandem aduenisset, quo Iudæa & Samaria receperant, ex ore eorum, verbum Dei, Ecclesiáque ab iis fundata ibi iam esset florentissima, susceptóque diuino decreto, quo iam ingressis Israëlitis, Angelico præconio & relatione Petri clauigeri cælestis iussum est eis, fidei & salutis ostium Gentibus cuiuscumque nationis aperire: Hoc classico igitur exciti Apostoli, commune consilium inierunt, mundum vniuersum inter se partiendi, adeo vt sine mora, quisque eorum eam in Prouinciam properaret, quæ sibi ad diuinum hoc opus exequendum, non tam sorte quàm nutu diuino, obtigerat. Locus hîc occurrit de vsu sortium apud Hebræos, Græcos & Romanos disserendi: sed locus iste communis est, qui librum integrum exigeret, proindéque nequit in hoc tractatu, nequaquam amplissimo, contineri. Illicitæ sunt quædam sortes, vt docent Theologi post S. Thomam 2. 2. q. 95. art. 1. & opusc. 25. quod de sortibus inscriptum est: Aliæ autem licitæ sunt, nec à sanctis Patribus qui hac de re tractant improbatæ, quemadmodum ex doctrina patet S. Chrysostomi in Acta cap. 1. S. Hieronymi super Ionam, S. Augustini ep. 180. & lib. 1. de doctrina Christiana cap. 28. S. Gregorij in 1. Reg. cap. 14. Quibus astipulantur Abu-

Luc. 12. 49.

lensis sup. cap. 7. Iosue q. 4. & B. Laurentius Iustinianus serm. de S. Matthia, qui, sortibus missis, in locum Iudæ proditoris electus est: sed sorte licita, & auctoritate diuinæ legis, vsuque & praxi populi Dei probata. Vnde à Patribus summo consensu, reiectus est iampridem, famâ celebris, sed reipsa perniciosus liber, cui titulus erat, *Sortes Sanctorum*, quo specioso nomine sortilegia docebantur, iuréque à Gelasio Papa, in Synodo 70. Episcoporum can. *sancta Romana Ecclesia*, dist. 15. liber etiam alius reprobatus est & inter damnatos reiectus, qui titulo tenùs *Sortes Apostolorum* dicebatur. Certè cùm Apostoli inter se orbem vniuersum per insignes nationes ac prouincias partiti sunt, non aliis sortibus vsi sunt, quàm quæ in Scriptura approbantur, Prouerb. 6. 33. *Sortes mittuntur in sinu, & à Domino temperantur:* Sic enim se gesserunt Apostoli in S. Matthiæ electione; Fusa siquidem ad Deum humili ac pia deprecatione, qua professi sunt rem totam, non à fortuito euentu, sed à Domini nutu & beneplacito pendere, orantes dixerunt, *Tu Domine qui corda nosti omnium, ostende quem elegeris ex his duobus vnum, & dederunt sortes eis, & cecidit sors super Matthiam, & annumeratus est cum vndecim Apostolis.* Duas illas sortes nihil aliud par est credere, quàm chartulas, aut alias quasi tesseras coniectas in vrnam, vel quid simile, vnde extractum patuit Matthiæ nomen, vel eius aliquod huiusmodi indicium. Sic non temerè censueris Apostolos nomina insigniorum mundi partium chartulis inscripsisse, & post fusas ad Dominum humillimas feruidásque preces, vnumquemque traxisse eiusmodi indiculum, quo quæ signabatur prouincia censita est diuina dispositione singulis obtigisse. Nec enim, vt magnates sæculi à regibus suis eas prouincias ambiunt regendas sibi committi, quæ situ amœniores, amplitudine, maiores, aut fruitione vtiliores existimantur, quoniam suis commodis student, non autem principis aut regni vtilitati. Non sic, inquam, Apostoli, qui eas dumtaxat prouincias in hac diuisione optauerant, quas Deus suæ voluntatis beneplacito ipsis sigillatim assignaret; nec enim aspiciebant ad locorum vicinitatem vel longinquitatem, aëris amœnitatem, vel asperitatem, incolarum docilitatem aut efferatam barbariem, non ad commoda huius vitæ vel incommoda: adiaphora hæc eis non solùm erant, sed horrida quæque magis affectabant, quo crucem secum vbique circumfer-

rent, & inter spinas & tribulos, rosas & lilia colligerent, vnde Christo Domino serta coronaria offerrent: Spirabant enim eius in omnibus & per omnia gloriam, & populorum ad quos missi erant eius nutu conuersionem & salutem; hoc enim omnium votum, hæc vox vna omnium erat, quam edidit Paulus Mileti ad Asianos Episcopos & Sacerdotes, Act. 20. 23. 24. *Spiritus sanctus per omnes ciuitates mihi protestatur dicens, quoniam vincula & tribulationes* (quò vado) *me manent, sed nihil horum vereor, nec facio animam meam pretiosiorem quàm me* (id est vitam hanc temporalem, quàm animæ meæ salutem), *dummodò consummem cursum meum, & ministerium verbi, quod accepi à Domino Iesu, testificari Euangelium gratiæ Dei.*

Ridebat scitè Seneca ambitum mundi huius principum, qui susdéque omnia mouent ac vertunt, vt ditiones suas amplificent, eóque maiores sese existimant, quo pluribus & potioribus prouinciis dominantur. Formicæ, inquit, si hoc feruerent æstu, aream facilè possent in tot receptacula, quot illi regna, in prouincias diuidere. Et sanè si pusilla hæc animalia conuenirent & amplissimum quoduis regnum inter se partitum irent, eorum stultitiam & inanem conatum quis non meritò derideret? Si factum Apostolorum, vniuersum orbem inter se dissecantium, sapientum huius sæculi iudicio perpendatur, mera profectò reputabitur insania, illorum eiusmodi ausus. Vix enim vllo sensu concipi potest quo pacto, viri duodecim, orti ex fæce vulgi, idiotæ, inopes, inermes, nudi, despecti, vix solis oculis aspectabiles, tantum opus ac vniuersi mundi conuersionem non dubitarint aggredi, ipsúmque totum orbem, quasi iam victores in Christi regni distribuere prouincias, sibíque eas quasi in prædam datas à Domino suo, inter se diuidere, & quasi iam subactas antequam visas sibi cuique singulas vendicare, atque in triumphum & trophæum propriæ cuiusque victoriæ, post se traducere, ídque intra breuis adeo temporis spatium, vt vix semisæculo exacto, regij Prophetæ gloriari potuerint impletum esse vaticinium, *In omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.* Psal. 44.

Stupenda sunt quæ de Romani imperij magnitudine ab eius amplitudinis præconibus enarrantur: exigua sunt tamen si conferantur cum Ecclesiæ Christianæ amplitudine

& gloria, iam Apostolorum ætate permaxima. Verè & animosè iam olim Origenes obiicienti Celso Epicureo, esse Christianorum dogma obscurum & ignobile, respondit, *Vniuerso terrarum orbi, quod Christiani prædicant, longè esse notius, quàm quorumcumque Philosophorum placita:* imò etiam dicere poterat Romanorum principum imperium, quantumuis amplum & diffusum, longè minus fuisse Christi regnô, ab eius Apostolis fundato & erecto. Gloriatur ideo iure Tertullianus Christi nomen ac Euangelium eò iam peruenisse, quò attingere Romana nunquam potuerat magnitudo, *Et Romanis aquilis* (ait) *inaccessa loca, Christo verò iam subdita.* Nec porro hoc verum esse cœpit ipsius æuo Tertulliani, (qui tamen vicinus erat Apostolorum temporum) sed iam ipsa Apostolorum ætate verissimum erat. Locus hic insignis magni Origenis hom. 12. in Genesim, quo climata mundi ab Apostolis recenset Euangelico lumine illustrata, & Christi imperio ac cultui subiugata, graphicè hanc veritatem demonstrat. Triumphasse siquidem sic enarrat Ecclesiæ nascentis principes, post subactam Iudæam & Samariam: Petrum in Italia, Paulum in Græcia, Andream in Achaïa, Ioannem in Asia, Philippum in Phrygia, Thomam in vtraque India, tam Orientali quàm Occidentali, Matthæum in Æthiopia, Simonem in Perside, Thadæum in Mesopotamia, Iacobum in Hispania, &c. Cooperati sunt verò Apostolis, Septuaginta duo alij discipuli, & subinde perplures viri Apostolici, qui per reliquum terrarum orbem (vt aliàs in 72. discipulorum Synopsi ostendimus) discurrentes Christi regnum latissimè propagarunt, & in extremos vsque mundi fines dilatarunt *. Cæterùm orbis Romanus nunquam mundum impleuit vniuersum, nec enim aut Asiæ, aut Africæ omnia regna peruaserunt vnquam Romani Cæsares, cùm ad Æthiopes & Abyssinos nunquam peruenerint, vbi etiam antequam Apostoli orbem terrarum peragrare cœpissent, nascens Christiana religio penetrauerat. Porrò ab Oriente nunquam Chaldæos Romani attigerunt, sicut nec Tartaros & Scythas à Septentrione: ad Indos etiam non peruenerunt. Tentârunt potiùs Persas & Parthos quàm subiugârunt. Porro Parthi qui eorum conatus vi maiori fregerunt, ipsa oriente fide, radios diuini luminis non sine lætitia exceperunt, sicut indicio nobis est 1. epistola S. Ioannis, planè vtique Aposto-

Lib. 2. cont. Celsum.

Lib. cont. Iudæos.

* *Vide Euseb. lib. 3. hist. c. 37.*

lica, quin & prorsus diuina, quæ data est ad Parthos, vt eius innuit vetustissima inscriptio à S. Augustino agnita & probata. Merito igitur iam trophæo crucis calcata Romani imperij fastuosa superbia, Leo Magnus Christi regni in terris Vicarius, sic Romam ipsam à Petro subiugatam glorianter quidem, sed omnino verè alloquitur: *Quamuis multis aucta victoriis ius imperij tui terra marique protuleris, minus tamen est quod bellicus tibi labor subdidit, quàm quod pax Christiana subiecit;* Non enim armis, sed fide, sed doctrinæ veritate, sed diuinè factorum splendore, Apostoli Christo regi gloriæ orbem terrarum subiugârunt; seu vt dicam rectiùs, per Apostolos Christus suos, omnes sibi gentes & regna mundi vendicauit ac deuinxit. Appositè ad hæc, nec minùs eleganter magnus Chrysostomus in Matthæum. *Misit Christus Apostolos, quasi sol radios, quasi rosa suauitates odoris sui, quasi ignis scintillas suas dispersit, vt sicut sol in radiis apparet, sicut rosa in odoribus suis sentitur, sicut ignis in scintillis suis aspicitur, sic in illorum virtutibus Christi potentia cognoscatur;* quis enim videns discipulos bene instructos, non scientiam magistri collaudat? faciebat miracula Christus, faciebant & discipuli eius, *sed inter mirabilium operationes, maior fama virtutum crescebat.* Exemplis enim plus quàm verbis, & salutaribus monitis ac diuinis documentis, quàm vllis aliis armis, Christus & Apostoli animas hominum ad fidem & purum Dei cultum & obsequium allexerunt. Scitè igitur Augustinus ait, nec minùs verè serm. de Apostolis, *Christus Iesus Petrum, & Andream & alios per quos operatus est salutem, non de foro ciuili, sed de simplicitate piscatoria legimus assumpsisse; inflat enim sapientia huius mundi, & legum ventosa loquacitas. Elegit sanè non Reges, non Senatores, non Philosophos, sed plebeios, indoctos, piscatores, ineruditos liberalibus disciplinis, non peritos Grammatica, non armatos Dialectica, non Rhetorica inflatos. Piscatores Christus cum retibus fidei paucissimos admisit, atque ita ex omni genere tam multos pisces, & tam multo mirabiliores, quanto rariores, etiam ipsos Philosophos cepit.* Arator in persona Petri Andreæ germani, & cæterorum Apostolorum principis, graphicè illa diuini piscatoris retia capientia ipsum mundi fastigium, hoc est Romam rerum apicem, & totum subinde orbem, suo more describit lib. 1. Carm. in Acta cap. 4. vbi ait,

Primus at ille Petrus, cui seruit in æquore gressus
Retia iam cupiens hominum vibrare saluti,
Vt piscator ouans, leuet has de fonte cateruas,
Rettulit æthereos, populo mirante, triumphos.

Et cap. 21. vbi diuinam ipsi Petro exhibitam refert visionem, de linteo cælesti, animalibus omnis generis referto, quæ vt viuificaret, occidere, ipse Petrus superna voce iussus est, ita miro prorsus modulamine canit,

Clauiger æthereus cælum conspexit apertum
Vsus honore suo: demittitur inde figura
Vasis vt in terris sit visio, corpore Petri
Omnia posse capi: qui quicquid sumit edendum
Ecclesiæ facit esse cibum. Perfertur imago
Quattuor ordinibus se submittentibus. Vna
Forma est Ecclesiæ, quæ quattuor eminet orbis
*Partibus, & totidem laxat præconibus * ora.*
Omne genus retinens volucrum, pecudúmque, ferarum,
Reptiliúmque simul, mortalibus ista cohærent
Ex meritis vitiísque suis. Patet ergo quod auctor
Iussit in Ecclesiæ transfundi viscera Gentes.
Macta & manduca, dum præcipit, abstrahe quod sunt,
Et tibi fac similes?

* Id est quatuor Christi Euangelistæ.

Andreæ in Achaiam proficiscenti idem certè, saluo primatu dictum, quod tum Petro diuinitus iussum est Romam adeunti, seu potiùs inuadenti in Christi signo ac nomine. Id porrò eius successor Leo Magnus serm. 1. de SS. Apostolis Petro & Paulo, genuina hac epigraphe, vt doctos non latet, expressit. *Plerasque iam mundi partes legibus Euangelicæ prædicationis impleueras? Nec vt dubius de prouectu operis, aut de spatio ignarus ætatis, trophæum crucis Romanis arcibus inferebas, quo te diuinis præordinationibus anteibant, & honor potestatis, & gloria passionis.*

ARTICVLVS IV.

De ipsa Apostolorum in omnes Gentes dispersione.

Luc. 22. 31. SIMON (aiebat Dominus Petro, in ipso sui agonis extremi procinctu) *satan expetiuit, vt vos cribraret sicut triticum? Ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua: Et tu aliquando conuersus confirma fratres tuos.* Cribratio sanè illa non erat ad fructificandum, sed ad perdendum salu-

ſalutiferum Euangelij ſemen, quod auctore Chriſto, totius mundi Saluatore, Apoſtoli vbique terrarum poſt Chriſti ipſius redeuntis ad patrem, à mundo abſceſſum, diſperſuri erant: volebat enim, iámque ſatagebat Diabolus ſuffocare ſementem patrisfamilias, & diuini verbi ſemen de cordibus hominum eripere, ne ſalui fierent, ſi in intimis illud fouerent animarum viſceribus. Nec hoc tantummodò, ſed verſutus hoſtis iam machinabatur ipſos Apoſtolos à Chriſto ſeparare, atque ab inuicem diuidere: vt diuulſi à proprio capite, exciderent à vita, & truncati à mutua membrorum myſtici corporis compagine, omni actu & operatione, quæ vergeret in communem ipſorum, totiúſque generis humani ſalutem, priuarentur. Sed Chriſtus qui venit in mundum *vt diſſolueret opera diaboli, & filios Dei diſperſos colligeret in vnum*, vnguentum fecit ex luto, cribrauit enim ipſemet Apoſtolos, & ſeiunxit ab inuicem, vt per eorum diuiſionem, in fidei vnitatem, ſpeíque & charitatis indiſſolubile vinculum conciliaret omnes gentes, vnámque Eccleſiam ex vniuerſo hominum genere vbique diffuſo, collectum iret. Miſit igitur Apoſtolos ſuos in vniuerſum mundum vt ſol emittit (ſicut ſuprà diximus) radios ſuos, & ſuos odores roſa circumquaque diffundit, igníſque exardeſcens ſuas euibrat ſcintillas. Scintillæ etſi diuiſim ab igne exaſperato proſiliunt, eundem tamen retinent ardorem, roſæ ſuaueolentiam odor idem ſpargit; radij ſolis ſic à ſe inuicem diuiſi ſunt, vt tamen ſicut lineæ in centro, ſic radij omnes in ſolari corpore vniantur, & rami arboris in eius ſtipite & radice. *1. Ioan. 3. 8.*

Varia ſunt & eximia epitheta, quibus Apoſtoli à S. Chryſoſtomo, inhærente ſacris ſcripturis, honeſtantur, eorúmque inſinuatur multiplex virtus, ſublimis dignitas, ſummáque excellentia, *Etenim* (inquit ſerm. de Pentec.) *vinitores erant, & piſcatores, & turres, & columnæ, & medici, & duces, & portus, & gubernatores, & paſtores, & athletæ, & pugnatores, & coronas geſtantes. Columnæ quidem, quia virtute ſua Eccleſiæ robur ſunt: fundamenta, quia in confeſſione eorum fundata eſt Eccleſia; portus, quia tempeſtates impias repreſſerunt; gubernatores, quia orbem terrarum viam rectam docuerunt; paſtores, quia lupos abegerunt, & oues conſeruarunt; aratores, quia ſpinas eradicauerunt; vinitores, quia labruſcas extirpauerunt, & ſemina pietatis plantauerunt; medici, quoniam vulnera noſtra curauerunt.* Hæc profectò tam

vera ſunt, quàm quæ veriſſima. Sed inuenio in ſcripturis, ſanctorúmque Patrum obſeruationibus, alia quædam elogia, quæ Apoſtolis, totum per orbem terrarum miſſis à Domino, non minùs aptè conueniunt, & huic noſtro themati, de illorum per vniuerſum mundum diſperſione, congruentiùs applicantur: ſiquidem rectiſſimè aſſimilantur ſtellis, ſagittis, nubibus, columbis, & fluminibus.

I. Stellis deſignari Apoſtolos rectè obſeruat S. Auguſtinus in illud Apocalypſis, *mulier amicta Sole, & Luna ſub pedibus eius, & in capite eius corona ſtellarum duodecim:* hanc enim mulierem dicit eſſe Eccleſiam, *in cuius capite fulgent Apoſtoli, vt ſtellarum duodecim corona.* Verùm S. Chryſoſtomus ſic comparat ſtellis Apoſtolos: vt ſtellæ quidem ſint coruſcantes in firmamento Eccleſiæ; at ſtellis iſtis quæ paſſim in cælo apparent, Apoſtolos innuit mirum in modum antecellere; *Stellæ*, inquit, *in cælo, Apoſtoli ſupra cælum: ſtellæ de igne inſenſibili, Apoſtoli de igne intelligibili; ſtellæ in noctu lucent, in die obſcurantur, Apoſtoli in die & in nocte ſuis radiis effulgent; ſtellæ orto ſole obſcurantur, Apoſtoli ſole iuſtitiæ ſplendente ſua charitate luceſcunt. Stellæ in reſurrectione cadent ſicut folia, Apoſtoli in reſurrectione ſedentes ſuper ſydera vniuerſum mundum iudicabunt.* Cæterùm ſicut ſtella magos (qui Gentium erant primitiæ) duxit ad Chriſti recens nati præſepium, ſic Apoſtoli ſuam quique Gentium nationem, à ſe illuminatam, Chriſti fide, coram eo in extremo die adducent, & repræſentabunt: *Ibi Petrus cum Iudæa conuerſa* (ait Magnus Gregorius hom. 17. in Eu.) *quam poſt ſe trahet, apparebit; Ibi Paulus conuerſum* (*vt ita dixerim*) *mundum ducens; ibi Andreas poſt ſe Achaiam, ibi Ioannes Aſiam, ibi Thomas Indiam in conſpectu ſui iudicis conuerſam ducet*, &c.

Apoc. 12. 1.

II. Sagittæ etiam Apoſtoli dicuntur, vt notat S. Auguſtinus in illud Pſal. 126. *Sicut ſagittæ in manu potentis, ita filij excuſſorum.*
» Excuſſi ſunt quidem de manu Dei, tanquam
» ſagittæ, & ierunt longè, totámque terram ſubiugarunt.
» De arcu excutiuntur ſagittæ, &c. De arcu ſuo mittit Apo-
» ſtolos ſuos, non potuit eſſe reſiduum, vbi non iret ſagitta,
» à tam forti excuſſa, peruenit vſque ad fines terræ. Facit ad eandem comparationem locus hic inſignis diuini Pſalmiſtæ in Chriſti epithalamio, *ſagittæ tuæ acutæ, populi ſub te cadent.* Chriſtus enim in cruce fixus, in qua Eccleſiæ (pro qua mortem oppetebat) *Sponſus ſanguinum factus eſt;* mihi

Pſal. 44.
Exod. 4. 25.

quidem videtur fuiſſe inſtar Cupidinis, ſeu Dei Amoris, è pharetra ſui cordis vibrans aduerſus homines ſuæ ſummæ dilectionis & beneuolentiæ ſagittas. Crux eius fuit arcus, quo tela iſta vibrauit, vel ipſe extendens brachia ſua, velut arcus factus eſt, iuxta illud eiuſdem Pſalmographi, vaticinium, *Poſuiſti vt arcum æreum brachia mea*, Pſal. 17. hinc igitur illæ ſagittæ prodierunt, videlicet Apoſtoli, de quibus Pſal. 44. idem ait, *ſagittæ tuæ acutæ, populi ſub te cadent*, has enim ſagittas Chriſtus Dominus è pharetra diuini ſui amoris extrahens in mundum miſit, vt inimicos ſuos conuerteret in amicos, eóſque ſuo amore vulneraret, plaga quidem non mortifera, ſed ſalutifera, quæ ideo dicitur *alligatura ſalutis*. Ideo non eorum læſit capita; ſed corda transfixit, iuxta vaticinium præcitatum, *ſagittæ tuæ acutæ, populi ſub te cadent in corda inimicorum regis*, quaſi diceret mira ſagittarum iſtarum virtute, omnium corda transfixa, tuo regno ſubdentur, téque vt ſuum regem adorabunt. Huc referri poteſt illud 4. Reg. 13. Dixit Elizeus ad Ioas, *aperi feneſtram orientalem, & iace ſagittam: & iecit, & ait Elizeus: Sagitta ſalutis Domini, & ſagitta ſalutis contra Syriam, percutiéſque Syriam in Aphec, donec conſumas eam, & ait, Tolle: Sagittas & percute terram.* Profectò Pater cæleſtis dedit filio ſuo vnigenito *gentes in hæreditatem & poſſeſſionem ſuam terminos terræ*: ſed ipſe filius vt regnaret in vniuerſo mundo, elegit ſagittas quas (faciens potentiam ſuam in brachio ſuo) in omnes gentes vibrauit, aſſumpſit Petrum, & percuſſit Romam, eam ſibi ſubiugans: miſit Paulum, & percuſſit Græciam, & eam ſibi ſubdidit; miſit Andream vt ſagittam electam & acutam, & Achaiæ populos amore ſuo transfixos ſibi ſubegit: ſic alios miſit in totum terrarum orbem Apoſtolos, & omnes populos deuictos ſuum in obſequium flexit, allexit, & vnà deuinxit.

III. Nubibus etiam Apoſtoli ſecundùm Scripturam ſunt ſimiles. De iis, ſub hoc typo, Iſaïas ait c. 60. *Qui ſunt iſti, qui ſicut nubes volant?* S. Auguſtinus in Pſal. 76. ad hæc verba, *Etenim ſagittæ tuæ tranſeunt, vox tonitrui tui in rota.* Apoſtoli (inquit) quos dudum nubes (Propheta) vocauerat, modò ſagittas nominat: ſagittæ enim ſunt quia percutiunt, & nubes quia rigant. Sagittæ pertranſierunt, quia in auribus non permanſerunt, ſed corda transfixerunt: *Nubes illæ in rota* circuierunt orbem terrarum, circuierunt »

" tonando & coruſcando, abyſſum commouerunt, præceptis
" tonuerunt, miraculis coruſcarunt. Et ſic *commota eſt, &*
" *contremuit terra*, id eſt, *omnes qui habitant in terra*. Et quia
" in Gentibus prædicauerunt : *in mari via tua, & ſemita tua*
" *in aquis multis*, hoc eſt in populis multis : quia *in omnem*
" *terram exiuit ſonus Apoſtolorum*. De nubibus plura dici poſſent, *ſed non eſt opus* (vt prudenter ait S. Hieronymus) *vbique dicere omnia*. Iam igitur ad columbas veniendum, quibus Propheta Apoſtolos aſſimilat, poſtquam enim dixit, *Qui ſunt iſti qui ſicut nubes volant?* Impulſi ſcilicet ab eo ſpiritu, qui dicitur *impetus ſpiritus vehementis*, confeſtim ſubiungit, *Act. 12. 10.*

IV. *Et ſicut columbæ ad feneſtras ſuas*. Tritum eſt inter eruditos, quod apud veteres legitur de columbis tabellariis, quæ internuncio fungebantur munere, illigatis ad pedes epiſtolis, ideóque ſunt nonnulli qui locum citatum Iſa. 60. 8. de Apoſtolis interpretantur : hi ſiquidem à Spiritu ſancto in vltimas terrarum delati auras, fauſtum lætúmque nuncium ſcilicet εὐαγγέλιον, æternæ præcones ſalutis detulerunt ; quare continuò ſubdit ſanctus Propheta, *Me enim inſulæ expectant & naues maris in principio, vt adducam filios tuos de longè*. Has columbas antè vocauerat angelos, 18. 2. dicens, *Ite Angeli veloces ad gentem conuulſam & dilaceratam, cuius diripuerunt flumina terram*. Hæc igitur Apoſtolorum legatio, qua diuino nutu diuiſi, nidum patrium deſeruerunt, optimè repræſentatur volatu columbarum peregrè diſcedentium cum illigatis epiſtolis. Vocat autem Propheta aptiſſimè loca extera in quæ pernici volatu perrexerunt, non columbarij foramina quæ in Canticis à ſponſo *foramina petræ & cauernæ maceriæ vocitantur*: ſed feneſtræ ad quas cicuratæ & allectæ nuncia ſibi credita deferebant; ſic Ioannes in Aſiam volauit, ſic Andreas in Achaiam tranſmiſit lætum cæli nuncium, Chriſti ſcilicet Euangelium auſpicatò deferens tranſitu. *Cantic. 2. 14.*

V. Flumina etiam Apoſtoli ſacris in oraculis appellantur. Huc ſpectat magnus Auguſtinus vbi explicat illud Pſ. 92. *Eleuauerunt flumina Domine, eleuauerunt flumina vocem ſuam :* ſic enim hunc in locum infit, *Miſit Dominus Spiritum ſanctum ſuum, impleuit Apoſtolos. Ipſe ſpiritus magnum flumen, vnde impleta ſunt multa flumina, quia fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei : ſic ergo facta ſunt currentia flumina de ventre Apoſtolorum*, &c. & *ipſa flumina accepto*

Spiritu sancto eleuauerunt vocem suam, à vocibus aquarum multarum. Quia cùm cœpisset Christus tantis vocibus prædicari, cœpit irasci mare, creuerunt persecutiones, quia quando irascitur mare, eleuantur fluctus. Fremat mare quantum vult, mirabiles minæ, sed mirabilis in altis Dominus. Potestates enim & reges crediderunt & subiugati sunt Christo, & in ipso pacem habuerunt Apostoli. Quibus non minùs aptè S. Hieronymus illud Habacuc Prophetæ accommodat, *Fluuios scindes terræ*, Septuaginta, inquit, transtulerunt, *fluuiis scindetur terra. Cerne*, inquit, *Apostolos, & iam non quatuor flumina, sed duodecim fluuios intellige, exire de paradiso. Isti fluuij antequam terra commoueretur, latebant, & cùm essent in terræ venis, sitientibus pocula non præbebant: postquam verò ad aduentum Christi omnis terra concussa est, subito proruperunt; tunc posuit Deus desertum in fontem aquarum, quando scilicet fluuios scidit terra, & fluuiis scissa est terra.* Lib. 2. circa c. 3. Habac. tom. 4.

Hîc verò notatu dignum est, Apostolos, cùm orbem inter se diuiserunt, primùm in quatuor plagas seu partes, demum in duodecim ipsum totum distribuisse. Oriens cessit Bartholomæo & Thomæ, quorum vterque in India latissima omnium regione prædicauit. Meridies Simoni & Matthæo, quorum prior in Ægyptum, posterior in Æthiopiam detulit Euangelium. Aquilo Philippo & Thadæo, huius in sortem cessit Mesopotamia, illius fuit Scythia. Occidens cessit Petro, & vt nonnulli volunt, Iacobo fratri Ioannis. Mundi medium Iacobo iusto fratri Domini, & Matthiæ, quorum alter ciuitatis sanctæ curam suscepit, alter Iudæam erudiuit, vbi & martyrium passus est. Denique Mediterranei maris prouinciæ, Andreæ & Ioanni accesserunt: nam minori Asiæ præfuit Ioannes, apud Ephesum residens: Andreas verò Thraciæ & Achaiæ Euangelium prædicauit; siquidem minor Asia, Thracia, & Achaia, quibus Andreas & Ioannes semina salutis intulerunt, sitæ sunt iuxta mare Galilæum & Mediterraneum. Cæterùm Barnabas & Paulus diuino iussu Apostoli Gentium ordinati, quasi aliorum generales suppetiatores, vbique prædicandi gratiæ & gloriæ Christi præconium, munus acceperunt. Tandem verò Barnabas diuulsus à Paulo, in Cypro plantauit fidem, pro qua demum ibidem martyr occubuit. Paulus post vniuersum ferè mundum peragratum & suis prædicationibus illustratum, Petro associatus, cum eo Roma-

nam fundauit Ecclesiam, *cui* (vt verè, scitè, & planè insigniter ait Tertullianus) ambo ***totam doctrinam cum sanguine profuderunt.*** Sic orbis vniuersus terrarum dissectus per magna quatuor flumina, quæ de paradiso exierunt, Euangelica Christi doctrina inundatus est: & rursum in duodecim partes diuisus per Apostolica totidem flumina, mysticis piscibus repletus fuit, qui in lauacro ***aquæ salientis in vitam æternam*** diuino procreati semine, tam feliciter quàm mirabiliter nascuntur. Acutè more suo & præclarè magnus Augustinus spectans illud Apoc. 21. ***Et ambitus ciuitatis habet portas duodecim, & fundamenta duodecim, & in istis duodecim nomina duodecim Apostolorum agni. Vndique,*** ait*, ***intratur in illam ciuitatem, partes enim mundi quatuor sunt Oriens, Occidens, Aquilo, & Meridies: ab omnibus istis quatuor partibus sicut dicit Dominus in Euangelio, à quatuor ventis se collecturum electos, vocatur Ecclesia. quomodo vocatur? vndique in Trinitate vocatur. Non vocatur nisi per baptismum in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Quatuor autem ter ducta, duodecim inueniuntur.*** quibus duodecim videlicet Apostoli designantur, in quibus quasi totidem fluminibus irrigantibus, aquis diuinæ veritatis & gratiæ vniuersam terram, impleta est diuini Psalmistæ Prophetia, ***fluuios scindes terræ,*** seu ***fluuiis scindetur terra.*** Nam sic Apostoli duodecim ab inuicem diuisi vniuersum terrarum orbem, inter se partiti sunt: cúmque totum in vnitatem fidei & vnius beatæ spei ac Christianæ charitatis compaginem, copularunt. Cursum sanctorum Apostolorum non inscitè delineauit olim Fortunatus lib. 5. poëmatum cap. 1. vbi sic cecinit,

* Exposit. in Psal. 86. ante med.

Redditur auulsis spinis vrbs Romula princeps,
Principis egregij vomere culta Petri.
Paulus ad Illyricos, Scythicas penetrando pruinas
Dogmate feruenti, frigora soluit humi.
Matthæus, Æthiopes attemperat ore vapores,
Viuáque in exusto flumina fudit agro.
Bellica Persidis Thomæ subiecta vigori
Fortior efficitur victa tiara Deo.
Lurida perspicuo datur India Bartholomæo;
Andreæ monitis, extat Achaia seges.

Vbi parumper mutat ordinem superiùs ex scriptis aliorum expressum, & quosdam Apostolos prætermittit, quos hunc

in modum supplet in alia recensione, inserta lib. 7. cap. 4. inter medium & finem.

Legis consulti Pauli comitante volatu,
Princeps Romana currit ab arce Petrus.
Conueniunt ad festa simul sua dona ferentes,
Hi quorum cineres vrbs caput orbis habet.
Culmen Apostolicum radianti luce coruscum,
Nobilis Andream mittit Achaia suum.
Præcipuum meritis Ephesus veneranda Ioannem
Dirigit, & Iacobos terra beata sacros.
Læta suis votis Hierapolis alma Philippum,
Producens Thomam munus Edessa pium.
Inde triumphantem fert India Bartholomæum,
Matthæum eximium Naddauer alta virum.
Hinc Simonem, ac Iudam, lumen Persida gemellum
Læta relaxato mittit ad astra sinu.

CAPVT V.

Apostoli Symbolum fidei condiderunt, priusquam discessissent ab Hierosolymis, vt Euangelium vbique prædicarent. Cuius Symboli Articulum secundum, sanctus Andreas pronunciauit.

ARTICVLVS I.

De compositionis Symboli loco, die, & tempore, eiúsque perpetuo vsu, ac efficacia.

DE loco vbi ab Apostolis compositum fuit fidei Symbolum, quædam est inter doctos dubitatio; quidam enim asserunt conditum fuisse in cœnaculo montis Sion, alij non editum fuisse Hierosolymis, sed extra ipsam sanctam ciuitatem, loco scilicet parumper dissito à fastigio montis Oliuarum, vnde Dominus conspicientibus Apostolis ad cælos ascendit. Sic Anselmus in descriptione Terræ sanctæ disertè dicit, *A loco ascensionis Christi ad quadraginta passus pedum, apparent vetustißimi parietes muri ruentis, in loco vbi Apostoli diuiserunt sibi prouincias, ad quas quisque ire debuerat, & ibi Credo composuerunt.* Sed non multum refert cui sen-

tentiæ assentiamur : nam mons Oliuarum ferè hæret Hierosolymis, nec igitur longè dissitus est à monte Sion; quamobrem non à vero aberrauerit, qui dixerit Hierosolymis Symbolum ab Apostolis conditum fuisse.

De die quæstio est nonnihil intricatior ; cùm enim certum sit Apostolos hanc fidei regulam & tesseram Christianæ religionis, occasione dispersionis suæ in omnes mundi regiones statuisse : videtur verò consentaneum, illo die Symbolum conditum fuisse, quo Apostoli ad diuisionem suam decernendam conuenerunt. Sed dies illa variè consignatur in Ecclesiasticis tabulis. sunt qui velint eo die initam Apostolorum separationem, quo Iacobus frater Domini Episcopus Hierosolymorum primus ordinatus est ; consignatur verò eius ordinatio die 27. Decembris. Sed contrà ipsi Græci sentiunt, qui cum Latina Ecclesia consentientes, suo in Menologio sic notatum habent : *Die 15. Iulij festiuitas omnium Apostolorum, quando diuisi sunt ab inuicem.* Suprà verò citauimus, Latinarum Ecclesiarum insignium Kalendaria & Breuiaria, quæ coli iampridem consueuisse Apostolorum diuisionem, illa ipsa die, manifestè probant. Certè ipsa Romana Ecclesia diuisionem illam celebrabat hoc ipso die, vt patet ex antiquo Breuiario & Missali, in quo cantanda præscribitur Epistola ex Rom. 10. *Corde creditur ad iustitiam*, Euangelium autem ex Matth. 28. *Euntes in mundum vniuersum*, &c. Cæterùm tertia est adhuc opinio, quæ hanc diuisionem recolendam assignat 30. Iunij. Verùm, vt prima opinio prorsus improbabilis est, nec enim vllo modo verisimile esse reor, illo ipso die quo Iacobus frater Domini constitutus est sanctæ ciuitatis Episcopus, Apostolos Hierosolymis discessisse, seséque rigente hyeme dedisse in viam ad vsque in extremos terræ fines prodeundum : quod tamen vt ita sit, quia & fieri potuit, omnibus incommodis præualente in præcordiis eorum Christi amore, iuxta illud Pauli, *Charitas Dei vrget nos.* Tamen illa opinatio quæ Iacobum illo temporis articulo ordinatum, quo Apostoli abitionem suam in mundum vniuersum inierunt, falsa est : nam ex dictis sub titulis superioribus, abundè constat diu Apostolos commoratos fuisse in Hierusalem postquam regendæ huius primordialis Ecclesiæ habenas Iacobus suscepit, ipsorum Apostolorum felicissimo delectu. Volatica hæc opinio ex dictis pseudo-Procori malè intellectis sanè processit,

2. Cor. 5.

ceſſit, qui ſcribit in hiſtoria de geſtis S. Ioannis Apoſtoli & Euangeliſtæ, inter cætera quæ in hac Apoſtolorum diuiſione facta ſunt, primam fuiſſe Iacobi minoris electionem & conſecrationem in Epiſcopum Hieroſolymitanum. Sed præterquam quòd ex ſuprà ſtatuto principio, illa narratio euertitur: ſanè non incommodè ſic explicari poteſt, vt voluerit tantùm auctor dicere, multas res fuiſſe factas ab Apoſtolis communi conſilio, antequam deſtinationem ſuam ad gentes aggrederentur, inter quas præceſſerit illa Iacobi ordinatio; ſed non cogit credere eadem die factam, qua reipſa Hieroſolymis diſceſſerunt. Porro ſecunda & tertia ſententia non pugnant inter ſe, ſi attentiùs conſiderentur; & facilè conciliari poſſunt ex Græcorum Menologio, in quo legitur, die 30. Iunij, *Congregatio ſanctorum & benedictorum duodecim Apoſtolorum:* quo die ſignatur eadem Congregatio recolenda, ab Vſuardo in ſuo Martyrologio, quod Molanus edidit; quibus indicationibus ſi iunxeris illam, quæ habetur vtrobique die 15. Iulij ſcilicet, *Celebratio diuiſionis Apoſtolorum* illa die factæ: facilè comperies Apoſtolos quidem congregatos, conueniſſe ad habendum inter ſe conſilium de agendis ante ſuam in orbem terrarum diſperſionem, & ſic illum conuentum, ipſam diuiſionem diebus ſaltem quindecim anteceſſiſſe.

Stata igitur die, iam ſupereſt de tempore in quod dies illa incidit, ire quæſitum, ſed res ſatis iam eſt ex præmiſſis demonſtrationibus manifeſta: cùm liquidò probatum fuerit diuiſionem Apoſtolorum anno Domini 49. contigiſſe. At verò illos, cùm eſſent in ſuæ diſperſionis procinctu, compoſuiſſe Symbolum, quod ab auctoribus ſuis *Symbolum Apoſtolorum* vocitatum eſt, res profectò hæc eſt quæ in dubium cadit: ſiquidem S. Clemens Apoſtolorum adiutor, Petríque omnium principis toto ex aſſe hæres, in litteris hæc ad poſteros miſit: * *Chriſto itaque reſurgente, & aſcendente in cælum, miſſo ſancto Spiritu, collata Apoſtolis ſcientia linguarum, adhuc in vno poſiti, Symbolum quod fidelis nunc tenet Eccleſia, vnuſquiſque quod ſenſit dicendo condiderunt, vt diſcedentes ab inuicem hanc regulam per omnes gentes prædicarent.* Et infrà, *Symbolum enim Græcè, Latinè collatio dicitur. Et hoc prædicti Apoſtoli per Spiritum ſanctum*, &c. *inter ſe condiderunt. Dicitur & Indicium, quòd per hoc, qui rectè crediderit indicatur. Ergo cunctis credentibus quæ continetur in præ-*

* *Epiſt. 1. ad Iacobum. ſeu potiùs Simonem fratrem Iacobi.*

ſato Symbolo, ſalus animarum & vita perpetua bonis actibus præparatur. Eſt autem huiuſmodi, Credo in vnum Deum Patrem omnipotentem, Creatorem cæli & terræ, &c.

Dionyſius Areopagita, Pauli vaſis electionis præcipuo honore diſcipulus, libro illo planè admirabili Eccleſiaſticæ Hierarchiæ part. 3. cap. 3. eiuſdem Apoſtolicæ fidei primordialis regulæ clarè meminit; & vocat illud, *Catholicam laudationem*, *& verum Religionis Symbolum, quòd omnia*, inquit, *diuinitùs in nos emanantia dona contineat.*

Verùm Ruffinus Aquileienſis presbyter, doctrina ſanè & eloquentia perilluſtris, qui hoc Symbolum ita feliciter interpretatus eſt, vt ipſe Cyprianus putaretur: vnde etiamnum luculenta eius expoſitio inter Cypriani opera recenſetur: de tempore quo Apoſtoli hoc ipſum Symbolum ediderunt, & eius cudendi cauſa, eiúſque nominis etymologia, ac ipſius Symboli excellentia & virtute, aptè, doctè, & magnificè ſic eloquitur paulò poſt initium: *Tradunt maiores noſtri, quòd poſt aſcenſionem Domini, cùm per aduentum ſancti Spiritus ſuper ſingulos quoſque Apoſtolos igneæ linguæ ſediſſent, vt loquelis variis diuerſiſque loquerentur, per quod eis nulla gens extera, nulla lingua barbaries inacceſſa videretur & inuia; præceptum eis à Domino datum, ad prædicandum Dei verbum ad ſingulas quemque proficiſci nationes* *. *Diſceſſuri itaque ab inuicem, normam priùs futuræ prædicationis in commune conſtituunt: ne forte alius ab alio abducti, diuerſum aliquid his qui ad fidem Chriſti inuitabantur, exponerent. Omnes ergo in vno poſiti, & Spiritu ſancto repleti, breue illud futuræ ſibi vt diximus, prædicationis indicium, conferendo in vnum quod ſentiebat, vnuſquiſque componunt, atque hanc credentibus dandam eſſe regulam ſtatuunt. Symbolum autem hoc multis & iuſtiſſimis cauſis appellare voluerunt: Symbolum enim Græcè indicium dici poteſt & collatio, hoc eſt quod plures in vnum conferunt: id enim fecerunt Apoſtoli in his ſermonibus in vnum conferendo quod vnuſquiſque ſenſit. Indicium verò, vel ſignum idcirco dicitur, quia illo tempore, ſicut Apoſtolus Paulus dicit, & in Actis Apoſtolorum refertur, multi ex circumciſis Iudæis ſimulabant ſe eſſe Apoſtolos Chriſti, & lucri alicuius vel ventris gratiâ, ad prædicandum proficiſcebantur, nominantes quidem Chriſtum, ſed non integris traditionum lineis nunciantes. Idcirco ergo illud indicium poſuere, per quod cognoſceretur is qui Chriſtum verè ſecundùm Apoſtolicas regulas prædicaret. De-*

* *Mendosè irrepsit apud Pamelium*, rationes.

nique & in bellis ciuilibus hoc obseruari ferunt, quoniam & armorum habitus par, & sonus vocis idem, & mos vnus est, ne qua doli subreptio fiat, symbola discreta vnusquisque dux suis militibus tradit, quæ Latinè vel signa, vel indicia nominantur: vt si fortè occurrerit quis de quo dubitetur, interrogatus symbolum prodat si sit hostis, vel socius; iccirco denique hæc non scribi chartulis atque membranis, sed retineri cordibus tradiderunt; vt certum esset neminem hæc, ex lectione quæ interdum peruenire etiam ad infideles solet, sed ex Apostolorum traditione didicisse sufficeret. Discessuri ergo vt diximus ad prædicandum, illud vnanimitatis & fidei suæ indicium Apostoli posuere. Vera igitur epocha compositionis huius Symboli, est notitia temporis quo Apostolorum diuisio ad prædicandum vbique iuxta mandatum Domini dependet, quæ superiùs accuratim disquisita ac euidenter demonstrata est.

Porrò sapienter ac verè Ruffinus dicit conditum fuisse ab Apostolis, vt esset veræ fidei indicium, tessera fidelium, & præcipuum fundamentum Apostolicæ traditionis. Iam olim S. Irenæus, Polycarpi Apostolorum Auditoris discipulus, lib. 3. aduersus hæreses idem præclarè docuerat, ac etiam ostenderat, ipsum Symbolum rectè vocans *ordinem Apostolicæ traditionis. Quid autem, si neque Apostoli quidem Scripturas reliquissent nobis? nónne* (inquit) *oportebat ordinem sequi Apostolicæ traditionis, quam tradiderunt iis quibus committebant Ecclesias. Cui ordinationi assentiunt multæ gentes barbarorum, qui in Christum credunt, sine charactere, vel attramento, scriptam habentes per spiritum in cordibus suis salutem, & veterem traditionem diligenter custodientes: In vnum Deum credentes fabricatorem cæli & terræ, & omnium quæ in eis sunt, per Iesum Christum Dei filium, qui propter eminentissimam erga figmentum suum dilectionem, eam quæ esset ex Virgine generationem sustinuit, ipse per se hominem adunans Deo, & passus sub Pontio Pilato, & resurgens, & in claritate receptus in gloria, venturus Saluator eorum qui saluantur, & iudex eorum qui iudicantur,* &c. *Hanc fidem qui sine litteris crediderunt, quantum ad sermonem nostrum barbari sunt, quantum autem ad sententiam & consuetudinem & conuersationem, propter fidem, perquam sapientissimi sunt & placent Deo, conuersantes in omni iustitia, & castitate & sapientia. Quibus si aliquis annunciauerit ea quæ ab hæreticis adinuenta sunt, proprio sermone eorum colloquens: statim concludentes aures, longo longiùs fugientes fugient, ne audire quidem sustinentes blasphemum collo-*

quium. Sic per illam veterem Apostolorum traditionem, ne in conceptionem quidem mentis admittunt, quodcumque eorum portentiloquium est.

Quo ex vetustissimo, locupletissimóque viri huius Apostolici documento, videre licet, cur Apostoli Symbolum fidei, quasi credibilium omnium fundamentum, sincerorum Christianorum indicium, & suæ certæ ac indubitatæ traditionis compendium, sine vllo scripto, Ecclesiæ consignatum ediderint: quod tanta cum vtilitate fidelium, quanta hactenùs constantia, fuerit ab Ecclesia ipsa Christi Catholica custoditum. Vnde illud insigne dictum magni Ambrosij scribentis ad Siricium Papam, ep. 81. al. 7. post initium : *Credatur Symbolo Apostolorum, quod Ecclesia Romana intemeratum semper custodit & seruat.*

Ruffinus qui eodem fere tempore florebat, egregiè hoc ostendit in citata Symboli Apostolorum expositione : *Commonendum puto* (inquit) *quod in diuersis Ecclesiis aliqua in his verbis* (quibus constat scilicet tenor ipsius Symboli) *inueniuntur adiecta : in Ecclesia tamen vrbis Romæ, hoc non deprehenditur factum : quod ego propterea esse arbitror, quod neque hæresis vlla illic sumpsit exordium : & mos ibi seruatur antiquus, eos qui baptismi gratiam suscepturi sunt, publicè, id est fidelium populo audiente, Symbolum reddere, & vbique adiectionem vnius saltem sermonis eorum qui præcesserunt in fide, non admittit auditus.*

Mos iste adhuc in Romana Ecclesia illibatus perseuerat, sicut patet ex Rituali Romano *titulo de baptismo* tàm paruulorum, quàm adultorum. Nec ignoro recentiores sectarios, & nominatim Caluinistas hunc etiam morem verbotenùs seruare, sicut patet ex formula eorum de administratione baptismi, vbi vulgari idiomate recitata oratione Dominica (sicut habetur Latinè in Rituali Romano) Minister susceptores infantis hortatur, vt sedulò curent puerum hunc, cùm idoneus fuerit eruditioni, in ea doctrina institui, quæ summatim comprehenditur in ea confessione fidei quam omnes tenemus, videlicet, *Je croy en Dieu le Pere toutpuissant*, &c. Sed aduertendum est, quod cauet ab expressione genuini eius tituli, scilicet *Symboli Apostolorum*, ne cogatur fateri, Apostolos mysteria fidei in ea expressa, ipsúmque Symbolum credendorum, & tesseram Christianorum, sine scripto, at vocali tantùm traditione, Ecclesiæ in hære-

ditatem inuiolabilem reliquisse. Porrò eam in baptismo recitare, non tam vt eam profiteantur, quàm vt dedecus effugiant falsæ Christianismi iactationis; quoniam ab ipso initio religionis Christianæ, nemo hactenùs vsquam pro verè Christiano habitus est, qui sine professione Symboli Apostolici (quod tamen ipsi Nouantes grauatim ferunt sic vocitari) baptismum susceperit. Illud igitur verbotenùs recitant, cuius vim omnem & virtutem subinde corrumpunt prauis dogmatibus, quæ ingenti cum pernicie animarum inuexerunt: quemadmodum luce meridiana clariùs, olim ostendi, in libro nondum edito, cui titulus est, *Antisymbolum Ministrorum*, in quadraginta octo controuersias generales, quas mouerunt, circa duodecim Articulos Symboli Apostolici digestum. quod opus aliquando (si Deus vnquam votis aspirauerit meis) typis committi, & in publicum conspectum proferri, operam me daturum, spero.

ARTICVLVS II.

Sanctum Andream, Articuli secundi, Symboli Apostolorum fuisse auctorem.

SANCTI Patres non solùm vnanimiter asseuerant, Symbolum illud primordiale fidei, fuisse à beatis Apostolis eo quo extat tenore, conditum; verùm insuper docent digestum ideo esse in articulos duodecim, eo quòd duodecim ipsi Apostoli sigillatim Symbolum suum contulerunt, ad regulæ huius credendorum seriem construendam: *Adhuc in vno positi* (ait Clemens præfatus) *Symbolum quod nunc tenet Ecclesia, vnusquisque quod sensit dicendo condiderunt*. S. Ambrosius serm. 38. ait Symbolum esse *cæli clauem*, quam duodecim Apostoli, velut duodecim periti artifices, in vnum conuenientes, suo Concilio conflauerunt. Collatio est sermonum, ait S. Hieronymus, sicut in Con- »
ciliis solet, vbi vnusquisque suum confert suffragium. Sym- »
bolum ideo dicitur (ait vt suprà Ruffinus) & collatio, hoc »
est quod plures in vnum conferunt. Id enim fecerunt A- »
postoli iis sermonibus, in vnum conferendo vnusquisque quod sensit. S. Augustin. serm. 2. Dominicæ Palmarum, non solùm hoc ipsum asserit: sed insuper proprios Articulos assignat singulis Apostolis, quos vult specialem Articu-

lum sigillatim expressisse, & eam in harmoniam fidei, suam sententiam signatim contulisse, hoc scilicet modo :

Petrus dixit, Credo in vnum Deum patrem omnipotentem: Ioannes dixit, Creatorem cæli & terræ : Iacobus dixit, Credo & in Iesum Christum Filium eius vnicum Dominum nostrum: Andreas, qui conceptus est de Spiritu sancto, natus ex Maria Virgine : Philippus ait, passus est sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus & sepultus : Thomas dixit, descendit ad inferos, tertia die resurrexit à mortuis, &c. Verùm hic sermo, qui inter S. Augustini opera, 181. est de tempore, ab emunctioris naris hominibus reiicitur, vt perperàm adscriptus magno Augustino, cuius nec stylum, nec spiritum redolet, nec habet acumen. Prætereà vt non abnutum ire velim, in quibusdam articulis congruam ab auctore sermonis huius seruari distributionem; tamen in quibusdam manifestum est rectam assignationem non teneri. Axioma supradictum Patrum, fixum semper ipse suppono, quod S. Leo breui, at eleganti hac pronunciatione repetitum insinuat ep. 13. ad Pulcheriam Augustam, *Catholici Symboli breuis & perfecta confessio, duodecim Apostolorum, totidem est consignata sententiis.* sed quas non confusè, nec fortuitò, sed decenti ordine, ac supremo ductu, & afflatu protulerunt: etenim Apostoli fuerunt dictatores: sed *Doctore Christo*, vt Tertullianus prudenter docet in Præscript. c. 14. Christus verò qui est sapientia Patris nihil confusè aut inordinatè disponit. Proinde non dubium esse potest, quin singulis Apostolis præierit, ad proprium cuiusque articulum enunciandum, secundùm quod ordinis ratio exigebat & res expressa vnicuique congruebat.

Congruit quidem articuli primi enunciatio, Petro Apostolorum primo : cui igitur ab auctore signati sermonis rectè hic articulus adscribitur, *Credo in Deum patrem omnipotentem.* Verùm hic capitalis articulus, malè scinditur in duos, quasi verba ista, *Creatorem cæli & terræ*, distinctum articulum conficiant; quæ sanè, vt ex genuina connexione patet, vnam eandémque sententiam constituunt: nam ideo Deus dicitur omnipotens, vt creator agnoscatur cæli & terræ : creatio siquidem diuinæ omnipotentiæ proprium est opus.

Accedit quòd inordinatè secundus locus in Symbolo assignatur Ioanni, qui in vocatione quartum dumtaxat locum obtinet, & fratri suo Iacobo numquam in Scriptura,

vbi exprimitur Apoſtolorum ordinata ſeries, anteferri ſolet; minor enim erat ætate, vt omnes fatentur: qua ratione minùs debuit Andreæ præponi quaſi quarto, qui vocatione primus omnium fuit, & in Catalogo quem Euangeliſtæ conſcribunt, primus à Petro recenſetur hoc modo, *Simon Petrus, & Andreas frater eius:* vt ſuprà accuratè eſt probatum. Tametſi enim aliquando Iacobum & Ioannem Petro coniungant, nonniſi tamen peculiari cauſa vnquam faciunt: qua ceſſante vbi rectus ordo Apoſtolatus ſeruandus eſt, Andream ſecundo loco ſemper reponunt, immediatè cohærentem Petro. At vt hæc omnia præteream, craſſus eſt error huius auctoris; neque enim potuit Iacobus frater Ioannis auctor eſſe tertij, imò neque vllius Symboli articuli: nam ab Herode * diu antè occiſus fuit, quàm Apoſtoli Symbolum ſuum componerent, gladio enim cæſus occubuit diu antequam Apoſtoli diſpergerentur in Gentes. At ſuprà euidenter probauimus eos non condidiſſe Symbolum, niſi cùm eſſent in ſuæ diuiſionis procinctu. *Act. 12. 1. 2.*

Hoc igitur obice remoto, nihil iam obſtat, quominus Andreas ſuo loco, qui Petro proximus eſt, iure poſtliminij reſtituatur; Et ſic (vt vera habet ſeries, ferè iam vbique vulgaris, & à doctiſſimis Catechiſtis probata, Claudio ſcilicet Viexmont. in ſuo Catechiſmo, & Sixto Senenſi lib. 5. Biblioth. &c.) ſecundus ei tribuatur, vt rectè conuenit ipſius Symboli articulus. Sanè doctiſſimus Stapletonus, in ſuo de S. Thoma collectaneo, prudenter & eruditè notat in diſtributione Symboli, articulum de reſurrectione Domini à SS. Patribus & Theologis Doctoribus rectè & æquo ordine ipſimet Beato Apoſtolo aſſignari, de qua ipſe vnus & ſolus poſt Domini paſſionem & ipſius reſurrectionem, præfractè dubitauerat: *Niſi videro* (inquit) *in manibus eius fixuram clauorum, & mittam digitum meum in latus eius, non credam.* Hinc igitur voluit Deus, vt in quo ipſe Thomas tentatus eſt, fieret potens cæteris auxiliari: ideóque ipſe eſſet qui dogma in Symbolo proponeret, & afferret Dominicæ Reſurrectionis. Hic enim ille Thomas pridem hoc de articulo dubius, imò planè incredulus, intrepidè in Symbolo profitetur, ſe certò credere triumphalem illam Domini reſurrectionem, *Tertia die* (inquit) *reſurrexit à mortuis.* Sic planè conuenit Petro, abſque vllo dubio, primum hunc fidei articulum profiteri, *Credo in Deum*

patrem omnipotentem, &c. Erat Petrus etenim æterni Patris discipulus, iuxta quod post eius admirabilem diuinitatis Christi professionem, ipse Dominus dixit ei, *Beatus es Simon Bar-jona, quia caro & sanguis non reuelauit tibi, sed pater meus qui in cælis est.* Id est scitè & appositè (ait Leo Magnus ser. 3. in anniuersario assumptionis suæ) *Ideò beatus es, quia pater meus te docuit, nec terrena opinio te fefellit, sed inspiratio cælestis instruxit.* Sicut autem Petrus fuit discipulus æterni Patris, ita Andreas discipulus fuit, & primus quidem filij patris vnigeniti, scilicet cùm indicante Ioanne Baptista, *Ecce Agnus Dei:* confestim cum socio secutus est Dominum, & mansit cum illo tota nocte, quæ facta est Andreæ illuminatio in deliciis suis: fruitus enim diuino Christi eloquio, id est incarnati Verbi voce edoctus, statim didicit quod fratri primùm, & deinde omnibus hominibus prædicaturus erat, videlicet, *Inuenimus Messiam, qui dicitur Christus.* Huic igitur Apostolo exinde ius fuit proprium atque perpetuum, animas ad ipsum Christum Saluatorem adducere: & ideo sors eius cecidit in præclaris, cui cælitùs beneficio singulari concessum est, congruenter huic præconio, profiteri se credere *in Iesum Christum filium Dei vnicum Dominum nostrum.* Petrus confitetur patrem, Andreas eius frater, filium patris vnigenitum. Addit dilectus Domini Ioannes, *qui conceptus est de Spiritu sancto, natus ex Maria Virgine;* quia scilicet amoris in nos diuini paranymphus, & dilectionis Christi titulo, inter alios omnes præcellens, præ cæteris debuit hoc præcipuum Spiritus sancti opus, scilicet Incarnationem filij Dei, prædicare. Et quia custos fuit beatissimæ Deigenitricis, Virgo Virginis fidelissimus custos, ipsius Beatissimæ Virginis integritatis assertor: proinde & auctor in Symbolo huius articuli, *Natus ex Maria Virgine.* Verùm hìc fortassis quispiam obiiciet. Si ita est, igitur Symbolum non est duodecim Apostolorum, nam secluso Iacobo Zebedæi, qui huic construendo non contulit suffragium, martyrio præoccupatus: vndecim Apostoli tantùm supersunt, incluso etiam Matthia qui in locum Iudæ suffectus est? sed ardua non est huius nodi solutio: nam Paulus iam cùm Apostoli ediderunt Symbolum, Apostolatum susceperat: cui etiam Petrus, & Iacobus alter, ac Ioannes dexteras associationis contulerunt, Gal. 2. Hinc canit Ecclesia in eius natali hoc ei epinicion,

Ma-

Magnus sanctus Paulus vas electionis verè dignè est glorificandus, qui & meruit thronum duodecimum possidere. Sicut igitur thronum adeptus est duodecimum, ita & Symbolo duodenario potuit duodecimum, hoc est vnum ex duodecim suffragium conferre: Nam sicut Matthias repleuit locum Iudæ, sic Paulus in vicem successit Iacobi maioris, qui Apostolorum Protomartyr, diu antequam Symbolum ab Apostolis componeretur, gladio Herodis cæsus ad cælestem triumphum, cum palma insignis victoriæ euolauerat.

CAPVT VI.

Discessus S. Andreæ ab Hierosolymis, & feruens eius profectio in Achaiam.

ABRAHAM patrem fidelium multis laudum titulis efferunt sancti Patres, sed vel ex eo maximè, quòd ad primum Dei mandatum sine vlla mora patriam deseruerit & peregrinus abierit in regionem longinquam sibi prorsus incognitam, ibi facturus non quod ipse vellet, sed quicquid ei Deus præciperet. Hoc argumentum laudis copiosè tractat ac diffusè prosequitur S. Ambrosius lib. 1. de Abraham Patriarcha cap. 2. Sed S. Ioannes Chrysostomus exactè perpendit ac præclarè illustrat homil. 31. in Genes. ad c. 12. vbi hæc ipsa Dei verba ad ipsum Patriarcham edisserit. *Et dixit Dominus Abræ,* (nec enim Abraham nisi post hoc editum eximiæ obedientiæ facinus) *Egredere de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui, & vade in terram, quam monstrauero tibi? Singula dicta* (ait os aureum) *diligenter perscrutemur, vt religiosam & piam Patriarchæ mentem videamus,* &c. *Ne prætereamus obiter dicta, sed animaduertamus quantum imperij pondus,* &c. *Considera ab initio quomodo exercetur iustus; neque enim vulgare & paruum erat id quod ei vt faceret præcipiebat Deus,* &c. *Egredere, inquit, de terra tua, & relinque cognatos & domum paternam,* &c. *Quem non turbarent verba ista? Cæterùm iustus ille nihil horum cogitauit, sed præcipienti obedire festinauit, ostendens per omnia Christo parendum esse.*

Pseudo-Prochorus, auctor non ignotæ narrationis de gestis S. Ioannis Euangelistæ, de eo refert quod in prouinciarum distributione, qua Apostoli inter se orbem (ad eum Euangelica doctrina imbuendum) partiti sunt: cùm illi Asia obtigisset, grauissimè id tulerit, ingemueritque vehementer, séque ad pedes aliorum Apostolorum abiecerit, immunitatem ab hoc onere deprecatus, *atque propterea à S. Petro reprehensus fuerit.* Quod sanè commentum communi censorum iudicio meritò reiicitur, vt factum tanto Apostolo quantus fuit Ioannes, ei tribuens, prorsus indignum.

Nullus quantumuis audax hactenùs inuentus est impostor, qui aliquid simile de Andrea Petri germano comminisceretur: cuius ardor pro Christo moriendi, in cruce, quam in Achaia apud Patras passus est, tam omnibus notus est, vt verè de eo pendenti in cruce, tanquam viuo Christi simulachro (vt eum scitè Patres vocitant) dici non immeritò possit, *illuxerunt fulgura eius orbi terræ, vidit & commota est terra:* Verba enim eius, quæ tunc ex igneo corde deprompsit, vera sunt fulmina, stupendáque tonitrua, sicut infrà, vbi ea accuratiùs expendam, luce clarius apparebit. Impræsentiarùm hæc ad nostram rem faciunt, *O bona crux! diu desiderata, sollicitè amata, sine intermißione quæsita, & aliquando iam concupiscenti animo præparata.* Perpendo in his hæc tantùm paucula, *sine intermißione quæsita.* vetus dictum est,

Per mare, per terras, currit Mercator ad aurum.

Nullus negotiator tam auidè vsquam aurum, vel gemmas quæsiuit, quàm Andreas ardenter optauit crucem. De Agnete fortissima Christi athleta & fideli sponsa, magnus ait Ambrosius, *Non sic ad thalamum nupta properaret, vt ad supplicij locum læta successu, gradu festina virgo processit.* Porrò Catholica Ecclesia in natali S. Lucæ Euangelistæ, per eius merita Dominum deprecatur commemorans, quòd *crucis mortificationem in suo corpore, iugiter pro ipso Christo portauerit.* At affectu non actu, neque enim vnquam Lucas crucifixus est, sed crucis mortificationem iugiter & vbique gessit in corpore & in corde: quia pro Domini ipsius nomine ingentes labores & immanes persecutiones perpessus est: insuper verò iugem in suo corpore mortificationem, vt grata Deo fieret hostia, per spontaneum sui holocaustum

Lib. 1. de virginib.

& rationabile obſequium, ſibimet inflixit, vbicumque fuit, & quandiu vitæ traxit ſpiritum. Andreas non ſecùs crucem quàm nuptialem thalamum, & mortem in cruce quàm ſuauiſſimum ſomnum optauit & exquiſiuit: vbicumque ibat quærebat crucem, ſitiebat calicem Domini ſui; nihil in votis, nihil in deliciis vnquam habuit, quàm ſuam pro Chriſto paſſionem & mortis cum eo aſſimilationem. Crucem ideo vt ipſe ait, ipſe demum ſibi paratam videns quam diu deſiderauerat, ſollicitè amauerat, ſine intermiſſione quæſierat, tandem aliquando inuenit. vbinam verò? Hieroſolymis? neutiquam; Bethſaidæ? minimè: In Iudæa? nuſquam. Vbinam igitur? apud Patras in Achaią. Hanc extra nuſquam inuenire potuit, etiamſi alibi, toto qua patet orbis terrarum quæſiiſſet. De Petro Andreæ germano & in cruce conſorte egregiè ſcripſit S. Leo Magnus hanc inſignem apoſtrophen, *Iam populos qui ex circumciſione crediderant erudieras*, &c. *nec vt dubius de prouectu operis aut de ſpatio ignarus ætatis, trophæum crucis Chriſti Romanis arcibus inferebas, quo te diuinis præordinationibus anteibant, & honor poteſtatis & gloria paßionis.* Sciebat igitur cùm petiit Romam Petrus, vt ei Dominus prædixerat, *qua morte eſſet clarificaturus Deum:* ſcilicet quòd ibi in cruce fixus, ſupremum fidei ſuæ & amoris Domino exhiberet teſtimonium. Par idem eſt de Andrea credere. non cæcis certè oculis delatus eſt in Achaiam, non caſu, ſed superno nutu ac ductu Patras appetiit & acceſſit, non dubius erat de ſucceſſu ſuæ prædicationis; de loco ſuæ paſſionis, quam diuina præordinatione perpeſſurus erat in cruce, non erat ignarus; ſed probè ſciebat vbinam crucem illam tamdiu deſideratam, tam ſollicitè amatam, ſine intermiſſione quæſitam demum inueniret: *Non capit*, ait Chriſtus, *Prophetam extra Hieruſalem perire.* Erat enim Hieruſalem ſanguinaria ciuitas, *quæ occidebat Prophetas;* at non poterat Andreas niſi in Achaia mori; crucem ſibi ſciebat diuinitùs apud Patras præparatam. Huc igitur tendebat diuinus athleta quaſi ad locum triumphalem ſui certaminis. Lætus ergo abiit ab Hieroſolymis, vt eò quò crux ipſum expectabat, exiliens gaudio Spiritus ſancti, (palæſtræ tam illuſtris ardenter appetens) ocyùs perueniret. Appoſitè profectò illud Ambroſianum in Andream cadit, Non ſic ad thalamum ſponſus properaret, vt ad ſupplicij locum ipſe proceſſit.

Quod igitur de Hierusalem dicebat Dauid Psal. 136. *Adhæreat lingua mea faucibus meis si non meminero tui, si non proposuero Hierusalem in principio lætitiæ meæ:* Andreas de loco supremi sui agonis meritò vsurpare potuit. Crucem desiderabat vehementissimo amore, quam nonnisi in Achaia se nouerat inuenturum. Arbor illa fortunata in Patrarum erat plantata metropoli, fructum inde salutis & gloriæ collecturus erat: ideo Achaiæ non poterat obliuisci, Patras ponebat in principio lætitiæ suæ, quia ibi gaudij sui plenitudinem, sciebat se tandem consecuturum.

CAPVT VII.

Achaia, quæ mundi regio? & Patrarum ciuitatis quinam situs & status? Denique quàm præclara sorte in partem ipsius Beati Apostoli, ea prouincia cecidit?

ACHAIAM & Peloponesum promiscuè sumunt duo insignes, tametsi nuperi, Scripturæ sacræ interpretes, Ioannes Lorinus, & Cornelius à Lapide; hic quidem in Prologo Commentariorum suorum sup. ep. 1. ad Corinthios, in ipso exordio, vbi ait: *Achaia siue Peloponesus, quæ nunc vulgò Morea, olim celebres habuit vrbes*, &c. Ille verò in Commentariis super Acta Apostolorum ad cap. 17. vers. 1. expendens hæc verba, *Venit Corinthum: Notissima*, inquit, *& nobilissima Achaiæ, quæ & Peloponesus, & nunc vulgò Morea in Græcia vrbs.* At è contrà Ptolomæus lib. 3. cap. 10. Geographiæ vult in Peloponeso Achaiam sitam esse; *In octo*, inquit, *prouincias nominis claritate eximias diuiditur, quarum hæc sunt nomina antiqua, Sicyonia, Messinia, Laconia, Corinthia, Arcadia, Achaia, Elis, & Argia.* Verùm vt confinem constat Achaiam esse Peloponeso, non tamen eius esse partem certo certius est: fallitúrque Ptolomæus dum Elidem, seu Helladem in Peloponeso constituit, quæ prouincia est Achaiæ, quemadmodum ex accuratiore constat ipsius Achaiæ descriptione: siquidem Achaia est Græciæ regio inter Epirum & Eubœam, ac inter Macedoniam & Peloponesum, cui isthmo connectitur, extensa, in plu-

res regiones ipſam Helladem, Arcananiam, Ætoliam, Locridem, Phocidem, Megaridem, Atticam, & Beoticam diuiſa, tota mari circumſepta, præter à Septentrionali parte, qua ſicco ac ſolido ſolo iungitur Macedoniæ: ab Oriente cincta mari Cyrenno; à Meridie, Græco; ab Occidente inſulas habens Caſſopias.

Porrò Patrarum ciuitas, eſt Achaiæ maritima, iuxta Rhium promontorium, & ſinus Corinthiaci (qui eſt in Peloponeſo) anguſtias; ab ipſo promontorio in Auſtrum ad V. M. P. recedens, à Corintho in Occid. ad LXXX. à Methonia Peloponneſi hodie primaria, in Septentriones ad C. M. P. diſtans, ab Echinadibus inſulis (vbi ſuperioribus annis inſignem de Turcis, mari victoriam Chriſtiani reportarunt) ad XX. M. P. ſecedens. Ea vrbs deletis iampridem Athenis & Corintho, aliíſque magni nominis, etiamnum viget: tametſi non vt olim clara, inter Moreæ ciuitates non tamen obſcura, nam adhuc Metropolico honore in religione fulget, éſtque portus hac in regione non ignobilis. His præmiſſis, eſt quòd nonnihil hîc miremur altum Dei conſilium, in prouinciæ huius aſſignatione B. Andreæ facta. Georgius Venetus in ſua Harmonia mundi cantu 2. tono 7. à c. 8. vſque ad 12. eleganter comparat duodecim Apoſtolos, duodecim ſignis Zodiaci, docétque idcirco ſingulos in illis partibus prædicaſſe, quæ eiuſmodi ſignis ſunt ſuppoſitæ: ait enim conſtitui ab Aſtronomis in cælo quatuor trigonos ſeu triangulos, quorum minor eſt trigonus orientalis, ſubiectus Geminis, Libræ, & Aquario, atque hunc trigonum pertinere ad Simonem, Bartholomæum, & Matthæum. Simoni olim obtigit Ægyptus, quæ eſt aſſignata Geminis; Bartholomæo Bactriana regio, Lycaonia & Armenia Libræ ſubiecta; Matthæo Æthiopia, quæ ſubdita eſt Aquario; in ſecundo trigono meridionali, qui aſſignatur Tauro, Virgini, & Capricorno prædicarunt Andreas, Iudas Thadæus, & Thomas; etenim Andreas prædicauit in Achaia & Græcia, quæ ſupponuntur Virgini, * tranſiuitque vſque ad Thracas & Byzantios, quibus Saturnus & Capricornus dominantur: Thadæus in Perſide & Meſopotamia partibúſque Ponti ſuperioribus; at Perſis Tauro ſubiicitur: Thomæ obtigit India ſuperior, Brachmanes quoque & Hircani, Capricorno obnoxij. In tertio trigono occidentali, cuius imagines ſunt Piſces, Cancer, & Scorpius, prædicarunt Iaco-

* Nota.

bus minor, Ioannes, & Philippus. Etenim Philippus primò prædicauit in Syria Scorpioni attributa, Ioannes post Palæstinam in Asiam minorem migrauit, peragrauítque Ioniam, & in præcipua eius vrbe Epheso, tanquam in sede propria morabatur, ibidémque defunctus est, (vnde postmodùm insurrexit Patriarchatus Ephesinus) porrò in Asia minori dominatur Cancer; Iacobus minor fuit Episcopus Hierosolymitanus, quò conuenerunt illi qui erant ex Cilicia & Pamphylia Act. 2. quæ regiones à Piscibus aspiciuntur. In quarto denique trigono Aquilonari, cuius signa sunt Aries, Leo, & Sagittarius, euangelizauerunt Matthias, Petrus, & Iacobus maior: nam Matthiæ obtigit Iudæa, vbi martyrio præclaro occubuit. Curauit etiam hic Apostolus concaua Syriæ, quibus dominatur Aries. Petrus sedem suam transtulit è Syria in Italiam, & sedit Romæ vsque ad gloriosam mortem, Roma autem sub Leonis signo (quod est insigne Imperij) collocata est. Iacobus maior, vt nonnulli volunt, prædicauit aliquandiu in Hispania, deinde in Arabia felici, hincque Hierusalem reuersus est, vbi gladio Herodis triumphauit. Arabia autem quæ felicis nomine gloriatur, Sagittario subiecta est. Ex quibus manifestum fit (ait Venetus) quanto iure duodecim Apostoli, cum duodecim signis Zodiaci conferantur, siquidem ipsi fuerunt in Ecclesiæ cælo, quam duodecim signa, in quatuor trigonos, per Euangelij prædicationem distributa.

At mirum (dices) quomodo vas electionis Paulus, quem per singularem excellentiam Apostolum vocitat Ecclesia, locum nullum in signis mystici huius Zodiaci occupet? Ratio est in promptu, quia vbiquitarius erat, & per omnia signa Zodiaci quasi quidam sol Euangelicus discurrebat generali illo officio prædicandi Euangelium, non vni dumtaxat nationi, sed vniuerso mundo. Petrus Damiani in opusculo 35. de picturis principum Apostolorum cap. 4. hanc tetigit rationem: cuius quidem capitis titulus est, *Cur B. Paulus propriam non habeat cathedram?* sic verò respondet, *Vnum enim in Paulo videtur egregium, quia cùm omnes Apostoli distributis terrarum regionibus proprias obtineant cathedras, iste dum nullam specialiter teneat, videtur aliquatenùs communiter omnibus præsidere;* Scilicet quoad honorem magisterij, nam præcelluit vniuersis in munere Doctoris & dono sapientiæ: sicut illi, & cæteris omnibus Apostolis Pe-

trus præeminet iure poteſtatis & gloria dignitatis: quamobrem ſcitè & appoſitè olim Fortunatus, hos inuicem comparans glorioſos Apoſtolorum principes cecinit,

Inter Apoſtolicas radianti luce coronas,
Doctior hic monitu, celſior ille gradu.

At *ſtella differt à ſtella in claritate.* Andreas quibuſdam titulis Petro cedit & Paulo: ſed nonnullis eiſdem antecellit, videlicet primatu acceſſus ad Chriſtum (cuius fuit primus diſcipulus, ideóque primus Chriſtianus), innocentia vitæ, gloria paſſionis & virginitatis honore: cælibem enim vitam duxit beatus hic Apoſtolus, vt conſtanter docent ſancti Patres, quamobrem paſſim cum Ioanne iungitur, vt ex priſco Eccleſiæ vſu etiamnum vigenti aliàs perſpectum feci, videlicet in Commentario & Notis ad Martyrologium noſtrum Gallicanum pridie Kalendas Decembris, vbi illuſtramus eiuſdem ſanctiſſimi Apoſtoli, quod ei in hac eius triumphali die appendimus, non deſpiciendum elogium.

Hinc igitur iam licet diſpicere quàm conuenienter ipſimet Apoſtolo Achaia in ſortem obtigerit; prouincia hæc enim eſt (vt ex præmiſſa patet inductione) *ſub ſigno Virginis:* Sicut igitur Chriſtus matrem ſuam Virginem, Ioanni Virgini cuſtodiendam commiſit: ita Andreæ Achaiam ſigno Virginis ſubiectam Virgini Apoſtolo deputauit, in pura ſui Euangelij doctrina, ac incorruptis Chriſtianiſmi moribus erudiendam, ſuóque non ſolùm Apoſtolico ore edocendam, at virginali inſuper conſecrandam ſanguine.

CAPVT

CAPVT VIII.

Primus sancti Andreæ in Achaiam regionem accessus.

ARTICVLVS I.

Quænam statui possit regula Itinerarij sancti Andreæ, cùm prorsus huic vestigando deficiat sacræ Scripturæ auctoritas.

DIGNA est S. Ioannis Chrysostomi sententia in prologo super epistolam B. Pauli ad Philemonem, quæ æternæ memoriæ commendetur; *Quia*, inquit, *non desunt qui hanc epistolam superfluo adiectam putent, quandoquidem pro re adeo parua, pro vno seruo sit scripta, discant se innumeris criminibus dignos. Non enim tam paruas epistolas & pro rebus adeo necessariis oportuit scribi, sed vtinam non defuisset* QVI NOBIS APOSTOLORVM HISTORIAM DILIGENTISSIME TRADERET, *non tantùm quid scripserint, quidve locuti sint, sed vt sese per omnem vitam habuerint, quid & quando comederint, quando sederint, quò ierint, quid diebus singulis gesserint, & in omnibus partibus vixerint, quam introierint domum, quò nauigauerint, vbi applicuerint, adeo illorum omnia eximia vtilitate referta sunt: si enim cùm loca tantùm cernimus vbi sederunt, seu vincti sunt; loca inquam inanima, illuc sæpe dirigimus animum, & expergiscimur, & promptiores euadimus, multò hîc profectò magis fieret, si verba illorum & reliqua gesta audire contigisset. Certè de amico perlibenter quis interrogat, vbinam degit, quid facit, quò procedit? Nónne longè dignius, de communibus orbis magistris id fieri decuit?*

Non legi vllam sententiam apud Patres (quos ab annis supra triginta, assidua manu mentéque non impigra prorsus, verso & reuerso) quæ magis conferret ad nostrum præsens institutum. Dicit paucis ferme omnia, præcipua tamen inde axiomata elici possunt, ex quibus quæ intendimus in rem præsentem colligantur.

I. est, ex sacris Scripturis nobis Apostolorum historiam non suppetere; quamuis etenim sole meridiano clarius sit,

S. Lucam, magnam partem lucis eam in rem attulisse: tamen ipse diuinus scriba Lucas, in suo hac de re opere, quod Actus Apostolorum inscripsit, Chrysostomi desiderium non impleuit, *Euangelium* (ait S. Hieronymus in Catalogo cap. 18. scilicet in Luca) *sicut audierat scripsit, Acta verò Apostolorum sicut viderat ipse composuit.* Et paulò suprà; *Aliud quoque edidit volumen egregium, quod titulo,* πράξεις Ἀποστόλων, *prænotatur. Cuius historia vsque ad biennium Romæ commorantis Pauli peruenit, id est vsque ad quartum Neronis annum.* Et verò constat ex ipsius Lucæ contextu, ipsum in Apostolorum Actis, propriè res quæ initio gestæ sunt, deinde quæ Pauli, (cuius comes indiuiduus erat, vt idem ait eodem loco Hieronymus) propria sunt enarrasse. Porrò præter Stephani Martyrum ducis triumphum, & Iacobi fratris Ioannis de gladio Herodis trophæum, nihil ferè de cæteris Apostolis ibidem commemorâsse: statuerat etenim ipse cælestis Actuarius, earum tantummodò rerum quarum testis oculatus extiterat, rectam & exactam seriem scribere.

II. S. Chrysostomi documentum est, non extare extra diuinum noui Testamenti volumen, indubitata dignam fide historiam Apostolorum: Neque etiam authenticum codicem dari posse, cui res gestæ ab Apostolis in vita & morte insertæ reperiantur.

III. Quòd nec vllius Apostoli res gestæ vllibi extent, plena serie conscriptæ.

IV. Id maximè dolendum: hinc etenim plurimum nobis solatij ac vtilitatis excidisse. Quo casu id contigerit vix mente capio: Puto tamen id à triplici capite deriuasse.

Primò, ab hæreticorum nequitia, qui vt ab incunabulis Ecclesiæ diuinam contenderunt corrumpere doctrinam, sic pseudographis historiis certatim confictis, & ad suum cuiusque dogma accommodatis, res gestas Apostolorum obtruderunt, vt eorum exemplis, & tam factorum quàm dictorum auctoritate imponerent fidelibus, & Euangelicam veritatem, qua se sciebant damnari, non tam eneruarent quàm euerterent.

Secundò, à persecutorum Ecclesiæ, Principum & Magistratuum ethnicorum, aliorúmque infidelium efferata in Christianos, & fidem Christi rabie: qua tanto furore in Ecclesiam Domini efferbuerunt, vt non solùm sacras Scri-

pturas, ſed Apoſtolorum & Martyrum acta, à Clericis & reliquis Chriſtianis, etiam extremis intentatis ſuppliciis, extorquere toto anniſu contenderint, & ſummo ſtudio curarint vbicumque ea rapere, vel reperire potuerunt, flammis ſacrilegis abolere: quo de irreparabili Chriſtianæ religionis diſpendio, effuſis lachrymis Euſebius Cæſarienſis & Aurelius Prudentius paſſim conqueruntur, vt aliàs notaui.

Tertiò, à primorum Chriſtianorum genio, quibus tum altè cordi inſidebat martyrij pro Chriſto ſubeundi feruens deſiderium: ſtudebant enim magis piè viuere, quàm cultè & eleganter dicere, aut ſcribere; ſatius ducebant pro fide mori, & fortia Martyrum exempla factis imitari, quàm illorum res præclarè geſtas magnificis celebrare encomiis. Quicquid ſit, nonnulli qui vtrumque poterant, minùs quàm par erat, præſtiterunt; exemplo nobis ſit inſigni vel vnus Papias Hierapolitanus in Aſia Epiſcopus, Ioannis auditor, de quo S. Hieronymus in ſuo Catalogo Scriptorum Eccleſiaſticorum, in hunc modum ſcribit: *Quinque tantùm ſcripſit volumina, quæ prænotauit, Explanatio ſermonum Domini; in quibus cùm ſe in præfatione aſſerat, non varias opiniones ſequi, ſed Apoſtolos auctores habere: ait, conſiderabam quid Andreas, quid Petrus dixiſſent, quid Philippus, quid Thomas, quid Iacobus, quid alius Iacobus, quid Ioannes, quid Matthæus, vel alius quilibet diſcipulorum Domini,* &c. *loquebantur.* Cur non etiam, *quid agebant?* nec tamen eorum dicta, nec facta, quæ ſanè ſancta, & verè digna Apoſtolis erant, multúmque fidelium formandis moribus ad præſcriptum Euangelij valuiſſent, ſcripto nobis conſignata reliquit. Segnior etiam fuit Euſebius, magnus ille hiſtoriæ Eccleſiaſticæ compilator, in ipſorum Apoſtolorum accuratè inueſtigando & ſtudioſè conſcribendo res geſtas: obiter tantùm quædam notat de multis, nec fontes indicat vnde ſuam pauculorum quæ refert notitiam delibârit.

Iam olim tamen multa in lucem prodierunt tum dogmatica, tum hiſtorica ſcripta, quæ vel Apoſtolorum nomen præferebant, vel memoriæ eorum commenta continebant: ſed vel ſpuria hæc erant, vel apocrypha, vt ex decreto Gelaſij patet, quo planè reiecta, vel inuſta hac nota leguntur, plurima eiuſmodi tam commenta quàm commentaria, quæ ſingula hìc minutim recenſere tædioſum foret. Quoad ſcriptiones attinet, falsò Apoſtolis attribu-

tas, ab hæreticis, vel infidelibus; eas dumtaxat mihi liceat hic annotare, quæ falsò quidem, sed peculiariter Andreæ Apostolo assignabantur. *Actus qui circumferebantur Apostolorum, vt ab Andrea conscripti.* item sub eiusdem nomine *scriptum pseudo-Euangelium.* Hæc vt spuria Gelasius can. S. R. E. condito in Synodo Romana 70. Episcoporum, vt habetur dist. 15. apud Gratianum 1. p. Decreti, meritò proscripsit, qui eadem sententia damnauit librum inscriptum, *Sortes Apostolorum*, & alium, *Laus Apostolorum*, prænotatum: ferebatur etiam iam olim collectio inscripta, *Passiones Apostolorum*, item *Memoria Apostolorum*, incerto auctore, quæ tamen subinde comperta sunt scripta fuisse à Seleuco, seu potiùs Leucio Manichæo, vt Orosius animaduertit in ep. ad August. de errore Priscillianorum. Sanè S. Epiphanius hæres. 47. testis est, Ebionitas (qui B. Ioanne Apostolo adhuc in humanis agente, exorti sunt) falsa quædam Apostolorum acta obtrusisse, quibus passim nitebantur. Orosius alia, Priscillianitas, eodem titulo contexuisse asseuerat. Cæterùm Innocentius I. ep. 3. ad Exuperium, signatim tradit sub nomine Andreæ Apostoli vulgata fuisse iampridem acta à Nexocharide & Leonide Philosophis: & à Leucio Manichæo etiam fuisse suppositos aliquot Apostolorum actus, & signatim Andreæ, S. Augustinus testatur libro de fide contra Manich. cap. 4. & 38. qua de re infrà pede fixo agendum erit in Vindiciis Epistolæ Presbyterorum & Diaconorum Achaiæ, de passione eiusdem Apostoli ad vniuersas Ecclesias. Porrò vt magnum inde nobis lumen affulget illustrandæ S. Andreæ passioni, ita ex præsignatis pseudographis commentationibus ferè nihil lucis est quod possimus haurire ad res eius gestas, nitidè ac solidè consignandas. Ex sordido fonte, aqua pura non exit; ex fæce igitur falsarum illarum scriptionum nolim quicquam delibatum ire, quo sancti huius Apostoli gesta gloriosa copiosiùs recenseam: ne cuius sanctissimam memoriam nitor venerari, & maximè venerandam piis Lectoribus proponere, aliqua sorde quæ ex lacunis tam fœtidis defluit, imprudenter irem aspersum: quamuis etiam sub montium puluere, ramenta auri puri inueniantur.

Verùm aliquem audire mihi videor dicentem, vnde igitur præfixo huic capiti titulo, de assignanda apta regula inuestigandi Itinerarij Beati ipsius Andreæ poteris facere

ſatis? oſtendiſti quidem obiter, ſed perſpicuè, quæ commenta eiuſmodi fulciendo lemmati nulli vſui ſunt, cùm potiùs tibi maximè cauenda eſſe monueris, quàm ſequenda: iam igitur tandem dicas oportet, quibus niti poſſis præſidiis, ad regulam quam propoſuiſti ſtatuendam. Æquum eſt huic poſtulato vt ſatisfaciam. Dico igitur Itinerarium S. Andreæ inueſtigari poſſe (quia Scriptura ſacra mihi planè in hoc deficit) ex ſanctis Patribus, & aliis Eccleſiaſticis monimentis. Hoc ſuppoſito axiomate, iam progredi licet ad patentem capitalis noſtræ prænotationis demonſtrationem.

ARTICVLVS II.

Sanctum Andream curſum ſuum Apoſtolicum, ab Achaia initiaſſe.

TRIVMPHASSE in trophæo crucis S. Andream Apoſtolum, in Achaia, tam omnes nôrunt, quàm nemo eſt qui inficietur. Ibi autem exercuiſſe munus ſuum Apoſtolicum, quod ſuo tandem ſanguine obſignauit, nullus eſt etiam qui hactenùs abnuerit, quantum ex non indiligenti ſtudio ac opera deprehendi. Incaſſum tamen debere me demonſtrare non cenſeo, cur ab Achaia initium duxerit ſuæ prædicationis, quia cùm varij fuerint eius circuitus, ducendum eſt à centro linearum exordium. Rectè & ſenſatè ſcripſit non ita diu Biuarius, *Neque verò* (inquit) *idem eſt aliquem Apoſtolum hîc vel illic Euangelium prædicaſſe, & ibi ſuam ſortem accepiſſe: quandoquidem vnam tantum mundi regionem quilibet docuit, ſed multi multas, eáſque remotiſſimas; negari tamen non poteſt vnumquemque præcipuè conuerſioni illius inſtitiſſe, quæ ipſi commendata fuerat.* Porrò ſi Apoſtoli præcipuè inſtiterunt gentis illius conuerſioni, quam propria ſorte docendam ſuſceperant, non dubium quin primariò illius ſunt illuminationem aggreſſi. Miſſum autem omnes conſentiunt fuiſſe Andream in Achaiam, quaſi in propriam ſibi prouinciam: igitur ab ea incepiſſe haud eſt dubitandum, Euangelicam ſuam prædicationem. Quamobrem etſi variis in regionibus Chriſti fidem diſſeminauerit, vt mox oſtendetur, tamen vt plurimùm his omnibus prætermiſſis ſancti Patres, & Eccleſiaſtici hiſtorici, vnicè illum ſpectant in Achaia radiantem; ſic enim reſpicit &

indicat S. Hieronymus ep. 148. ad Marcellam in fine, vbi de Christo rediuiuo loquens, *Erat igitur* (ait) *vno eodémque tempore & cum Apostolis quadraginta diebus, & cum Angelis: & in extremis maris finibus erat, in omnibus locis versabatur, cum Thoma in India, cum Petro Romæ, cum Paulo in Illyrico, cum Tito in Creta, cum Andrea in Achaia, cum singulis Apostolis & Apostolicis viris in singulis cunctísque regionibus.* Sic & S. Paulinus, ipsi S. Hieronymo pariter ac B. Augustino synchronus ac amicissimus, Natali x. S. Felicis inter medium & finem, de eodem Beato Apostolo cecinit,

Hîc pater Andreas, hîc qui Piscator, ad Argos
Missus, vaniloquas docuit mutescere linguas.
Qui postquam populos, ruptis erroris iniqui
Retibus, explicuit, traxítque ad retia Christi,
Thessalicas fusô damnauit sanguine Patras.

Ideo & Nicephorus ex venerandæ antiquitatis monimentis lib. 2. hist. Eccles. cap. 38. inter prouincias à S. Andrea illustratas superno lumine, Achaiam, quasi cursus eius Apostolici initium ac caput, denique extremum terminum, primo loco recenset. Cæterùm ex sequentibus magis hoc verum esse constabit.

CAPVT IX.

Varij referuntur S. Andreæ ad illuminandas pæne innumeras Gentes excursus.



ACHAIA licèt ampla & insignis regio (vt suprà innuimus) arctior tamen erat, quàm vt feruentissimo Andreæ zelo propagandi Christi regnum, satis esse potuisset. Igneus eius animus circumquaque erumpebat, non poterat eius ardor quiescere; cum enim vehementissimè vrgebat Domini sui dilectio: quem vt regnantem in cælis nouerat, vbique etiam in terra cupiebat summoperè dominari. quamobrem non se continuit intra vnius prouinciæ terminos, longè latéque diuagatus est, vt quasque obuias gentes, quantumuis efferas & barbaras, suaue sub Christi iugum pertraheret, & Christiana pietate mansuefaceret. Rebus igitur in Achaia primùm feliciter constitutis, &

apud Patras ordinato Episcopo signiferæ virtutis, scilicet Herodione, vno ex 72. Domini discipulis, (cuius vas electionis Paulus non sine honore in sua ad Romanos Epistola meminit) vt scilicet peculiarem huius inclytæ ciuitatis, quam eo comite & adiutore vsus Andreas, Christianis documentis imbuerat & ad præscriptum Euangelij magna parte efformauerat, fidelissimo (inquam) huic suo cooperario, etiam totius Achiuæ prouinciæ curam & speculationem, (donec hac illac ad exteras gentes excurreret & demum rediret) paterno commendauit affectu, sicut Lino Petrus vices suas, dum varia per loca discurrebat, commiserat Romæ. Cap. 16.

Sanè in Scythiam profectum, & huic multiplici genti prædicasse Euangelium, vetustissimus Origenes in Genesim scribit. Sophronius qui suppleuit Hieronymi Catalogum, ampliora longè spatia Andreæ eruptioni concedit; *Andreas frater Petri* (inquit) *vt Maiores nostri prodiderunt, Scythis, Sogdianis, & Saccis prædicauit Euangelium, & in Augusta ciuitate prædicauit, quæ cognominatur magna, vbi est irruptio Apsari, & Phasis fluuius. Illic incolunt Æthiopes interiores: sepultus est autem Patris, ciuitate Achaiæ, cruci affixus, ab Ægea Præfecto Elesenorum.* Hæc Sophronius, cui subscribunt Dorotheus in synopsi, & auctor non nuperus libri de vita & morte Sanctorum apud Isidorum: quin & Nicephorus antiquitatis Ecclesiasticæ non inelegans enarrator, signato superiùs loco, ipsum Andream Scythis euangelizasse Christum etiam asseuerat. Non bene autem Sophronius à Scythis, Sogdianos & Saccos distinguit, erant enim Scytharum (magnæ vtique nationis) diuersi populi, inter quos ipsi Sacci & Sogdiani numerabantur. Erant, suntque adhuc (nam & Tartari Scythæ sunt) ferocissimi populi, & in bellum supra modum procliues, atque ideo Dei flagella passim quocumque irrumpebant, dicebantur. In Africam non semel penetrarunt, Hispanos protriuerunt, Asiam sæpesæpiùs infestarunt, neque intactam reliquerunt Europam, torrentis instar rapidissimi, quæque sibi obuia inundantis & pessumdantis feris suis irruptionibus, quibus potentissima regna labefactarunt, terrorem Romano Imperio incusserunt, Trapezuntium Imperium euerterunt, Constantinopolitanum denique subiugarunt, nam & Scytharum colluuiem Turcas esse, & Tartaros, nemo nescit.

hinc factum iam olim vt quicquid barbarum, sæuum, crudele, (nam & aduenas pro victimis mactarunt) Scythicum solet ex antiquo vsu appellari, sicut Scythicam locutionem barbaram, duram & inhumanam, apud omnes gentes audire, ipso dictamine naturæ, consueuit. Hinc igitur mirificè elucet Andreæ Apostoli ingens animi magnitudo, qui hanc truculentam gentem adire, vt Christi subigeret eam Euangelio, minimè formidauit. Non expauit ad tam feræ & impiæ gentis crudelitatem, virili prorsus animo (vt præferebat ipso suo nomine) in immanis huius nationis confertas acies, à Diabolo aduersus Christum armatas insiliit. Missum se sciebat à Domino tanquam ouem inter lupos ferocissimos: eorum truculentam rabiem non extimuit, sed ipsos in agnos conuertit. Irenæus auctor est efferatiores iam populos & gentes magis barbaras in Christum credidisse, puréque seruasse fidei regulam, & Apostolorum Symbolum memoriter tenuisse, ac intrepidè & incorruptè solitas profiteri. Signatim inter has barbaras nationes credentes in Christum, Tertullianus lib. aduersus Iudæos cap. 7. pia intumescens superbia in eosdem Iudæos, Scythas enumerat & Dacos, & Sauromatas. Recensitis enim ferè vniuersis orbis terrarum gentibus, quæ iam ab Apostolis in Christo eruditæ, cultum eius & Euangelium amplexatæ erant, subdit continuo suæ inductionis cursu: *Et Britannorum inaccessa Romanis loca, Christo verò subdita, & Sarmatarum, & Dacorum, & Germanorum, & Scytharum, & abditarum multarum gentium, & prouinciarum, & insularum,* &c. *In quibus omnibus locis Christi nomen qui iam venit regnat.* Et verò Scythas iam Apostolorum tempore Euangelium suscepisse, adeóque sacro lauachro tinctos cum plerisque aliis barbaris, factos esse spiritus diuinæ adoptionis participes, vas electionis Paulus scribens ad Colossenses cap. 3. vers. 11. his verbis non obscurè insinuat, vbi ait in renouatione hominis, *non est Gentilis & Iudæus, circumcisio & præputium, barbarus & Scytha, sed omnia & in omnibus Christus;* Etenim vt ait ad Rom. cap. 10. *In omnem terram sonus Apostolorum exierat, & eorum verba in fines vsque orbis terræ peruenerant.* Quis porrò viam vitæ æternæ edocuerat Scythas (quos cæteris barbaris fuisse innuit ferociores?) certè non ipse Paulus, nec Apostolorum alius, nisi Andreas, cui truculentæ huius gentis primam
in

in fide Christi Patres (vt ostensum est) ascribunt institutionem.

Cæterùm magnus hic Apostolus his terminis non stetit; Nicephorus l. 8. c. 6. obseruat ex antiquis monimentis, eundem Apostolum Christi Euangelium prædicando peragrâsse Cappadociam, Galatiam, & Bithyniam vsque ad mare Euxinum: Acta eius vetusta ferunt cùm esset in Bithynia apud Nicæam (quæ vrbs clarissima ipsius prouinciæ erat) Ecclesiam illic fundâsse, & huic Episcopum primum præfecisse Calistum, virum sapientem, & irreprehensibiliter viuentem, ac studiosè custodientem quæ ab ipso sancto Apostolo acceperat documenta & præcepta.

Sanctus Gregorius Nazianzenus orat. 25. longè post medium insinuat S. Andream insuper in Epyro lumen Euangelicum accendisse: *Quid? nónne* (inquit) *Apostoli peregrini fuerunt? Nónne multarum nationum ac vrbium hospites? In quas diuisi sunt vt quaquauersum Euangelium curreret, nec quicquam triplicis luminis expers esset, ac veritatis luce minimè perfusum, adeovt iis etiam qui in tenebris ac mortis vmbra sedebant, ignorantiæ caligo discuteretur.* Et infrà, profectum ait Andream in Epyrum, & ibi docuisse, sicut Ioannem Ephesi, & Thomam in India. Tom. 1. p. 438.

Sanctus Ioannes Chrysostomus homil. in SS. duodecim Apostolos, Andream fuisse etiam ait Græcorum didascalum, & eos sapientia Christiana, quæ inanem castigat Philosophiam imbuisse. Sic enim os illud aureum, ipsos beatissimos Apostolos alloquitur, *Vos rectæ fidei immobiles estis columnæ, Ecclesiæ petra, regni sceptrum, & huius gregis vigiles præfecti, infirmitatis humanæ gratis medici, nostræque versus Deum pœnitentiæ compatientes fideiussores: Tanquam incudes enim animatæ, dum feriremini, qui vos feriebant, eos ad intelligentiam fabrefecistis. Petrus hinc Romam erudit, Paulus in mundo Euangelium annunciat, Andreas Græciæ sapientes corrigit.* Nec enim sapientia per se mala erat, ideo Andreas prædicando Christum Philosophiam non destruxit, sed Eloquentiam & Dialecticam, Physicam & Metaphysicam, cæteràsque scientiæ humanæ disciplinas, quibus Græci sapientes ad fastum & Deceptionem abutebantur, correxit & emendauit: superbos doctos docuit esse humiles; naturæ omnia tribuentes, ad Deum (vt ipsius naturæ creatorem & rerum omnium principium & finem vltimum) in sua Tom. 5. p. 1738.

ſcientia glorificandum, & Chriſtum vnicum eius filium mundíque Redemptorem, fideíque & ſalutis noſtræ auctorem agnoſcendum, diligendum & colendum, ſecundúmque eius Euangelium vitam inſtituendam, diuina quâ plenus erat ſapientia illuminauit & inflammauit. Garrulitati Græcia erat ſummoperè dedita, dicacitati eius modum Andreas, verba vitæ æternæ proferens impoſuit, nam vt aiebat ſuprà S. Paulinus,

Vaniloquas docuit muteſcere linguas.

Mirum ſanè! Græcia, nobiliſſima mundi regio, totiúſque eruditionis fons & parens, audita Andreæ prædicatione conticuit, ſéque ab homine paupere, extero, peregrino, omnis ſæcularis ſapientiæ experte, ſeſe edoceri paſſa eſt, atque in vna ſcientia ſalutis, quæ ſolùm noſcere gloriatur *Chriſtum filium Dei crucifixum, gentibus ſtultitiam, Iudæis ſcandalum*, vltro ſuſtinuit inſtitui. Hoc arcanum Dei conſilium, in Andrea & cæteris Apoſtolis, (ſed in Andrea maximè qui Græciam debellauit) magnus Gentium Doctor Paulus, ſatis pro voto & immenſa rei magnitudine, non poteſt admirari. Quapropter in hanc erumpit vocem 1. Cor. 1. 20. &c. *Vbi ſapiens? vbi ſcriba? vbi conquiſitor huius ſæculi? Nónne ſtultam fecit Dominus ſapientiam huius mundi?* &c. *Nam quæ ſtulta ſunt mundi elegit Deus vt confundat ſapientes, & infirma mundi elegit Deus vt confundat fortia: Et ignobilia mundi & contemptibilia elegit Deus, & ea quæ non ſunt, vt ea quæ ſunt deſtrueret: vt non glorietur omnis caro in conſpectu eius.* Pulchrè ad hæc S. Ambroſius lib. 5. in cap. 6. Luc. ad illa verba, *Elegit duodecim ex eis: Aduerte* (ait) *cæleſte conſilium, non ſapientes aliquos, non diuites, non nobiles, ſed piſcatores & publicanos quos dirigeret elegit, ne traduxiſſe prudentia, ne redemiſſe diuitiis, ne potentia nobilitatíſque auctoritate traxiſſe aliquos ad ſuam gratiam videretur, vt veritatis ratio, non diſputationis gratia præualeret.* Eandem aliis verbis S. Auguſtinus reddit ſententiam ſerm. 59. de verbis Domini. *Magna artificis miſericordia! ſciebat enim quòd ſi eligeret Senatorem, Senator diceret, dignitas mea electa eſt; ſi eligeret diuitem, diues diceret opulentia mea electa eſt; ſi Regem, diceret Rex poteſtas mea; ſi oratorem, eloquentia mea; ſi philoſophum, ſapientia mea electa eſt. Interim, inquit Dominus, differuntur ſuperbi, iſti multum tument: Da mihi priùs iſtum piſcatorem? Veni tu pauper, nihil habes, nihil noſti, ſequere me?*

Tom. 10.

Tam largo fonti vas inane admouendum est, dimisit retia piscator, accepit gratiam, & factus est diuinus orator. Imò imbellis homo factus est humanæ superbiæ triumphator, nam vel vnus Andreas domuit Scythicam feritatem & Græcam superauit sapientiam, atque ad stipitem crucis sapientes illos incredibili fastu & vanitate tumentes, deuictos, ignea lingua quam à Spiritu sancto acceperat, potenter alligauit.

DIGRESSIVNCVLA.

Vtrum Ecclesia Constantinopolitana à S. Andrea fundata fuerit? Et ideo titulo Apostolicæ originis possit aliquo iure gloriari?

DENIQVE Andream, Thraciam quoque ad Christum attraxisse, Nicephorus Episcopus Constantinopolitanus qui anno 811. claruit, sedente in Cathedra S. Petri Leone III. (ad quem scripsit epistolam, quæ etiamnum extat) in suo Chronico testatur: Cui alter Nicephorus cognomento Callistus lib. 2. hist. Eccles. cap. 39. & lib. 8. cap. 6. suffragatur. Nec hoc tantummodò tradunt, sed addunt insuper, eundem existentem in Thracia Byzantinam (quæ nunc est Constantinopolitana) Ecclesiam erexisse; sicut ipse Nicænam in Bithynia fundauerat. Verùm Cardinalis Baronius hoc impugnat duobus argumentis: alterum est, quòd eiusmodi autumatio sit ex apocryphis deriuata, scilicet ex Abdiæ Babylonij asserti Episcopi scriptis; alterum, quòd has Ecclesias, Nicænam & Byzantinam, à Petro primùm erectas fuisse asserat Agapitus Papa, in litteris de Menna à se ordinato Episcopo Constantinopolitano conscriptis, quæ lectæ sunt in V. Oecumenico Concilio Act. 2. Digna hæc est Baronij oppositio, quæ hîc paulo attentiùs expendatur.

Apud Baron. Tom. 9.

Certè quoad primum argumentum, meminisse debuerat (id porrò cum bona eius venia dictum sit) eorum quæ ipsemet scripsit, in Notis ad Martyrologium Romanum, à se recognitum, pridie Kal. Nouembris, vbi textus sic habet: *Constantinopoli, S. Stachis Episcopi, qui à B. Andrea Apostolo primus eius ciuitatis Episcopus ordinatus est.* Ad quæ verba hæc sua subnectit: *De eodem hac die Græci in Menologio. Hic ille Stachis, cuius Paulus meminit ad Rom. cap.* 16. *De quo & Nicephorus Episcopus Constantinopolitanus in Chroni-*

co, & Nicephorus Calistus hist. lib. 8. cap. 7. Hippolytus in libello de 72. discipulis, ex quo eadem Dorotheus, in Synopsi. Vbi vides Baronium nihil exceptionis aduersus hos auctores inter se concordes proponere, at textum intactum relinquere, tanquam verum & nihil commenti redolentem. Cæterùm hic maximè, si eiusmodi traditio falsa, supposita & ex apocryphis deriuata erat, debuisset Baronius magna cum cautela admonere, ne incautus Lector in eiusmodi offendiculum impingeret.

Alterum argumentum non est magni momenti, nam si verba ipsa Agapiti Papæ referuntur, vt extant, & in Concilio Constantinopolitano, quod post Agapiti ipsius obitum, Sede Apostolica vacante, sed instante Iustiniano Imperatore habitum est, leguntur, vbi recitata est encyclica epistola ipsius Agapiti ad Petrum Hierosolymitanum Episcopum de Anthimi depositione & Mennæ surrogatione, ab eodem B. Agapito Constantinopoli facta: nihil minus ibi inuenietur quàm quod Baronius contra citatos auctores, imò & apertum textum Martyrologij Romani obiicit, vt euictum eat Byzantinam, Nicænam, & alias Orientales Ecclesias à S. Petro, non verò à Beato Andrea eius fratre fundatas fuisse. Ita siquidem ait Agapitus sanctissimus Papa: *Et hoc dignitati eius* (scilicet Mennæ nuper à se ordinati) *additum credimus, quòd à temporibus Petri Apostoli, nullum alium vmquam orientalis Ecclesia susceperit Episcopum, manibus nostræ sedis ordinatum* (quia videlicet à diebus Petri, nullus Romanus Pontifex in Orientem profectus fuerat). Addit Agapitus; *Et forsitam vel ad demonstrationem laudis ipsius, vel ad repellendos inimicorum insultus, res tanta aduenit, vt illis ipse similis esse videatur, quos in his quandoque partibus Apostolorum primi electio ordinauit.* Vbi ne verbum quidem de Byzantio, neque de Nicæa, de quibus hîc agimus, sed tantùm de Orientali Ecclesia, quæ sanè latissimè patet. Nec enim negamus Petrum antequam Antiochiâ transiisset Romam, suo loco Euodium ordinasse. Et postquam sedem fixit Romæ, Marcum Alexandriam misisse à se ordinatum quoque Episcopum: Alios etiam cùm adhuc esset in orientalibus partibus instituisse pastores: sed quòd Byzantij vel Nicææ, aliquem ordinauerit primum vel secundum Episcopum: hoc est quod Agapitus non dixit, nec Baronius probat, cùm è contra constet ex citatis consonis testimo-

Tom. 11. magnor. Concilior. p. 146. Edit. Regia Paris.

niis, B. Andream dum prædicaret in Thracia ordinâsse Stachim, & in Bithynia prædicantem, Nicææ præfecisse Calistum suum dignum discipulum.

His præmissis, est tamen quod iterùm veniam demissè à Baronio deposcam, quem vnicum ingenuè fateor nostra ætate historiæ Ecclesiasticæ conditorem, imò strenuum prorsus vindicem Catholicæ veritatis & sanctæ vnitatis Ecclesiæ: in quo quidem dubito vtrum vicerit eximia pietas an doctrina? Bona (non verto in dubium) intentione obiicit, quod suprà zelo tuendæ exactioris historiæ, refutaui. Ægrè enim ferebat intolerabilem fastum Græcorum, qui ex quo antiqua vestigia Christianæ pacis & pietatis reliquerunt, subesse vllomodò Apostolicæ Sedi detrectarunt. Ideò neque demum passi sunt se titulo Apostolicæ originis destitui. Obiecerat Anatolio Constantinopolitanæ sedis ambitioso præsuli, S. Leo Magnus, quicquid facere niteretur, (vt secundum locum & supparem Apostolicæ sedi inuaderet, in Hierosolymitanæ, Antiochenæ & Alexandrinæ Patriarchalium Ecclesiarum detrimentum, ac Concilij proto-Oecumenici Nicæni Canonum manifestam iniuriam, supremæque sedis Romanæ (quæ princeps est omnium) grauem depressionem, id ab ipso incassum tentari. *Non dedignetur* (inquit epist. 54. ad Martianum Augustum cap. 3.) *regiam ciuitatem* (Constantinopolim scilicet) QVAM APOSTOLICAM NON POTEST FACERE SEDEM. Senserunt hunc aculeum, ambitum eorum pungentem acriter, tam ipse Anatolius, quàm posteri eiusdem regiæ vrbis Antistites: ideóque modis omnibus nisi sunt, hoc acumen elidere; satagendo sibi vendicare Apostolicæ originis decus, quo de pari vtcumque cum Romana Ecclesia certarent: numquam tamen ausi sunt tributum ire B. Petro Sedis Apostolicæ Romanæ auctori ac consecratori, Constantinopolitanæ Ecclesiæ erectionem: sed cùm in historiis legerent ab Andrea Apostolo & Petri germano in Thracia prædicante, Apostolicum virum Stachim, cuius Paulus meminit Rom. 16. ordinatum fuisse: rati hinc non parum præsidij suæ causæ accedere; Byzantinorum Episcoporum antecessorem, aut saltem ordinatorem in Stachi, Andream Apostolum inter ceteros secundum, extitisse iactitârunt: hócque prætextu contenderunt tandem, vix suam sedem Romana inferiorem esse, quæ Apostolorum secundicerium, parentem venerandum non

ſine diuino nutu, & cæleſti beneficio accepiſſet. Porrò his terminis non ſtetit ipſorum infelix ambitio, nam non diu poſtquam ſecundum locum inuaſerunt, de primo cœperunt contra Romanam Eccleſiam litem funeſtam mouere. S. Paulinus, qui Anatolij conatum & renixum Leonis non viderat, (ante quos exortos in hac mundi luce obierat) ſuſpectam corporis S. Andreæ, & Timothei tranſlationem quam fecerat non mala intentione Conſtantinus, non abs re habuit, & ſequiori Byzantij aduerſus Romam æmulatione, peractam, indéque ſecuturum Præſulum ipſius regiæ ciuitatis faſtuoſum ambitum, videtur ſubolfeciſſe, ac non obſcurè præſagiiſſe, vbi canit inter Natalis XI. fragmenta.

Apud Dungalum in edito Paulino Antuerpiæ an. 1622. in officina Plantiniana, cum Notis Frontonis Ducæi & Heriberti Rosweidi, p. 628.

Nam Conſtantinus proprij dum conderet vrbem
Nominis . . . .
. . . . Mente recepit
Conſilium, vt quoniam Romanæ mœnibus vrbis
Æmula magnificis ſtrueret tunc mœnia cœptis:
His quoque Romuleam ſequeretur dotibus vrbem,
Vt ſua Apoſtolicis muniret mœnia latus
Corporibus: Tunc Andream deuexit Achiuis
Timotheúmque Aſiâ. Geminis ita turribus extat
Conſtantinopolis, magna caput æmula Romæ.
Verius hoc ſimilis Romanis culmine muris
Quod Petrum Paulúmque pari, Deus ambitione
Compenſauit ei: meruit quia ſumere Pauli
Diſcipulum cum fratre Petri, &c.

Verùm nec hoc fortunatum ſanè Conſtantinopolis acceſſorium, principale illi quod ambiebat decus originis Apoſtolicæ, ei conciliare potuit: Nam, vt Leo Magnus ad Martianum Imperatorem ſcribebat, quantumuis Conſtantinopolitanus Antiſtes de ſuæ ciuitatis ſplendore ſuperbiret, Eccleſiam ſuam non poterat Apoſtolicam ſedem efficere. Quod tam verum eſſe vſque modò effectus comprobauit, vt etiamnum iurati Eccleſiæ Romanæ hoſtes, hæretici Caluiniſtæ, id non abnuerint, at vi coacti patentis veritatis compulſi fuerint fateri. Prodiit nuper Londini, anno ſcilicet 1651. codex typis editus apud Rogerium Danielem, Epiſtolarum Photij Patriarchæ Conſtantinopolitani, per Richardum Montacutium, qui ſe inſcribit nuper Epiſcopum Noruicenſem, Latinè redditarum, notíſque illuſtratarum; quarum ſecunda eſt encyclica, ad Thronos Archiepiſcopales per

Orientem obtinentes. In hac versus finem cùm Photius (vt in suo exemplari habebat Montacutius) visus sit suam sedem Apostolicam appellare sect. 38. Αποστολικοῦ θρόνου. Glossator, licèt sectarius hac nouitate attonitus, pedem hîc sistit, hócque malagma tam crasso apponit errori. *Si Apostolica est*, inquit, *illa sedes, cuiusnam?* (scilicet Apostoli) *Nam certè Constantinopolitanus Thronus licèt Patriarchalis, non erat Apostolicus, sed legendum*, Αποστολικοῦ ὑμῶν θρόνου. Ita meliùs inuenit scriptum in suo codice, & vertit, *vestra Apostolica sedis*, scilicet Hierosolymitanæ, vel Antiochenæ, aut Alexandrinæ, non autem Constantinopolitanæ, quæ vt dixit antè notator licèt Acephalus, *Apostolica non erat.* Quam dignitatem ne Constantinopoli concederet Baronius, Stachim ordinatum fuisse ab Andrea Apostolo (quod in Martyrologio & Notis admiserat) Byzantinum Episcopum in Annalibus negauit. At non aduertit dum Byzantium contendit primum Episcopum accepisse à Petro, plus dare Græcis quàm ipsi petant : Si enim Petrum haberent suæ sedis Constantinopolitanæ auctorem, non tantùm eam secundo loco Apostolicam, sed primi gradus prærogatiuam habere cum ipsa Romana æquipariter contenderent. * Notai

Verùm haud opus erat, Baronium sese has in angustias coniicere : cùm via plana & facilis ei occurreret, felicioribus auspiciis ineunda. Certè consignatio Stachis in Martyrologio Romano noua est ; Primus eam adiunxit Molanus in additionibus ad Vsuardi Martyrologium, ex Græcorum Menologio his verbis, *Die trigesima prima, sanctorum Apostolorum Stachis, Amplij, & sociorum.* Auxit seriem subinde Galesinius in suo Martyrologio, vbi sic scripsit, *In Gracia item sanctorum Stachis, Amplij, Vrbani, & sociorum: Stachis enim ab Apostolo Andrea, Episcopus Byzantij creatus est, cùm Ecclesiam Argyropoli ædificasset, in qua Christianorum duo millia docebat, vbi postquam præfuisset annis quindecim, quieuit in Domino.* Hinc ampla illa consignatio Stachis, quæ iam in Latinis tabulis passim legitur, Martyrologio Romano accessit, quam Baronius firmauit, notatione sua : ea fusiore quam suo Martyrologio Galesinius subtexuit, quæ hæc tantùm habet : *SSS. Stachis, Amplij, Vrbani, & sociorum.* De quibus Græcè item. (Nam Latinorum nemo horum Sanctorum sacris Diptychis nomen inseruit, vt patet ex Martyrologiis Bedæ, Vsuardi, Adonis, Raba-

ni, Notkeri.) *Porrò de Stachide* (ſubiungit Galeſinius) *quem Itachym Dorothaus nominat, & alij Stachteum, Volateranus lib.* 19. *Commentarior. Nicephorus lib.* 8. *cap.* 6. *hiſt. in Chronico:* At fallitur, nam Nicephorus hiſtoricus non eſt auctor Chronici, ſed Nicephorus Epiſcopus Conſtantinopolitanus, illo quingentis & ſuprà annis antiquior, qui tamen in ſua cauſa iudex eſſe non poteſt nec teſtis. Auctores antiquiores non dicunt S. Andream, Stachim primum Epiſcopum Byzantij conſtituiſſe, ſed cùm eſſet Argyropoli eum dumtaxat ordinaſſe. Et Abdias, quem Baronius nomine apocryphi indicat, in vita ipſius B. Andreæ nullatenùs huius inſtitutionis meminit, ait quidem eum *Nicomediâ Byzantium veniſſe, indéque progreſſum tranſiiſſe in Thracias;* nulla mora interiecta aut actione commemorata. Adde quòd, ſi ipſe Lucas in Actis Apoſtolorum ſcripſiſſet, Andream profectum Byzantium ibi Stachim Epiſcopum ordinaſſe, non ſequeretur ideo hanc ciuitatem ſedem Apoſtolicam dignitate cenſendam eſſe. Nam fuit Paulus Corinthi, vbi Soſthenem poſuit Epiſcopum, qui & ibi ſedit vſque ad mortem, Corinthus tamen nunquam inter Apoſtolicas ſ des numerata fuit. Innumeros Epi copos ordinauit ipſe Petrus Apoſtolorum princeps, non tamen inde honorem Apoſtolicæ Cathedræ, vbi primi fulſerunt, Eccleſiæ ſibi vendicarunt, nec eis cæteræ detulerunt: ipſáque Romana ſuprema ſedes non tantùm ideo principatum Apoſtolicæ ſedis obtinuit, quòd Romæ Petrus diu reſederit, & Clementem ordinauerit, ſed quòd diuino iuſſu * illic ſedem Eccleſiæ œcumenicam ſtabiliter conſtituerit, cuius fundamenta ſuo ſanguine conſecrauit. Non eſt paſſus Andreas mortem in cruce, apud Byzantium, ſed apud Patras crucifixus eſt, vbi tamen Apoſtolica Sedes nunquam habita fuit, ſed tantùm ob glorioſam eius memoriam, hæc ſenſim Eccleſia in Metropolicam ſedem euecta eſt, ſolo honore Archiepiſcopali contenta; nec Epheſi, vbi diu ſedit Ioannes & obiit, magnus ideo Patriarchatus vnquam hæſit, quia non fuit Apoſtolorum princeps: E contra verò ſedes Alexandrina, ſemper Apoſtolica & verè Patriarchalis cenſita eſt, quam fundauit Petrus, non per ſeipſum, ſed per Marcum Euangeliſtam diſcipulum ſuum, & vt ipſe vocat *filium,* quem à ſe ordinatum eò miſit, vt ibi ſedem Apoſtolicam (tantùm non ſupremam) ſuo nomine inſtitueret,

à

* Patet ex perenni traditione, & vniuerſalis Eccleſiæ perpetuo conſenſu.

1. *Pet.* 5. 13.

à qua tota Græcia & Ægyptus (Syriâ Antiochiæ attributâ, & vtrâ que Palæstinâ Hierosolymis, vbi Petrus ipse primùm sederat) regeretur. Cæterùm haud opus est huic extricandæ quæstioni diutius immorari, cùm aliàs eam accuratiùs discusserim, & dilucidiùs explicauerim, scilicet in Synopsis 72. Domini discipulorum commentario, in ipso Stachide, numero 30.

CAPVT X.

Insigniorum vrbium Catalogus, quas S. Andreas sua prædicatione & miraculis illustrauit.

1. DVM esset in Achaia S. Andreas, prædicans summo spiritus ardore verbum Dei, & maiora sub eo reciperet in dies Christiana religio incrementa, iussus est Angelico nuncio, in Æthiopiam quantocyùs proficisci, vt Matthæum Apostolum & Euangelistam, ibi in teterrimo carcere detentum, diuina virtute (sicut fecit) erueret, & ereptum dimitteret ad diuinum opus persequendum. Angelicum erat munus Apostolum de vinculis liberare, vt factum in Petro S. Lucas Act. 12. perhibet. Doctrina est magni Dionysij in cælesti sua Hierarchia, Angelos inferiores à superioribus illuminari: sic Matthæum, ab Andrea, voluit Dominus, vt à maiori liberari, & ab impia gente obcæcatum, sanari, ac vsui exterioris luminis restitui, vt interius lumen ipse Matthæus cæcis mentibus infunderet, atque à tenebris infidelitatis eximendo, diuinæ veritatis luci, cordis eorum oculos omni depulsa caligine aperiret. Semper Angelis est cognata virginitas: Andreas cælebs & virgo totâ vitâ fuit: vixit vt Angelus, vt Angelus (inquit Theodidactus Pater Bernardus) ante crucem, & in cruce locutus est; denique vt Angelus coruscans eximio splendore, inde in cælum euolauit. Quid mirum igitur si vt Archangelus Raphaël Tobiam, sic Matthæum vsuræ lucis amissæ restituit: & vt Angelus qui soluit Petrum de vinculis Herodis, ipsum Matthæum de impiorum Ægyptiorum

ſeu Æthiopum duris nexibus, ſqualoréque carceris eripiens, in libertatem vindicauit, vt deinde beatus ipſe Matthæus *ipſos Æthiopes* (ſicut eleganter ait Hieronymus) *dealbaret*, & eductos de poteſtate tenebrarum, in libertatem filiorum Dei aſſereret. Matthæi curſus in Æthiopia cœpit, & ibidem quoque conſummatus eſt. Scribit Sophronius apud B. Hieronymum, *Andream vſque ad interiores Æthiopes perueniſſe, & in ciuitate Auguſta quæ magna dicitur prædicâſſe.* Doctiſſimus Pammelius in eruditis ſuis Scholiis in librum Tertulliani aduerſus Iudæos ad cap. 7. ſect. 44. ad hanc Sophronij (quem nominatim citat) auctoritatem ſpectans, ait, S. Andream *non ſolùm Scythis, Sogdianis, & Saccis Chriſti fidem tradidiſſe, ſed vltrà etiam progreſſum, Euangelium prædicaſſe in Scythopoli magna, quam incolunt interiores Æthiopes.* Fuit certè huius nominis alia longè minor ciuitas in Iudææ & Galilææ confiniis: quæ aliàs Bethſan, apud Iordanis ex Geneſareth lacu exitum, quæ ſub Chriſtianis principibus fuit ſedes Epiſcopalis: cuius olim non obſcuræ ciuitatis, vix hodie ruinæ manent. Illuſtris quæ fuit etiam proprij Epiſcopi Seueriani martyrio, quod annuis ſacris honorat Eccleſia 21. Februarij. Sed hæc alia omnino fuit à Scythopoli ciuitate magna interioris Æthiopiæ, vbi S. Andreas liberator S. Matthæi, ſuperno iuſſu miſſus, prima fidei & gratiæ ſemina diſperſit.

II. Amaſeorum etiam vrbem Euangelico ſole beatiſſimus hic Apoſtolus irradiauit: quæ ciuitas eſt Cappadociæ in Ponto ad Irim fluuium intermeantem; antiqua, nobilis & olim regia, quæ etiamnum tractus eſt non arcti Metropolis, quæ dudum etiam Martyribus floruit: hîc enim Glaphira Virgo, ſub Licinio paſſa eſt, & Baſileus Epiſcopus ſub eodem tyranno, Theodorus miles ſub Maximiano; illic etiam claruit Aſterius Epiſcopus, qui in II. Concilio Nicæno, orationem piam & elegantem de S. Phoca Martyre habuit. Nouale hoc primus proſcidit aratro Dominicæ crucis S. Andreas, vbi etiam Demetrij ciuis potentis ſeruum Ægyptium, mortuum ardore febris, vitæ reſtituit dicens: *In nomine Ieſu Chriſti ſurge, & ſta ſanus.* quem confeſtim rediuiuum eius domino reddidit. Quo viſo multi in Chriſtum crediderunt, quem Andreas vitæ & mortis dominum, mundíque conditorem & reparatorem vnicum prædicabat.

III. Venit inde in Synopem ciuitatem maritimam Ponti Galatici, ab Amasea C. XXX. M. P. circiter dissitam, claram olim Mithridatis Regis natalibus & sepulchro. Ibi sanctus Apostolus, Cratini ciuis præpotentis filium miserè ægrotantem *dato ei pane à se benedicto sanauit:* cui cùm Cratinus in gratitudinem tanti beneficij prostratus cum vxore ad eius genua, multa auri pondera offerret, *Non est meum* (ait vir diuinus) *dilectissimi, hac munera accipere, sed vestrum est, indigentibus erogare.* Ambos autem iam Christo fide deuinxerat: multos subinde cum ipsis Domino alios ciues consecrauit. Philologum olim Pauli discipulum, qui cum eius bona venia ad Andream diuerterat, cupidus incumbendi propiùs saluti gentis suæ, Episcopum ibidem ordinauit. Excreuit diuinum semen tam felici, ac Andreæ sparsum manu. in copiosam messem: Nam illa ciuitas tam fortunata exinde fuit, vt simul perpessi fuerint fortiter martyrium ducenti Christi fidei assertores, quorum Ecclesia Græca etiamnùm palmas immarcessibiles quotannis veneratur, & celebrat die 7. Aprilis, quo in agone victores supernos ad triumphos euolârunt.

IV. Migrauit deinde Nicæam, quæ Bithyniæ clarissima quondam ciuitas, apud lacum Ascanium sita, in planitie quadrata figura: magni illius Concilij quod olim sub Constantino Magno ibi celebratum est, gestis & decretis sacrosanctis memorabilis, Actisque insuper VII. synodi, quæ II. Nicæna dicitur insignis: nunc verò obscurior, ex quo Mahumetico iugo est infeliciter mancipata. In hac vrbe Andreas primus Euangelij lumina, fortunatis manibus expandit, vnde expulit teterrimos dæmones, sed Angelos introduxit: Ciuium copiosam multitudinem edocuit vias vitæ, fide imbuit, Christo iunxit & deuinxit, salutari lauachro expiauit, in mystici corporis compaginem copulauit, iisque ceu ingentis corporis membris caput indidit Calistum, quem salutis antistitem & animarum pastorem, ibidem non sine Christi numine constituit. Ex hac Apostolica propagine, subinde summa Ecclesiæ culmina, magna cæli lumina exorta sunt, inter quæ præcipuo splendore illuxerunt, qui Christi purpura tincti, cælestem in Senatum cooptari meruerunt, Eustachius, Thespesius, & Anastasius coronati sub Maximiano, Triphon sub Gordiano, Vrsatius miles sub Licinio, Macharius, Diceus, Proculus,

Afrix, cum aliis 72. Diomedes Medicus cum tribus ſociis, Theodota cum Synodeo & duobus filiis, Antonina, Theuſeta cum Horre filio; Theodora, Nymphodora cum aliis. Vbi duo Theophanes ſancti & docti Epiſcopi claruerunt, aliíque innumeri, pietate & doctrina, ſanctiſque moribus viri inſignes.

V. Hinc egreſſus B. Andreas Nicomediam venit, quæ Bithyniæ totius caput erat, ciuitas littoralis ad Propontidem, & ſinum Aſtacenum; reſidentia Imperatorum ante Conſtantinum celebris; Et tot Martyrum ſanguine ſub Diocletiano purpurata, vt (ſolâ exceptâ Roma) *omnem excelluerit mundi pulchritudinem.* Dedit primas radices Beatus Apoſtolus Andreas Chriſtianæ religionis huic inclytæ ciuitati. In quam ingrediens adoleſcentem, à dæmonibus ſuffocatum & diſcerptum reuocauit ad vitam, & dono acceptum à parentibus ſibi in diſcipulum adlegit, ſecúmque in Macedoniam duxit, doctrina cæleſti diligenter à ſe eruditum.

VI. Egreſſus Nicomedia Apoſtolus nauem conſcendit, ingreſſúſque Helleſpontum fretum nauigabat, vt veniret Byzantium: ibi diu non hæſit, ſed hinc progreſſus venit in Thraciam, vt iam ſuperiùs obſeruatum eſt: Cùm autem tranſiret Argyropolim, ibi Stachidem Apoſtolicum virum Epiſcopum conſtituit.

VII. Emenſo hinc itinere venit Perinthum, quæ vrbs eſt Thraciæ ad Propontidem, media ferè inter Byzantium & Calliopolim, apud Arzi fluuium, ad eius oſtium, quæ ſubinde Heraclea dicta eſt, vbi fuit olim celeberrimum illud amphitheatrum marmoreum ex vno lapide exciſum, quod inter ſeptem orbis miracula numeratur. Paulus Apoſtolus ea in vrbe prædicauerat, Sebaſtianámque nobilem puellam Chriſti amore accenderat, adeovt mentis & carnis ſuæ integritatem ipſi Chriſto Virginum ſponſo dedicaret, pro cuius fide & gloria, glorioſum martyrij agonem ſub Domitiano conſummauit, vt in Græcorum Menologio notatur die 16. Septembris. Quia igitur hæc inclyta ciuitas cultum Chriſti iam à Paulo ſuſceperat, non diu illic Andreas moratus eſt, ſed ſalutatis fidelibus & in ſancta religione confirmatis, hinc ocyùs in Macedoniam traiecit.

VIII. Et venit Philippos, quæ nobilis erat colonia Romanorum, apud Thraciæ fines, vltra Strymonem fluuium in-

ter Amphipolim & Neapolim. Vrbs certè erat illa antiquissima, quæ à prima origine Dathos dicta, deinde à Philippo Rege, patre Alexandri instaurata, eius nomen tulit, & retinuit etiam postquam Romanorum colonia facta est. Paulus qui diuino visu & impulsu in Macedoniam perrexerat, Christianæ religionis auspicia, ea in vrbe feliciter inierat. At inde iampridem fuerat digressus, relicto Philippensibus Epaphrodito, quem ipse eorum appellat Apostolum, eo quòd eum ibi ipse Paulus Episcopum ordinauerat. Non erat ibi Epaphroditus, cùm Andreas eò venit, diuino etiam afflatu illuc missus: nam Paulus erat Romæ in vinculis, vbi biennium hæsit. Cúmque Philippenses eum magno amore prosequerentur, audita eius detentione ipsum Epaphroditum ad eius consolationem Romam miserunt, cum muneribus, quibus eius inopiæ opitularentur. Is Romæ incidit in morbum, & ad mortem vsque ægrotauit, sed cùm conualuisset remisit eum Paulus ad suos Philippenses, cum illis litteris planè diuinis, quas ad eos scripsit. Interim illa Ecclesia pastoris cùm esset destituta auxilio, S. Andreas diuino iussu eò venit, consolationem eis in tædio allaturus. Ex qua narratione constat, hallucinatum fuisse Dorothæum in synopsi, dum Erastum (quem Paulus Corinthi reliquerat 1. Timoth. 4.) ab ipso Paulo ait primum fuisse constitutum Episcopum Philippensium, contra apertam ipsius Pauli auctoritatem, qui ad Philippenses scribens vocat Epaphroditum, *Fratrem & cooperatorem ac commilitonem meum, vestrum autem Apostolum*, cap. 2.25. Fieri tamen potuit vt absente diu Epaphrodito, aliquem ex viris Apostolicis; vel & ipsius Pauli discipulis, puta Syntichen, vel Rufum, aut Zozimum (qui Philippis occubuerunt, vt patet ex tabulis Ecclesiasticis die 18. Decembris) illius in vicem suffecerit vsque ad eius reditum, qui anno 2. vinculorum Pauli contigit, & erat 4. Neronis: hoc anno siquidem incidenti in an. Domini 51. scripta est Pauli epistola ad Philippenses, quam per ipsum Epaphroditum misit. Vigebat interim, crescebátque Philippis Christiana fides, quam inibi Paulus ipse plantauerat. Vnde cùm Andreas eò venit, à Philippensibus diuinè admonitis de eius accessu, obuiam ei properantibus, cum ingenti honore exceptus fuit, rebúsque ad Dei beneplacitum ordinatis, non sine multa miraculorum gloria; inde discedens cum nouo quem acquisierat discipulo,

IX. Thessalonicam processit, quæ vrbs insignis est Macedoniæ ad intimum Thermaici recessum, olim & nunc quoque florentissima, emporium maximum, quod mercatores ex omnibus pæne nationibus frequentant. Media est hæc amplissima & opulentissima ciuitas, inter Cypselam vrbem, Thraciam & Dyrrachium. Hanc Paulus quoque in Christi doctrina & fide iam instituerat, & collectis ouibus primum pastorem præfecerat Aristarchum, fidelem suum comitem & adiutorem. Qui deinde Hierosolymam cum Paulo progressus, hinc eum vsque Romam secutus, particeps eius vinculorum fuit. Quamobrem ipse Paulus ad Colossenses scribens, non solùm eum adiutorem, sed & concaptiuum suum appellat, quin etiam Græci in Menologio suo, demum gladio Neronis obtruncatum prædicant in eius natali die 14. Aprilis. Quibus Romana Ecclesia in suo Martyrologio, die 4. Augusti acquiescit, vbi dicitur indiuiduus comes Pauli, & ab eo Thessalonicensium Episcopus ordinatus, post longos agones sub Nerone coronatus, quieuisse. De quo fusiùs diximus in nostra 72. Domini discipulorum synopsi. Non frustra igitur Andreas Thessalonicam accessit, ibíque multo tempore commoratus est propagans regnum Dei: congregatis enim (vt vetusta eius Acta perhibent) multis hominum millibus, Euangelium assiduè prædicabat, & quia crescebat credentium seges, sanctus Apostolus adolescentis quem à Philippis adduxerat adiutorio vtebatur, qui functus officio Catechistæ multos quotidie ad Deum conuertebat admirabili sapientia præditus. Porrò sanctus Andreas Thessalonicæ existens multa diuinè operabatur in suæ prædicationis confirmationem, nam ibi sanauit paralyticum, excitauit mortuum, aliáque peregit magnalia: adeovt infideles tandem dixerint, *hæc sufficiunt nobis*. At cùm ab Apostolo non possent præ adueneratione diuelli, gregatim apud eum conuenientes per triduum, interim quæ Dei erant, abundè omnes instruxerit. Ex quibus nonnulli pro fide Christi postea vitam cum sanguine profuderunt, illis viam sternentes ad gloriam, qui eadem constantia deinceps, diuersis sub tyrannis, extrema quæque pro eadem diuina veritate perpessi sunt, quorum veneranda nomina dignis cum elogiis in Ecclesiasticis tabulis conscripta sunt.

Cap. vlt. vide Act. 19. & 20.

LIBER III.

Agonem enarrans venerandæ passionis S. Andreæ Apostoli.

CAPVT I.

De reuelatione proximæ passionis S. Andreæ, dum adhuc Thessalonicæ ageret, diuinitùs facta.

SEQVENTI *autem nocte*, (sic illa Acta habent, quorum prolixam seriem, ne Lectori pariat tædium, datâ operâ præcidimus) *vidit per quietem B. Andreas visionem, quam & fratribus enarrauit dicens : audite somnium meum dilectissimi! Videbam, & ecce mons magnus erat in sublime elatus, qui nihil super se de terrenis rebus habebat, nisi quòd resplendescebat immensô lumine, ita vt mundum videretur illuminare vniuersum. Et ecce adstiterunt mihi dilectissimi fratres Petrus & Ioannes. Et Ioannes quidem extensa manu Petro Apostolo, leuabat eum in verticem montis, & conuersus ad me rogabat ascendere post Petrum dicens : Andrea calicem Petri bibiturus es! & extensis manibus subdidit; appropinqua mihi, & extende manus tuas, & coniungantur manibus meis, & caput tuum capiti meo societur. Quæ cùm fecissem inuentus sum breuior esse Joanne. Et post hæc ait mihi, Vis cognoscere imaginem huius rei, vel quis sit qui tecum loquatur? Et ego desidero, inquam? Et ait mihi, Ego sum verbum crucis, in qua pendebis in proximo, propter nomen eius quem prædicas. Et multa alia dixit quæ nunc silere oportet: prodibunt autem tunc, cùm ad hanc æmulationem accessero.*

Insigne & dignum obseruatione profectò fuit hoc somnium B. Andreæ, veritatémque eius manifestus euentus paulò pôst probauit. Triplicis sunt generis somnia ratione

principij, à quo excitantur. Eſt enim ſomnium naturale, diuinum, diabolicum. Ariſtoteles malè ſomnium immitti à Deo negauit lib. de diui. per ſomnia. Sapientiùs Hippocrates l. de inſomniis fatetur, à Deo, quinetiam ab Intelligentiis, ſeu Angelis efformari. Quæ à natura, vt plurimùm, adiaphora ſunt, & ex præiacenti materia oriuntur, nam eiuſmodi ſomnium paſſim præcedentibus cogitationibus reſpondet, propenſionem ſequitur & occupationes ordinarias ſomniantis. Quæ autem à diabolo ſomnia excitantur, ſemper in malum mouentur finem, verſantur circa turpia, obſcœna, impia, iracunda, horrenda: vel eò tendunt, vt impediant bonum, vel impellant ad malum. Hæreſiarches Marcus, cuius deliria refert & refellit ſanctus Martyr Irenæus, quæcumque effutiebat, à ſomno & ſilentio ſibi iactabat reuelata eſſe, & quicquid ſciret in inſomniis didiciſſe. Sic impoſtor Mahumetes, ſua diabolica inſomnia pro oraculis habuit, & vt diuina diſſeminauit. Antiqui ethnici valde ſuperſtitioſi circa ſomnia fuerunt: noctem tranſigebant in templis ſuis, ad haurienda per ſomnium reſponſa. Iudæi ethnicorum impiam illam ſuperſtitionem aliquando imitati ſunt: quamobrem ab Iſaia acriter perſtringuntur, cubabant ſiquidem in Templis Gentilium, vt per ſomnia, reſponſa quæ affectabant procurarent, *Populus iſte* (ait Dominus*) *ad iracundiam prouocat me ſemper, qui in delubris* *Iſai. 65. 3.* *idolorum dormiunt.* ſupplent LXX. Interpretes, *propter inſomnia.* Cubabant etenim ſuper pellibus hoſtiarum quæ dæmonibus immolatæ fuerant, eo fine, vt reſponſa acciperent, provt obſeruant SS. Hieronymus & Cyrillus in ſuo ad hunc locum Iſaiæ commentario: qui Cyrillus lib. 10. aduerſus Iulianum, huic Apoſtatæ nefario, Chriſtianis vigilantibus ad ſepulchra Martyrum, calumnioſè imponenti ſuperſtitionis vitio hoc facere, fortiter & aculeatè reſpondet: rectum finem & pium vſum eiuſmodi vigiliarum oſtendens. Cæterùm ſomnia quæ diuinitùs immittuntur, & à materia, & fine dignoſcuntur, non enim excitantur à Deo vel bono Angelo, quàm vt abſterreat à malo, vt hortetur ad bonum, vt moneat quid agendum ſit vel fugiendum: Aliquando vt largiatur donum Prophetiæ, aliúdve donum ſpirituale, vt ſcripturæ intelligentia, arcanorum cognitio; vt reuelet aliquod myſterium, vel euentum proximum Eccleſiæ, vel regnorum viciſſitudines ſpectantem,

aut perſonam cui immittitur ad maiorem Dei gloriam, & ipſius qui hoc lumen recipit propriam vtilitatem. Ad hæc ſanè capita, omnia fere ſomnia quæ SS. Patriarchis & Prophetis aut aliis iuſtis in veteri Teſtamento facta diuinitus commemorantur, vel SS. Apoſtolis & Martyribus in nouo Teſtamento Deo auctore, & miniſterio Angelico contigiſſe leguntur, atque in hiſtoriis Eccleſiaſticis, & ipſorum geſtis Sanctorum, memoriæ poſterorum conſignata ſunt, facilè reuocari poſſunt: iſtúdque maximè quod S. Andreas in prænuncium ſuæ paſſionis accepit, nam diuinitus ei fuiſſe immiſſum, nemo iure inficias ire poteſt. Præmonuit Christus paulò priùs quàm rediret glorioſus ad Patrem, Simonem Petrum de morte, & genere mortis, quâ clarificaturus erat Deum: Paulus reſponſum ſuæ mortis internum aſſerit accepiſſe, qui cùm vltima vice peteret Hieroſolymam, flentibus diſcipulis ob eius diſceſſum, ex Aſia, valedicens ait, Spiritum ſanctum ſibi per omnes ciuitates proteſtari, quoniam vincula & tribulationes Hieroſolymis ipſum expectarent, eò tamen ſe intrepidè proficiſci *vt conſummaret curſum ſuum & miniſterium verbi impleret quod acceperat à Domino Ieſu, ad teſtificandum Euangelium gratiæ Dei.* *Act. 20. 24.*

Imminente tandem glorioſa morte, quam pro honore Domini ſui, Andreas tota vita concupierat, ipſe Dominus hunc primogenitum ſuum diſcipulum, de illa voluit præmonere, quò curſum ſuum Euangelicum implere Andreas ipſe maturaret, & interim eximio gaudio (quod omnium eius votorum cumulum conferebat) perfunderetur: alacriórque properaret ad crucem, cuius amplexus vt cariſſimæ ſibi ſponſæ, ſummi ſemper affectus ardore deſiderauerat. Circumſtantiæ huius ſomnij, quod tantæ gloriæ & felicitatis Andreæ certum fuit prænuncium, dignæ ſunt, ſaltem præcipuæ, quæ hîc expendantur.

I. *Apparuerunt S. Andreæ Petrus & Ioannes:* Inter Petrum & Ioannem, maxima ſemper extitit amicitiæ & habitudinis connexio, vt ex Euangelio & Actis Apoſtolorum prænotatum eſt. Inter Petrum & Andream tam perfecta germanitas, vt idcirco Andreas non ſine fratris Petri cognomine in ſacris litteris paſſim commemoretur. Rectè Cardinalis Toletus in Commentariis ſuis in Ioannem ad illa verba, de Andrea fratrem ad Christum ducente; *Et adduxit*

illum ad Iesum: hanc apponit notulam, *Hoc fraterni animi, cognati amoris, & sinceri affectus officium fuit.* Porrò inter Andream & Ioannem eximia etiam intercessit dilectio: Nihil est (ait priscus sapiens) *quod tam attrahat amicitiam quàm similitudo, qua fit, vt boni bonos diligant.* Pares enim cum paribus facillimè congregantur. Ortu Andreas & Ioannes Galilæi erant, quondam ambo, cum proprio vtriusque fratribus, piscatores, vocatione Apostoli, cum Petro & Iacobo primi; ambo impensè dilecti à Domino, ambo virgines & tota vita cælibes: Placuit Deo tandem seiungere Petrum à Ioanne, & illi Paulum insolubili nexu copulauit: sed tunc coniunxit Ioannem cum Andrea, vt præclarè obseruat S. Paulinus, dum hos versus de præcipuis Apostolis modulatur inter Natalis XI. fragmenta,

Quos tamen ante obitum toto dedit orbe magistros,
Inde Petrum & Paulum Romana fixit in vrbe.

. . . .

Sic dedit Andream Patris, Ephesóque Ioannem,
Vt simul Europam, atque Asiam curaret in illis,
Discuterétque graues, per lumina tanta, tenebras.

Cur igitur Andreas in suæ reuelationis narratione fratrem appellat Ioannem, sicut germanum suum Petrum: *Et astiterunt mihi,* inquit, *dilectissimi fratres, Petrus & Ioannes,* ex præmissis rationibus iam facilè datur intelligi.

II. Mons ille excelsus, ineffabili coruscans luce, quæ totum orbem peruaderet, viridíque vernaret germine, symbolum erat gloriæ proximæ Petri & Andreæ passionis, qua vterque clarificaturus erat Deum: Tantus enim splendor ex eorum cruce in mundum vniuersum diffusus est, vt etiamnum quasi recèns orta perduret: Memoria etenim triumphalis eorum agonis toto Oriente & Occidente patens, in veneratione omnium gentium perseuerat, nunquam sanè intermoritura, sed inclyta vbique futura in perpetuas æternitates.

III. *Et Ioannes quidem extensa manu Petro Apostolo, leuabat eum in verticem montis:* quia scilicet prior Andrea Petrus crucem erat conscensurus. Ad cuius ascensum Ioannes eum inuitabat & adiuuabat; quia Ioannes dilectus Iesu discipulus paranymphus eius amoris erat, cuius ardore nisi succensus fuisset Petrus, tardus olim appetitor mortis, licèt eius pro Domino promptè obeundæ feruens protesta-

tor, non facilè aſcendiſſet ad crucem, quæ naturæ terrorem ipſo ſuo conſpectu horrendum incutiebat; ſed præualuit in Petro amor timori; Vnde magnus Auguſtinus Tract. 123. in Ioannem, expendens illa verba Domini ter ad Petrum dicta, *Petre amas me? Redditur*, inquit, *trina negationi trina confeſſio, ne minùs amori lingua ſeruiat, quàm timori, & plus vocis elicuiſſe videatur mors imminens, quàm vita præſens.* Ideo attrahitur à Ioanne in montem, in cuius faſtigio crux Petro parata erat, in ſupremi ſui aduerſus Dominum amoris, conſpicuum vniuerſo orbi teſtimonium. Dicitur Petrus à Dionyſio *ſummus Theologorum apex*, ſumma eius Theologiæ edita eſt in vertice montis illius, vbi pro cathedra ſui magiſterij, crux fixa erat, vt triumphi etiam glorioſi theatrum, quem erat ſua ex inclyta victoria reportaturus: *Mons ille* (inquit Andreas) *totus in cælum aſſurgebat, qui nihil habebat ſuper ſe de rebus terrenis*, quia Petrus fortiter oppetendo mortem pro fide & gloria Chriſti Domini ſui, demiſſo inferiùs capite, ne ipſi Domino adæquaretur, nihil niſi cælum intuebatur, mundum & omnia quæ in eo ſunt paruipendebat, in Dei gloriam totum agonem ſuum referebat, nihílque ſpectabat quàm promiſſum tandem adimplere, qui pro Domino ſuo, & ouibus ab ipſo tanti cum amoris charitate ſibi commendatis, extremum, cum toto ſanguine, vitæ ſpiritum profundere fuerat pollicitus. Et hæc quidem de Petro: ſequitur de Andrea, ipſo referente,

IV. *Et conuerſus Ioannes ad me, rogabat me aſcendere poſt Petrum dicens, Andrea, calicem Petri bibiturus es!* Notate verba, ſignate myſteria. Petrus impellendus erat ad crucem, vnde illud Domini ad ipſum Româ egreſſum, vt fugeret Neronis in ſe furorem, & inquirentem, *Domine quò vadis? vado Romam iterum crucifigi:* ſcilicet in ipſo Petro, quem ea voce Chriſtus reuocabat in vrbem, & ad crucem pro ſuo nomine & gloria fortiter ſuſtinendam, animabat. Verùm non operæ pretium fuit Ioanni, Andream porrecta manu in montem, quo crucem ſubiret leuare; non opus erat eum impellere, qui vltro ſine ſtimulo, abſque monitore, & impulſore eò tendebat, rapidóque curſu, & ignea mente crucem ipſam quærebat. Ideo Ioannes amica dumtaxat inuitatione illum compellans rogabat aſcendere poſt Petrum, quia ſcilicet præcipiti impetu amplexandi crucem,

tardiorem Petrum libenter anteuertisset, vt illo prior ad Christum accesserat. Cæterùm ex his verbis Ioannis ad Andream, *calicem Petri bibiturus es*, Cardinalis Baronius Tom. 1. Annalium sub ann. Domini 69. probat Andream posteriùs Petro martyrium suum in cruce consummasse, ídque rursum confirmat auctoritate S. Chrysostomi in sermone de B. Andrea dicentis, *Posterior Petro in vitam* (scilicet æternam) *ingressus est Andreas: prior Petrum ad Euangelium allexit.* Sequitur,

Extat apud Metaphrast. & Surium.

V. *Et extensis manibus subdidit, appropinqua mihi, & extende manus tuas, & coniungantur manibus meis, & caput tuum capiti meo societur.* Lætissimum nuncium Ioannes cælestis aquila ferebat Andreæ: quamobrem osculis & amplexibus tam fausta quàm desiderata sibi annunciantem excepit. Erat Ioannes iunior cæteris Apostolis, nec modò Andreas eo erat ætate prouectior, sed etiam prior vocatione: ceu paterno igitur priuilegio vtitur Andreas erga Ioannem, dum eum ita blandè demulcet, inuitátque ad suum osculum & amplexum.

VI. *Quæ cùm fecissem*, (subiungit Andreas) *inuentus sum breuior esse Ioanne.* Non quòd gratia aut meritis esset inferior, vel minor dignitate: sed quia Ioannes eius post mortem superstes futurus erat, ideóque vitæ duratione illo breuior fuit Andreas; quem signauit Baronius eodem anno, quo Petrus, martyrio glorioso perfunctum, anno nimirum à natiuitate Christi 69. At Ioannes non migrauit ex hac vita in cælum nisi anno à passione Domini 68. qui erat Christi nati 100. vel 101. Siquidem vt Tertullianus & S. Hieronymus scribunt, vsque ad decrepitam peruenit senectam, ideo Andreas breuior inuentus est Ioanne. quamuis non vacat mysterio, quod ipsemet Andreas coextendens brachia cum Ioanne, qui crucis ei nuncium afferebat, eo breuior inueniebatur; figuram enim crucis Ioannes gerebat, vt inferiùs ait: crux verò in qua suspensus est Andreas, ipso erat altior, longior, & latior, ideóque ea breuior Andreas, congruenter ad mysterium propinquæ passionis rectè inueniebatur.

Vide Bellarm. lib. de scriptorib. Eccles. in Ioan.

VII. *Et posteà* (Ioannes) *ait mihi, vis cognoscere imaginem huius rei?* Id est intelligere sensum huius visionis. Deus aliquando quæ vult notificare reuelat, per internam aut externam locutionem, aliquando per imaginem phantasiæ

impressam, seu per signa sensibilia & specierum repræsentationem, etiam exteriùs apparentem. Hoc somnium S. Andreæ merum non fuit somnium, sed visio ipsi in quiete exhibita; sunt autem somnia quædam clara & sine imaginis inuolucris, quædam obscura & inuoluta aliquo ænigmate: somnium istud S. Andreæ mixtum erat, partim clarum, partim obscurum, vt elicitur ex sequentibus circumstantiis, siquidem addidit Ioannes loquens ad Andream,

VIII. *Vel nôsse, quis sit qui tecum loquitur?* Nouerat iam antè Andreas, vt paulò antè testatur, *Ecce inquit, adstiterunt mihi fratres dilectißimi Petrus & Ioannes.* Reuerà cognoscebat Ioannem quoad spectat personam, cuius videbat faciem, audiebat vocem, nomen ex vultu, statura & habitu retinebat, sed non exactè deprehendebat mysterium, propter quod diuinitùs missus ad se Ioannes, sibi eo modo apparebat. Quapropter de hoc arcano diuino opus ei erat clarè & apertè à Ioanne edoceri, non vt à maiori; sed vt ab amico & condiscipulo, sibi ad hoc munus supernè destinato: quo etsi dum fungebatur, hoc ipso quòd eum illuminabat maior illo erat, quia officium tunc agebat Angelicum, at non per modum habitus, sed dumtaxat actus transeuntis. At vice versa in gloria martyrij, maior fuit Andreas Ioanne. Erat sanè Ioannes discipulus quem diligebat Iesus; in cuius singularis amoris testimonium, ei concessit in vltima cœna, vt super pectus suum recumberet. At dilexit etiam Andream Dominus, dum in lectum suum, vt secum obdormiret, & patiendo requiesceret, ac moriendo prædicaret illum accersiuit: vnde sancta canit Ecclesia in eius die triumphi, *Dilexit Andream Dominus in odorem suauitatis, dum penderet in cruce, dignum sibi computauit martyrem, quem vocauit Apostolum dum esset in mari.* Fuerit Ioannes Angelus cùm Andreæ faustum mortis nuncium significauit. At sanè Andreas dum esset in cruce ardentissimo amore Domini sui succensus, Seraphim effectus est, illi videlicet similis qui diuinum ignem forcipe tulit de diuino altari, quo lignum crucis accendit, in qua miris charitatis flammis consumptus est, exhalauítque sic immolatus, ante Deum, odorem suauitatis, *quasi thus ardens in igne.* Eccles. 50. 10.

IX. *Et ego desidero,* ait Andreas ad Ioannem: sunt quædam somnia, quæ immittuntur cum quodam pauore &

horrore ſomniantis ; ſic fuit ſomnium vxoris Pilati, quæ cùm Chriſtus ad eius tribunal ſiſteretur, miſit ad virum ſuum, dicens, *nihil tibi & iuſto illi, multa enim paſſa ſum hodie per viſum propter eum.* Matth. 27. 19. At alia quædam ſunt ſomnia, quæ pacificè & tranquillè fiunt, ſuauitérque à ſomniante excipiuntur. Sic B. Andreæ contigit in hoc ſomnio & myſtico viſu. Quapropter nequaquam exterritus, cùm peteret ab eo Ioannes, ſi vellet huius myſterij exactam aſſequi ſignificationem, *Et ego*, inquit, *deſidero: vir* enim, vt alter Daniel, *deſideriorum erat*, quanquam vnico deſiderio videtur ſemper exarſiſſe, moriendi in cruce ſcilicet, pro ſui Domini fide ac gloria, ſicut ipſe primùm ſibi paratam videns crucem, magnificis verbis proteſtatus eſt. Verùm forte tædio angebatur, & præ ardore patiendi tempus ſibi abbreuiari cupiebat. Quamobrem noſſe geſtiebat quandonam demum, ſuo hoc eſſet ſupremo voto potiturus. Vnde mox Ioannes, iam figuram quam gerebat clarè manifeſtans, ait,

X. *Ego ſum verbum crucis, in qua pendebis in proximo, propter nomen eius quem prædicas.* Verbum crucis ſe dixit Ioannes quia nuncius crucis erat, quam totis viſceribus Andreas concupiebat. Nec tamen erat crux Ioannes, quia non durum nuncium, ſed fauſtum & valde gratum afferebat Andreæ, cui maximè gratificabatur, ſignificans in proximo eum in cruce ſuſpenſum iri. Crux erat currus triumphalis, in quem poſt expletum iam propè glorioſum agonem, Andreas aſcenſurus erat, vt (ceu alter Elias zelo zelatus pro Domino Exercituum) igneis quadrigis ſurſum raperetur. Ardebat crucem Andreas velut altare, in quo ſemetipſum offerre Deo in holocauſtum, feruentiſſimo animi cupiebat affectu. Non ambiebat crucem quaſi trophæum ſuæ victoriæ, ſed quaſi excelſum theatrum in quo intenſiſſimum ſuum amorem quem gerebat in pectore erga Chriſtum, vnicum cordis ſui delicium, vniuerſo orbi foret manifeſtaturus. Cupiebat oppetendo præclaram mortem pro rege ſuo, teſtatum Angelis & hominibus facere, quàm intenſo amore illum diligeret : geſtiebat affigi cruci, non vt roſam colligeret ex ſpinis, non tam vt coronam gloriæ & honoris promereretur, quàm vt ſua morte clarificaret Deum, & prædicationem ſuam & fidem in Chriſtum, toto ſuo profuſo ſanguine obſignaret.

XI. *Et multa alia dixit, quæ nunc ſilere oportet:* Affinia ſunt hæc verba ſermonibus illis Domini, ad Apoſtolos ſuos, cùm eſſet in ſuæ paſſionis aditu; *Multa habeo vobis dicere, quæ non poteſtis portare modò:* Impares enim erant S. Andreæ diſcipuli tranquilla mente prænuncio excipiendo ſuæ proximæ mortis, & huius quidem acerbiſſimæ. Epheſiis cùm vltimum vale diceret Paulus, demum ſubiunxit, Act. 20. 25. *Et nunc ego ſcio quia ampliùs non videbitis faciem meam, vos omnes per quos tranſiui prædicans regnum Dei.* Hæc voluit vel ſimilia dicere S. Andreas, cùm Theſſalonicenſibus ſuum viſum referens, de Ioanne ait, *Et multa alia dixit mihi, quæ nunc ſilere oportet.* Voluit enim Apoſtolus benigniſſimus hac narrationis clauſula, eorum dolorem minuere, ſpe eos mulcendo, non citæ ab eis ſuæ diſceſſionis euentus. Adiicere licet doctrinam Bedæ in Luc. ad cap. 22. vbi tractat de apparitione Angeli facta Chriſto Domino, in eius ad crucem progreſſu. *Confortatus eſt Dominus ab Angelo ex fructus magnitudine, non ſubtracta doloris amaritudine.* Sic à Ioanne cum Andrea actum. Animauit illum vehementiori ad crucem impulſu, propenſionis eius non retardato impetu, ſed aucto potiùs incitatiori paſſionis affectu, ex diuinæ incremento gloriæ, & patenti humanæ ſalutis augmento. Alia etiam ſubiunxit de futura eius paſſionis gloria, & inæſtimabili præmio eius victoriæ, tali ac tanto ſcilicet, vt nequidem verbis vllis hominum, ſed nec Angelorum lingua explicari poſſit. Pudor igitur tantæ glorificationis modeſtiſſimum Andream cohibuit, ne magnitudinem mercedis ſuæ, quam Ioannes ei expreſſerat ipſis exponeret. Adde quòd fortè arcana illa eiuſmodi erant, quæ mortalis homo forſitan nequit captu ſuæ mentis concipere: forſan ſiquidem de abſtruſis erant myſteriis, quæ tantùm in futura gloria Deus ſuis electis reuelabit. At ſubiicit B. Andreas coronidem dignam obſeruatione, qua hæc ad ſe peculiariter ſpectaſſe innuere videtur, ait etenim,

XII. * *Prodebuntur autem tunc, cùm ad hanc æmulationem acceſſero:* Pars huius operis ſecunda, in qua nobis dicendum erit de glorioſa B. Andreæ memoria, hanc nonnihil clauſulam poſtremæ S. Andreæ reuelationis illuſtrabit; hoc enim Tractatu, palam fiet, pleriſque rationibus ac titulis, quàm *pretioſa* tanti Apoſtoli *in conſpectu Domini mors fuerit.* Sed hîc non oſcitanter verba hæc eius prætereunda

* Propalabuntur

ſunt, *Cùm ad hanc æmulationem acceſſero.* Miratur Theophylactus, cur Chriſtus mortem ſuam poculum quaſi amatorium vocitârit, & totam ſuam paſſionem intra vnius calicis anguſtias concluſerit, quæ doloris pelagus & mare immenſum amaritudinis, potiùs appellari poterat? Reſpondet autem ſapienter ipſe Theophylactus, ex amoris magnitudine ſic dixiſſe Chriſtum, quo nos proſequebatur: Hoc enim effectum, vt parua & minima ipſe æſtimaret, quæque pro nobis ſuſtineret acerbiſſima. Miror ego etiam (pro modulo comparationis) cur Andreas denunciatam ſibi diuinitus properam ſuam paſſionem, vocabulo æmulationis deſignarit. At mirari mecum quiſque deſinet, ſi ad mentem reuocauerit, quod inter plurima eius elogia, id olim in die eius natali, annumeraui: Etenim nuncupaui, *feruentem Chriſti æmulum.* In quo? In laboribus, in vigiliis, in contumeliis, in paupertate, in manſuetudine, in charitate, in miſericordia, in obedientia, in humilitate, in patientia, in vita denique & in morte. Non ineptè prorſus. Sed Andreas hæc omnia æmulationis Domini facinora (vno excepto) pro nihilo ducit, ſolius mortis Chriſti ſeſe æmulum profitetur, *Prodebuntur autem quæ nunc arcana ſunt* (inquit) *cùm ad hanc æmulationem acceſſero.* Itáne tantùm audet Andreas, vt ſe æmulari Chriſtum in ipſa eius morte dicere non vereatur? Leo Magnus celebri ſententia nónne ſic iactabundo occurrit? *Quamuis* (inquit) *in conſpectu Domini pretioſa ſit mors Sanctorum eius, vnius tamen inſontis occiſio, propitiatio fuit mundi. Accepêre Sancti, non dedêre coronas: Et de mortibus fidelium nata ſunt exempla patientiæ, non præmia iuſtitiæ.* Piè quidem, eleganter, & verè. Vbinam igitur illa ſtare poteſt Chriſti in morte æmulatio, qua feruere ſe iactat Andreas, dum ait, in mundi proſpectum quæ Ioannes ei dixerat, demum proditura, *cùm ad hanc* (inquit) *æmulationem acceſſero,* ad mortem ſcilicet crucis, quam æmulatione Domini tamdiu concupierat. *Numquid Paulus* (ait vas ipſe electionis) *pro vobis crucifixus eſt? aut in nomine Pauli baptizati eſtis?* Sic & Andreæ? Neutiquam. At procul erat Andreas ab ea mente, qua quæ Chriſti ſolùm ſunt, promiſcuè ſibi vllatenùs arrogaret. Luciferianum eſt ſe contra altiſſimum extollere, & ambire cum Deo æqualitatem: Andreas tantùm deſiderabat Domino ſuo aſſimilari, non in poteſtate, maieſtate, & gloria, ſed in humilitate

tate

tate & patientia ; quæcumque diuina ſunt intacta ſemper habuit, Chriſtum Deum ac Dominum ſuum ſemper agnouit, adorauit, prædicauit, etiam in extremo vitæ ſpiritu. Quid igitur affectauit hac æmulatione ſua ? Attigit profectò eius intentum, ídque graphicè expreſſit Adam à ſancto Victore, in illa eleganti, ſuauíque de illo proſodia, quam Eccleſia Pariſienſis etiamnùm liturgico ſuo libro inſertam retinet, ac decantat, his modulis,

Crucem videns præparari,
Suo geſtit conformari
Magiſtro diſcipulus.
Mors pro morte ſoluitur,
Et crucis appetitur
Triumphalis titulus.

Affectauit igitur Andreas vitam ſuam pro Chriſto profundere, qui ipſum pretio ſanguinis & vitæ redemerat, nec hoc tantùm, ſed inſuper mori eodem genere mortis appetebat, quo Chriſto placuerat pro ipſo & omni humano genere mori. Certè mors in cruce erat omnium turpiſſima & atrociſſima, proptereà hoc mortis genus Andreas vehementer exoptauit, quo quantum in ſe erat Domino rependeret aliquantulam vicem ; Minus enim pati pro Chriſto, Andreæ præcordiis altè impreſſa paſſionis eius pro ſe recordatio, ferre non poterat, nec ignarus erat, ſe par pari non poſſe reponere, cùm finiti ad infinitum nulla proportio eſſe poſſit, ſed totas effudit animi & affectus vires, vt ſuo Domino ac Redemptori gratitudinem ſuam rependeret, vnde ſancta Romana Eccleſia illi præclarum hoc perhibet teſtimonium : *Itaque cruci affixus eſt, in qua biduum viuus pendens, & Chriſti fidem prædicare nunquam intermittens, ad eum migrauit, cuius mortis ſimilitudinem concupierat.* At de hoc eius ardore inæſtimabili, rurſum infrà dicetur, vbi de ipſa eius paſſione.



CAPVT II.

An fides adhibenda sit prædictæ narrationi, & aliis eiusmodi quæ (vt quidam dicunt) ex apocryphis eliciuntur?

ARDINALIS Baronius Tom. 1. ad an. Christi 44. n. 31. vt eleuaret aliquod circa res gestas S. Andreæ, vtriusque Nicephori testimonium, satis duxit exceptioni suæ dicere, illud esse desumptum ex apocryphis, proinde fixam & certam non habere auctoritatem. Trita est hoc tempore ista exceptio, quæ tamen in omnibus non militat, sed in plerisque deficit. Ad perpendiculum vocis res est igitur primùm dimetienda. Putant nonnulli apocryphum idem esse quod suppositium, falsum, aut hæreticum: sed longè ac grauiter falluntur, nihil enim aliud sonat nomen apocryphi, quàm quod secretum, absconditum, & occultum.

I. S. Hieronymus idoneus siquis hac in re iudex, in Isaiam super illa verba, *Ecce Virgo concipiet*, auspicatò obseruandum monet, haberi in Hebræo, *Alma*, quæ Græcè dicitur *apocrypha*, Latinè *abscondita*, quæ scilicet nunquam viri aspectibus apparuit. Quem in sensum S. Antiochus, qui tempore Heraclij vixit, in prologo 129. homiliarum suarum, assumit apocryphi vocabulum, *Dictæ sunt quædam scripturæ apocryphæ* (inquit) *hoc est obscuræ, nec satis compertæ auctoritatis*. Quo sensu S. Augustinus lib. 1. cont. aduers. Legis & Prophetarum, opponit apocrypha scripturis canonicis. Idcirco (inquit) apocrypha appellantur, quòd occulta eorum origo Patribus non claruit, à quibus verarum scripturarum auctoritas ad nos certissima & notissima successione peruenit: quo significatu lib. 3. & 4. Esdræ extra canonicas scripturas ponuntur, quamuis citentur à quibusdam sanctis Patribus, & in nonnullis Bibliis Latinis tam manuscriptis quàm impressis reperiantur.

II. At idem S. Hieronymus in aliam acceptionem inflectit apocryphi appellationem, assumit etenim pro scriptis

ſuppoſititiis, & aliis auctoribus attributis, quàm qui fuerint eorum genuini parentes, ſiquidem ep. 7. ſic ait, *ſciat apocrypha, non eſſe eorum quorum titulis prænotantur,* ſcilicet ab hominibus malignis, qui vt virus ſuæ perfidiæ tegant hoc ipſum alio toxico inficiunt, dum piorum auctorum nominibus, libros ſuos inſcribunt, qui legentibus omnem adimunt metum periculi, ſua venerabili auctoritate, & ſinceritate notiſſima. Strophæ huius ſatanicæ admonuit fideles S. Clemens lib. 6. Conſtitut. Apoſtolic. cap. 16. vbi hunc in modum eloquitur, *Noſtro nomine inuulgatos ab impiis libros ne receperitis, non enim nominibus Apoſtolorum attendere debetis, ſed naturæ rerum & rectæ ſententiæ. Nouimus enim à Simone* (ſcilicet Mago Samaritano) *& Cleobio, ſub nomine Chriſti, libros circumferri, in fraudem veſtri,* &c. *Priſcis quoque temporibus quidam libros apocryphos ſcripſerunt, Moſis, Enoch, & Adæ, Iſaiæ quoque, Dauidis, & Eliæ, atque trium Patriarcharum* (Abraham, Iſaac, & Iacob) *pernicioſos & veritati infeſtos. Tales modò libros effecerunt execrandi homines, damnantes rerum originem, nuptias, prouidentiam, liberorum procreationem, Legem, Prophetas: Barbaras quaſdam voces inſerentes* (vt ipſi aiunt) *Angelorum, reuerà autem dæmonum ipſis loquentium; quorum doctrinam fugite, ne ſupplicij eorum participes ſitis.* Hæc Clementis doctrina, canoni 6. Apoſtolorum conſonat, qui ſic habet, *Siquis falsò inſcriptos libros, tanquam ſanctos in Eccleſia publicat, ad populi & Cleri perniciem, deponatur.*

III. Apocryphi libri etiam apud Patres illi habentur, qui fluxæ & inconſtantis ſunt doctrinæ, mixti ſunt enim & bono ſemine & zizaniis, quos ideo eleganter S. Antiochus iam ſignato loco appellat *vſurpationis concubinæ,* inſinuans ſic has ſcriptiones vocitari, quòd velut concubinæ, interdum aut veritate, aut honeſtate abutantur, ſæpe enim cum legitimo ſponſo congrediantur, ſæpius autem ſcortentur cum mendacio. Has repudiat epicenas ſcripturas, fucatáque illecebra inductas, agens contra Priſcilliani ſectarios S. Leo epiſtola quæ ordine 9. eſt, ſcripta ad Turibium Epiſcopum Aſturienſem, cap 15. vbi dicit, *Curandum eſt, & ſacerdotali diligentia maximè prouidendum, vt falſati codices, & à ſincera veritate diſcordes in nullo vſu lectionis habeantur: Apocryphæ autem ſcripturæ, quæ ſub nomine Apoſtolorum, multarum habent ſeminarium falſitatum, non ſolùm in-*

terdicenda, sed etiam penitùs auferendæ sunt, atque ignibus concremandæ: quamuis enim sint in illis quædam quæ videntur speciem habere pietatis, nunquam tamen sunt vacua venenis, & per fabularum illecebras, hoc latenter operantur, vt mirabilium operatione seductos, laqueis cuiuscumque erroris inuoluant.

IV. At apocryphorum nomine non solùm opera illa, quæ doctrinam ex bono & malo dogmate mixtam & conflatam continent, & ab hæreticis sub larua sanctitatis auctorum, obtruduntur, apud Patres designantur: sed ea potissimum quorum parentes hæretici sunt, & qui detracta larua, illorum indubitati auctores dignoscuntur. Sic in Synodo 70. Episcoporum Gelasius edicit, in decreto de apocryphis can. S. R. E. dist. 15. *Liber prouerbiorum qui est ab hæreticis conscriptus, & sancti Christi nomine signatus, est apocryphus. Libri omnes quos fecit Lenticius* (Lucius) *discipulus diaboli, apocryphi: liber Ogiæ nomine gigantis, qui ab hæreticis cum dracone post diluuium pugnasse perhibetur, apocryphus; liber physiologus ab hæreticis conscriptus, & S. Ambrosij nomine præsignatus, apocryphus,* &c. *Hæc & omnia his similia quæ Simon Magus, Nicolaus, Cherinthus, Marcion, Basilides, Ebion, Paulus Samosatenus,* &c. *Manichæus, Faustus, Sabelius, Arius, Macedonius, Eunomius, Cælestius, Maximianus, Priscillianus,* &c. *Nestorius,* &c. *Dioscorus, Eutyches,* &c. *necnon & omnes hæretici, siue schismatici docuerunt, vel conscripserunt, non solùm repudiata, verùm etiam ab omni Romana, Catholica & Apostolica Ecclesia eliminata, atque cum suis auctoribus, auctorúmque sequacibus,* &c. *sub anathematis indissolubili vinculo, in æternum confitemur esse damnata.*

V. Apocryphorum titulo etiam recensentur, opera quorumdam scriptorum Ecclesiasticorum doctrina celebrium, in quibus errores aliqui grauioris notæ reperiuntur. Gelasius præsignato decreto, hanc in classem refert & apocrypha declarat pleraque monimenta virorum illustrium, in quibus elucet magna eorum eruditio, sed non satis ad canonicam Ecclesiæ doctrinam adæquata: ait enim Gelasius cum Synodo: *Opuscula Tertulliani apocrypha, opuscula Lactantij apocrypha,* &c. *Opuscula Clementis Alexandrini apocrypha, opuscula Tatij Cypriani apocrypha, opuscula Arnobij apocrypha, opuscula Caßiani presbyteri Galliarum apo-*

crypha, &c. *Opuscula Victorini Pictauiensis apocrypha*. Non quòd falsa sint hæc opera, aut supposititia, vel eorum omnes auctores fuerint hæretici: sed quia quorumdam errorum næuis scatent, & labe aliqua asperguntur. Non damnat igitur Gelasius hæresis hos auctores, neque eorum libros sub anathemate prohibet. Quomodo enim Tertulliani damnaret Pontifex & Synodus, Apologeticum contra Gentes, & præscriptiones aduersus hæreticos? aut Arnobij libros 7. contra Gentes? aut Lactantij carmen de passione Domini, aut aliud eiusdem de resurrectione? vel Commentarium Victorini Pictauiensis Episcopi & Martyris in Apocalypsim, quem S. Hieronymus è Græco Latinam in phrasim conuertit? Solùm igitur eiusmodi tantorum virorum tractatus, recenset inter opera, quæ in Ecclesiasticis Conuentibus non leguntur: quia occurrunt in eis quædam errata, quæ plenam eis detrahunt auctoritatem, qualem meruerunt SS. Patres, quorum libri (vt verbo vtar S. Hieronymi) *inoffenso pede decurri possunt*. Solus Tertullianus ad castra Montanistarum demum delirando defecit, *& posterioribus scriptis suis detraxit prioribus auctoritatem*, (vt scitè ait Vincentius Lerinensis) non tamen veritatem, quam defendit in prioribus suis libris, destruxit, qui tamen notâ apocryphorum, iudicio Gelasij & Synodi ipsius afficiuntur, non propter hæreses quas habeant, sed propter posteriorem lapsum auctoris, cuius nomen ex hoc in Ecclesia, minus auctoritatis retinuit. Hanc maculam cæteri subinde recensiti non habent, verùm propter quædam menda & næuos, ponderis, quoad auctoritatem, in Ecclesia minus habent. At sunt alij apocryphi, qui tametsi in Ecclesia publicè legi non possint, nec soleant, tamen à Gelasio nullâ censurâ notantur: verbi gratia opus Abdiæ 1. Babyloniæ Episcopi, cui titulus est, *Historia Apostolici certaminis, seu de Vitis Apostolorum*: quem librum interpolatum quidem non negarim, à quodam sciolo qui eius seriem protraxit, plerisque additamentis, quæ raræ (vt verum fatear) sunt texturæ, verumtamen primordialem seriem non vitiant, quæ narrationibus grauissimis, & gestis, Apostolicum spiritum planè redolentibus (si attentè inspiciantur) passim constat. Quamobrem Cardinalis Baronius vbi agit de tempore passionis S. Andreæ testimonium inde petit, citatis illis verbis, ex prænarrata reuelatione facta ipsi sanctissimo Aposto-

lo à B. Ioanne, dicente ei, *Andrea calicem Petri bibiturus es, in proximo enim pendebis in cruce, propter nomen eius quem prædicas!* Non igitur magnus ille Cardinalis hoc prænuntium mortis B. Andreæ censuit esse commentum, quod vel fidei Ecclesiæ, vel historicæ veritati derogaret, sed testimonium non aspernabile, quod rei gestæ cognitioni, sine hoc subsidio, alioqui satis obscuræ, commodum afferret lumen.

Nec porrò Baronius eapropter, ipsi Baronio opponendus venit; Nam cùm ait, quæ referuntur à Nicephoro Episcopo Constantinopolitano breuiter, & fusiùs à Nicephoro Calisto de fundatione Ecclesiæ Constantinopolitanæ, quam factam commemorant ab ipso S. Andrea, desumpta esse ex apocryphis, non ad Abdiæ spectat historiam, quæ nihil habet prorsus de Stachis, apud Byzantium facta ab ipso Andrea ordinatione. Transiisse quidem illum notat Nicomediâ Byzantium, quam nunc Constantinopolim vocant: at ita festinanter, vt hîc neque sedem statuerit, & vix fixerit pedem, *Byzantium peruenerunt,* (inquit) *inde progressi vt transirent Thracias.* Quamobrem Baronianum telum nec Abdiam petit, nec lædit ipsum Baronium, qui sibi, repellendo vtrumque Nicephorum, & deinde citando testimonium Abdiæ, neutiquam contradicit.

Sed instabit quispiam: saltem exceptione sua qua reiicit, quæ narrat vterque Nicephorus, vt ex apocryphis deprompta, destruit apocryphorum scriptorum fidem. Respondeo eorum apocryphorum, quibus maximè hæretici nitebantur. Et si vis omnium, tum dico non omnem, neque quoad omnia: nam si hanc de qua agimus narrationem, vis ipsum pro apocrypha habuisse, illam nihilominùs citat in rem suam, & qualiscumque sit, tantæ esse ait antiquitatis, quæ 1200. annos superat.

Vnde patet, rectè non sequi, hoc exemplum vel testimonium ex libro apocrypho desumptum est, ergo nullum, nam falsum, suppositicium, vel hæreticum. Siquidem hoc nomen ipsum apocryphi non importat. Apocryphi fidem integram non faciunt, & nullam prorsus merentur auctoritatem, vbi Christianam fidem impetunt, aut bonos corrumpunt mores; sed vbi neutrumque lædunt, at potiùs iuuant, & illustrant insuper historicam veritatem, non debent repelli, sed admitti, quemadmodùm fecit circa vltimam

vitæ S. Andreæ periodum, Cardinalis Baronius, qui deficiente ſibi clariore lumine & firmiori præſidio, Abdiam ſibi (auſpicato conſilio, tam prudenti quàm neceſſario ſcilicet) accerſiuit, & ſic ſe ab eo amfractu extricauit, è quo elabi ſine eiuſmodi adminiculo nequaquam commodè potuiſſet. Et quæſo, quid inde abſurdi? Si Paulus ethnicos poëtas in ſuis ſcriptis & geſtis allegauit, Menandrum videlicet & Aratum, in quantum quibuſdam ſententiis Euangelicæ prædicationi ſuffragium aliquod afferebant; cur non ex Chriſtianis apocryphis fas erit pio ſcriptori vel diſſertatori, aliquam opem expetere?

Dices iterum, certè non licet, quia cùm paſſim apocrypha nonnulla ferant non tantùm friuola, ſed etiam falſa & noxia Chriſtianæ veritati quoad fidem, & quoad mores puritati: qui eorum præſidio nititur, aleam ſubit, totam eorum ſeriem eiuſmodi facto approbandi; quamobrem indiſcriminatim S. Hieronymus omnem abrogat apocryphis ſcriptionibus auctoritatem epiſt. 7. iis verbis, ***Caueat omnia apocrypha.*** Nego ſequi: aliàs, quando citat B. Paulus Menandrum, Aratum & Epimenidem, hac lege ſe obſtrinxiſſet omnia pro veris aſſerere, quæcumque illi conſcripſerunt, quod quàm abſurdum ſit, talpa ſit qui non videt. Sententia eſt inſignis S. Hieronymi in cap. 1. ad Titum, & B. Auguſtini lib. 15. de Ciuit. Dei cap. 23. & lib. 38. cap. 28. In apocryphis nonnulla vera eſſe, quæ qui profert non ideo totum approbat, vnde eruit. Locus autem citatus in aduerſum, ex ipſo B. Hieronymo, cauſæ noſtræ huic potiùs fauet quàm officit, ſi integer proferatur. ***Caueat,*** inquit, ***omnia apocrypha*** (ſcilicet ſecundæ & quartæ claſſis ſupraſignatæ). ***Et ſi quando ea, non ad dogmatum veritatem, ſed ad ſignorum reuerentiam legere voluerit, ſciat non eorum eſſe quorum titulis prænotantur, multáque iis admixta vitioſa, & grandis eſſe prudentiæ, aurum in luto quærere.*** Verùm intra hos ſacros cancellos hîc nos religioſè continemus, nam de nomine Auctoris antiquæ quam allegamus ſcriptionis, non pertinaciter contendimus, & quæ hinc elicimus, non ad dogmatum probationem afferimus, ſed dumtaxat ad hiſtoriæ quæ iuuat bonos mores, & ad pietatem conducit, non modicam illuſtrationem. Noxia ſiquæ in ea ſunt fugimus ac abhorremus, vtilia tantùm venamur & adducimus, & ſic non lutum in auro quærimus, ſed aurum & gemmas in luto.

Capvt III.

Ex Macedonia in Patras Achaiæ ciuitatem insignem, Beati Apostoli Andreæ iterata profectio.

Sanctvs Andreas, non insalutato hospite ex Macedonia discessit. Reuelatio diuina proximæ suæ passionis, eum impulit & accinxit ad imminentis sui agonis palæstram. Qui velit eius vltimum vale, quod dixit Macedoniæ populis, ediscere, ad B. Pauli discessum postremum ex Asia, vt Hierosolymam rediret, & hinc Romam progrederetur, ad supremi sui certaminis lauream assequendum, provt enarrat eius gesta B. Lucas in Actis Apostolorum cap. 20. recurrat, sic enim meliùs quàm in nitido speculo conspiciet vtriusque Apostoli discessûs conformitatem.

Sed vnum est quod in discessu suo Philippis fecit Andreas, quod Paulus valedicens Asiaticis fecisse non legitur apud Miletum. Orauit quidem Paulus cum presbyteris & populo flexis genibus: sed Andreas orationi & benedictioni, diuinam addidit synaxim: *Et expansis manibus orauit ad Dominum dicens: Custodi Domine, quæso, gregem hunc, qui iam tuam cognouit salutem, vt non præualeat eis malignus, sed quæ te iubente, & me dispensante, suscepit, inuiolata custodiat semper. Et iis dictis omnes qui aderant responderunt, Amen. Apostolus autem accipiens panem, & gratias agens fregit & dedit omnibus dicens, Accipite gratiam, quam vobis tradidit per me famulum suum, Christus Dominus Deus noster. & exosculans singulos atque commendans Domino, ex Philippis Thessalonicam profectus est, ibique biduo docens discessit ab eis.* Quia igitur sciebat eos velut oues inter lupos versari, & ipsis quotidiana imminere pericula, impendere certamina, ne eos relinqueret inermes, sancta communione, quæ *panis est fortium*, & armatura insuperabilis fidelium, illos suo in discessu, quasi Apostolicæ suæ benedictionis signaculo communiuit. Quem morem imitatus sanctus Episcopus ac Martyr Cyprianus epist. 54. sic inquit, *At verò nunc*

nunc fortibus & viuentibus communicatio à nobis danda est, vt quos excitamus & hortamur ad prælium, non inermes & nudos relinquamus, sed protectione sanguinis & corporis Christi muniamus: Et cùm ad hoc fiat Eucharistia, vt possit accipientibus esse tutela, quos tutos contra aduersarios esse volumus, munimento Dominicæ saturitatis armemus. Nam quomodo eos docemus, aut prouocamus in confessione nominis Christiani sanguinem suum fundere, si eis militaturis, Christi sanguinem denegamus. Petrus frater Andreæ ideo hunc morem solemnem habuit, vt mox ac quosdam baptizauerat & confirmauerat, quia in medio infidelium positi, erant in perpetuo discrimine, & quasi præsenti occasione martyrij, diuino ipsos pignore roboraret. Illustre hac de re exemplum legimus in Actis SS. Martyrum Processi & Martiniani, hoc tenore: *Hoc vt viderunt cuncti qui erant in custodia, prostrauerunt se ad pedes B. Petri Apostoli, & baptizati sunt promiscui sexus & diuersæ ætatis numero 47. obtulit autem pro eis sacrificium laudis, & participes eos fecit corporis & sanguinis Domini nostri Iesu Christi.*

Sed S. Andreas aliò adhuc spectauit, scilicet ad exemplum ipsius Domini, qui cùm esset in procinctu suæ passionis, valedicens suis charissimis Apostolis pro pignore sui in eos amoris, Eucharistiam sacrosanctam eis dedit corporis & sanguinis sui; non solùm vt esset de sua contristatis absentia solatium, sed etiam aduersus omnes mundi insultus, atque diaboli insidias præsidium ac munimen. Sciebat Andreas hoc diuinum Sacramentum, omne robur continere ac sumentibus impertiri; nullum pretiosius munus Christum suis reliquisse discipulis. Quod acceperat igitur à Domino, suis dedit beatus hic Apostolus: cùm vltimum eis vale dicens, se ad sequendum Dominum vsque ad crucem, quam ardebat toto pectore, præpararet.

Hinc igitur venit Thessalonicam, & post biduum inde digressus nauigio Patras venit, imò rediit, nam inde tot peregrinationes suas iam olim exorsus fuerat. Sunt qui scribunt Pataram ex Thessalonica aduenisse: sed merâ vtriusque nominis consonantiâ hallucinantur. Patara (Græcè in numero multitudinis εἰς Πάταρα) Lyciæ Metropolis insignis erat amplissimo portu & templis multis, ex quibus præstabat quod Apollinis Pataræi nomen ipsi dedit. Hanc inuisit B. Paulus vltimò Hierosolymam proficiscens, etenim cùm exisset Mileto

venit recto cursu Coum, & sequenti die Rhodum, & inde Pataram (Act. 21. 1. &c.) quæ postmodùm Myrea dicta est, vbi Magnus ille Nicolaus, incomparabilem Episcopum tempore Magni Constantini egit. Ea nobilissima ciuitas, & quæ Archiepiscopali honore pridem claruit, ad Limirum fluuium sita erat, non procul à littore, quæ nunc euersa iacet, Ecclesia antiqua nihilominùs superstite in colle cum paruo Monasterio, ruderibus vrbis longè latéque dissitis, ab exiguo vico, qui stat in proxima antiqui situs planicie. Non ad hanc Pataram Andreas ex Macedonia soluens accessit, sed rectà Patras contendit, vbi se agonem in cruce consummaturum in proximo, diuinitùs didicerat. Quali autem plaga & loco maritima Patrarum ciuitas sita sit (nam etiamnùm extat, & visitur in Achaia confini Peloponeso) superiùs satis supérque exposuimus. Superest igitur vt hîc tandem appulsum sequamur Andream.

Acta ferunt, eum ibi cum Antymo & aliis suis discipulis appulsum, in quodam diuersorio moratum. Cúmque multi (quos primo illuc aditu, fide imbuerat) precibus insisterent, vt in domos eorum ingrederetur, noluit eis assentiri, sed dixit, *viuit Dominus, quia non vadam, nisi quò ipse præceperit, & tota nocte nihil reuelationis accepit; at sequenti cùm esset ex hoc nonnihil contristatus, vocem audiuit dicentem sibi, Andrea ego sum tecum, & non derelinquam te.* Postera autem die cùm gratias egisset Deo pro hac reuelatione, inuitatus à Magistratu acquieuit & vrbem ingressus, illum longa ægritudine tabescentem sanauit, & rebellem olim Euangelico lumini, hoc beneficio perduxit ad fidem, & fasciculos peccati & iniquitatis, quibus obstrictus erat dissoluit; Trophimam eius pellicem ab eo disiunxit, ipsam ad Deum conuertit, & Christi fidei, ac castitatis effecit eximiam zelatricem; ipsam à grauissimo deinde periculo liberauit, & ad tantam prouexit sanctitatem, vt non solùm omnibus exemplo esset, sed mira etiam operaretur. *Tantam enim* (sic acta ferunt) *ipsa acceperat à Domino in fide constantiam, vt non multò post conuersionem suam in nomine Iesu Christi puerum resuscitauerit in vniuersæ ciuitatis, quæ ad hoc conuenerat spectaculum, conspectu.*

Hîc mihi excidere non patior illuminationem Polixenæ Virginis Hispanæ, quæ in Achaiam certa occasione aduenerat: de qua in Græcorum Menologio ad diem 23.

Septembris iuxta versionem Cardinalis Sirleti, quæ tomo 2. antiquæ lectionis extat apud Henricum Canisium, sic legimus: *Eodem die Natalis Sanctarum Virginum Xantippæ & Polixenæ, quæ sub imperio Claudij Cæsaris ex Hispania genus ducentes, Xantippe quidem Apostolum Paulum ad Hispanos Christi Euangelium prædicantem audiuit: quippe qui viro illius Probo, fidei & salutis auctor fuerat. Polixena verò audiuit Apostolum Petrum, posteà Apostolum Philippum, posteà* ANDREAM *Apostolum, qui eam baptizauit in Græcia tunc existentem, à viro quodam raptam, sed Dei ope adiuuante minimè corruptam: reuersa vero in Hispanias cum virgine quadam nomine Rebecca, genere Iudæa, inuenit Xantippen sororem suam virtutum splendore fulgentem. Itaque ambæ multos docentes Christi fidem, in pace quieuerunt.* Istæ igitur sorores fuerunt multorum Apostolorum discipulæ: sed hoc mirum in Polixena, quòd audito Petro Apostolorum principe fidem non ideo suscepit, nec cessit deinde Philippo, quamuis Euangelium quoque prædicantem audierit, at nonnisi ab Andrea ad Christum conuerti potuit, nimirum qui celebs & virgo, virginem hactenùs Euangelio resistentem, Christo virginum sponso deuinxit, dignam scilicet tanto fidei & castitatis paranympho. Sed hoc è diuerticulo redeamus in viam.

CAPVT IV.

Mirabilis conuersio Nicolai senis super septuagenarij, B. Andreæ intercessione, non sine lacrymis, & multa precum & ieiunij instantia, demùm impetrata.

NDREA apud Patras degente, & pari zelo qua felicitate persequente humanæ conuersionis diuinum opus, necessum ei fuit, per modum excursionis ire Corinthum: vbi cùm aliquandiu diuersaretur, venit ad eum senex quidam Nicolaus nomine, vestibus scissis, qui eum salutans, cum gemitu, hanc in vocem erupit, *Famule Dei, ecce septuaginta quatuor anni sunt vita mea, quibus non discessi ab immunditiis ac scortatione, in lupanaribus subinde illicita exercens. Et nunc ecce tertia dies est ex quo audiui diuina opera*

quæ agis, & prædicationes tuas, quæ plena sunt verbis vitæ. Cogitabam autem mecum vt relicto impuro vitæ meæ cursu, venirem ad te supplex, vt ostenderes mihi meliora, sed cùm hæc mente versarem, venit mihi in animum, vt non facerem bonum quod proponebam. Luctante igitur conscientia mea accepi Euangelium, & oraui Dominum, vt hæc me faceret aliquando obliuisci; itaque post paucos dies oblitus Euangelij quod super me erat, inflammante cogitatione peruersa, abij iterum in lupanar, & ecce mulier meretrix videns me ait, Egredere senex egredere, Angelus enim Domini es tu, ne contingas me, neque appropinques huic loco, video enim in te mysterium magnum. Cúmque ego obstupefactus cogitarem quid hoc esset, recolui, quòd Euangelium mecum haberem: Abij & conuersus venio nunc ad te famulum Dei, vt miserearis erroribus meis; spes enim mihi maxima est quòd non pereo, si oraueris pro humilitate mea. Hæc audiens B. Andreas, cùm multa contra fornicationem disseruisset, prostratus genibus, expansísque manibus tacitus orabat, emitténsque gemitus cum lacrymis, ab hora diei sexta, vsque ad horam nonam, surgebat abluta facie, nihil cibi accipere volens, dixítque, non gustabo donec cognoscam si Deus huic homini miserebitur, & si recensebitur demum inter saluatos. Cùm autem ieiunasset altera die, nihil tamen fuit ei reuelatum de homine isto, vsque ad quintum diem, in quo flens vehementer dicebat, Domine, pro mortuis obtinemus pietatem tuam, & nunc iste qui desiderat cognoscere magnalia tua, cur non reuertatur, vt sanes illum? Hæc eo dicente, vox de cælo delata est dicens, Obtines Andrea pro sene, sed sicut tu ieiuniis fatigatus es, ita & ipse det operam per ieiunium vt saluetur? Et vocans eum prædicauit ei Apostolus abstinentiam. Die verò sexto vocauit omnes Christianos, & rogabat eos, vt orarent vniuersi pro eo, qui solo prostrati orabant dicentes, Domine pie & misericors, remitte huic homini delictum suum. Quo facto & ipse manducauit & cæteros comedere permisit. Nicolaus quoque rediit in domum suam, & omnia quæ habebat distribuit pauperibus, ipse quoque multum se excruciauit, ita vt per sex menses nihil aliud quàm aquam caperet, & pane hordeaceo vesceretur. Itaque exacta digna pœnitentia, haud multò pòst iste senex excessit è sæculo. Aberat autem B. Andreas, sed circa mortem senis, vox ad Apostolum facta est alio loco, Andrea, meus effectus est Nicolaus. At ille gratias agens narrauit fratribus Nicolaum excessisse de corpore, orans vt in pace quiesceret.

Liceat parumper hîc mihi gradum ſiſtere, & quibuſdam ſuccinctis obſeruationibus illuſtrare quædam huius hiſtoricæ narrationis præcipua.

I. Locus notandus venit. Nempe hæc ſunt acta Corinthi: Corinthus autem erat Achaiæ metropolis, ſeu Peloponeſi nobile emporium, inſigne portubus, quorum Lechæum Ionio, Schonus Ægeo mari imminet: Vnde à duplici hoc mari veteres bimarem Corinthum vocitarunt, hinc illud Ouidij 4. Faſtorum,

Adriacúmque patens latè, bimarémque Corinthum.

Abundat ergo Corinthus mercibus & opibus. Ex qua opulentia manauit ciuium faſtus, ingluuies, luxus, libido: in quæ vitia Paulus Apoſtolus, qui annum & ſex menſes ibi Euangelium gratiæ Chriſti prædicauerat, in litteris quas binas deinde ad eos ſcripſit, acriter inuehitur. Multi tamen in hac ciuitate Chriſtiani erant, quos Paulus ipſe Domino lucratus fuerat, cùm ibi maneret: adeovt etiam illorum ſapientiam, prophetiam, aliáſque gratias à Deo ipſis datas, Apoſtolus ipſe paſſim ſuſpiciat ac celebret. Sed inde rurſus orta eſt ſuperbia, ambitio, rixæ, contentiones, & ſchiſmata, quæ idem Apoſtolus in eis reprehendit. Verùm inter ipſos Chriſtianos, libido tanta erat, vt idem Apoſtolus aculeatis his verbis illam inſectetur ep. 1. c. 5. verſ. 1. *Omninò auditur inter vos fornicatio, & talis fornicatio qualis nec inter Gentes, ita vt vxorem patris ſui aliquis habeat. Et vos inflati eſtis, & non magis luctum habuiſtis, vt tollatur de medio veſtrûm qui hoc opus fecit,* &c. *Non eſt bona gloriatio veſtra* (quæ ſcilicet ex gratiis gratìs datis oriebatur, cùm interim de caſtitate, & morum integritate colenda parum curarent, vnde ſubiungit) *Ne commiſceamini fornicariis.*

II. Nicolaus iſte hoc exitiali morbo iamdiu laborabat, erátque ſcortator effrenis, qui longam vitæ ætatem in omni immunditia protriuerat, tamdiu hoc in cœno volutatus, vt ne quidem ante Andreæ Apoſtoli eam in vrbem aduentum, de hoc emergere luto cogitaret: Bis eò venerat Apoſtolus; prima vice hîc non modicum tempus tranſegerat, nec tamen Nicolaus iſte eius audita voce reſipuerat. indurerat infelix iſte ſenex in peccato, & eo peccato quod omnium tenaciſſimum & curatione difficillimum eſt: Quod expertus magnus Auguſtinus, & ſingulari Dei miſericordia

ab hac fæce extractus meritò dicebat, *Inter omnia certamina Christianorum sola dura sunt prælia castitatis, vbi quotidiana est pugna & rara victoria. Grauem namque sortita est castitas inimicum, cui etiam cùm quotidie resistitur, semper tamen timetur.* Quam autem ipse suæ conuersionis tempore difficultatem in hoc vitio senserit, ipse tam lamentabiliter in suis Confessionibus exponit, vt vel ex horrore obstupescat legentis animus. Causa autem tantæ difficultatis hæc erat, quòd libido consuetudine longa iam callum quasi obduxisset, *Dum seruitur* (inquit) *libidini, fit consuetudo, & dum consuetudini non resistitur, facta est necessitas.* Idem docet S. Ambrosius lib. 1. de Caim & Abel cap. 5. *Sauus* (ait) *stimulus criminum, libido est, quæ numquam quietum manere patitur affectum, nocte feruet, die anhelat; de somno excitat, à negotio abducit, à ratione reuocat, aufert consilium, amentes inquietat, lapsos inclinat: nullus peccandi modus, & inexplebilis hominum sitis, nisi morte amantis extingui non potest.* Et in Lucam ad cap. 4. rationem huius extremitatis assignat; *Etenim* (inquit) *quasi clauis suffigitur anima corporis voluptatibus, & cùm semel adhæserit cupiditatibus demersa terrenis, difficilè in altum potest, vnde descendit, sine Dei fauore reuolare. Actuum enim suorum vincta laqueis, & sæcularium deliciarum illecebris obnoxia iam tenetur.* Hinc patet quàm difficilis fuerit impudici istius senis Nicolai conuersio, quam nisi grandi enixu B. Andreas à Deo non impetrauit. Quod de Roma ethnica, à Christo per Petrum liberata à seruitute diaboli, & prouecta ad lumen Euangelij S. Leo ait, *quanto tenaciùs erat per diabolum illigata, tanto per Christum* (Apostolica vice vtentem) *est mirabiliùs absoluta*: de hoc misero sene, ab ipso Domino per Andream operante, non dissimiliter dici potest; quanto enim à spiritu fornicationis erat tenaciùs illigatus, tanto mirabiliùs fuit ab eius nexibus ereptus; *Domine* (ait Andreas) *pro mortuis exaudit nos pietas tua, & pro hoc homine non obtinemus,* nisi scilicet summa difficultate. verbo abigebat dæmones; mortuos quasi dormientes simplici iussu, vel leui contactu excitabat: miserum autem hunc hominem, nonnisi quinque dierum ieiunio, continuatis vigiliis, assiduis precibus, omníque animi & corporis excruciatione de cæno diuturnæ consuetudinis potuit extricare, & ad seriæ pœnitentiæ, licèt seræ, pium ac efficacem reuocare, sed nec

attrahere affectum. Verùm orauit Andreas pro Nicolao feliciùs, quàm Samuël pro Saüle. *Lugebat Saülem Samuël, dixitque Dominus ad eum, vsquequo tu luges Saül, cùm ego proiecerim eum?* At non sic Andream prohibuit precibus veniam pro Nicolao postulare. Anxiari quidem permisit spiritum eius, dum citò responsum non audiuit quod poscebat. solebat Christus Andreæ votis se præbere propensum: hactenùs vix præterierat dies, quo sanctum hunc suum Apostolum & seruum fidelem, de postulationum exauditione certiorem non faceret, singulis noctibus responsa ei dabat, quid agendum indicabat, & aliquo etiam solatio recreabat. At hîc se initio auersum ab Andreæ precibus indicauit, non vt contristaret Andream, sed vt grauitatem scelerum huius inueterati peccatoris, pro quo ille orabat ostenderet, horrorem peccati incuteret, & ad seueriorem pœnitentiam hunc impelleret miserum peccatorem. Lacrymæ, & gemitus Andreæ, ieiunium, preces, misericordiam Domini pro illo non potuerant obtinere, perseuerantia tandem obtinuit, quia *multùm valet deprecatio iusti assidua.* Et hinc patet quàm Deo sit grata Sanctorum pia pro nobis intercessio, & quàm fortunato consilio & exemplo, senex ille obrutus peccatis, & tam morti vicinus quàm inferno, ad ipsum Apostolum supplex accessit, vt quod per se assequi tamdiu desperabat, ipsius gratissimo apud Christum interuentu tandem impetraret. 1. Reg. 15. 16.

III. Obtinuit igitur S. Andreas à benignissimo Domino tanti peccatoris salutem, sed non sine conditione, cui perditus antè senex dare operam debebat. *Vox de cælis delata est dicens, obtines Andrea pro sene! sed sicut tu ieiuniis fatigatus es, ita & ipse studeat per ieiunium vt saluetur.* Nec satis censuit Apostolus ei pœnitentiam indicere, vocauit ad se fideles, & illos rogauit, vt orarent pro eo, *qui prostrati solo orabant dicentes, Domine pie, misericors, remitte homini huic delictum suum.* Nec sine ieiunio illos preces istas profundere permisit. Si sola fides iustificat, vt Nouatores dictitant, quid opus erat Nicolaum, seuera adeo pœnitentia, quam vix eius ferebat ætas adigere? quid Ecclesiæ insuper adhibere suffragium, omnibus fidelibus qui aderant præcipere ieiunium. Cùm anteà sanctus ipse Apostolus, quinque diebus ieiunasset, tot fudisset preces, tot vigilias in omni mortificatione impendisset? Ita quidem, sed vult Deus,

vt peccati ſemper pateat atrocitas. Sic ex miſericordia parcit, vt pœnas ſaltem aliquas ſua ex iuſtitia ſoleat exigere. Hinc præclara illa S. Auguſtini ſententia in Pſal. 50. ad hæc verba, *Veritatem dilexiſti ; Hoc eſt* (inquit) *impunita peccata, eorum etiam quibus ignoſcis non dimiſiſti. Sic prærogaſti miſericordiam vt ſeruares & veritatem, ignoſcis confitenti, ignoſcis ſed ſeipſum pœnitenti ; ſic ſeruatur miſericordia & veritas.* Mouere debet etiam hoc exemplum ſacerdotes, qui in tribunali pœnitentiæ vices Dei ſubeunt, non ſolùm ipſos oportere memores eſſe eius miſericordiæ, ſed etiam eius iuſtitiæ: proinde vtramque à ſe ita attemperandam, vt de miſericordia prodeat remiſſio, de iuſtitia caſtigatio, & quidem vt ſemper non admodùm auſtera, ſic nec nimium leuis. Pudor eſt pro inueterato peccato, eóque grauiſſimo, breuem oratiunculam iniungere confitenti toties iteratum flagitium. Audierat Andreas, ex cæleſti ſibi facto oraculo, ipſius interuentu, peccatum Nicolao eſſe dimiſſum: non ideo fecit à pœna illum immunem, non modò preces, ſed eleemoſynas & abſtinentiam illi indixit. *Ipſe verò poſt largas ſuorum bonorum erogationes* (ſic Acta ferunt) *ſe inſuper multùm excruciauit ita, vt per ſex menſes nihil aliud quàm aquam acciperet, & pane arido veſceretur.* Igitur exactâ dignâ pœnitentiâ, haud ita multò pòſt exceſſit è ſæculo ; cuius pœnitentia quàm placita Deo fuerit, vox cæleſtis innuit, quæ Apoſtolo facta eſt: *Andrea, meus factus eſt Nicolaus.* Dices hoc non abſque miraculo eſſe factum, ideóque exemplum eſſe potiùs admiratione dignum, quàm imitatione? Nec planè inficior, ſed tamen etiam ad imitationem aliquam hoc ipſum exemplum multùm valet: vt ſi verè contriti de peccato recidiuo ſumus, ſi ſeriò illud ſumus confeſſi, aliquam etiam pro viribus Deo ſtudeamus ſatisfactionem exoluere, quâ pro venia rependamus gratitudinem, & de peccato conceptum à nobis horrorem teſtemur, ipſúmque peccatum flagello iuſtitiæ in nobis puniamus, & prorſus abolere nitamur pia aliqua & iuſta expiatione. Nimis certè delicati ſumus, qui rigidiorem ſolito tantillam ſatisfactionem nobis iniunctam à benigniſſimo ſacerdote, vix acceptare ferimus, aut acceptam implere ſatagimus, quæ vt plurimùm reſoluitur in non admodùm fuſas orationes, ieiunia paucula, eleemoſynas ſatis tenues. Patres noſtri magna pœnitentiæ onera animoſè ferebant, nos nec leuia

volumus, vel extremo digiti mouere.

IV. Denique ad excitandum in nobis maiorem peccati horrorem, est quòd finem exempli suprà citati attentiori perpendamus attentione. Cùm audisset B. Andreas hanc de cælo vocem, *Andrea, meus factus est Nicolaus : gratias* (Deo) *agens, narrauit Nicolaum excessisse de corpore, orans vt in pace quiesceret.* Quis nostrûm igitur non formidet diuinum iudicium? Veniam iamdiu S. Apostolus Andreas, multâ pietatis instantiâ, & magno spiritus ac corporis enixu obtinuerat. Posteà Ecclesia Corinthia, ieiunia & preces pro illo profuderat, senex ipse super septuagenarius, austeram subinde pœnitentiam sex mensibus transegerat, totas facultates suas in egentium solatia distraxerat, piè de hoc sæculo excesserat: Andreas vocem salutis cælitùs de ipso audierat, & tamen sanctus ipse Apostolus, aliquid subsidij pro eius solatio à fidelibus deposcit, *orans vt in pace quiescat.* Si in viridi ligno sic factum est, in arido (hoc est in nobis) seriò cogitemus, quid fiet?

V. Hinc etiam satis exploratam habemus aduersus Nouantes, traditionem Apostolicam orandi pro fidelibus defunctis, de qua sic ait S. Chrysostomus hom. 69. ad populum Antiochenum, *Non temerè ab Apostolis hæc sancita fuerunt, vt in tremendis mysteriis defunctorum agatur commemoratio: Sciebant enim inde multum illis contingere lucrum, multam vtilitatem.* Idem habet hom. 5. in epistolam ad Philippenses; sed diu antè cùm hanc ipsam traditionem inter Apostolicas deputauerat Tertullianus lib. de corona Militis, S. Athanasius serm. in eos qui dormierunt, Magnus Basilius lib. de Spiritu sancto cap. 27. Gregorius Nissenus eius frater sermone quem hac de re citat B. Damascenus, S. Augustinus serm. 34. de verbis Apostoli, S. Cælestinus Papa I. eius synchronus epist. 1. S. Isidorus lib. 1. de officiis Ecclesiasticis cap. 18. S. Ioannes Damascenus sermone de defunctis, & alij plerique Patres & Doctores vnanimi consensu.

CAPVT V.

Sanctus Andreas demum Patras reuertitur, ad ſui glorioſi agonis conſummationem.

ISCEDENS Corintho Beatus Apoſtolus, non rectà Patras rediit, ſed deflexit parumper, & Megariam acceſſit; quò venire rogatus fuerat ad ſedandam quandam dæmonum incurſionem. Hoc inuocatione Chriſti nominis fecit, & infirmos omnes ſibi oblatos, fuſa prece, cum manuum impoſitione ſanauit. Megara verò eſt pars Achaiæ & prouinciæ Megaridis caput: nam habet Achaia octo præcipuas regiones, hoc eſt Ætoliam, Arcanoniam, Locridem, Phocidem, Megaridem, Atticam, & Bœticam. Megaris autem non eſt ſola vrbs, ſed prouincia, ſita in confinio Atticæ & Peloponeſi. Attingit Iſthmum ea parte quæ Megaris dicitur, à Colonia Megara, quam S. Andreas hac occaſione ingreſſus fidei lumine, & miraculorum gloria, virtutúmque omnium ſemine (demoratus ibi aliquandiu) impleuit. Tantæ felicitatis curſu, vt vno aut altero menſe illic patrauerit, quæ pleroſque annos diceres ſuperâſſe. Acciuit ſibi diſcipulos, inter quos illuſtris fuit Antiphanes cum eius vxore, quos expertus Euangelij zelatores & firmiſſimos in Dei opere adiutores, reliquit ibi præcipuos aſſertores Chriſtianæ veritatis, & nutritios ac prouectores nouellæ illic Eccleſiæ.

Hinc digreſſus itaque Patras recto curſu contendit, vbi appulſus obuios habuit Chriſtianos aduentum eius cupidè præſtolantes. Dicere potuit his fidelibus Andreas, quod Galatis aiebat Paulus cap. 4. 14. *Sicut Angelum Dei excepiſtis me, ſicut Chriſtum Ieſum.* Vterque Apoſtolus minor Angelo non erat, Paulus ſtigmata Domini ſui portabat in corpore ſuo; ſed Andreas Patras ingrediens, fere alter erat Ieſus Chriſtus, cuius ſimilitudinem mortis ſummo ſpiritus ardore concupiebat, & expreſſum ſimulachrum in cruce illic ſibi parata propediem erat exhibiturus. Veniebat ad hoc, vt ante eorum oculos, Chriſtum in ſe calamo crucis & attramento ſui ſanguinis depictum, ad viuum vt

aiunt exprimeret. Christo passuro ingrediente Hierusalem commota est vniuersa ciuitas: sic ferme Patris euenit in Andreæ ingressu; fremebant odio in Christi Apostolum, Christi hostes: at fidelis populus eius in occursum, summa cum animi lætitia & alacritate properabat, qua eum excepit; Hinc orta sacrificulorum ethnicæ superstitionis, & pertinacium infidelium aduersus sanctum Apostolum conspiratio, qua eius in caput coniurarunt. Sicut igitur olim Iesum Dominum nostrum, Pontifices, Pharisæi, & plebs infida tradiderunt Pontio Pilato præsidi, eum vt in crucem ageret: sic & isti Rectori prouinciæ, Andream Christi Apostolum, quasi nouæ religionis exitiosum præconem, Deorum suorum hostem, sacrorum euersorem, & Romanæ Monarchiæ publicum aduersarium, sub speciosæ superstitionis prætextu, detulerunt. Ægeas hic erat Achaiæ Proconsul, quem tunc, aliò in prouincia agentem adierunt, efflictim supplicantes vt quantocyùs Patras se conferret, publicam vt perniciem, cuius vnicum auctorem asserebant Andream, à quo susdéque omnia vertebantur, quocumque modo iret excisum. haud esse addebant remedium efficacius, quàm pestiferum hunc hominem protinùs de medio tollere, sic diis pium & gratum officium, & Imperatori, cuius vices in hac prouincia sustinebat rem non ingratam, ac reipublicæ apprimè salutarem, ipsíque honorificam atque vtilem, procul dubio facturus. Quia verò non nesciebant Proconsulem, virum esse incredibili auaritia, hominem vt ocyùs ad sua vota pertraherent, munera magna quæ huiusmodi excæcant iudices obtulerunt, maioráque quantocitiùs res acta foret, eidem sunt polliciti. Rectè dixit priscus sapiens, *auaritiam esse omnis improbitatis metropolim.* quàm vera sit huiusmodi sententia, nefarius ille iudex facto suo prodidit. spopondit continuò citam Andreæ necem, & è vestigio muneribus acceptis, Patrarum iter cum suis satellitibus arripuit. Sanè in fine Epistolæ Presbyterorum & Diaconorum Achaiæ, de passione S. Andreæ ad omnes Ecclesias, tota hæc machinatio subindicatur, Stratocles etenim frater Ægeæ, cum eius execratione asserit, ipsum pro amore pecuniæ, ausum fuisse interficere Dei Apostolum.

Democ. apud Stob.

CAPVT VI.

Quisnam fuerit Ægeas? vbi obiter de Proconsulatu Achaiæ.



OPHRONIVS apud S. Hieronymum Catalogo de viris illustribus in Andrea sic ait: *Sepultus est autem Patris ciuitate Achaiæ, cruci suffixus ab Ægea Præfecto Elesenorum*, rectiùs Eleusiorum; nam Eleusis est ciuitas in Attica prouincia Achaiæ: vbi (vt scribit Strabo lib. 8.) Eleusinæ Cereris erat celebre Templum & Fanum mysticum, quod Ictinus extruxit, turbæ theatralis capacissimum. Huius ergo ciuitatis Sophronius ait Ægeam Præfectum fuisse. At contrà Presbyteri ac Diaconi Achaiæ, & probatissima quæque passionis S. Andreæ monimenta, constanter perhibent, Ægeam (à quo crucifixus est Andreas) fuisse Achaiæ Proconsulem. Sed duæ istæ sententiæ facilè conciliari possunt. Dicitur enim à Sophronio, Ægeas Eleusinorum Præfectus, quòd ibi forsan esset sedes Achaiæ Præsidis seu Proconsulis, & ratione muneris Ægeas illic habitaret: Alij verò non spectarunt locum sedis Achaiæ Præfecti, sed ipsum eius Magistratum, quo Proconsul erat Achaiæ vniuersæ.

Achaiam enim perpetuò habuisse Proconsulem, certo certius est. Nec oblitus est id signare in margine Actorum S. Andreæ Wolfgangus Laizius, qui Abdiam è tenebris erutum primus (post Iulium Africanum, qui Abdiam è Græco Latinè vertit) luci publicæ dedit, hac breui quidem sed insigni epigraphe lib. 2. historiæ Apostolicæ pag. 58. edit. Coloniensis, * ad hæc Auctoris verba, *Venerunt Ministri Proconsulis. Vel hoc* (inquit) *auctori fidem confirmat. Nam Achaia Proconsulem perpetuò habebat, id quod in opere nostro Reipublicæ Romanæ prolixè ostendimus.* Nec id omisit sine laude primi obseruatoris Ioachim Perionius, lib. *de rebus gestis vitisque Apostolorum, quo Abdiam in Epitomen contraxit*, suo contextui insuere, in Andrea Apostolo post illa verba, *In hac vrbe* (Patrarum scilicet) *cùm oratione sua* (idem Apostolus) *multos iam ad Christi fidem traduxisset, Ægeas Proconsul* (*Proconsulem enim eum fuisse in-*

Apud Maternũ Cholinum an. 1576.

uenio) hac re comperta, in eam eo consilio venit, &c.

Et verò ex notitia vtriusque Imperij manifestè patet, Achaiam insignem Orientis regionem sub Imperio Romano, consueuisse per Proconsulem eiusdem prouinciæ latè patentis, gubernari, siquidem titulo, *Notitia ; Proconsul Achaia cum insignibus* hunc in modum legitur. *Sub dispositione viri spectabilis Proconsulis Achaia, prouincia infrà scripta*, Achaia. Officium autem habet ita : *Principem de schola agentium in rebus ducenariorum, qui adorata Clementia principali, cum insignibus exit transacto biennio. Corniculariam, Commentariensem, Quaestorem, Adiutorem. Ab Actis, Numerarios ; A libellis, Exceptores & cateros Apparitores.* Et infrà, *Insignia Proconsulis Achaia sunt, Liber rubro corio tectus, aureisque fasciis in summo & medio cinctus : is supra abacum albo tapete quem aureus limbus ornat, eminet, quemadmodum in Proconsule Asia visitur. Manuscripti argento opertum & aureis fasciis cinctum ostendunt, vt in aliis Proconsulibus. Duo quoque principes in aurata columna altè spectantur, & ipsius Achaia imago, vas aureis plenum dextra tenens, quod sinistra aperire videtur : Titulum seu Petasum in capite gestat, purpuream togam humero dextro connexam, super auream talarémque tunicam induta, nudis pedibus incedit: In MSC. tunica purpurea, auróque & albo distincta sub viridi pallio & aureis coturnis induta spectatur. Reliqua sunt vt in Proconsule Asia, cuius omnia habet insignia.* Cæterùm quòd Achaia à proprio Proconsule regeretur, S. Lucas innuit Actuum 18. 12. scribens : *Gallione autem Proconsule Achaia, insurrexerunt vno animo Iudai in Paulum* (scilicet tunc Corinthi agentem), *& adduxerunt eum ad tribunal*, &c. Atque de Achaiæ Proconsule, satis pro præsenti instituto.

CAPVT VII.

Initium conflictus Andreæ Apostoli, cum Ægea, Achaiæ Proconsule.

IRREPSIT error in Abdiæ feriem, quæ sic habet: *His gestis, non ita multò post, Beatus Apostolus Patras ciuitatem reuertitur, in qua Proconsul Ægeates erat, qui nuper adeo Lysbio successerat.* Alia sincera Acta, & omni ab interpolatione vindicata, huic succinunt testimonio, sic enim ferunt: *Cúmque in hac vrbe Andreas multos ad Christi fidem traduxisset, Ægeas Proconsul hac re comperta, confestim Patras venit, pietati bellum indicturus.* Quicquid sit enim de antecessore Ægeæ in Achaiæ Proconsulatu, certè relationi Abdiæ; Presbyterorum, & Diaconorum Achaiæ de visu & auditu proprio testificantium, iure venit fides præferenda. Hi autem liquidò & disertè testantur Andream rediisse in Patrarum ciuitatem, non modico tempore priusquam Ægeas Proconsul, cum officio venisset: ita enim scribunt in insigni illa Epistola de S. Andreæ passione ad vniuersas orbis Ecclesias: *Proconsul itaque Ægeas Patras ciuitatem ingressus, cœpit compellere credentes Christo, ad sacrificia idolorum. Cui occurrens sanctus Andreas dixit*, &c. Nam Andreas virili animo, vt eius nomen sonat, intrepidè ad Proconsulem per seipsum accessit, velut bonus pastor, qui vt ait Dominus *vadit ante oues*, & sicut aries generosus qui antegreditur gregem. Nec expectauit iudicis impij interrogationem, sed eum eiusmodi apostrophe compellauit, & præoccupauit salutari monitu: (expurgata Acta habent); *Cui Andreas diuina virtute occurrens dixit, Oportebat te quidem, qui iudex hominum esse comprobaris, summum illum & incorruptum viuorum ac mortuorum iudicem agnoscere, & agnitum colere, colendóque animum ab impio & nefario Deorum cultu reuocare.* Epistola citata paulò aliter habet, ita siquidem in ea legitur: *Oportebat vt tu qui iudex esse hominum comprobaris, iudicem tuum qui in cælo est cognosceres, & agnitum coleres, & colendo eum qui verus Deus est, ab iis qui veri dij non sunt animum reuocares.* Qua in

beati Apoſtoli interpellatione, nihil reperitur acerbum, ſed genuinum animi candorem, cum ſumma manſuetudine coniunctum licet obſeruare: nec maiorem defendendi fideles affectum, quàm ingens ipſum Ægeam à via erroris in viam ſalutis abducendi deſiderium; maximè verò in hac apoſtrophe elucet feruens tuendæ diuinæ veritatis & gloriæ zelus, adeovt nec Angelus affari Ægeam benigniori, veraciori, & ſapientiori, magíſque pia, ac nihilominùs libera voce, potuiſſet. Verùm harmonia tygridem non mitigat, ſed efferatiorem in iram ac furorem impellit. Quid ad hæc igitur Andreæ diuina verba Ægeas? Acta eius purgatiora, cum ſignata epiſtola, prorſus conſona, audiamus?

Cui Ægeas, (ſupple reſpondit) *Tu ne ille es Andreas, qui Deorum templa ſubuertis, & ſuades hominibus nouam religionis ſuperſtitionem, cuius auctor Ieſus veſter, à Iudæis crucis patibulo affixus fuit?* Duo impingit illi crimina. Primò, euerſionem auitæ religionis. Secundò, nouæ ſectæ, ſeu ſuperſtitioſæ religionis excitationem: quam vt probro afficiat, in eius ſubdit odium, quod eius auctor Ieſus à Iudæis propterea actus fuerit in crucem.

Circa primum notare fuerit operæ pretium, Satanam huius criminationis, ſcilicet de euerſione templi, ſimul & religionis, primum fuiſſe auctorem; hoc enim crimen per Iudæos impoſuit Chriſto, quaſi capitale flagitium, vt notum eſt ex Euangelio. *Hic dixit* (aiebant duo falſi teſtes) Matth. 26. Marc. 14.
ego diſſoluam templum hoc manufactum: Et poſt triduum aliud non manufactum ædificabo. Idémque crimen poſteà, Iudæi Stephano pro Domini fide & gloria decertanti, vt eum perderent, affinxerunt; *& ſuſcitarunt falſos teſtes qui dicerent, homo iſte non ceſſat loqui verba aduerſus locum ſanctum, & Legem: Audiuimus enim eum dicentem, quoniam Ieſus Nazarenus deſtruet locum iſtum, & mutabit traditiones quas Moſes dedit nobis.* Multa enim erat eis (ait ad hæc S. Chryſoſtomus) reuerentia erga templum, vtpote qui & iuxta illud habitare, ſummo honore ducerent; vnde periculoſum erat de Templi excidio loqui, quod tamen Prophetæ futurum pleriſque vaticiniis prædixerant. Hieremias porrò ſpeciatim eis exprobrat nimium pro Templo ſtudium, & feruentiorem quàm diſcretum zelum, quod ſpretis Dei mandatis, & verâ morum iuſtitiâ, in ſolo templi cultu omnes ſuas ſpes collocaſſent. Cæterùm ex hac ardenti pro

templo & lege sua æmulatione in Paulum, se cum sociis purificantem in Templo, violentas manus iniecerunt, vociferantes, *Viri Israëlitæ, adiuuate! hic est homo qui aduersus populum, & legem, & locum hunc, omnes vbique docens, insuper & Gentiles induxit in Templum, & violauit sanctum locum istum?* Calumniarum eiusmodi erat diabolus inuentor & incentor: qui eodem astu & æstu Gentes commouit aduersus Apostolos, & reliquos Euangelicæ veritatis præcones; sicut factum refert Ephesi S. Lucas Act. 19. vbi legitur quidam Demetrius argentarius, qui faciebat ædes argenteas Dianæ, indéque præstabat artificibus non modicum quæstum, seditionem furiosam aduersus Paulum hac ratione concitasse, conuocatis enim opificibus ait: *Videtis & auditis, quia non solùm Ephesi, sed pæne totius Asiæ Paulus hic suadens, auertit multam turbam, dicens quoniam non Dij sunt qui manibus fiant. Non solùm autem hæc periclitabitur pars* (lucri) *nobis, sed & magnæ Dianæ templum in nihilum reputabitur, sed & destrui incipiet maiestas eius.* Consimili prætextu Ægeas Andream Apostolum inter reos agit: *Túne es* (inquit) *ille Andreas, qui Deorum templa subuertis?* Falsò tamen, quia structuras templorum Andreas nullibi euertebat, sed prædicatione sua efficiebat vt cernere esset vbicumque, qua transibat, templa desolata, & idola relicta; quamobrem Proconsul posteà dictum suum correxit, dicenti enim ei Apostolo, *Gaudia tecum habere potero si credens Christo dimittas idolorum culturam? Christus enim me misit ad istam prouinciam, in qua non paruum populum ei acquisiui:* Ægeas respondit, *Ideo te sacrificare compello, vt isti qui per te decepti sunt, relinquant vanitatem doctrinæ tuæ, & Diis ipsi offerant grata libamina. Nulla enim remansit in Achaia ciuitas, in qua templa Deorum derelicta non sint & deserta.* Magna certè Andreæ laus? quæ ipsi Paulo prædicanti in Achaia ipsa, apud Corinthum non accessit, vbi dixit ei Dominus in visione per noctem, *Noli timere, sed loquere, & ne taceas,* &c. *quoniam populus est mihi multus in hac ciuitate: sedit autem ibi annum, & sex menses docens apud eos verbum Dei,* Corinthi scilicet. Vix autem ad alias Achaiæ peruenit ciuitates: Andreæ enim Dominus conuersionem vniuersæ huius prouinciæ, ad quam præcipuè fuerat ab eo missus reseruauerat. Hæc œconomia fuit Spiritus sancti, vt in assignata cuidam Apostolo speciali prouincia, si-

Act. 21. & 28.

Act. 18.

ſimul alios prædicare non ſineret, vt ſuæ prouidentiæ ordo ſeruaretur, & mutua inter ipſos Apoſtolos vigeret obſeruantia. Hoc patet ex teſtimonio Lucæ Act. 16. vbi de Paulo & eius adiutoribus ait, *Vetati ſunt à Spiritu ſancto loqui verbum Dei in Aſia. Cùm veniſſent autem in Myſiam, tentabant ire in Bithyniam, & non permiſit eis Spiritus Ieſu.*

Secundum accuſationis caput aduerſus Andream Apoſtolum hoc erat; quòd auitis ſacris proſcriptis, nouam noxiámque religionis perſuaſionem mundo inferre contenderet. Vetus iam infidelium erat cantilena: ſic enim iam antè vſurpata contra Paulum & Sylam Philippis, vbi *ciues ethnici apprehendentes Paulum & Sylam produxerunt eos in forum ad principes, & offerentes eos magiſtratibus dixerunt, Hi homines conturbant ciuitatem noſtram, cùm ſint Iudæi: & annunciant morem, quem non licet nobis ſuſcipere, cùm ſimus Romani.* Leges enim Romanæ vetabant mutare ſacra, & in religione excitare nouitatem. Dicam igitur Andreæ mouet ex hoc capite Ægeas, non ignarus Legum Romanarum, quæ ſic ferebant,*

Separatim nemo ſit habens Deos nouos, ſiue aduenas,
Niſi publicè aſcitos priuatim colunto?
Diuos, qui cæleſtes ſemper habiti, colunto?
Conſtructa à Patribus delubra, habento.

* Refert hæc decreta Petrus Crinitus 13. *de honeſtat. diſcip. ex Pontiff. libris veter. Rom.*

Vetus erat apud Romanos prouerbium: *Mota religionis anchora, ſimul turbatur reipublicæ nauis.* Axioma iſtud politicum verum eſt: quin & pium, dummodò illa religio, quæ anchora eſt publicæ nauis, ſit vera & ſincera, ſed longè erant ethnici Romani ab hac anchora & cardine. Rectè & ſapienter S. Leo ſerm. 1. in Natali SS. Apoſtolorum Petri & Pauli. *Hæc ciuitas* (Roma ſcilicet) *ignorans ſuæ prouectionis auctorem, cùm pæne omnibus dominaretur gentibus, omnium gentium ſeruiebat erroribus, & magnam ſibi aſſumpſiſſe videbatur religionem, quia nullam reſpuebat falſitatem.* Proconſules igitur Romani qui falſo nixi principio, quòd Roma verum Deitatis cultum teneret, & omnes mundi nationes in vera religione ſuis exemplis ac legibus contineret: Chriſti Apoſtolos & diſcipulos lumen Euangelicæ veritatis per orbem circumferentes, tanta diritate perſequebantur, curſúmque veræ religionis, quaſi pro focis & aris pugnarent, omnibus viribus prohibebant: toto aberrabant

cælo à recta veritatis linea ac iustitiæ fine, cæcóque furore vt phrenetici insanientes, medicos illos salutiferos (quos humano generi diuina dederat vbique gentium clementia) perdere conabantur: oraculum Domini, quamuis nescirent, adimplentes, qui ipsis suis prædixit Apostolis, *Venit hora, vt omnis qui interficit vos arbitretur obsequium se præstare Deo: Et hæc facient vobis, quia non nouerunt patrem, neque me.* Noluit Christus pro se Apostolos dira pati ex improuiso, ne Magistri inscitiæ & impotentiæ has persecutiones quisquam attribueret, ipsíque non præmoniti nimium conturbarentur: quamobrem dicebat eis, *hæc locutus sum vobis vt non scandalizemini.* Mirandum profectò, quare in discipulos Domini etiam incognitos, tam sæuiter mundus exarserit: si enim consideremus eorum officium, erant Legati summi Dei, & regis regum: vnde Paulus 2. Cor. 5. *Pro Christo legatione fungimur, tamquam Deo exhortante per nos.* Si spectamus finem, missi sunt ad annunciandum pacem hominibus cum Deo, liberationem à peccato, vitæ æternæ promissionem, Luc. 10. *Appropinquauit in vos regnum Dei.* Si modum contemplemur, non armis, non vi, non potentia, sed humilitate, mansuetudine, patientia, incredibili in homines succensi charitate venerunt. Vnde iussit eis Dominus Luc. 10. *Primùm dicite, pax vobis.* Si vtilitatem eorum conuersationis, erant maximè fructuosi & vtiles humano generi: sanabant enim infirmos, illuminabant cæcos, suscitabant mortuos. Medici sanè in pretio apud homines sunt, propter sanitates corporum, sed nemo aliis medetur sine mercede laboris, & medicaminum expensis: at Apostoli & reliqui Christi discipuli, gratìs omnia faciebant Matth. 10. *Gratìs accepistis, gratìs date:* Imò sibimet victum & vestitum proprio labore comparabant 1. Cor. 4. Si vitam eorum examinemus, nulla in iis vitia, nulla scelera, inuenta sunt, ab ipsis eorum persecutoribus, à quibus plus vexabantur & magis eorum virtus & sanctitas apparebat: ideo aromatibus eos eleganter assimilat Chrysostomus, quæ quo plus malleo conteruntur, magis ac magis suam exhalant & diffundunt fragrantiam. Hoc didicit à vase electionis Paulo, vbi ait 2. Cor. 2. 14. *Deo autem gratias qui semper triumphat nos in Christo Iesu, & odorem suæ notitiæ manifestat per nos in omni loco, quia Christi bonus odor sumus.* Cùm essent enim adeo sancti & amabiles, doctrinam prædicabant totam di-

Ioan. 16. 2.

uinam, suauem & salutarem, longéque honestissimam. Quid igitur causæ est (ais) quòd homines tales mundus ita abhorruerit, vt eos morte crudelissima ac turpissima dignos censuerit, tanquam mundi pestes & hostes generis humani, tanquam scelestos & impios politiæ omnis aduersarios, legum euersores, ipsiúsque diuinæ religionis destructores. Plures sanè causæ fuerunt tantæ inimicitiæ. Prima, erat nequitia diaboli, qui hæc odia aduersus Christi Legatos excitabat. Secunda, ex eodem fonte, quia mundo persuaserat diabolus, Christianam religionem diis summopere exosam, causam esse omnium funestorum accidentium, quibus genus humanum affligebatur. Tertia, erat morum peruersitas, & vita licentiosissima, quæ præceptis Christianæ religionis frænabatur. Quarta, zelus falsæ religionis. Videbant etenim Gentiles prædicatione Apostolica, totam religionem suam labefactari, sacrificia tolli, Deos illos contemni, quibus tot sæculis deseruierant. Et hoc Ægeas B. Andreæ improperabat, *Nulla* (inquit) *remansit in Achaia ciuitas, in qua Templa Deorum derelicta non sint & deserta.* *Vide Tertull. in Apologetico.*

At cultus ille abominabilis, quem succisum ibat Andreas, diis fictitiis, aut sanè malis & improbis deferebatur; Venisse igitur respondit filium Dei vnigenitum in hunc mundum, qui docuerat illa idola (quibus ethnici diuinitatem tribuerant) non solùm deos non esse, sed dæmonia teterrima, generi hominum inimica; quæ nihil homines docerent, nisi id quo Deus verus offendatur, offensus auertatur, auersus eos non audiat, ob cámque causam, ita præcipites ruant infelices homines, in omne peccati genus: & sic artibus & nequitia diaboli abeant in æternam perniciem, nihil siquidem cùm hinc migrant præter malum, aut malè facta in eis remanere.

Ad quæ ira concitatus Ægeas, respondit: *Ista superstitiosa & vana verba Iesus vester dum prædicaret, Iudæi illum crucis patibulo affixerunt.* Verbum enim crucis Saluatoris mundi visum est semper *iis qui pereunt, stultitia : Prædicamus Iesum* (ait magnus Paulus) *& hunc crucifixum, Iudæis quidem scandalum, Gentibus verò stultitiam.* Hoc ipsum horrebant Iudæi audire, ipsorum Messiam, supplicio crucis interiisse: Gentiles stultum putabant Deum asserere, & hunc verum & solum, qui tam infami morte periisset, *Hominem natum* *1. Cor. 1. 18.* *Ibid. vers. 23.*

(aiebant ad Christi fideles) *& quod personis infame est vilibus, crucis supplicio interemptum, Deum fuisse dicitis?* Verùm non solùm hoc creditu indignum censebant, sed ad destruenda omnia fidei Christianæ axiomata, hoc vnum obiiciebant in summum vt putabant, religionis Christianæ vituperium & sempiternum dedecus, quòd à cruciario auctore prodiisset. Vnde dictitasse passim eos refert Arnobius lib. 1. aduersus Gentes, *sed patibulo, Christus quem colitis, affixus est!* Iudæorum non dissimile fuisse dicterium ait Tertullianus l. aduersus Iudæos, & l. 3. cont. Marc. *Non esse credendum, vt in id genus mortis exposuerit creator filium suum, quod ipse maledixerat, cùm dixit, Maledictus omnis qui pendet in ligno: & ita quidem admittit dictum de malefactoribus, qui propter scelera sua, recto iudicio ad crucem adiudicati, pro suo flagitio suspensi in ligno moriuntur.* At excipit, secus esse de Christo, qui non pro meritis suis in id mortis genus expositus est, sed vt scriptura impleretur de ore Prophetarum, quorum vaticinia luculenta continuò subdit. Verùm aliis rationibus quàm oraculis Prophetarum deducendi erant Gentiles ab illa opinione, quòd Christus, vt reus, crucis supplicio adiudicatus fuisset: multis siquidem motiuis præoccupati abhorrebant supplicium crucis, & quicumque eo affectus interiisset. crucem appellabant Romani infelicem arborem, funestum lignum; & qui scelus admiserat dignum cruce, appellabant, damnatæ iam crucis candidatum: *Nomen ipsum crucis*, aiebat Tullius, *absit non modò à corpore ciuium Romanorum, sed etiam à cogitatione, oculis, auribus.* Et in Verrem orat. 5. *Facinus est vincire ciuem Romanum, scelus verberare, prope parricidium necare: quid dicam in crucem tollere? crudelissimum, teterrimúmque supplicium: verbo satis digno tam nefaria res appellari nullomodo potest.* Ideo ipsi Romani peiùs aliquem deuouere non poterant, quàm *ad crucem, ad coruos.* Sic Gracchus in illa inimicissima oratione contra publicum Populium, nihil dirius cruce inuenit: *Exemplo instituto* (inquit) *dignus, qui mala cruce periret.* Accedit hoc supplicium tantæ fuisse infamiæ, vt cruci affixus non lugeretur: *Non solent lugeri suspendiosi*, inquit Iurisperitus *Leg. liberorum. ff. de iis qui notantur infamia.* Quibus persuasionibus præoccupatus Ægeas, ad infringendum quicquid de Christo Andreas tanto zelo, quanto & honore prædicabat, sibi visus est eius doctrinam hac labis infamia inurere, quòd

Vide Arnobium l. 1. aduersus Gentes.

Christus illius nouæ religionis auctor, ignominiosissimam ac turpissimam mortem sit passus, & quidem à propria Iudæorum gente damnatus periisset. Misertus igitur ipsius Proconsulis ignorantiæ B. Andreas, huic obiectioni mox diuina prorsus irradiatus sapientia respondit, quo & ipsum tam infeliciter ignarum edoceret, fidem quam prædicabat assereret; maximè verò Christi magistri sui, ac totius mundi Domini & Saluatoris vnici innocentiam, sanctitatem, & ineffabilem erga homines charitatem, denique ipsam eius immortalitatem, diuinitatem, & gloriam demonstraret: simúlque quantis beneficiis humanum genus sibi moriendo deuinxisset, alto præconio testaretur. Ait igitur, (vt seriem dictorum eius breuiorem in texturam contraham.) *O si velles diuinißimum crucis mysterium cognoscere! quanta charitate humani generis auctor, morbos & ægritudines sceleribus nostris debitas exceperit, & dolores, qui nobis subeundi erant, sustinuerit, spontéque sua crucem conscenderit, vt cruciatu suo nos ab exilio & cruciatu sempiterno liberaret: profectò vnà nobiscum crucem istam quam tu conuitiis proscindis, summa complexum ires veneratione, & singulari amore; non enim coactus Iudæorum fraude, aut vi circumuentus, in crucis lignum sublatus est: sed voluntate sua, ardentißimo pietatis & charitatis studio impulsus, pœnas sceleratis hominibus irrogandas in corpore suo, vt nostrorum criminum salutifera antidota excepit, vt humanum genus sacrificio suo expiaret, & iniquitatis nostræ maculas eodem remedio elueret.*

Tum verò Ægeas, quanquam Andreæ Apostoli auctoritate superatus, impietatis tamen suæ oppressus tenebris, & innata insuper malitia: *Miror* (inquit) *te tanta prudentia, & virtute virum* (quo elogio vt eius sollicitabat constantiam in Christi fide, sic vel coactus euidentia veritatis sapientiam singularem, & decumatam virtutem publico testimonio agnoscebat), *istum sectari velle, quem quoquo pacto, aut sponte, aut inuitum, cruci tamen confiteris affixum.* Sibilus infernalis serpentis vox eiusmodi erat: cuius flatu etiam inspiratus olim Celsus apud Origenem, sic arguebat, *Aut poterat Christus saluare mundum sine supplicio crucis: aut non poterat; si non poterat, non erat Deus: si poterat, cur non fecit? nam frustra fit per plura, quod per pauciora æquè fit?* Respondet Origenes, Christum potuisse, sed noluisse, quia etsi sciret, & ipse posset plerisque aliis modis

mundi saluti ire consultum: placuit tamen ei hoc medio vti, quod aptius & efficacius nouerat humanæ domandæ superbiæ, simúlque testandæ suæ immensæ aduersus homines bonitatis, & suæ manifestandæ infinitæ sapientiæ, ac rationalis creaturæ excitandi in se amoris. Didicerat hanc doctrinam primus ille post Apostolos Ecclesiæ Magister, à Paulo magno doctore veritatis, qui ad Corinthios Achaiæ populos ita scribit 1. ep. 1. *Nónne Deus stultam fecit sapientiam huius mundi? Nam quia in Dei sapientia non cognouit mundus per sapientiam Deum, placuit Deo per stultitiam* (quam reputat mundus,) *prædicátionis* (crucis) *saluos facere credentes.* Non audierat Paulum Ægeas: nam cùm Paulus erat Corinthi, nondum Achaiæ Proconsul erat, sed Gallio, cuius meminit S. Lucas cum laude quadam modestiæ, & non obscuræ in Paulum propensionis, Act. 18. Nec adeo mirum, cùm affinis fuerit Senecæ, quo cum Paulus ab ipso vt aiunt, Gallione commendatus, amicitiam contraxit. Longè verò à prudentia & æquitate huius Gallionis erat Ægeas, vt non immeritò dixeris viro sapienti & probo, belluam immanem successisse. Hoc igitur cum impio & feroci homine (si homo tamen dici potest) agendum fuit Andreæ: qui nihilominus mitis agnus, & vera sine felle columba, mitigare non tantùm hunc impium iudicem modis omnibus studuit, sed edocere voluit, etiam nolentem audire quæ Christi sunt; vt ad saniorem non solùm mentem eum reuocaret, sed & ad Christi agnitionem & cultum, quò posset saluari, alliceret. Audita igitur illa impia ironia aduersus Christum, quem Ægeas dicebat, siue nolentem, siue volentem, fuisse tamen à Iudæis affixum cruci: Beatus Apostolus, qui mitissimus erat (vt etiamnùm ab Ecclesia prædicatur) noluit hominem exasperare, sed benignis illum verbis, vt edoceri pateretur de Christi fide, & parta per eum salute nostra, admonuit.

V. Lorinum hac de re copiosè disserentem in eundem locum Act. 18. vers. 12. &c.



CAPVT VIII.

Sanctus Andreas reddit coram Proconsule Ægea de Christi fide rationem: potissimùm verò explicat ei incarnationem ipsius Filij Dei, ex immaculata Virgine. Mysterium simul exponit crucis, subiunctímque insigni documento disserit, de incruento & perenni Eucharistiæ sacrificio, necnon etiam Sacramento mirabili.

IMON Petrus frater Andreæ, Christianos admonebat, suis sacris litteris, *vt parati semper essent ad satisfactionem omni poscenti rationem, de ea quæ in ipsis erat spe.* Andreas autem non solùm non poscenti Ægeæ rationem de fide & spe Christiana: sed renuenti & ab ea vehementer abhorrenti, & Christum ex odio & contemptu subsannanti, voluit vel inuito lucem (quam nec videbat ille, nec pati poterat) multa cum modestia, nec minori artificio pietatis, quàm studio asserendæ diuinæ veritatis & gloriæ, palam ostendere. 1. Pet. 3. 15.

O si velles (inquit) *nosse crucis mysterium! quam rationabili charitate, auctor humani generis, pro restauratione nostra, hoc crucis patibulum non inuitus, sed sponte suscepit?* At perorare gestientem, intercidit fusiorem eius sermonem Ægeas, suámque impiam in Christum dicacitatem denuò effutiit. Euaporato tantisper eius furore, lucidóque interuallo reticenti, subintulit modestissimè Apostolus: *Hoc est quod etiam me dixisse iam retines. Magnum est mysterium crucis: quod si fortè volueris audire retexam?* Ægeas dixit, *mysterium non potest dici, sed supplicium.* Tum Andreas, *Ipsum* (inquit) *supplicium mysterium esse restaurationis humanæ, si patienter audias comprobabis?* Ægeas dixit (non sine irrisione) *Ego quidem patienter te audiam, sed tu si me obtemperanter non audieris, ipsum crucis mysterium in te ipso recipies.* Andreas adhæc, *si* (ait) *crucis patibulum expauescerem, crucis gloriam non prædicarem.* Cui Ægeas, *insanus sermo tuus prædicat gloriam supplicij, qui per audaciam pœnam non times mortis?* Andreas respondit, *non per audaciam, sed per fidem pœnam*

mortis non timeo ; mors enim iustorum pretiosa est : mors verò peccatorum pessima : Et ideo audire te volo crucis mysterium vt agnitum forsitan credas, & credens, ad restaurationem animæ tuæ quoque pertingas. Refractior tum adhuc Ægeas dixit, *Restauratur quod perisse dicitur : Nunquid anima mea periit, vt ad eius me restaurationem venire per fidem nescio quam tu asseras ?* Andreas ad id respondit, *hoc est quod te discere desiderabam, vt dum perditas hominum animas docuero, istam restaurationem per Christi mysterium pandam. Primus enim homo per lignum præuaricationis mortem induxit, & necessarium hoc erat generi humano, vt per lignum passionis, mors quæ ingressa fuerat pelleretur. Et quomodo de immaculata terra factus fuerat homo primus, qui per lignum præuaricationis mundo mortem intulerat : necessarium fuit, vt de immaculata Virgine natus Christus perfectus homo, qui est Dei filius, qui primum hominem fecerat ; vitam æternam, quam perdiderant omnes, repararet, ac de ligno crucis lignum concupiscentiæ excluderet ; panderet in cruce immaculatas manus, pro manibus incontinenter extensis, pro suaui cibo arboris vetitæ, escam fellis acciperet, & in se suscipiens nostram mortalitatem, suam nobis immortalitatem offerret.*

Ægeas dixit, *Illa verba iis narrare debes, qui tibi credunt, mihi autem nulla sunt : nisi enim consentias, vt sacrificium diis omnipotentibus offeras, in ipsa cruce quam laudas, te fustigatum affigi præcipiam.* Andreas respondit, *Omnipotenti Deo qui vnus & verus est, ego omni die sacrifico, non thuris fumum, non taurorum mugientium carnes, nec hircorum sanguinem, sed immaculatum agnum, quotidie in altari crucis* sacrifico, cuius carnes postquam vniuersus populus credentium manducauerit, & eius sanguinem biberit, agnus qui sacrificatus est, integer perseuerat & viuus. Et cùm verè sacrificatus sit, & verè carnes eius manducatæ sint à populo, & verè sanguis eius sit haustus, tamen, vt dixi, integer permanet & immaculatus & viuus.* Ægeas dixit, *quomodò potest hoc fieri ?* Andreas respondit, *si vis discere quomodo hoc potest fieri, assume formam discipuli, vt possis doceri quod quæris.* Ægeas dixit, *Ego à te tormentis exigam huius rei notitiam.* Andreas dixit, *Miror te hominem prudentem [a] tam stultè esse locutum. Ergo tu tormentis putas me diuina tibi pandere sacrificia [b]. Audisti mysterium crucis, audisti mysterium sacrificij ; si credideris Christum filium Dei qui crucifixus est à Iudæis, verum Deum esse, pandam tibi quo ordine occisus viuat agnus, qui cùm sa-*

* Vocat altare Euangelicum, altare crucis; quia sacrificium Eucharistiæ perenne est memoriale mortis & passionis Domini : & altare nostrũ locũ tenet crucis, quia eadem hostia, quamuis incruenta, in eo immolatur.

[a] Vocat eum *virum prudentem* obtẽtu dignitatis Proconsularis, qua & ratione B. Paulus Festum & eius antecessorem Syriæ præsidem, Felicem honorificè compellauit.

[b] Prohibuerat Dominus discipulis suis *margaritas proiicere ante porcos, & sanctum dare canibus.* Matth. 7. 6.

cri-

crificatus fuerit & comestus integer & immaculatus in suo regno permanet. Ægeas dixit, Cum sit occisus & ab omni populo (vt asseris) deuoratus, quomodo integer perseuerat & viuit? Andreas respondit, si credideris ex toto corde tuo, discere poteris, si non credideris penitùs, numquam tu ad indaginem huius veritatis attinges[c].

[c] Andreas hoc à Christo magistro suo didicerat, qui dicebat Iudæis, *Nisi credideritis non intelligetis.*

Hactenùs se habuit Andreæ Apostoli cum Ægea Proconsule, in causa fidei & litis de Christiana religione ipso primordio, colloquium. Cæterùm dogmata hæc tria maxima, quæ S. Andreas hac in sua illustri adeo collocutione, vt præcipua fundamenta Christianæ religionis, coram Ægea, & Officio, & circumstanti populo magnificè exposuit, Tractatum exigerent prolixum, vt pro dignitate sua commendari possent Catholicis, & aduersus heterodoxos, ea qua valent diuina auctoritate inculcari. Verùm in epistolæ Presbyterorum & Diaconorum Achaiæ (quæ infrà proferetur) aduersus segreges, vindiciis, verba illa diuina S. Andreæ de tribus illis summis mysteriis opportuniùs & accuratiùs tractabuntur: Quamobrem impræsentiarum his expendendis diutiùs non immorabor, sed repetam rectam seriem historicæ narrationis gloriosi conflictus, magni ipsius Apostoli.

CAPVT IX.

Ab impio iudice S. Andreas in carcerem mittitur, iam candidatus crucis: vbi tota nocte fidelem populum hortatur ad patientiam, & perseuerantiam in fide.

TVM *iratus Ægeas iussit eum in carcerem retrudi; vbi cùm esset clausus, venit ad eum multitudo pene totius prouinciæ, ita vt Ægeam vellent occidere, & Andream Apostolum, fractis ianuis carceris, liberare. Quos S. Andreas iis verbis admonuit: Nolite pacem Domini nostri Iesu Christi, in seditionem diabolicam excitare, nam traditus Dominus omnem patientiam præbuit: non contendit neque clamauit, nec in plateis aliquis eum clamantem audiuit. Habete ergo silentium, quietem, & pacem, & non solùm meum martyrium nolite impedire; verùm vosipsos quasi athletas Domini præparate, vt vincatis minas in-*

trepido animo : plagas autem per tolerantiam corporis superetis: si enim terror timendus est, ille est vtique timendus qui finem non habet, nam humanus timor fumo similis est, & subitò cùm excitatus fuerit euanescit. Et si dolores timendi sunt, illi sunt formidandi, qui sic incipiunt vt nunquam finiantur. Illi enim dolores aut leues sunt & tolerantur, aut graues sunt & citò animam eiiciunt: illi autem dolores æterni sunt, vbi est quotidianus fletus, & mugitus, & sine fine cruciatus, ad quem Proconsul Ægeas ire non timet: estote igitur magis parati ad hoc vt per tribulationes temporales ad gaudia æterna pertingatis, vbi semper lætemini, semper floreatis, semperque cum Christo regnetis. Hæc ad verbum sancti Apostoli, existentis in carcere, dicta ad populum referuntur in insigni illa epistola Presbyterorum & Diaconorum Achaiæ, de passione eius.

Cæterùm Nouatores qui omnibus machinis huius epistolæ auctoritatem labefactare moliuntur: hac ex narratione ansam fortassis arripient, illius fidem & germanitatem si non euertendi penitus, saltem in dubium reuocandi, nec specioso carebunt prætextu. Neque enim esse vllomodo probabile excipient, Andream iussu Proconsulis carceri mancipatum, habuisse licentiam populo concionandi, & tota nocte disserendi. Publicæ etenim custodiæ, seu carceris status, & incarcerati conditio, non permittebant eos, qui vellent ipsum adire, ad eum habere accessum; & si custodis aliquando hoc fieret conniuentiâ, clam id fiebat, & paucis admodum hæc indulgebatur concessio. Carceres sub Romanis Principibus & Magistratibus, erant teterrimi, admodúmque terribiles. Salustius Tullianum (quem Tullus Rex Romæ condiderat) ita describit: *Locus huius depressus, quem muniunt vndique parietes, atque insuper camera lapidibus fornicibúsque iuncta, sed inculta tenebris, odore fœda, atque terribilis eius facies est.* Cassiodorus vocat carceres indiscriminatim *inferos & auernum*, additque hæc epitheta: *cellam gemituum, tristitiæ domum, apud superos Plutonis hospitium, locum perpetua nocte cæcatum.* Porrò status incarceratorum non tantùm miserabilis erat, situs dumtaxat loci ratione: sed & diritate modi, quo eò coniecti excipiebantur, maximè Christianæ fidei defensores. Prudentius in hymno de S. Vincentio graphicè quomodo hic inclytus athleta Christi habitus est à custode, mandato sæui iudicis sic enarrat,

In coniuratione Catilinæ.

In hoc barathrum coniicit

Truculentus hostis Martyrem,
Lignóque plantas inserit
Diuarricatis cruribus.

Hoc ferè modo Paulus vas electionis, cum Syla eius in Euangelio adiutore habitus est Philippis, cùm Magistratuum iussu in carcerem coniectus fuit. *Custos* (ait Lucas Act. 16.) *cùm tale praceptum accepisset, misit eos in interiorem carcerem, & pedes eorum strinxit ligno.* Nec mitiùs tractatus fuit Hierosolymis ab Herode Petrus, *quem cùm apprehendisset* (inquit idem Lucas Act. 12.) *misit in carcerem, tradens quatuor quaternionibus militum custodiendum*, &c. *Cùm autem esset eum producturus Herodes, in ipsa nocte erat Petrus dormiens inter duos milites, vinctus catenis duabus, & custodes ante ostium custodiebant carcerem.* Detrusus frater Petri Andreas in carcerem ab Ægea Proconsule, tyranno non mitiori Herode, liberaliùs habitus haud fuit, quin etiam deteriùs, verisimile magis videtur. Porrò in eiusmodi statu constitutum, quis iam non deprehendit, nec patuisse populo ad illum accessum, nec Andream potuisse ad illos tam commodè, quàm prolixè, tota nocte loqui; proinde friuolam esse illam epistolam, in qua eius tam fusa ad plebem allocutio narratur, eius negatores calumniabuntur.

Verùm hæc me parum mouent argutiarum acumina: nam facilè retundi possunt, etenim omnes custodiæ non erant eiusdem formæ, & horridæ adeo arctitatis. Lex erat apud Romanos (Vlpian. l. aut damnum, §. solent, §. de pœnis) *ne quis carcere perpetuo damnaretur.* Quòd scilicet carcer non ad puniendum, sed ad custodiendum sit institutus: vt dum in suspenso est animus iudicantium, interim rei delati sub tuta custodia retineantur, sine pœna tamen. Nam innocentibus id esset miserum, nocentibus autem non satis seuerum, nec exempla superinducta conuincunt, nam sunt factâ priuata & particularia, quæ vbique & ab omnibus vsurpata fuisse non probatur: maximè cùm Paulus, qui tam duro exceptus fuit carcere Philippis, mitiùs longè habitus fuerit Hierosolymis à Lysia Tribuno, & Festo Præside, qui ipsum Paulum, Hierosolymâ abductum Cæsaream, iussit quidem à Centurione custodiri, sed habere requiem, nec quemquam de suis prohiberi, ei ministrare quæ necessaria forent, Act. 23. & 24. Porrò Petrus ipse cum cæteris Apostolis coniectus in carcerem, seu custodiam publicam

mandato principis ſacerdotum, nihil ibi moleſtiæ paſſus eſt, quàm ipſam vnius diei detentionem: nam ſequenti nocte eis aperuit ianuas carceris Angelus, Petrúmque & ſocios dimiſit liberos & incolumes, præcipiens eis vt craſtino die irent in templum, & hîc palam quæ Chriſti ſunt intrepidè docerent Act. 5. 18. 19. 20. Non legitur in citata epiſtola, quòd Andreas ab Ægea fuerit in tenebricoſum carcerem miſſus; aut pedicarum, compedum, boiarum, neruorum nexibus conſtrictus, aut catenis vinctus, aut alia militum cuſtodia diſtrictiùs cinctus, ſed ſolius carceris cuſtodis fidei commiſſus.

Duplex autem fuit ratio, cur Ægeas contra genium ſuum alioqui ferociorem, mitiùs in carcere Andream ſeruari voluerit. Prima, quòd nullo ſeruato iuris ordine, ſed mera animi impotentia, illum coniecerat in carcerem; nulla in illum adhuc accuſatione iudicialiter ſuſcepta, nulla inquiſitione facta, nullis auditis teſtibus. Aduerſus Paulum Felix longè cautiùs & moderatiùs ſe geſſit, qui Iudæis reſpondit, ipſius Pauli inſtanter necem poſtulantibus, *Non eſt Romanis conſuetudo damnare aliquem hominem, priuſquam is qui accuſatur præſentes habeat accuſatores, locúmque defendendi accipiat ad abluenda crimina.* Act. 25. Atqui nullus erat qui Andream palam & iuridicè accuſaret, quinimò factus fuerat ingens populorum concurſus, qui publica voce ipſius innocentiam & ſanctitatem conteſtabantur, Andreámque, niſi ipſe eorum impetum cohibuiſſet, de manibus Proconſulis inſanientis eripuiſſent. Hæc igitur fuit cauſa altera mitioris eius cuſtodiæ, populi ſcilicet commoti pro eius liberatione zelus: paſſus eſt igitur illum è cuſtodia circumſtantem a loqui plebem, ne tumultus creſceret. Erat Andreas manſuetiſſimus (vt omnibus, proinde & ipſi Ægeæ non ignotum erat) prædicabat Euangelium pacis, & populum ad patientiam hortabatur, & ne ſibi impedimento eſſet ad paratum ſibi, tamdiúque deſideratum martyrium, incredibili lætitia iam currenti vehementiùs obſecrabat. Habebat, vt ex poſtactis conſtat, Ægeas in hac nocturna concione obſeruatores, à quibus facilè certior fiebat de Andreæ pacificis ſermonibus: quamobrem cùm nullum inde ſibi ſciret imminere periculum, non omninò inuitè illum (quem cæteroqui non poterat prohibere, ob audientium circumſtantem multitudinem) vſque in craſtinum ſuſtinuit, ad populum loqui.

CAPVT X.

Iterùm Ægeæ tribunali ſiſtitur S. Andreas, & fidem Chriſti, eiúſque crucis gloriam, magna animi libertate ac conſtantia defendit: Acriter denique Proconſulem, in perfidia obſtinatum, perſtringit, inſtantiúſque de diuinæ gratiæ oblato lumine ſuſcipiendo, eum interpellat.

ANCTO *Andrea Apoſtolo per totam noctem populum admonente, dum lux diei in matutino prorumperet, miſit Ægeas, & adduxit ad ſe S. Andream, ac ſedens pro tribunali* (ſecurus iam ſcilicet de populi motu, quem Apoſtolus ſua admonitione ſedauerat) *dixit, Exiſtimaui te nocturna cogitatione reuocare animum tuum à ſtultitia, & à Chriſti laude ceſſare, vt poſſes nobiſcum non amittere gaudia vitæ. Stultum eſt enim vltrò velle ad paſsionem crucis ire, & ignibus ac flammis teipſum peſſimis deſtinare. Andreas reſpondit, Gaudia tecum habere potero, ſi credens Chriſto dimittas culturas idolorum: Chriſtus enim me miſit ad iſtam prouinciam, in qua non paruum populum acquiſiui. Ægeas dixit, Ideo te ſacrificare compello, vt iſti qui per te decepti ſunt populi, relinquant vanitatem tuæ doctrinæ, & ipſi offerant diis grata libamina: Nulla enim remanſit in Achaia ciuitas, in qua templa deorum derelicta non ſint & deſerta: Nunc autem per te reſtauretur cultura deorum, vt & dij qui contra te irati ſunt, placari poſſint, & in noſtra poſſis amicitia permanere: ſin aliàs diuerſa pro defenſione deorum patieris ſupplicia, & poſt omnia crucis quam laudaſti ſuſpenſus patibulo deficies. Andreas reſpondit, Audi fili mortis, & ſtipula æternis parata incendiis: audi me ſeruum Domini & Apoſtolum Ieſu Chriſti. Nunc vſque mitiùs tecum egi, cenſurâ fidei, vt rationis capax, & veritatis defenſor effectus, idola vana contemneres, & Deum qui in cælis eſt, adorares; ſed quia in impudentia tua perdurans, me putas minas tuas poſſe formidare,* QVICQVID TIBI VIDETVR IN SVPPLICIIS MAIVS, EXCOGITA, *Tanto enim meo Regi ero acceptior, quanto pro eius nomine fuero, permanens in tormentis Confeſſor,* &c. Hactenùs habet il-

la insignis epistola, quæ Acta ipsa S. Andreæ ex visu & auditu testium refert, rei gestæ, existentium Presbyterorum & Diaconorum Achaiæ: quorum vt omni exceptione maius est testimonium, sic dignum omnino in re tanti momenti cui indubitata adhibeatur fides, & cuius series punctuatim expendatur; saltem quoad ipsam S. Andreæ passionem; iis quæ ad eius doctrinam spectant, & ad ipsius epistolæ vindicias pertinent opportuniùs allegatis.

Et primò, de nocte illa quam S. Andreas transegit in carcere, subit in mentem cogitare quàm illi suauis, quàm Deo grata; quámque populo cui loquebatur verba salutis, fuerit fructuosa, *Lux in tenebris lucet*, (ait dilectus Iesu Ioannes) *& tenebræ eam non comprehenderunt.* Andreas ex illis primarius erat, quibus sol iustitiæ Christus dixerat, *vos estis lux mundi. sic luceat lux vestra coram hominibus*, &c. *vt glorificent patrem vestrum qui in cælis est.* Tenebræ carceris obscuri, & caligo noctis profundæ, (vt assolet esse circa finem Nouembris) non potuerunt Andream ab internæ lucis gratiæ & veritatis, qua plenus erat, eiaculatione cohibere. Radios tota illa nocte vibrauit, quorum coruscatione animas populi, luminis vitæ cupidi, irradiaret; *Nox* (dicebat cum Propheta) *sicut dies illuminabitur, & nox illuminatio mea in deliciis meis.* Etenim summæ eius erant deliciæ, tota nocte, de Christo dilectissimo magistro suo loqui; lumen eius notitiæ in mentes se audientium traiicere, scintillas eius amoris, quo vehementer æstuabat in eorum corda transmittere: tenebras ignorantiæ & peccati expellere, fundere gratiæ & veritatis lucem, filios lucis in nocte, filios gratiæ & libertatis in ipso carcere generare. Mirabatur olim magnus Augustinus noctis illius felicitatem, quam ipse Andreas & socius eius, quum primùm ad Christum accessisset, cum eo transegit. *Quàm beatum diem dixerunt!* (ait Tract. 7. in Ioan. post initium) *quàm beatam noctem! quis est qui nobis dicat quæ audierint illi à Domino?* Vtinam aliquis inueniretur, qui nobis renunciare posset, quid tota illa nocte quam pro Christo egit in carcere B. Andreas, sitientibus Christum populis de eius fide & gloria prædicauit! Multa etenim disceremus tanto digna Apostolo, quæ nobis ingentes aculeos fidei, pietatis, iustitiæ & sanctitatis irent incussum. Quædam testes illi sacri qui adfuerunt, ex eius dictis, suis litteris ad æternam memoriam prodidere,

ſed paucula : Quid hæc ſunt enim ad prolixam orationem, quam doctor ille cæleſtis, tota illa nocte pronunciauit ? Vtinam ne vllum eius verbulum excidiſſet ? ***Labia eius non myrrham tantùm, ſed lac & mel ſtillabant***, myrrham feruentis affectus crucis, lac ſpiritualis vitæ, & mel eximiæ conſolationis; ſuauitate enim Spiritus ſancti plenus erat : Et quia ***ex abundantia cordis os loquitur***, nil niſi diuinum ex ſuo pectore ſpirabat. Ferunt philomelam nocte qua parturit pullos ſuauiùs modulari. Generabat Andreas hac nocte ſuos in Chriſto filios. quis dubitat igitur vocis eius modulos, plus ſolito ſuaues & iucundos, edidiſſe harmoniæ, quæ Chriſtum, altè reſonans, animas in eius alliceret amorem, & eius incredibile deſiderium in ipſis excitaret. Verùm diuinam hanc ſymphoniàm intercidit liuidi Satanæ inuidia. Pulſauit igitur ſummo mane infelicis Ægeæ mentem, vt quantocyùs euocaret ad ſe Chriſti Apoſtolum, cuius ſanguinem ſitiebat. Miſit, vt Herodes, in carcerem ſatellites, qui vt ille dudum Ioannem, ſic primum Ioannis diſcipulum Andream, vt ouem ad occiſionem confeſtim traherent, ſuóque ſiſterent ſanguinario iudicio.

Secundò, Ægeas prima luce per ſuos ſatellites, ad ſuum tribunal adduci iuſſit Andream, quem ſuperba voce ita affatus eſt: ***Exiſtimaui te nocturna cogitatione à mentis ſtultitia reſipuiſſe, vt poßis deinceps nobiſcum huius vitæ gaudiis ſecurè perfrui. interim*** (ſic alia Acta ferunt) ***audio neſcio quæ ridicula te eſſe locutum.*** Nec mirum ſi impius ita de Apoſtoli doctrina cæleſti cenſuit, ***Verbum enim crucis*** (ait magnus Apoſtolus Paulus, 1. Cor. 1. 18.) ***pereuntibus ſtultitia eſt, ſed virtus & ſapientia, iis qui ſalui fiunt :*** hoc autem ſarcaſmo interiecto, ad artem diabolicam ſeſe nefarius iudex conuertit ; quem minis diræ mortis Apoſtolum exterrere, nec carcere potuerat, blanditiis & illecebris ſollicitare pertentat, gaudiis & vitæ ſecuritate propoſitis : ſed dolum diabolicum S. Andreas ſtatim ſenſit & eluſit. Memini in Apparatu meo ſuper Martyrologium Gallicanum, olim dixiſſe, tyrannos longè periculoſiùs tentaſſe ſanctos Martyres illecebris, quàm tormentis : & vt difficiliorem fuiſſe Chriſti pugilibus aduerſus blanditias & illicia propoſitarum præcipuè voluptatum pugnam, ſic longè illuſtriorem extitiſſe victoriam. Inuictum ſeſe præbuit Andreas in vtroque. vnde ſacrum ſic habet quod ei Eccleſia decantat epinicion:

Blandimentis, & tormentis,
Non eneruat robur mentis,
Iudicis insania.

Sed Andreas par sibi semper in vtroque conflictu, miro artificio malitiam impij Proconsulis elusit. Ars deluditur arte. Finxit Ægeas sibi cordi esse Andreæ salutem: quamobrem eum dissuasum ire tentauit à fortiter oppetenda morte, & pro doloribus & ignominia crucis, gaudia huius vitæ quæ offerebat vltro amplectenda esse, quasi iam non sæuus iudex, sed fidus amicus admonuit. Non inurbanum ad hæc tentamenta sese præbuit Andreas, sed venenatum telum, in vibrantem retorsit. *Gaudia*, inquit, *tecum habere potero, si Christo credens dimittas culturam idolorum?* Alia Acta sic habent: *Gaudiis tecum fruar sempiternis, si execrabili deorum cultu relicto, mecum Christo credas, & animæ tuæ curam geras.* Saluandi etenim nequam huius hominis, Andreas se multum sollicitum ab initio ostendit: magnum enim lucrum, vel vnius animæ salutem, cælestis negotiator esse probè nouerat. Paulus olim Proconsulem Cypri Paulum Sergium, virum prudentem, primo affatu ad Christi fidem & cultum allexit; *sed sunt spiritus qui ad vindictam nati sunt.* Andreas Ægeam flectere ad veritatis cultum & obsequium etsi voluit, attamen non valuit; quod non sine causa & iusto Dei iudicio factum esse finis probauit. Ægeas non iudex sed carnifex, Andreæ Apostoli sanctissimi necem pretio vendiderat, antequam vel faciem eius vidisset: Quamobrem iustè permisit Deus, vt pertinax in suo peccato & cæcitate mentis perduraret. Sunt quædam atrocissima peccata, quæ Deus finali reprobatione plectit. Sic parricida Cain infeliciter periit; sic impius Herodes, sic funestus Iudas Domini proditor. Milites non omnes qui crucifixerunt Iesum, sicut nec omnes Iudæi qui clamauerant, *Tolle, tolle, crucifige eum*, ideò perierunt. Rogauit Christus ipse pro illis: *Pater ignosce illis*, (inquit) *nesciunt enim quid faciunt.* Non tamen Annas & Caïphas, visis tot prodigiis quæ facta sunt in Christi morte, & miraculis quæ post eius triumphalem in cælum reditum, patrabant Apostoli in medio Hierusalem, ipsóque eorum conspectu: redierunt ad cor; sed in sua nequitia obdurati, in æternum interitum abierunt; sic periit Pilatus, qui Christum Dominum (cuius innocentiam perspectam habebat) contra dictamen rationis

Act. 13.

nis & testimonium propriæ conscientiæ addixit cruci. Alter erat Pilatus Ægeas, qui Christum iterum in Andrea crucifixit: & reatum Pilati, Iudæ scelere duplicauit: Pilatus sanè multo fuit illo innoxior, qui non pretio corruptus, sed clamoribus populi insanientis & minis exterritus solo metu cruci adiudicauit Christum; quem tamen vt liberaret è furentium sacerdotum & efferatæ plebis manibus, multis modis contendit. At Ægeas damnauit ad crucis supplicium Andream Christi Apostolum, quem nemo accusabat: cuius innocentiam & sanctitatem, & miram mansuetudinem ac pietatem altis vocibus populi Achaiæ qui eò certatim confluxerant, protestabantur; eiúsque liberationem miris affectibus postulabant, ***Innocens eius sanguis*** (conclamabant) ***sine causa damnatur.*** Quid impulit igitur Ægeam, vt tam atrox homicidium sub pallio iustitiæ perpetraret? Insatiabilis ardor pecuniæ, odium tantæ virtutis, quæ in Andrea Apostolo miris radiis elucebat, agnitæ veritatis contemptus, incredibilis à fide & cultu Christi auersio, furiosus tuendæ idololatriæ & impietatis feruor, denique ipsa in suis peccatis pertinacia, quæ fecit vt salutaribus adeo monitis, quibus sanctus Apostolus Andreas ipsum Christo lucrifacere studuit & contendit, obsurduerit, sed vt tygris fera & immani symphonia exasperatus, maius in odium aduersus suum diuinum monitorem, & cælestem verè medicum exarserit. Videamus igitur illum ferociùs recalcitrantem, aduersus B. Apostolum, qui tam amicis effatibus eum ad lucem & vitam æternam inuitabat.

Tertiò, *Nunc ergo* (inquit ad Andream) ***per te restauretur cultura deorum, qui contra te irati placari possunt, vt in nostra possis amicitia permanere: sin aliàs diuersa pro defensione deorum patieris supplicia, & post omnia crucis quam laudasti patibulo suspensus deficies.*** Patientia læsa nimis, fit furor. S. Andreas, qui vt alter Moyses mansuetissimus erat omnium hominum, quíque tanta benignitate, affabilitate, charitate perfidum hunc iudicem, imò potiùs carnificem ad oblatæ lucis & salutis amplexum incitauerat, videns eum delapsum tandem in reprobum sensum, nihílque spei de eius conuersione prorsus superesse, quem amore mouere non potuerat, clamore iam, pióque furore aggreditur, ***Audi*** (inquit) ***fili mortis & stipula æternis parata incendiis: audi me seruum Domini & Apostolum Iesu Christi: Nunc vsque tecum mitiùs egi, censu-***

râ fidei, vt tu rationis capax & veritatis defensor effectus, idola vana contemneres, & Deum qui in cælis est adorares; sed quia in impudentia perdurans me putas posse minas tuas formidare, quicquid tibi videtur in suppliciis maius excogita. Tantò enim meo Regi ero acceptior, quantò pro eius nomine fuero perseuerantior in tormentis confessor.

CAPVT XI.

Dirissima sancti Andreæ flagellatio.

VNC *Ægeas iussit eum flagellis cædi extensum: Qui cùm septem terniones transiisset, eleuatus est, atque adductus ante eum.* Alia Acta sic habent, *Tunc Ægeas mentis suæ furias expediens, extensum iussit Apostolum flagellis cædi: qui cùm septem inuicta virtute terniones transiisset, eleuatus est, totóque corpore lacer Ægeæ exhibitus.* Oportebat Andream in passione sua, viuam domini sui effigiem repræsentare. Petrus vmbram Domini in cruce retulit: inuerso etenim capite, erectum in cruce Christum reflexa adumbratione exprimebat: non mirum igitur si ipsius Petri vmbra, diuina prodigia operabatur. At Andreas eius frater non vmbram tantùm protulit Domini, sed expressa eius imago in sua passione fuit, quemadmodùm multiplici conformitate infrà efficiemus perspectum. Impręsentiarùm operę pretium est, id ostensum ire, in apparatus ad crucem genuina assimilatione. Mos Romanorum erat, vt qui morti adiudicabantur, anteà cæderentur flagellis, maximè verò qui damnabantur ad crucem. Locus hic communis est. Quamobrem ne tædium ingeram Lectori erudito, satius est vt ab ampliori rei huius demonstratione abstineam, quia de Romanæ historiæ monimentis, Iurísque peritorum placitis luculentè scripsêre, non modò ciuilis Iuris indagatores, sed & plerique Theologi, qui commentarios vel in scripturas ediderunt, vel de sanctorum Martyrum agonibus tractauerunt. Videndus Baronius in notis super Romanum Martyrolog. Gretserus lib. 1. de cruce cap. 8. & seqq. Toletus in Ioan. cap. 19. Lorinus in Acta cap. 16. aliíque.

Ad rem præsentem quod spectat, obseruandum est, Andream non fuisse verberatum virgis: sed flagellatũ, quò magis ad Christi domini sui similitudinem accederet. Nemo est ve-

rò qui nesciat iussu Pilati, Christum antequàm crucifigeretur fuisse flagellatum, scribente Matthæo cap. 27. vers. 26. *Tunc dimisit illis Barabbam, Iesum autem flagellatum tradidit eis vt crucifigeretur.* Marco itidem, cap. 15. vers. 15. *Et tradidit Iesum flagellis cæsum vt crucifigeretur;* Ioanne denique c. 19. v. 1. *Tunc ergo apprehendit Pilatus Iesum, & flagellauit.* Ita & Ægeas, antequam Andreas affigeretur cruci, fecit illum flagellis cædi: sed hoc instat inter factum Pilati & Ægeæ discrimen, quòd Pilatus Christum verberauit flagellis, non vt eum morti traderet, sed potiùs vt eum eriperet de manibus Iudæorum, postquàm vtcumque illorum furori satisfecisset; eo etenim modo se flexum ire eos sperabat ad quandam commiserationem, quemadmodùm rectè obseruat & monet S. Augustinus in Psal. 63. ad vers. 2. vbi ait, *Institit Pilatus quantum potuit, vt ipsum ex eorum manibus liberaret; nam propterea flagellatum perduxit ad eos. Non persequendo Dominum flagellauit, sed eorum furori satisfacere volens, vt sic iam mitescerent, & desinerent velle eum occidere cùm flagellatum viderent.* Hoc intentum se habere palam prodiderat Pilatus, siquidem altè dixerat, *Emendatum illum dimittam.* Et rursus, *corripiam illum & dimittam.* Luc. 23. 16. 22.

Porrò non sic Ægeas aduersus Andream se gessit, flagellauit etenim, vt mox eum interficeret: quòd flagellauerit antequàm mitteret ad crucem, Romana consuetudo id vtcumque ferebat, sed in hoc rabiem suam aduersus Apostolum prodidit, quòd mos Præsidum esset, quando flagellationem mors sequebatur, vt verberatio ipsa esset leuior: vnde quòd Pilatus inflicta Christo hac pœna, illum seruare à morte contenderet, acriùs fecisse illum flagellari passim notant Euangelij interpretes & Dominicæ passionis tractatores, quia scilicet secutum iri extremum supplicium non censebat. Verùm, diram eiusmodi verberationem, vbi compulsus fuit dictare aduersus Christum sententiam mortis, aliquo moderamine temperauit; siquidem flagellationem prætermisit, quam ante crucifixionem Romana lex exigebat, hácque stetit quam inflixerat ad correptionem. Verùm Ægeas flagellationem nec à morte disiunxit, nec leuiorem fecit, cùm extremum sequeretur Andreæ supplicium, sed ita diram inflixit Apostolo, vt fecisset, si eum inde fuisset, immunem à cruce dimissurus: rapax enim hic lupus nonnisi haustu totius agni huius sanguinis, exsatiari poterat.

Vix in Actis Martyrum legitur flagellatio vlla acerbior, illâ, quam S. Andreas Ægeæ iussu perpessus est. Facile hîc fuerit ex ipsis Actis passionis beati huius Apostoli ire elicitum, sic habent enim, *Tunc Ægeas mentis suæ furias expediens, extensum iussit Apostolum flagellis cædi.* Fustuarium, virgæ, & flagellatio, nonnihil differebant. Non omnes fustibus cædi solent, *L. capitalium. ff. de pœnis*, sed ij dumtaxat qui liberi sunt: vnde virgæ erant etiam flagellis vt mitiores, ita & honestiores: nam soli serui flagellabantur, *L. seruorum ff. de pœnis*, & qui morti sententiâ iudicis addictierant: lata enim in aliquem mortis sententia, omnia priuilegia cessabant, & qui ciuis erat & liber, damnatus ad mortem fiebat seruus pœnæ. Quamobrem & Pilatus & Ægeas, ille circa Christum, hic erga Andream, in legem & ritum Romanum peccauerunt; nefas enim erat liberum hominem flagellis cædere, antequàm causa ritè cognita, reus ad extremum supplicium damnatus fuisset; hinc iusta querela Pauli & Sylæ aduersus Magistratus Philippenses, *Cæsos nos publicè indemnatos, homines Romanos miserunt in carcerem.* Act. 16. Verùm Pilatus in hoc fuit excusabilis, quòd Christum flagellauerit non animo occidendi, sed seruandi, insanæ plebis mitigato furore. Sed Ægeas æstu furoris abreptus Andream, qui sanè sortis seruilis non erat, sed Hebræus, à iugo seruitutis liber, ante prolatam mortis sententiam, nullo seruato ordine iuris, flagellis subiecit, vt suum odium, quod immane erat, citiùs exerceret.

Rectè dixit priscus sapiens, *cùm ira sitit sanguinem, nescit regi:* haud mirum igitur si succensus Ægeas aduersus Andream præcipiti furore, nullum modum tenuerit. Cùm nex sequebatur verberationem, debebat (vt prænotatum est) flagellatio esse leuior, ne scilicet exhaustus sanguine & viribus, reus deficeret in tormentis, vel ferendo extremo supplicio impar fieret; aut ne iudex omnis humanitatis oblitus videretur, satis enim erat quod damnatus extremum supplicium pateretur, adeo vt flagellatio quæ præcedebat, potiùs esset consuetudinis actus, quàm rigoris. Sed hæc omnia Ægeas circa Andream non respexit, flagellari iussit eum verberatione crudelissima: adeovt vix sine miraculo factum sit, vt sanctus Apostolus planè in eiusmodi tormentis non defecerit. Acta hoc non obscurè insinuant, Epistola citata Presbyterorum Achaiæ, qui cum Diaconis

huic sæuæ flagellationi interfuere, hunc in modum refert, *Tunc Ægeas iußit eum flagellis cædi extensum.* Et Acta succinunt quæ sic habent, *Extensum iußit Apostolum flagellis cædi.* Siquidem moris erat Romani, vt qui torquebantur flagellis, alligarentur palo, vel columnæ adstringerentur, & sic à tergo dumtaxat flagellarentur, vnde de ipso Christo ait Prudentius,

——— *Atque columnæ*
Annexus, tergum dedit vt seruile flagellis.

Prudent. nouo Testamento, in cuius Enchiridio & veteris ab Amœno recitantur Biblioth. SS. PP. Tom. 9.

Verùm Andreas extensus, tergum & pectus habuit flagellis diris obnoxium, nec modò flagellationem in verberatione passus est, sed rigidam in equuleo extensionem, nec ab vno milite, aut quæstionario geminam hanc pœnam acerbissimam perpessus est, nec à tribus: sed à septem ternionibus illam sustinuit, sic enim fert insignis illa epistola, *Ægeas iußit eum flagellis cædi extensum, qui cùm septem terniones transiisset, eleuatus est,* (id est ex equuleo sublatus) *atque adductus ante eum.* Porrò Acta sic habent, *Qui cùm septem inuicta virtute terniones transiisset, eleuatus est. Ministrorum immanitate* (inquit Vlpianus lib. 8. de pœnis) *sæpè contigit multos sub flagellis interiisse.* Quamobrem Nicephorus lib. 1. hist. Eccles. cap. 3. eleganter appellauit, flagellatores Martyrum, sanguinarios carnifices: Martyres enim flagellorum liuore sæpè animam in eiusmodi cruciatu efflauerunt. Mirum ideo plurimum est, cur Andreas his tormentis non succubuerit: non exiuit tamen inde vt Ioannes de dolio olei feruentis, integer & immunis. Acta enim subnectunt, *Totóque corpore lacer Ægeæ exhibetur;* vt gloriari cum Paulo, & dicere potuerit, *Nemo mihi molestus sit, stigmata enim Domini mei in corpore meo porto.* Vnico ore hactenùs fuerat confessus Dominum suum, nunc autem stans ante sæuum præsidem tot oribus quot liuoribus lacer est, fidem loquitur, & gloriam Christi maiori longè ac illustriori præconio, ante eius hostem exaltat, vegetiórque exit de equuleo quàm si de thalamo procederet. Sequamur eum obsecro, maiorem triumphum appetentem. Andreas sanè nequit cursum sistere, nisi cruci pro Domino suo exultans affigatur.

Vide Antonium Gallonium lib. de SS. Martyrum cruciatibus.

CAPVT XII.

Sententiâ tandem Ægeæ Proconsulis, B. Apostolus adiudicatur supplicio crucis, quam tanto ardore hactenùs concupierat.

EGEAS *denuò ad blanditias conuersus, beatum Christi Apostolum allocutus est dicens: Audi me Andrea, & ab effusione sanguinis tui, consilium reuoca.* (quasi verò tam crudeli flagellatione, totum fere sanguinem ipsius Apostoli non iam effudisset!) subiungit autem auidus semper sacri sanguinis immane terriculamentum: *Quod si non feceris, crucis supplicium erit tibi subeundum. Cui Andreas, Ego crucis Christi seruus, crucis trophæum optare potiùs, quàm timere debeo; neque enim de mea passione, sed de tuo interitu planè conturbor: passio enim mea, vnius est diei, aut vt multum duorum, tuus autem cruciatus nulla vnquam temporis longinquitate finem accipiet; vnde desine tibi tuas augmentare miserias, & vel ex mea tandem perseuerantia, fidem amplectere. Eam Apostoli libertatem grauiter indignatus Ægeas, crucis supplicio eum condemnauit.*

Nulla spes erat relicta impij huius iudicis resipiscentiæ. Etsi autem Apostolus non nesciret, illum propter multiplicata peccata prolapsum esse in reprobum sensum: nihil tamen curæ & muneris sui Apostolici prætermisit, vt illum ab impendenti animæ eius pernicie, in viam salutis reuocaret. Quæ Andreæ de conuersione impij hominis sollicitudo, vt magnam ipsius Apostoli charitatem ostendit: sic nobis est insigni documento, pereuntibus hominibus porrigendi dexteram adiutricem, & numquam à studio salutis animarum desistendi. Huc collineat peroptimè S. Augustini ad omnes Christianos præclarum monimentum: *Ne putetis* (inquit) *gratìs esse malos in hoc mundo, & nihil boni de iis agere Deum. Omnis malus, aut ideo viuit, vt corrigatur: aut ideo viuit, vt per illum bonus exerceatur.* Sic zelatus est Andreas Apostolus præsidem Ægeam vsque ad extremum vitæ spiritum, nihil omittens, (gratanter etiam susceptis & inuicto animo toleratis grauibus queisque iniuriis) quò ani-

In Psal. 34. 1.

mam eius ab æterni exitij pernicie, & apertis inferni faucibus liberaret. Nec desiit etiam in ipsa cruce ab eius sollicitatione salutis: contentus si perditam hanc ouem, saltem in extremo vitæ momento, Christo lucrifaceret: sed collegit Andreas spinas pro rosis, & de tam feraci semine charitatis, nil nisi carduos & tribulos (fomitem ignis æterni, ad quem præceps ruebat vir ille nequam ac planè impius) vt probauit euentus, reportauit. Hîc igitur, quod dudum ait magnus Ambrosius de Ioanne Baptista occiso ab Herode truculentissimo tyranno, quoad Andream damnatum, & dirè habitum ab Ægea, procul dubio locum habet: *Ab adultero iustus occiditur, & à reo in iudicium capitalis sceleris pœna conuertitur.* *Lib. 1. de Virginibus post initiū.*

Dictauit igitur demum impius Ægeas aduersus Andream, sanctissimum Christi Apostolum, capitalem sententiam (si Perionio auscultamus Acta sinceriora proferenti) eiusmodi verborum tenore, *Andream nouam sectam, quæ deorum religionem tollit, inuehentem & docentem, in crucem agendum esse iudicamus.* Presbyteri & Diaconi Achaiæ, qui aderant, illam sententiam Ægeæ Proconsulis, etsi breuem, referunt his adhuc contractioribus verbis: *Tunc iratus Ægeas, cruci eum affigi præcepit.*

Hîc porrò obseruandum apud Romanos Iudices & Præsides non vnum fuisse proferendę sententiæ capitalis morem. Siquidem aliquando eam oretenus dictabant, aliquando recitabant è tabella. S. Cypr. tract. de Cœna Dom. dicit à Pilato aduersus Christum dictatam fuisse sententiam mortis; *Volebat* (inquit) *pius magister, cùm iam damnationis suæ* DICTARETVR *sententia, propéque esset vt figeretur in cruce,* &c. Verùm hoc ex Euangeliis non constat, dictat sanè sententiam qui ferendam decernit, siue voce, siue scripto. Mihi verisimilius est, non dictatam neque scriptam à Pilato fuisse, qui scilicet Christum coactus & inuitus damnârit. S. Lucas hoc satis clarè insinuat dum tantùm ait, *adiudicauit fieri petitionem eorum;* qua scilicet instanter postulabant, vt Iesus ocyùs crucifigeretur. Indignabundus igitur hoc iussit, sed non dictauit iuridicam sententiam, quia in eiusmodi sententia, causam necis tenebatur iudex exprimere: At verò sæpe protestatus fuerat se in Christo nullam inuenire causam. quia verò de causa Notario non constabat, subinde Pilatus addidit titulum super crucem, *Et erat titulus causæ eius inscriptus* (ait Marcus): *Marc. 15.*

Rex Iudæorum. siue vt Matthæus refert: *Et imposuerunt super caput eius causam ipsius scriptam, Hic est Iesus Nazarenus Rex Iudæorum.* Hoc fecit Pilatus potiùs in Iudæorum opprobrium, quàm in dedecus Christi, vt postmodùm innuit; dum rogatus mutare illam inscriptionem (quæ ipsis contumeliosa sibi videbatur), illis acquiescere noluit, sed in suo facto perstitit. Summam Iudæi, aduersus Christum, aliam accusationem proposuerant, *Secundùm legem nostram debet mori*, aiebant, *quia filium Dei se fecit.* At de hoc ne minimum verbum scripsit Pilatus, qui hoc audito accusationis supremo capite (propter perspectam sibi Christi innocentiam) maiori timore correptus fuerat. Ex his igitur patet quòd in Christum propriè nullam iuridicam protulit sententiam, sed impulsus Iudæorum clamoribus, & minis de ipso deferendo ad Cæsarem, *tradidit illum* (vt scribit Lucas) *voluntati eorum.* Sic fecisse Ægeam aduersus Andream Apostolum, sicut Pilatus erga Iesum, videntur Achaiæ Presbyteri in sua Epistola designare: nec enim seruâsse iudiciorum normam, sed animo commoto (quamuis sequiori motu & alio fine quàm Pilatus) ipsum Apostolum damnâsse ad crucem: *Iratus Ægeas* (inquiunt) *cruci eum affigi præcepit.*

At Iudæi & Præsides solemniori more sententiam recitabant è tabella: hinc illud S. Cypriani iam proximi martyrio somnium: *Videbar* (inquit hoc referens) *tribunali sedentis tum Proconsulis admoueri: is vt me respexit, annotare statim in tabula cœpit sententiam.* Causa cur è tabula recitabatur, hæc erat: ne quid præcipiti feruore iudex pronunciaret, sed temperato animo & seruatis iustitiæ numeris. Constat enim ex actis martyrij ipsius S. Cypriani, Proconsulem non pro libidine, sed inito ac suscepto consilio solitum fuisse pronunciare sententiam: sic enim ibi, Galerius Maximus collocutus cum consilio, sententiam vix ægrè dixit. Addit Pontius Diaconus rei gestæ inspector, *Legit itaque iam de tabula iudex sententiam.* Recitabatur autem è tabella, quia ex quo adhibito consilio decreta fuerat, neque augeri littera vna, neque minui poterat, sed vtcumque recitata, sic in prouinciæ instituta instrumenta & acta publica, ab exceptore referebatur. At nullum seruauit iuridicum ordinem aduersus B. Andream Ægeas, quem nullo adhibito consilio iudicauit, nec recitauit è tabella sen-

ſententiam, nec latam in Acta redegit, furore etenim abreptus & emota mente, illum quantocyùs crucifigendum, vt ſæpè iam comminatus fuerat, præcepit.

Acutè Tertullianus perſtringit iudices Romanos, Martyres ſolo titulo Chriſtianitatis damnantes, nullo ſignato, in tabella iudiciali, ſcelere: *Quia de tabella* (inquit in Apol. c. 44.) *recitatis illum Chriſtianum, cur non & homicidam?* Et rurſùm explicatiùs, *Veſtros iam conteſtamur actus, qui quotidie iudicandis cuſtodiis,* (id eſt accuſatis in cuſtodia detentis) *præſidetis, qui ſententiis elogia diſpungitis, tot à vobis nocentes variis criminum elogiis recenſentur: quis illic ſicarius, quis manticularius, quis ſacrilegus aut corruptor, aut lauantium prædo? quis ex illis* (nocentibus) *etiam Chriſtianus adſcribitur, aut cùm Chriſtiani ſuo titulo offeruntur, quis ex illis etiam talis, quales tot nocentes.* Cauebant quàm diligenter priſci Chriſtiani, ne candori Chriſtiani nominis aliquam inferrent labem, admiſſo vllo crimine, documenti ſcilicet Petri Andreæ fratris nuſquam immemores: *Nemo veſtrûm patiatur vt homicida, aut fur, aut maledicus, aut alienorum appetitor; ſi autem vt Chriſtianus non erubeſcat, glorificet autem Deum in iſto nomine.* Nihil duxit glorioſius Andreas, quàm pro Chriſti nomine quæque acerbiſſima pati: Crucem igitur non vt ſupplicium reſpexit, ſed vt trophæum, Chriſto victori & triumphatori de morte, de peccato, de inferno, de mundo ipſo, propè à ſe erigendum. 1. Pet. 4.

Si Perionius ſincera acta eius paſſionis nactus eſt, hæc (quam ſolus refert) ſententia patenti argumento eſt, nullum, nequidem minimum crimen in eo Ægeam reperiſſe. ſic enim habet: *Andream nouam ſectam, quæ Deorum religionem tollit, inuehentem & docentem, in crucem agendum eſſe iudicamus.* Quid honorificentius Andreæ, quàm ſolo hoc titulo potuiſſe ab homine impio damnari? Non ineptè profectò hîc verba Pontij Diaconi, paſſionis S. Cypriani ſpectatoris & ſcriptoris, referam, vbi ſententiam recitat à iudice prolatam aduerſus ipſum B. Cyprianum; *Legit itaque* (inquit) *iam de tabula ſententiam iudex: ſententiam ſpiritalem non temere dicendam; ſententiam Epiſcopo tali, & tali teſte condignam; ſententiam glorioſam, in qua dictus eſt ſectæ ſuæ ſignifer, & inimicus Deorum, & qui ſuis futurus eſſet, ipſe documento, & quòd ſanguine eius inciperet diſciplina ſanciri. Nihil hac ſententia plenius, nihil verius, omnia quippe quæ dicta ſunt, licèt*

à Gentili dicta, diuina sunt. Nec mirum vtique, &c. *signifer fuerat, qui de ferendo signo Christi docebat: inimicus Deorum, qui idola destruenda mandabat; documento autem suis fuit, qui multis pari genere secuturis, prior in prouincia, martyrij primitias dedicauit: sanciri etiam cœpit eius sanguine disciplina, sed Martyrum, qui doctorem suum imitatione gloriæ consimilis æmulati, ipsi quoque disciplinam exempli sui proprio cruore sanxerunt.* Sane quæ de Cypriano Episcopo hîc verè & eleganter dixit Pontius, potiori iure de Andrea Apostolo possunt, vt patet, vsurpari.

CAPVT XIII.

Retentum Ægeæ in præcipiti sententiâ non expressum; quo clam præcepit carnificibus, Andream Christi Apostolum lenta interficere morte: Et idcircò non clauis eum affigere cruci, sed funibus rigidè extensum, ligno crucis astringere.

MANDAVIT *hic Ægeas quæstionariis* (scribunt Achaiæ Presbyteri) *vt ligatis pedibus & manibus quasi in equuleo* (Andreas) *tenderetur, ne clauis affixus citò deficeret, sed cruciaretur potiùs longo cruciatu.* Ex quibus verbis tria sunt quæ eliciam insignia documenta.

Primum est altum Dei consilium, quod notare iuuat in hac Andreæ beatissimi Apostoli crucifixione. Sanè si clauis fuisset S. Andreas affixus patibulo crucis, non biduò in cruce prædicans diuino ardore fidem, perdurasset: sed citò defecisset prompta sanguinis, qui tantillus supererat, post immanem illam flagellationem quam passus fuerat, effusione. At quod dicit Scriptura de Samsone interfectore leonis, & infidelis populi perpetuo insectatore, *Plures occidit moriens quàm viuens*: fortunatiori euentu in Andrea impleri Deus voluit, vt scilicet biduò pendens in cruce pro nomine Christi, doceret sine intermissione populum, qui innumera multitudine ad hoc spectaculum ex vniuersa Achaia confluxerat; & sic in morte plures quàm in vita, cælestis doctrinæ salutifero semine filios progeneraret, sicque moriendo iter illis ad vitam æternam indicaret.

Iudic. 12. 30.

Secundum, est capitale odium Ægeæ in sanctissimum

Apoſtolum, quod vt exſatiaret ſatis non habuit, illum tam crudeli quam ſuprà expreſſimus flagellatione dilaceraſſe, nec tam iniuſta ſententia morti turpiſſimæ quaſi homicidam & latronem adiudicaſſe contentus fuit, niſi & ingenioſum vltimæ crudelitatis ſuperadderet artificium; lenta enim morte illum interfici voluit, vt dum diutiùs viueret, diutiùs pateretur, ſeu viuens in dolore, ſæpius moreretur, dum pendebat in cruce. Sufficiebant funes ad Apoſtolum cruci affigendum, ſed adhibuit impius ille tyrannus rigidam extenſionem, vt ſimul duos acerbiſſimos cruciatus Andreas perpeteretur, crucem ipſam & equuleum; vt clauos quos infigi vetuerat, acutiori & productiori hoc tormento non compenſaret modò, ſed etiam adaugeret. Crucis ſupplicio infiniti martyres à tyrannis addicti ſunt, ſed clauis ligno affixi, fuderunt citò ſanguinem, & ſic ſpiritum poſt aliquot horas efflauerunt. Solus fuit beatiſſimus Apoſtolus Andreas, qui lenta ſimul & acuta morte in cruce occubuerit; acuta propter rigidam (vt in equuleo) extenſionem; lenta propter membrorum alligationem: carnifices enim truculenti, iudicis mandatum exactè impleuerunt, ſicut Achaiæ Preſbyteri de viſu loquentes ſua in epiſtola perhibent. Aiunt enim ſignatim, *Leuauerunt eum in crucem, & extendentes funibus totum corpus eius, ſicut iuſſum erat ſuſpenderunt.* Vnde liquet omiſſos eſſe clauos, de nefarij iudicis induſtria, & ſuffectos funes, non tam ad alligandum cruci corpus Apoſtoli, quàm ad immani extenſione ipſum excruciandum.

Tertium eſt documentum ad pictores, qui paſſim S. Andream clauis cruci affixum,* ſanguinémque è manibus & pedibus fundentem repræſentant; cùm funibus dumtaxat aſtrictum, ſecundùm rei geſtæ veritatem, illum exprimere oporteat; ſed rigidè extenſum. Satisfactum hiſtoriæ foret, ſi aliquo artificio poſſent illam extenſionem parem ei quam rei patiuntur in equuleo, inſpicientium oculis ſubiicere. Verùm eſt etiam quòd deuotæ mentes dum B. Andream in cruce pendentem ſine clauis contemplantur, non ideo remiſſiùs habitum, & molliùs in cruce ſuſpenſum fuiſſe exiſtiment: ſed acerbiori morte, quò diutiori & ſimul acutiori in ea cruciatum & paſſum meditentur. Ideóque non modò maiori admiratione dignum, ſed etiam veneratione. Vnde etiam ſanctus Apoſtolus cùm Ægeas eum crucis interminatione vellet exterrere, minas eius ſanctus

* Ita apud Lipſium exprimitur *lib. 1. de cruce c. 7. tom. 3.*

ipſe Andreas non ſolùm flocci pendit, ſed hinc etiam maioris conſtantiæ & gloriæ ſibimet incuſſit aculeos. *Age* (inquit ad impium & ſæuum illum iudicem) *quicquid tibi in ſuppliciis maius videtur excogita? Tantò enim regi meo ero acceptior, quantò in tormentis pro eius nomine ero conſtantior.*

CAPVT XIV.

Populi motum, pro ſe incitatiorem, cohibet & ſedat S. Andreas inſigni patientiæ exemplo, nec minùs Chriſtiano hortatu: quo ſimul hunc eorum compeſcuit impetum, & ardorem ſuum intenſiſsimum moriendi pro Chriſto, in cruce, palam prodidit.

EGEAS cùm cæca iuſtitia, & oculato furore, ſanctiſſimum Chriſti Apoſtolum damnâſſet ad crucem, niſi conſentaneum ſubeundæ morti Andream ipſum habuiſſet: ſententiam ſuam neutiquam exequi potuiſſet. In hoc Andreas igitur factus eſt adhuc Domino ſuo ſimilis, quòd in crucem
Iſai. 53. nonniſi volens aſcendit. De Chriſto ait Propheta, *Oblatus eſt quia ipſe voluit;* non quia Pilatus ſic iudicauit; *Nemo enim* (ait Dominus) *tollit à me animam meam; poteſtatem*
Ioan. 10. 18. *habeo ponendi eam & iterùm eam ſumendi.* Quamobrem cùm Petrus frater Andreæ, euaginato gladio percuſſiſſet ſeruum Pontificis, contendens Chriſtum ipſum de manibus eius inimicorum eripere: interceſſit ipſe Dominus, illi di-
Ioan. 18. cens, *Mitte gladium tuum in vaginam, calicem quem de-*
Matth. 26. *dit mihi pater non vis vt bibam illum? An putas quia non poſſum rogare patrem, & exhibebit mihi modò pluſquàm duodecim legiones Angelorum?* Quapropter cùm Ægeas exprobraret Andreæ, quòd Chriſtus violenter ad crucem fuiſſet pertractus, à proprio diſcipulo proditus, à Iudæis tentus, ad Præſidem adductus, à militibus crucifixus: proinde dici non poſſe quod Andreas aſſerebat, ſponte ſua Chriſtum crucis patibulum ſubiiſſe; *Andreas reſpondit, ideo ego dixi ſpontaneum paſſum eſſe, quoniam ſimul cum ipſo fui, cùm ab ipſo ſuo diſcipulo traderetur; & antequam traderetur dixit nobis quòd tradendus eſſet & crucifigendus pro ſalute hominum, & die*

tertia se resurrecturum esse prædixit. Cui cùm frater meus Petrus diceret, Propitius tibi esto Domine, non fiat istud, indignatus sic ait Petro: Vade retro Satana, quia non sapis quæ Dei sunt? Et vt pleniùs nos instrueret, quomodo sponte susciperet passionem, dicebat nobis, potestatem habeo ponendi animam meam, & potestatem habeo iterum sumendi eam, &c. *Et futura deinde quasi iam præterita dum narraret, docuit se volente fuisse traditum, cùm nec traditorem fugiendo deseruit, & in loco quò illum sciebat esse venturum, permansit.*

In hac libertate moriendi Christus etiam voluit ipsum Andream sibimet assimilari. Sancta Romana Ecclesia hoc agnoscit Andreæ priuilegium, in sacro officio eius natalis Lectione 5. sub finem his verbis: *Populus Andream facilè liberàsset, nisi ipse sedasset multitudinem, vehementiùs rogans ne se ad optatissimam martyrij coronam properantem impedirent.* Idipsum qui præsentes erant Presbyteri & Diaconi Achaiæ, sua in epistola, iam sæpius laudata, testantur. *Cúmque eum carnifices ducerent vt crucifigeretur, concursus factus est populorum clamantium & dicentium, Iustus homo & amicus Dei quid fecit, vt ducatur ad crucem? Andreas verò rogabat populum vt non impedirent passionem eius, gaudens enim & exultans ibat, & à doctrina non cessans.* Multos nihilominus certatim concurrisse ad Ægeam, & non solùm hac de eius iniustitia vehementer expostulasse: sed & instanter petiisse, vt immunem ipsis Apostolum redderet, ipsa sancta Ecclesia insinuat, hæc eorum verba referens, quibus insignia ipsius B. Apostoli elogia continentur: *Concede nobis hominem iustum? redde nobis hominem sanctum, ne interficias hominem Deo charum, iustum, mansuetum, & pium.* Vox hæc populi, vox erat Dei. Titulus hic fuit Andreæ triumphalis; honorificentiori sub titulo duci ad mortem, illustriori cum corona mansuetus hic agnus, grata Deo victima, immolari non potuit.

Moris erat vt cùm rei ad supplicium ducebantur, præco præiret qui classicum caneret. Qua de voce & vsu Vegetius lib. de re militari cap. 22. *Classicum* (inquit) *appellatur quod buccinatores per cornu dicunt: Hoc insigne videtur imperij, quia classicum canitur Imperatore præsente, vel cùm in militem capitaliter animaduertitur.* Tacitus quoque moris huius feralis præconij seu classici meminit lib. 2. annal. *In P. Marcium,* inquit, *extra portam Exquilinam, cùm classi-*

ipſe Andreas non ſolùm flocci pendit, ſed hinc etiam maioris conſtantiæ & gloriæ ſibimet incuſſit aculeos. *Age* (inquit ad impium & ſæuum illum iudicem) *quicquid tibi in ſuppliciis maius videtur excogita? Tantò enim regi meo ero acceptior, quantò in tormentis pro eius nomine ero conſtantior.*

CAPVT XIV.

Populi motum, pro ſe incitatiorem, cohibet & ſedat S. Andreas inſigni patientiæ exemplo, nec minùs Chriſtiano hortatu: quo ſimul hunc eorum compeſcuit impetum, & ardorem ſuum intenſiſſimum moriendi pro Chriſto, in cruce, palam prodidit.

ÆGEAS cùm cæca iuſtitia, & oculato furore, ſanctiſſimum Chriſti Apoſtolum damnâſſet ad crucem, niſi conſentaneum ſubeundæ morti Andream ipſum habuiſſet: ſententiam ſuam neutiquam exequi potuiſſet. In hoc Andreas igitur factus eſt adhuc Domino ſuo ſimilis, quòd in crucem
Iſai. 53. nonniſi volens aſcendit. De Chriſto ait Propheta, *Oblatus eſt quia ipſe voluit;* non quia Pilatus ſic iudicauit; *Nemo enim* (ait Dominus) *tollit à me animam meam; poteſtatem*
Ioan. 10. 18. *habeo ponendi eam & iterùm eam ſumendi.* Quamobrem cùm Petrus frater Andreæ, euaginato gladio percuſſiſſet ſeruum Pontificis, contendens Chriſtum ipſum de manibus eius inimicorum eripere: interceſſit ipſe Dominus, illi di-
Ioan. 18. cens, *Mitte gladium tuum in vaginam, calicem quem de-*
Matth. 26. *dit mihi pater non vis vt bibam illum? An putas quia non poſſum rogare patrem, & exhibebit mihi modò pluſquàm duodecim legiones Angelorum?* Quapropter cùm Ægeas exprobraret Andreæ, quòd Chriſtus violenter ad crucem fuiſſet pertractus, à proprio diſcipulo proditus, à Iudæis tentus, ad Præſidem adductus, à militibus crucifixus: proinde dici non poſſe quod Andreas aſſerebat, ſponte ſua Chriſtum crucis patibulum ſubiiſſe; *Andreas reſpondit, ideo ego dixi ſpontaneum paſſum eſſe, quoniam ſimul cum ipſo fui, cùm ab ipſo ſuo diſcipulo traderetur; & antequam traderetur dixit nobis quòd tradendus eſſet & crucifigendus pro ſalute hominum, & die*

tertia se resurrecturum esse prædixit. Cui cùm frater meus Petrus diceret, Propitius tibi esto Domine, non fiat istud, indignatus sic àit Petro: Vade retro Satana, quia non sapis quæ Dei sunt? Et vt pleniùs nos instrueret, quomodo sponte susciperet passionem, dicebat nobis, potestatem habeo ponendi animam meam, & potestatem habeo iterum sumendi eam, &c. *Et futura deinde quasi iam præterita dum narraret, docuit se volente fuisse traditum, cùm nec traditorem fugiendo deseruit, & in loco quò illum sciebat esse venturum, permansit.*

In hac libertate moriendi Christus etiam voluit ipsum Andream sibimet assimilari. Sancta Romana Ecclesia hoc agnoscit Andreæ priuilegium, in sacro officio eius natalis Lectione 5. sub finem his verbis: *Populus Andream facilè liberâsset, nisi ipse sedasset multitudinem, vehementiùs rogans ne se ad optatissimam martyrij coronam properantem impedirent.* Idipsum qui præsentes erant Presbyteri & Diaconi Achaiæ, sua in epistola, iam sæpius laudata, testantur. *Cúmque eum carnifices ducerent vt crucifigeretur, concursus factus est populorum clamantium & dicentium, Iustus homo & amicus Dei quid fecit, vt ducatur ad crucem? Andreas verò rogabat populum vt non impedirent passionem eius, gaudens enim & exultans ibat, & à doctrina non cessans.* Multos nihilominus certatim concurrisse ad Ægeam, & non solùm hac de eius iniustitia vehementer expostulasse: sed & instanter petiisse, vt immunem ipsis Apostolum redderet, ipsa sancta Ecclesia insinuat, hæc eorum verba referens, quibus insignia ipsius B. Apostoli elogia continentur: *Concede nobis hominem iustum? redde nobis hominem sanctum, ne interficias hominem Deo charum, iustum, mansuetum, & pium.* Vox hæc populi, vox erat Dei. Titulus hic fuit Andreæ triumphalis; honorificentiori sub titulo duci ad mortem, illustriori cum corona mansuetus hic agnus, grata Deo victima, immolari non potuit.

Moris erat vt cùm rei ad supplicium ducebantur, præco præiret qui classicum caneret. Qua de voce & vsu Vegetius lib. de re militari cap. 22. *Classicum* (inquit) *appellatur quod buccinatores per cornu dicunt: Hoc insigne videtur imperij, quia classicum canitur Imperatore præsente, vel cùm in militem capitaliter animaduertitur.* Tacitus quoque moris huius feralis præconij seu classici meminit lib. 2. annal. *In P. Marcium,* inquit, *extra portam Exquilinam, cùm classi-*

cum canere iußissent, more prisco animaduerterunt. Ita etiam apud Senecam (à Capitone ſent. 9. controuerſ. 2.) ſupplicij ſolemnia deſcribuntur; *Aſcendit Prætor tribunal inſpectante prouincia, noxiæ poſt terga ligantur manus, ſtatim intento ac triſti omnium vultu, fit à præcone ſilentium, adhibentur deinde legitima, canitur ex altera parte claßicum.*

Verùm præconem Ægeas ante Andream non miſit, claſſicum nemo cecinit, quia nulla mortis cauſa legitima, in ſanctiſſimo illo viro inueniri poterat. Non ſine claſſico tamen & præconio, Deus voluit chariſſimum ſibi diſcipulum crucifigi, imò potiùs coronari. Varro lib. 5. de lingua Latina auctor eſt, id etiam moris olim fuiſſe, vt ante ædes eorum qui capitali ſententia damnandi erant, buccinâ præco inſonaret, iuxta illud edictum, *In arce claßicus canat,* &c. *& ante priuati huiuſce,* &c. *ſceleroſi hominis oſtium, canat.* Inſons erat Andreas, at Ægeas ſceleratus, & ante Deum reprobus: iuſto igitur Dei iudicio factum, vt ante Andream ferale claſſicum præco non caneret, ſed populus concurſu magno ad ædes nefarij illius iudicis, claſſicum intonaret, quo vt Ægeæ inſigne perſonaret opprobrium, ſic Andreæ glorioſum concinebatur ab omnibus præconium: *Concede nobis* (aiebant) *hominem iuſtum, redde nobis hominem ſanctum, ne interficias hominem Deo charum, iuſtum, manſuetum, & pium?*

Sed hæc encomia, has laudes, B. Andreas non quærebat, aliud longè decus affectabat: ſpirabat vnico deſiderio & ſupremo voto, crucem charam ſibi amicam; quam tamdiu quæſierat, tam ardenter concupierat. Puriora eius Acta ſic habent, *Andreas verò populi clamores lenitate compeſcens, & incredibili gaudio exultans ad locum certaminis properabat.* Erat igitur Andream inter & populum concordia diſcors, ſeu potiùs concors diſcordia. Scitè & ſenſatè dixit Auguſtinus epiſt. 87. *diſſenſiones nunquam debent amari, ſed aliquando ſunt vtiles:* aliquando enim aut charitatem probant, aut à charitate naſcuntur. Iſta ſic proceſſit B. Andreæ & fidelis populi diſſenſio: Populus propter eximium amorem quo illum proſequebatur, votis, vocibus, factis volebat eius martyrium impedire, ipſe verò effuſis cunctis animi præcordiis, ipſum martyrium exoptabat. Volebat populus ſibi reddi paſtorem, ſiquidem amantiſſimi filij videbant, eius interitu, patre optimo ſe orbari. Andreas verò ſuſpirabat

Christum, crucem suspiciebat vt vnicum medium, quo sibi aditum ad desideratissimi Domini conspectum sciebat præparari, vt clauem qua videbat sibi ingressum in cælum aperiri. Non dolebat pro populo, cùm non nesciret, se in regno Domini sui semel ingressum, posse eis maiora longè solatia impetrare: hîc enim non suam minutum iri charitatem, sed multò ampliùs auctum iri, ideo sine gemitu & lachrymis ab eis impræsentiarùm discedebat. Porrò pro se exultabat gaudio incredibili, quia vocatus ibat ad Dominum. Properabat igitur ad locum supplicij, vt ad gloriæ theatrum, ad victoriæ triumphum, ad agonis præmium sibi certissimè præparatum. Ibat imò intrepido animo, & pernici cursu properabat ad crucem, ad agonem, ad mortem; quia per crucem ascendebat ad gloriam, de pugna reportabat palmam & de agone coronam. Nam ipsa mors eius *in conspectu Dei pretiosa*, hoc eodem momento, vitam & gloriam sempiternam ipsi parturiebat.

CAPVT XV.

Triumphalis accessus Beati Andreæ ad crucem, quam igneis planè verbis alloquitur, salutat, & amplectitur.

VNC *currum suum triumphator ascendat.* (vt magni mihi liceat verbis Ambrosij, in cap. 23. Lucæ, insigne hoc capitulum auspicari; & aptare discipulo quod de magistro dixit: cuius Andreas expressa effigies erat) *Ascendat, inquam, triumphator iste currum suum, non arborum truncis, aut quadriiugis plaustris, manubias de mortali hoste quæsitas: sed patibulo triumphali captiua de sæculo spolia suspendat. Non hic reuinctis post tergum brachiis gentes, nec excisarum vrbium imagines cernimus*, &c. *qualis humanorum solet esse species triumphorum, nec victoriæ terminos regionis fine distinctos.* Andreas, sanè inuictus heros, Christo Domino suo innumeros populos sine strage subegit, Scythas, Sogdianos, Saccos, Æthiopes, Epyrotas, Macedones, Thraces, Græcos, Achiuos; quorum nomina & titulos trophæo Christi, vt appendat, lætus iam venit, vt triumphans affigat

S. Andreæ gloriosus triumphus.

cruci. Non nuda porrò nomina, meróſque titulos ſecum trahit victor. Rebus præclarè confectis in his gentibus, prædam opimam affert, glorioſiſque victoriis inclytus ad triumphum accedit. Debellauit dæmones, tenebrarum principes, ſacrilegos extinxit focos, ſuccidit lucos, euertit aras, idola fregit, fana deſtruxit, falſorum numinum ſuſtulit cultum, diabolica obmuteſcere fecit oracula, ſuſtulit ſacrificia, profligauit profanos ſacerdotes, ſuperauit Philoſophos, infrænauit oratores, vicit tyrannos, conuertit ad Chriſtum innumeras animarum myriades, & longè latéque eius regnum ac imperium ſempiternum propagauit. Cum iis ſpoliis victor Andreas venit ad crucem, ceu ad triumphalem currum, in quo purpurato ſed incruento, ſe ouantem Angelis & hominibus oſtendit.

S. Chryſologus ſerm. 133. breui epinicio tanti Apoſtoli elogia complectens, non mirum adeo eſſe inſinuat: *Si Andreas moriendo, Chriſtum ad crucem vſque ſequitur, qui æſtuans & anhelans, toto virtutis gradu, Dominicis contenderat hærere veſtigiis. Ad vnam Domini vocem, patrem, patriam, cenſum reliquit; laboribus, opprobriis, itineribus, contumeliis, vigiliis Chriſto indefeſſe adhæſit: ſed hoc ſibi ſatis non erat, niſi pro rege ſuo deuotiſſimus miles, virtutis fudiſſet ſanguinem, id eſt tota vi animi, ſuam pro eo vitam in cruce profudiſſet, nam eam totis viribus ardenter inuadit.*

Inuadit, quid ais lingua aurea? Andreas ardenter inuadit crucem! id eſt cum impetu in eam irruit, vt hoſtis hoſtem adoritur, vt dux cum exercitu inuadit vrbem ſibi inimicam; imò verò vt amaſius currit ad amicam ſuam, in cuius ardenti amoris impetu, ſuauia ruit oſcula & amplexus. Ita planè, ſic enim ad eam properans, ipſam blandè alloquitur ac amanter ſalutat, ſic enim ad verbum referunt qui aderant, ſpectabant, & audiebant Preſbyteri & Diaconi Achaiæ: *Cúmque perueniſſet ad locum vbi crux parata erat, videns eam à longè, exclamauit voce magna dicens: Salue crux, quæ in corpore Chriſti dedicata es, & ex membrorum eius margaritis ornata. Antequam te aſcenderet Dominus, timorem terrenum habuiſti, modò verò amorem cæleſtem obtinens pro voto ſuſciperis? Sciris enim credentibus, quanta intra te gaudia habeas, quanta munera præparata? Securus ergo & gaudens venio ad te, ita vt tu exultans ſuſcipias me diſcipulum eius qui pependit in te. Quia amator tuus ſemper fui, & deſi-*

*derau*i

deraui amplecti te. O bona crux! quæ decorem & pulchritudinem de membris Domini suscepisti, diu desiderata, sollicitè amata, sine intermißione quæsita, & aliquando iam concupiscenti animo præparata, accipe me ab hominibus, & redde me Magistro meo, vt per te me recipiat qui per te me redemit. Hactenùs ad crucem, perpetuus amator eius B. Andreas.

Hîc præ admiratione, non se capit Theodidactus Pater Bernardus, quamobrem in hæc verba erumpit (sermone de vigilia S. Andreæ circa medium): *Quanta exultatione vniuersæ terræ celebrandum est, tantæ nouitatis miraculum, tam magnificum opus diuinæ virtutis? Andreas homo erat similis nobis, paßibilis, & tam vehementi ardore spiritus, crucem sitiebat: tam inaudito à sæculis gaudio tripudiabat, cùm paratum sibi eminùs patibulum conspexisset. O crux, inquit, diu desiderata & iam concupiscenti animo præparata! securus & gaudens venio ad te: ita & tu exultans suscipias me. Videtis quia se non capit præ magnitudine gaudij. Ita, inquit, & tu exultans. Ergòne tanta est exultatio, vt exultet & ipsa crux; nec læti quicquam habeat, sed totum lætitiæ sit? Aut quis dicat minus contra consuetudinem, supra rationem, vltra naturam, crucifixum exultare, quàm crucem? Illi sensum lætitiæ natura negauit, huic siquid præualet, gaudium omne exterminat, ingerítque dolorem. Amator, inquit, tuus semper fui, & desideraui amplecti te! Fratres, ignis vibrans est, non lingua loquens, & si lingua certè ignea est. Carbones sunt ignis illius, quem de excelso Christus miserat in oßibus eius,* &c. *quales etenim scintillæ sunt istæ? aut à quanto interiori incendio micant? Planè Beate Andrea, granum sinapis est fides tua, quæ tam insperatum vbi teri cœpit, cœpit ex se proferre feruorem. Quid si paulò ampliùs tereretur? quis feruorem illum animus, quis verba illa sustinere posset auditus? Dum enim minùs minaretur Ægeas, adhuc granum sinapis despicabile videbatur; integrum erat, nesciebamus quid intus lateret. Accedat comminationis pistillus, longè acriùs sapiet, constantiúsque loquetur. Terendum eum putat Ægeas, crucis supplicium minitans, sed non est ita. Accenditur magis in verbo hoc, & liberè clamat: Ego si patibulum crucis expauescerem, crucis gloriam non prædicarem. At vbi paratum sibi lignum intuitus est, ex hoc iam planè totus ignescens applaudebat & blandiebatur illi amatæ suæ; officiosißimè salutabat, deuotißimè suspiciebat, magnificè attollebat eam, & in ipsius præconio gloriabatur clamans, magis*

affectione quàm voce : Salue crux speciosa quæ decorem & pulchritudinem de membris Dominicis accepisti ! Salue crux, quæ in corpore Christi dedicata es, & ex membris eius tanquam margaritis ornata! Et serm. 2. de ipso B. Andrea inter initium & medium : *Audistis certè, cùm peruenisset B. Andreas ad locum vbi crux parata erat, quomodo confortatus sit in Domino, & per spiritum quem vnà cum cæteris Apostolis in linguis igneis acceperat, verba hæc ignea loqueretur. Videns ergo paratam eminus crucem, nequaquam (vt exigere videtur mortalis infirmitas) facies eius expalluit, nequaquam sanguis eius gelatus est, non steterunt comæ, aut vox faucibus hæsit, non contremuit corpus, nec mens turbata est, non recessit, vt assolet intellectus. Ex abundantia cordis os locutum est, & charitas quæ feruebat in corde, quasi scintillas quasdam ardentissimas emittebat in voce. Quid enim B. Andreas, cùm sibi tam gratam (vt dixi) crucem eminùs cerneret, loquebatur: ô crux (inquit) diu desiderata & iam concupiscenti animo præparata, securus & gaudens venio ad te, ita & tu exultans suscipias me discipulum eius qui pependit in te ; quia amator tuus semper fui, & desideraui amplecti te. Obsecro fratres, homo est qui loquitur hæc, annon est homo, sed Angelus, aut noua aliqua creatura? homo planè similis nobis, passibilis: nam passibilem eum passio ipsa testatur, qua appropinquante tam lætabundus exultat. Vnde ergo in homine, noua hæc exultatio & lætitia hactenùs inaudita? vnde in tanta fragilitate tanta constantia? vnde in homine, tam spiritualis mens, tam feruens charitas, animus tam robustus? Absit vt à seipso tantam ei credamus inesse virtutem? Donum perfectum est, descendens à patre luminum, ab eo vtique qui facit mirabilia magna solus. Planè spiritus erat dilectissimi, qui adiuuabat infirmitatem eius, per quem diffundebatur in corde ipsius fortis charitas vt mors, imò & fortior morte.* Hæc Theodidactus ille paraphrastes igneorum verborum S. Andreæ, eiúsque Encomiastes dignissimus: sine cuius ope hîc planè elinguis essem, & nuda verba expressissem sancti ipsius Apostoli, sine vlla commentatione. Nemo enim linguam Sanctorum bene intelligit, nisi qui spiritus Sanctorum est ipse particeps. Verba illa S. Andreæ ad crucem humana non sunt, neque Angelica, sed planè diuina: quamobrem à nemine meliùs intelligi & explicari poterant, quàm ab ipso Patre (S. Bernardo scilicet) qui diuinitùs edoctus, speciali priuilegio gratiæ, Ecclesiæ iudicio, Theodidacti promeruit cognomentum.

Pauperi tamen & mendico licet, de mensa diuitis micas quæ decidunt colligere. Sanctus Bernardus ait, hanc in homine, quam propè passurus S. Andreas exhibuit, nouam prorsus esse exultationem & lætitiam hactenùs inauditam. Et verum hoc planè: nullus enim fuit Sanctorum, qui parem vnquam in morte iubilationem prodiderit. Moyses magnus ille Legislator, exterritus metu mortis, fugit à facie Pharaonis, & abiit procul in terram Madian, Exod. 2. Sic Elias igneus ille Propheta timens furorem Iezabel, quæ illum quærebat occidere: *Timens Elias* (inquit scriptura, 3. Reg. 19.) ***perrexit in desertum*** (solus) ***viam vnius diei; cúmque venisset & sedisset subter vnam iuniperum, petiuit anima sua vt moreretur, & ait, Sufficit Domine, tolle animam meam,*** &c. ***& proiecit se, & obdormiuit*** (præ spiritus angustia) ***in vmbra iuniperi.*** Ibíque planè defecisset, nisi venisset è superis Angelus, qui confortauit eum, porrectóque pane & aquæ poculo refocillatum, iussit vt se promptè reciperet in montem Oreb. Sed & Petrus ipse Apostolorum princeps & Andreæ frater, Romæ quæsitus ad crucem à Nerone, summo mane fugit, nec rediisset vt extenderet in cruce manus suas, nisi à Domino sibi occurrente (cui ipsemet stupefactus dixerat, ***Domine quò vadis?***) hoc tulisset responsum, ***Vado Romam iterum crucifigi.*** Quo verbo intellexit iam horam venisse subeundæ mortis ***qua clarificaturus erat Deum,*** vt olim ipse Dominus ei prædixerat *, dum ait, tunc cinctum iri ab alio, & ductum fore quò ipse ire nollet nisi ab alio traheretur. At non sic Andreas, qui à cruce nunquam abhorruit, sed eam semper amauit, sollicitè quæsiuit, & cùm demùm inuenit, præ gaudio tantoperè exultauit, vt tametsi verba tunc fuderit, quæ cælum & terra mirantur: nunquam tamen satis pro voto lætitiam suam explicare potuerit, nec amorem illum ineffabilem exprimere, quo crucem prosequebatur; eámque sibi desponsari & copulari, quin & adunari vt dimidiam animæ suæ portionem incredibili affectu semper concupierat, & iam ardentiùs, cùm gestiret, ruere in eius sibi paratæ oscula & amplexus ambiebat. Verè igitur dicit sanctus Chrysologus, ***Andream in re vna inferiorem esse Petro*** (scilicet in honore dignitatis): ***sed æquare eum in gratia;*** superare verò ***in præmio laboris,*** id est in gloria passionis.

* Nota. In Petro voluit Dominus (quoad carnem) humanæ infirmitatis statuere exemplum: In Andrea autem vim & efficaciam gratiæ.

CAPVT XVI.

De materia & forma crucis sancti Andreæ Apostoli.

ARTICVLVS I.

De materia, seu de quo ligno fuerit illa crux confecta?

IN ligno oliuæ crucifixum, imò coronatum, incomparabili martyrio triumphâsse S. Andream, Hippolytus qui duodecim Apostolorum & septuaginta duorum discipulorum, ante 1400. annos catalogum contexuit, disertè affirmat: cuius dicta propria mox referam, vt expendam accuratiùs, cùm de forma crucis sancti huius Apostoli sermo erit. Nec porrò vacat mysterio quod beatus ipse Apostolus in ligno non alio quàm oliuæ fuerit crucifixus. Conformari suo magistro semper concupierat, ipsúmque ita dilexit ipse Christus, vt propter zelum quo semper exarsit Andreas mortem patiendi in cruce, (qua pro virili vicem ipsimet Domino suo rependeret) illum non alio in lectulo voluerit, quàm suo proprio mori: quo ipse extremum vitæ spiritum exhalauerat. Fuit hoc sanè singularis in ipsum Andream amoris, insigne testimonium ipsius Domini. Ad cuius adhuc non obscurum indicium, ipsa materies ligni, vnde lectulus ille compactus est, nonnihil conferebat. Oliuam vnum ex quatuor lignis extitisse, ex quibus confecta fuit crux Christi, vetus est traditio, quæ antiquis his versiculis exprimitur,

Quatuor ex lignis Domini crux dicitur esse;
Pes crucis est cedrus, corpus tenet alta cupressus,
Palma manus retinet, titulo lætatur oliua.

Breuiori hac epigraphe, quæ in Iure (Glos. in Clement. 1. de summa Trinitate) extat, quadruplex illa materia designatur,

Ligna crucis sunt, palma, cedrus, cupressus, oliua.

Delectatus videtur oliuâ Christus Dominus, propter ipsum vnctionis mysterium, cuius oliua ex qua oleum purum elicitur, est symbolum. Ideo oliuarum rami in triumpho eius

Hierosolymitano delati : ideo titulus eius triumphalis, qui fuit cruci præfixus, postquàm in ea exaltatus est, inscriptus erat tabellæ factæ ex oliua. Certè oliua est symbolum pacis. Ex oliua fiebant apud Romanos coronæ triumphales. Erat etiam signum victoriæ. Portæ Sanctuarij apud Hebræos ex ligno erant oliuæ ; quæ misericordiæ est etiam hieroglyphicum. Hæc omnia mirificè Christo conueniebant, qui princeps pacis, fons gratiæ & misericordiæ; moriens in cruce victoriam & triumphum de morte, de peccato, de inferno retulit, nobísque pacem peperit, & gratiæ ac misericordiæ, vitæque æternæ ianuas reserauit. *At dilexit Dominus Andream Apostolum, in odorem suauitatis, cùm pendebat in cruce*, eíque oliuæ mysteria communicare affectauit. Non sine diuino igitur nutu factum est, vt patibulo crucis, fabricatæ ex oliuæ ligno, sanctus hic Apostolus (qui primus fuit Christi discipulus & filius primogenitus) in ligno oliuæ, iam ab ipso Saluatore sanctificato affigeretur: sic enim voluit diuina sapientia significare ipsum Andream *esse oliuam fructiferam.* In domo patris cælestis, esse filium pacis, virum misericordiæ, ducem strenuum suæ militiæ, signiferum Ecclesiæ, in quo crucis mysterium incomparabili fulgore resplenduit. Ideóque hic vt ducem inclytum olea * coronari, vt triumphatorem non tantùm serto ex oliua insigniri, sed triumphali curru toto ex oliua confecto, vectitari ad æternam in cælum ouationem. Cæterùm sponsus à sponsa sua, ob eius in amore constantiam, oliuæ serto coronabatur. Crux erat dilectissima sponsa B. Andreæ, quam semper, vt ipse protestatus est, amauit, sollicitè quæsiuit, feliciter tandem inuenit, & in cuius oscula & amplexus, statim ac conspexit eam pro nuptiali thalamo paratam, & se amanter quoque expectantem, ardentissimo amore ruit, ac totus præ gaudio, vt compressa oliua, liquefactus est, imitatione Domini, *coronatus oleo lætitiæ præ consortibus suis.*

*Tertull. lib. de corona militis n. 11. Oleâ militiam coronari.

Psal. 44.

Sed verò ne videar gratìs ludere in oliuæ mysteriis, eáque sine causa beato huic Apostolo, amatori crucis, præ nimio zelo quo ipsum veneror, ingeniosè tantùm & non verè applicare : factum erit satis, si reuerà illum appensum in oliuæ ligno fuisse patefaciam. At verò præter Hippolyti suprà signatum testimonium, & aliorum qui eum sequuntur, consensum, res sanè vel ex hoc manifesta est,

quòd pars ex toto distracta, ipsius crucis Andreanæ, quæ Massiliæ seruatur : particula, inquam, illa, quæ asseruatur in ipsa vrbe Massiliensi in Ecclesia Prædicatorum, dignoscitur ex ligno sumpta oliuæ. Sed hactenùs satis de crucis ipsius materia.

ARTICVLVS II.

De forma Andreanæ crucis.

CRVX, vt notum est doctis, distinguitur in commissam & immissam, simplicem & compositam, rectam & decussatam. Crux simplex vnicum est lignum, in quo cruciarij duæ manus super eius caput vnico vt plurimùm clauo, pedes iunctim eadem fixura perforantur, & stipiti figuntur. Composita, quæ duobus lignis constat, vno recto, altero transuerso. Commissa illa crux vocatur, cùm lignum breuius, suprà, & in ipso vertice transuersum ligno erecto committitur, ita vt nihil extet vltrà; huius schema repræsentat Latinorum littera T, & Græcorum Tau, imò & veterum Hebræorum. De Græcis & Latinis notum est illud Tertulliani dictum lib. 3. contra Marcionem : *ipsa littera Græcorum Tau, nostra autem T species est crucis.* De veteribus Hebræis, istud B. Hieronymi in cap. 9. Ezechielis: *Antiquis Hebræorum litteris, quibus vsque hodie Samaritæ vtuntur, extrema T crucis habet similitudinem, quæ in Christianorum frontibus pingitur & frequenti manus inscriptione signatur.* Immissa crux est, in qua lignum longum, seu stipes supra lignum transuersum eminet; vt passim in imagine crucis conspicitur, cui Christus hæret affixus. Porrò recta crux, ea est quæ vno pede seu stipite constat & ligno superiori transuerso : quo differt à simplici & commissa, sed nihil ab immissa. At rursum differt à decussata, in qua duo ligna directa & æquabilia inter se obliquantur, decussare enim (ait doctissimus Lipsius lib. 1. de cruce cap. 7. tom. 3.) hoc Romani dixerunt. Quò refert insigne illud dictum S. Hieronymi in Hieremiam, cap. 31. *Decussare est, per medium secare, veluti si duæ regulæ concurrant ad speciem litteræ X, quæ figura est crucis.* Cui succenturiatur Isidorus lib. 1. Orig. cap. 3. dicens: *X littera & in figura crucem & in numero decem demonstrat; hæc vulgò crux Andreana dicitur, quòd vetus traditio sit,* (ait Gretserus egregius vindex glo-

riæ crucis Christi lib. 1. de sancta cruce cap. 1. tom. 1.) in hac sanctum Andream fuisse necatum.

At contrà facere videtur, Hippolyti iam signatum testimonium, (vt magnus Cardinalis Baronius, in notis ad 30. diem Nouembris admonuit, & Lipsius citato loco cum illo, vel post illum obseruauit) : scribit enim Hippolytus Andream Apostolum crucifixum Patris, in Achaia, ad arborem oliuæ rectum. Cui fauet nonnihil S. Chrysologus serm. 133. in natali sancti ipsius Andreæ, quo sub finem ait, ***Petrus crucem, arborem conscendit Andreas.*** Sed Baronius hoc dictum Chrysologi notat, ex commentariolo Hippolyti esse desumptum: ex quo sequitur, vnum ac idem vtriusque esse testimonium. Verùm Chrysologus neque de recta Andreæ crucifixi figura, neque de arbore oliuæ meminit, sed tantùm de arbore, cuius nec speciem assignat, neque indicat figuram. Sanè mos olim extitit, etiam in arboribus reos figere, quo ex more de Paphnutio legitur in Ecclesiasticis tabulis die 24. Septembris, ***Ipse palma arbori affigitur, cæteri autem ferro necantur.*** Tertullianus quoque in Apolog. de Tiberio refert c. 5. num. 3. ***Saturni sacerdotes in eisdem arboribus templi sui obumbratricibus, scelerum votiuis crucibus exposuit*** : Brachiis scilicet affixis duobus ramis in diuersa extensis, cæteris ramis non decisis. Inde non dubium quin B. Andreas potuerit in arbore virentis oliuæ crucifigi: sed quid de facto fuerit, non cogit vt mihi persuadeam Hippolyti (quod adeo rarum & efficax Lipsio) testimonium videtur. siquidem si bene intelligatur, nihil repugnat communi sententiæ de S. Andreæ cruce decussata : respexit enim potiùs Hippolytus ad materiam crucis sancti huius Apostoli, quàm ad formam, & nihil aliud voluit dicere quàm appensum eum fuisse in cruce ex ligno oliuæ compacta, in qua ideo eum scribit crucifixum. Quo & sensu Ecclesia arborem, & quidem erectis ramis expansam, crucem Christi appellat & compellat in sacris feriis Dominicæ Passionis, sic enim effatur,

Arbor decora & fulgida,
Ornata regis purpura,
Electa digno stipite,
Tam sancta membra tangere.

Et rursum,

Crux fidelis inter omnes

Arbor vna nobilis,
Nulla ſylua talem profert
Fronde, flore, germine:
Dulce lignum, dulces clauos,
Dulce pondus ſuſtinet.
Flecte ramos arbor alta,
Tenſa laxa viſcera,
Et rigor lenteſcat ille,
Quem dedit natiuitas:
Vt ſuperni membra Regis
Miti tendas ſtipite.

An inde licet ire collectum? Ergo in arbore virenti, & non in ligno arte in crucem efformato, Chriſtus paſſus eſt. ridiculum eſſet hoc inferre. Ait Hippolytus Andream crucifixum eſſe ad arborem oliuæ? *Quid magis contra famam* (ait Lipſius)? Et ita quidem, ſi durè & ſtrictè dictum eiuſmodi accipiatur: ſed ſi benigna (vt par eſt intelligere) interpretatione emolliatur, ſat fuerit conſequentiam ire abnutum, & ad antecedens reſpondere, loqui eo loci Hippolytum, habito reſpectu ad arborem oliuæ, ex cuius ligno confecta fuerit illa crux. Attendiſſe igitur tantùm crucis ipſius materiam, nihil autem de forma, recta vel decuſſata cogitâſſe. Nec inſtare iuuat Hippolytum diſertè dicere, *Andream crucifixum fuiſſe rectum.* Nec enim hoc dixit, quòd cenſeret illum appenſum frondoſæ arbori, ſed ad ſtaturam ſpectauit tantùm, & voluit inter Petrum & Andream germanos, crucem paſſos, diſcrimen interponere. Quia igitur de Petro ſcripſerat *illum ſupino capite fuiſſe affixum cruci,* (vt res nota eſt) de Andrea ſubiungit *illum in cruce rectum,* id eſt capite erecto (ſicut fuit Dominus) fixum fuiſſe. Sed hoc ſuperato anfractu, en alius occurrit difficilior, non quidem circa materiam crucis S. Andreæ, ſed præciſè circa eius figuram. Hanc controuerſiam non ita diu mouerunt duo non obſcuri nominis ſcriptores, Ioannes Molanus inſignis Theologus Louanienſis, & Robertus Cenalis, qui cùm Doctor eſſet Facultatis Pariſienſis, ad Epiſcopatum Arboricenſem (cuius cathedralis Eccleſiæ, Patronus eſt S. Andreas) meritis ſuffragantibus fuit prouectus, cùm priùs aliquandiu Eccleſiæ Vencienſi in Phocenſi prouincia præfuiſſet. ſed quia Molani animaduerſio dictis ipſius Cenalis tota nititur, hic illius ſententiam (in qua alterius teſtimonium

nium includitur) verbatim exscribam; *Mense Nouembri* (inquit lib. 3. de SS. picturis & imaginibus, cap. 52.) *postremus est S. Andreas vocatione inter Apostolos primus, cuius crux religiosissimè asseruatur ad S. Victorem* (Massiliæ) *ex qua constat nonnihil aberrare in eius pictura domum Burgundicam. Robertus enim Cenalis Episcopus Arboricensis in libris de re Gallica, ad hanc discrepantiam aliquoties notat Burgundiæ principes, insigne suum crucis falsò appellare S. Andreæ, vbi intersectio fit ad angulos partim obliquos, partim acutos: cùm crux S. Andreæ ad S. Victorem Massiliæ, eandem cum cruce Christi figuram habeat, lignum enim ligno affixum est, ad angulos rectos.* Hactenùs ipse Molanus ex Cenali.

Vtrique respondet amariusculè Chiffletius, in sua Vesontione part. 1. cap. 48. p. 203. & 204. vbi loquens de ipsa cruce Andreana: *Crux est* (inquit) *longa decem palmos, lata totidem de lignis quadratis, ferro vndique contecta, si reticulatam fenestellam excipias, quà præbetur osculanda; sic autem est disposita †, altero nempe ligno, ad planum solum perpendiculari: quamquam Nicephorus in eam sic dispositam X, beatum Andream asserit fuisse sublatum; sed quomodocunque constituatur, eadem est semper decussata, & ad angulos rectos. Ex quo videntur mihi Robertus Cenalis, & Ioannes Molanus, lib. 3. de imaginibus, quique eos secuti sunt recentiores, leuiter satis & inconsideratè locuti, dum contra vulgatissimam traditionem dixere domum Burgundicam aberrare in eo, quòd crucem Andreanam pro insignibus habere se glorietur. Nam quòd crux alium habeat situm & positionem, in insigni Burgundiæ sic X, quàm in templo S. Victoris, in quo est sic disposita †, hoc non mutat crucem, sed tantùm crucis situm, & situs ille in forma litteræ X refert situm crucis Andreanæ, quando in ea crucifixus est; crux enim decussata non alio modo apud veteres disposita est, quàm humi defixis duobus brachiis inferioribus vt artus suspendiosi in quatuor crucis cornua extenderentur: Quod bene notauit Grethserus, Lipsius, & alij qui de cruce. Quare situs crucis Massiliæ potiùs mutandus esset, vt sicut domus Burgundicæ crux, situm crucis B. Andream sustinentis imitaretur.* Huc vsque Chiffletius satis aculeatè, sed nihilominùs vt arbitror verè, qui tamen quantum ad Lipsium quem pro se allegat sponsorem, non adeò bene eum consuluit. hic enim, si bene examinatur, nihil pro ipso dicit: præter quàm quòd enim de insignibus domûs Burgun-

dicæ,& opinione Cenalis,& Molani nil meminit prorſus,concepto dubio ex verbis Hippolyti præſignatis, à tuenda cruce decuſſata S. Andreæ,quam anteà defendere voluiſſe viſus fuerat,pedem reflectit: ideóque abs re citatus à Chifletio, vadimonium petit.Porrò quod ſpectat adGretſerum,præter altum quod tenet ſilentium, in libris de S. Cruce de inſignibus Burgundicæ domûs, & controuerſiæ huius de forma & figura crucis S. Andreæ, non ſe immiſcuit: ſubinde tamen in Paralipomenis pro lib. 1. tom. 1. editis ad calcem tom. 3. Ingolſtadij apud Sartorium anno 1605. p. 1. in fine hoc ponit aſſumentum pro lib. 1. tom. 1. cap. 2. fol. 4. verſ. vltimo *quodammodo erat: Adde*, inquit, & mox ſubiungit: *Cæterùm hìc obiter inſerendum eſt, quod de cruce S. Andreæ ſcribit Joannes Molanus lib. 3. de imaginibus cap. 52.* Tum verbatim exſcribit iudicium Molani, ſententiam Cenalis referentis & aſſerentis. Cæterùm huic eorum opinioni ſtare ſe ſatis indicat, quia vtriuſque dicta ſuis inſerenda monet, quæ ſincerè refert quidem, ſed minimè refellit. Verùm de Lipſio vt taceam, qui nequidem Molanum aut Cenalem nominat: Gretſero, conniuenti cum vtroque, facilè reſponderi poteſt, reponendo illa ipſa verba quæ aduerſus eos dixit, qui Chriſtum paſſum in cruce ſimplici vel decuſſata auderent contendere. Nemo hactenùs extitit, cui hoc in mentem venerit, repugnat enim populi Chriſtiani ſenſus & conſenſus: repugnant omnes picturæ & ſtatuæ, ſeu nouæ ſeu antiquæ. Hæc de Andreana cruce peræquè dici poſſunt, quam decuſſatam fixam fuiſſe, & ſanctum hunc Apoſtolum eo ſitu in ea pependiſſe, conſtantiſſima hactenùs fuit tam Græcæ quàm Latinæ Eccleſiæ traditio.

Tom. 1. de S. Cruce lib. 1. c. 2. ſub initium.



CAPVT XVII.

Exaltatio ſancti Apoſtoli Andreæ in crucem.

COMMVNI vſu receptum erat, nudos crucifigere, vt Lipſius in ſuis libris de cruce demonſtrat: Ex quo more Chriſtum nudum fuiſſe crucifixum ſancti Euangeliſtæ teſtantur: B. Matthæus hoc manifeſtè inſinuat dicens, *Et poſtquam exuerunt chlamyde, & induerunt eum veſtimentis eius, duxerunt eum vt crucifigerent: poſtquam autem crucifixerunt eum diuiſerunt veſtimenta eius, vt impleretur quod dictum eſt per Prophetam.* Matth. 27. 31. &c. Idem ſcribit S. Marcus, cap. 15. 24. *Et crucifigentes eum* (inquit) *diuiſerunt veſtimenta eius.* Sic & Lucas cap. 23. 34. *Diuidentes autem veſtimenta eius miſerunt ſortes.* Sic denique & S. Ioannes qui aderat, cap. 19. 23. *Milites* (ait) *cùm crucifixiſſent eum, acceperunt veſtimenta eius, & fecerunt quatuor partes, vnicuique militi partem.* Cuius expoliationis Chriſti, & nuditatis in cruce ſancti Patres myſteria ſtudioſè notauerunt; S. Athanaſius homilia de cruce & paſſione, S. Ambroſius in Lucam lib. 10. S. Auguſtinus & alij qui in Pſalmos ſcripſerunt, ſuper Pſal. 21.

Sæpè iam monuimus Chriſtum voluiſſe Andream in crucifixione, paſſionis ſuæ innouare myſterium, ideóque voluiſſe eum ſibi adamuſſim configurari, quamobrem & ipſe B. Andreas nudus crucifixus eſt. Verùm de Chriſto non conſtat ex Euangeliſtis, vtrùm à militibus, qui ipſum crucifixerunt expoliatus fuerit veſtimentis ſuis, an iis ipſemet ſeſe exuerit? ſed Andreas expoliauit ſeipſum, vt qui eius interfuerunt martyrio Preſbyteri & Diaconi Achaiæ, in citata ſæpè epiſtola de eius paſſione diſertè teſtificantur: poſtquam enim verba eius feruentiſſima ad crucem recitarunt, continuò ſubiungunt, *Et hæc dicens expoliauit ſe, & veſtimenta ſua tradidit carnificibus.* Alia Acta ſic ferunt, *Et hæc dicens Beatiſſimus Andreas expolians ſe, tradidit miniſtris.* Vbi ambiguum eſt an ſeipſum tradiderit carnificibus, vel ſua veſtimenta. Sed iſta ambiguitas de induſtria poſita fuiſſe videtur, ad vtrumque ſenſum ſignificandum. Idem ferè de

S. Cypriano eius acta passionis perhibent citata à Pontio his verbis, *Perductus autem gloriosus Martyr exuit se, lacernum birrum, quem indutus erat, complicans, & posuit ad genua sua: Dehinc tunicam & Diaconibus tradidit, & stans in linea expectabat spiculatorem, cui & viginti* (quinque) *aureos dare præcepit*, &c. Andreas verò nihil dedit carnificibus, nisi seipsum & vestimenta sua: hoc ostendens indicio se summo ardore expetere amplecti crucem, & ideò non expectato alicuius astantium auxilio, vt ocyùs crucifigeretur, festinè seipsum expoliare, & vestimenta sua in munus & grati signum animi tradere carnificibus suis; quia præter vestimenta nihil haberet, quo posset eis in vicem tanti beneficij, quod ab eis ipsum crucifigentibus recipiebat, aliquod gratitudinis suæ rependere testimonium.

Mox igitur illi iniunctum sibi officium, vt impius iudex præceperat, quin & vehementer optabat ipse B. Andreas, impleuerunt. Sequitur enim in relatione Presbyterorum & Diaconorum astantium; *Qui accedentes* (nempe carnifices) *eum leuauerunt in crucem*. Qui de passione Domini accuratiùs tractauerunt, mouent non inutilem quæstionem, num scilicet ipse Christus cruci iam in altum erectæ affixus fuerit, an adhuc in terra iacenti, cùm vterque crucifigendi modus vsitatus fuerit, sicut testis est Tullius lib. 5. in Verrem, & pro Rabirio, & Acta SS. Martyrum nonnulla referunt: Aliquorum est piorum scriptorum opinio, Christi crucem priùs fuisse erectam, & posteà Christum in ea scalis & funibus fuisse leuatum. Toletus hanc persuasionem sequitur vt probabiliorem, cui fauere ait insuper Patres, qui de crucifixione Domini per modum ascensus loquuntur. Poterant & Ecclesiæ auctoritate niti, quæ sic in hymno de passione Domini canere consueuit,

Agnus in crucis leuatur
Immolandus stipite.

At Gretserus aliam magis probabilem sententiam existimat, quæ Christum asserit cruci affixum adhuc humi iacenti, trésque allegat non parui momenti rationes, quæ hanc opinionem communiunt. Prima est, quia peregrinantibus Hierosolymam demonstratur locus crucifixionis, distans aliquot passus à loco in quo crux terræ fuit infixa. Secunda, quia hæc sententia est conuenientior piorum cogitationibus & meditationibus de passione Domini. Tertia,

quia modus hic figendi multo est facilior & expeditior, quàm si corpus cruci iam erectæ affigatur. Quartam addere poterat, quòd scilicet sacræ passionis Domini imagines, quæ passim in Ecclesiis visuntur, Christum cruci iacenti adhuc in terra affixum repræsentant; deinde cùm cruci hæreret depingunt eleuatum. Porrò à picturis Ecclesiasticis argumentum non leuis ponderis duci posse, acta perhibent VII. Synodi Oecumenicæ; in qua pleraque argumenta eliciuntur aduersus Iconomachos, ex picturis & imaginibus in Ecclesia receptis, ad earum legitimum vsum defendendum. Aduersus has quatuor rationes pugnare nolo, sed iudicium prudenti Lectori de singulis relinquo liberum.

Quicquid sit, cùm nec Ecclesia vllibi hoc dubium discusserit, aut eiusmodi quæstionem definierit, porrò aperta planè deficiat sacræ Scripturæ auctoritas; rem esse extra dubium inuenio, quòd B. Andreas, cruci non super terram iacenti, sed iam infixæ & erectæ fuerit astrictus, in hanc scilicet leuatus (postquam seipsum expoliauit) carnificum ministerio, duobus hoc ostenditur argumentis. Primum, quòd videns crucem à longè eam salutauerit egregiis illis verbis, quæ suprà descripsimus, quæque S. Ecclesia in eius natalis officio, tanta cum admiratione, quanta iubilatione celebrat, repetítque plerisque vicibus, ad maiorem commendationem: ***Cùm peruenisset ad locum,*** (aiunt Presbyteri & Diaconi qui eum comitabantur, cùm duceretur ad mortem) ***vbi crux parata erat, videns eam à longè, exclamauit voce magna dicens, Salue crux quæ in corpore Christi dedicata es!*** At verò si crux illa iacuisset super humum, eam à longè videre non potuisset, quia locus multitudine ipsa hominum ingenti, scilicet viginti millium circumfusus erat. Altera ratio est, quia citati testes disertè hoc asserunt, aiunt enim, *Carnifices accedentes leuauerunt eum in crucem, & extendentes funibus totum corpus eius (sicut eis iussum fuerat) suspenderunt.* Ad quod insinuandum S. Chrysologus (vt inde collegerat) valde circumspectè locutus est, in sermone de S. Andrea, vbi ait, ipsum *arborem ascendisse,* & sic ardenti animo *inuasisse crucem.* Quo verbo mihi videor audire Iacob Patriarcham (Genes. 49. 9.) dicentem prophetico spiritu Iudæ filio suo, ***Catulus Leonis Iuda: Ad prædam fili mi ascendisti.*** Eodem modo etenim Christus Andream dilectum filium suum sa-

lientem in crucem, ipsi gratulando vim non tam nominis quàm animi, mihi videtur è superna illa cælorum sede allocutus. Et S. Damasus Papa in hymno iambico de ipso Andrea crucem passo, ideò illum vt Leonem ascendentem ad prædam miratur ac celebrat, dum ei suauiter modulatur,

In te crucis mysterium
Cluit gemello stigmate,
Dum probra vincis per crucem
Crucisque pandis sanguinem.

Quibus verbis non obscurè innuit, illum vt victorem & prædatorem, crucem (vt turrim illam Dauidicam, è qua mille clypei pendent) & omnis armatura fortium, inuasisse: hinc arripuisse arma illa, quibus tam illustrem victoriam & triumphum parauit, & ipsam debellasse crucem, cuius deuictæ latentes diuitias & opes deprædatus, sibi in spolium vindicarit. Nec enim dicit eum fudisse sanguinem in cruce (quia nec clauis in ea transfixus est), *sed crucis pandisse sanguinem,* quia omnem eius euacuauit amaritudinem, suauémque sibi & beneficam eam reddidit, ideóque vt amicam reciproca beneuolentia tunc illam amplexatus est. Non hoc tacuit idem B. Damasus superiori versiculo concinens:

Quem crux ad alta prouehit,
Crux quem beata diligit,
Cui crux amara præparat
Lucis futura gaudia.

Sed Presbyteri & Diaconi Achaiæ signatim obseruant, illum cruci non fuisse clauis affixum, at tantùm astrictum funibus, *Leuauerunt eum in crucem* (carnifices) *& funibus extendentes totum corpus eius (sicut eis iussum fuerat) suspenderunt.* Hæc verba iam suprà, vbi examinauimus Ægeæ sententiam, non indiligenter notauimus ac expendimus: sed adhuc non contemnenda hîc mihi in mentem subit obseruatio: cur enim funes Andreæ, & non claui? Sanè non modò Christus, sed & Petrus Andreæ frater cruci quamuis inuersæ affixus est. an vt Christo Domino patienti similior fieret Petrus quàm Andreas? Neutiquam.

Certè in actis authenticis S. Polycarpi Martyris inclyti, qui fuerat B. Ioannis Apostoli præcipuus discipulus, hoc legisse quondam memini, quod nonnihil confert in rem propositam: *Vt ergo expedita sunt quæ ad ignem pertinebant,*

cùm eum vellent rogo impositum etiam clauis affigere, ait, sinite me! qui enim mihi dedit ignis sufferre supplicium, dabit vt & sine clauorum affixione flammas immobiliter perferam. Tum illi omißis clauis, vinculis vsi sunt solis, quibus post tergum manibus reuinctis velut electus aries, & ex magno grege assumptus, acceptabile holocaustum Deo omnipotenti oblatus est. Sic planè, Andreæ busto crucis imposito, vt hîc immotus se sisteret & permanens teneretur, clauis opus non erat. Alligatus erat cruci *vinculis charitatis*, funibus & nexibus amoris, quibus sponte fixus, inde cùm tentaret tyrannus eum deponere, toto mentis impetu renixus est, igneísque votis ac vocibus, ne auelleretur à dilectæ sibi crucis amplexibus, instanter Domino supplicans, impetrauit, in cuius lectulo *vt catulus Leonis qui ascenderat ad prædam* suauissimè requiescebat, vt illud Propheticum denuò in ipso impleretur; *requiescens accubuisti, vt Leo, quis suscitabit eum?*

Vide Fabri libellum, cui titulus est: Sanctorum Martyrum agones: *mense Ianuarios in Polycarpo.*

Osea 11. 4.

Genes. 49.

Nec hoc derogat Petro, tametsi hic non ascendit in crucem, sed ad crucem ductus est, quò ex infirmitate carnis, ire trepidauerat; licèt volenter tandem eam passus fuerit; diuersa sunt enim dona Spiritus sancti, *& alÿ datur sic, alÿ verò sic.* Alias habuit multas prærogatiuas Petrus: proprias & singulares habuit Andreas, provt Deo dona sua eis diuisim conferre complacuit.

1. *Cor.* 12.

Porrò peculiaris nec vna est ratio, cur Christus ipse Dominus non funibus, sed clauis cruci affixum iri voluit: nempe vt amorem suum in nos immobilem, sed stabilem & perennem ostenderet; vt fuso toto ex corpore sanguine, vberiùs pretium nostræ redemptionis persolueret; vt per clauorum suorum cicatrices, quas post passionem suam abolere noluit, veritatem suæ resurrectionis propalaret: denique, vt hæc trophæa amoris, hæc vestigia passionis, & extremæ obedientiæ in cælum reportans, patri, ad conciliationem eius continuæ in nos propitiationis perpetim ostenderet, sic enim assistens *vultui Dei semper interpellat pro nobis.*

Hebr. 9.



CAPVT XVIII.

De biduana Beati Andreæ prædicatione in cruce.

Genes. 49. EPHTALI *ceruus emissus, & dans eloquia pulchritudinis*, ait Patriarcha Iacob, filiis suis, duodecim tribuum parentibus, propriis benedictionibus benedicens. Hebræi doctores tractantes hæc verba dicunt, Iacob hîc prophetasse de bello contra Sizaram, in quo Barach accepit secum decem millia de filiis Nephtali, qui prodierunt ad pugnam promptè & expeditè, quasi ceruus emissus: & inde habita victoria, Debora & Baruch cecinerunt Domino triumphale canticum, vt legitur Iudicum 5. & ideò aiunt subdi, *dans eloquia pulchritudinis*, id est diuinæ laudis præconia. Aliter Nicolaus de Lyra, qui ex Iudaïsmo conuersus ad Christi fidem, & Ordine Minorum assumpto, scripsit Commentarium siue postillam in vniuersa Biblia, locum illum interpretatur; sic enim exponit, quòd sicut ceruus velocior & celerior est omnibus animalibus ad currendum: ita pars terræ quæ illi contingere debebat, ob eximiam eius vbertatem celeriùs maturos fructus reddituta foret, & hinc factum iri, vt sacerdotes receptis harum frugum primitiis diuinas laudes Deo essent decantaturi, quæ meritò eloquia pulchritudinis appellantur. Vtraque sanè expositio, optimè in S. Andream, cruci hærentem cadit.

Prima, quia reuerà inclytus bellator, protinùs ac ascendit crucem, parta insigni victoria de Ægeæ crudelitate, déque à se prostrata in vniuersa Achaia infidelitate, triumphale carmen, Christo, suæ auctori fortitudinis & victoriæ cecinit; ad cuius agonem ex ardenti, quo feruebat in ipsum Dominum amore, velociùs emisso ceruo cucurrerat: Nec enim *magis desiderat ceruus sitibundus fontem aquarum*, quàm Andreas affigi cruci, pro fide & gloria magistri sui concupierat.

Altera, quia cùm cruci affixus est, *sors eius cecidit in præclaris*, & sicut illud Propheticum in ipso impletum fuit, *Desiderium animæ eius tribuisti ei Domine; posuisti in capite eius*

eius coronam de lapide pretioso; Sic terra eius ſanguine irrigata, ferax mox animarum ſalutis effecta, plurimas animarum propagines protulit, quas biduo prædicans in ipſa cruce Chriſti magnalia & beneficia, feliciter ad fidem conuertit. Aderant turbæ ad viginti hominum millia, quas ferè omnes Chriſto acquiſiuit: intra biduum enim quo pependit in cruce, ſine intermiſſione verba profudit ſalutis ad populum: & ſermo & ſanguis eius immenſam produxit credentium ſegetem, adeovt tunc maximè verum eſſe hoc adagium patuerit, *Sanguis Apoſtolorum, ſemen eſt Chriſtianorum.* Ideo igitur S. Andreas Chriſto canticum laudis cecinit, eloquiáque ad plebem circumſtantem fudit pulchritudinis; ſic enim vt Acta ferunt locutus eſt: *Ego quidem gratias habeo Domino meo Ieſu Chriſto, qui me tandem functum iuſſione ſua, abire è corpore vult, vt per bonam confeſſionem, perpetuam conſequar miſericordiam, dilectúſque eius efficiar, qui me ad vos miſit: vos autem manete in verbo vobis tradito, docentes, & admonentes alterutrum, vt & ipſi ſitis cum Deo meo in perpetuum, & cum ipſo habitetis, promiſſionéſque eiuſdem recipiatis. Et cùm reſpondiſſent omnes Chriſtiani qui aderant, Amen, toto eo die & nocte qua inſecuta eſt iugiter loquebatur, neque in aliquo fatigabatur aut deficiebat*, &c. Continuauit autem & die ſequenti in perpetua populi exhortatione. Alia Acta contractiora ſic habent, *in cruce autem biduum vixit, cùm intereà nullum finem docendi populi fecerit.*

Igitur priora Acta referunt dumtaxat dictorum eius exordium: At verò Preſbyteri Achaiæ, & Diaçoni, qui aderant, verborum eius tantùm extremam clauſulam, *Confortabat* (aiunt) *mentes credentium Chriſto, & hortabatur ad tolerantiam temporalem, docens nihil eſſe dignum paſſionis, ad æternam remunerationis compenſationem.* Non poterant enim omnia quæ dixerat duobus diebus, quibus viuens pependit in cruce, recenſere ſeriatim: quamobrem pauca hæc quæ vrgentiora erant hortamenta ad populum, tantummodò expreſſerunt. Sic fecit S. Lucas, prædicationem B. Petri primam ad Iudæos (quorum illa allocutione tria millia ad Chriſtum conuertit) compendiosè referens: nam ſub finem adiunxit, Act. 2. 40. *Aliis etiam verbis plurimis teſtificatus eſt, & exhortabatur eos.* Optabat S. Chryſoſtomus admodùm, vt non defuiſſet qui nobis Apoſtolorum hiſtoriam diligentiſſimè tradidiſſet, vt ſeſe per omnem vitam habuerint, quò

In Prologo sup. epist. B. Pauli ad Philemonem. ierint, quid diebus singulis gesserint; præsertim verò non tantùm quid scripserint (nec enim habemus omnia eorum scripta) sed insuper quid sint locuti? Liceat mihi pium eius imitari desiderium. Vtinam aliquis fuisset, qui quæ verba S. Andreas biduo pendens in cruce, vt è cathedra doctorali, tanti spiritus ardore pronunciauit, diligenter excepisset, & nobis accuratè descripta reliquisset in perpetuum monimentum. Cygnum, cùm vergit ad mortem, suauiori aiunt voce modulari. Extat etiamnum cygnea vox Chrysostomi, id est postrema illa oratio parænetica, quam proximè abiturus habuit ad populum. Sed vtinam extaret magnæ illius prædicationis aliquod saltem compendium, quam è cruce, vt è summo suggestu sanctus Apostolus Andreas, diuino ardore succensus, toto biduo pronunciauit, illucescerent profectò fulgura eius orbi terræ, videret & commoueretur omnis terra, mirarentur omnes de verbis gratiæ quæ tum effluxerunt de ore eius: nec enim tunc, ait Theodidactus Bernardus, *vt homo sed vt angelus loquebatur*, imò Spiritus sanctus loquebatur in eo, linguâ planè eius cælesti igne succensâ. Non poterant ij, qui cum Stephano disputabant, resistere sapientiæ & spiritui qui loquebatur in eo, erat enim plenus Spiritu sancto & fide. Non minori gratia, sed maiori præditus erat Andreas quàm Stephanus, & in illustriori sede, pendens in cruce gloriam Christi prædicabat, quàm erat Stephanus dum aliquot horis ante mortem, in medio Synagogæ, de aduentu Messiæ & eius passione perorauit. Et tamen quia ipse Stephanus, vt Angelus loquebatur, facies eius resplenduit coram omnibus, sicut facies Angeli stantis ante illos,

Act. 6. 15.

Illi os decore splenduit,
Fulgórque circumfusus est;
Talem reuertens Legifer
De monte vultum detulit.

Verùm tunc Stephanum, ne minimus quidem ictus lapidis adhuc tetigerat; Andreas verò iam antè dirissima flagellatione dilaceratus totum pæne profuderat sanguinem; & cùm tanto feruore concionabatur pendens erat in cruce, extensus vt in equuleo, & toto corpore funibus constrictus, adeovt solam linguam posset mouere. dira illa extensio dolorem intensissimum ei incutiebat, effusio sanguinis exhauserat vires, continuatio sermonis quem protraxit in biduum, sitim

ei ardentiſſimam excitabat ex ore æſtum & ſudorem maximum toto in eius corpore commouebant : funes quibus circumquaque erat conſtrictus ei reſpirationem & vocem auferebant. Miraculum igitur erat non minimum, quòd vel per horæ quadrantem eloqui potuiſſet. Permaximum itaque fuit prodigium, quòd toto biduo ſine vlla intermiſſione, Chriſti gloriam & beneficia, tanta facundia, quanta nec Tullius vnquam loqui par fuerat, prædicauerit, & monita ſalutis circumſtanti populo fere innumerabili, die ac nocte congeminata, haud minùs promptè & expeditè, quàm ſi è ſede, molli apparatu inſtructa, pronunciarit : Crux enim patientis, cathedra erat docentis. Sed docens de cruce non mærebat, at exultans & exiliens ineffabili gaudio, verba gratiæ & ſalutis, ſicut lac & mel è viuo fonte pectoris, pleno aquæ ſalientis in vitam æternam, proferebat. Nullus hominum excepto Andrea, inuentus eſt vnquam, qui biduo ſine intermiſſione loqueretur. Magnus ille Paulus vas electionis, quem non immeritò S. Hieronymus appellat, *rugitum leonis de tribu Iuda, & flumen eloquentiæ Chriſtianæ* nunquam ſolido die continuo effatu ſermonem habuit, at dumtaxat dimidia die ; *Cùm eſſet Troade* (ait Lucas oculatus teſtis) *Paulus diſputabat cum eis, profecturus in craſtinum, protraxitque ſermonem vſque in mediam noctem* ; ſed antequam eò vſque verba faceret, panem cum diſcipulis ederat, vt idem S. Lucas ibidem meminit. Sed Andreas in cruce nec edit, nec bibit : nullum petit, aut oblatum recipit refrigerium ; & tamen biduo viuens, viuido ſpiritu, ignea planè lingua, ſonora voce, diuinum Euangelium prædicat, docet populum, magnificat Deum, moriens animas viuificat, fugat diabolum, terret tyrannum, fundit ex ore ſemina gratiæ, dat monita iuſtitiæ, voces emittit lætitiæ, tripudiat in cruce, promiſſa promulgat æternæ gloriæ, ad cuius inuitat credentes præmia, quæ ſibi conſpicit præparata ; quæ tamen nec citò apprehendere feſtinat, ſed lætus & ſecurus in ipſa cruce, abitum in cælum differt ſuum, vt diutiùs pro Domini gloria patiatur, & interim ei filios adoptionis, quaſi omnis doloris expers, ſumma cum animi lætitia, & cordis ac vocis eximia iubilatione, parturiat.

Act. 20. 7.

CAPVT XIX.

Sanctus Andreas enixè obsecrat Dominum, ne ipsum deponi sinat è cruce: cuius vt nouerat mysterium, sic ineffabiles delicias persenserat.

ICVT gemma rutilans in auro, & sol in cælo fulgens, erat Andreas, pendens pro fide & gloria Domini sui in cruce. Nunquam rosa super spinam fuit speciosior, neque fragrantior, nec in curru triumphali vllus Cæsarum gloriosior extitit vnquam ipso sancto Andrea: in curru gloriæ Domini sui, eius in conspectu triumphans. nunquam sponsa in thalamo dulciùs requieuit, quàm Andreas recubuit in cruce. De sponsa illa mystica vox hæc sponsi personat in Canticis 3. 5. *Adiuro vos filiæ Hierusalem, ne suscitetis, neque euigilare faciatis, dilectam, donec ipsa velit?* Dilexit Andream Dominus in odorem suauitatis, dum pendebat in cruce. Ideo vt eius votis satisfaceret, dormientem suaui somno in cruce, hinc non permisit deponi. Iam biduo vixerat sanctus hic Apostolus in hoc ligno, & hinc detractum deducere voluerunt & amici & inimici. Non acquieuit amicis, renixus est inimicis, Domino ne hinc auelli se concessum iret, profusis animi affectibus supplicauit, & vt vehementer exposcebat, impetrauit. Christi crucifixi expressa fuit Andreas effigies, genuinum signaculum. Noluit Dominus descendere de cruce, tametsi ab aduersariis, vt hinc descenderet, etiam cum sponsione obsequij interpellaretur, Matth. 27. 42. *Descendat nunc de cruce* (dicebant) *& credimus ei:* Imò ait pius Bernardus, *si descendit de cruce non credam, quia in ea vt moreretur pro mundi salute se vltrò obtulit.* Si Andreas deseruisset crucem, & se ab ea deponi vel petiisset vel consensisset, eo ipso amisisset coronam suam, & à Domini excidisset assimilatione, ipsa in morte, quam semper concupierat: nec dignus magistro suo fuisset postmodùm discipulus. At ne minimum quidem vnguem, à scopo deflexit, in cruce etenim constanter perstitit, vt *signaculum similitudinis Domini* multiplici configuratione iam sibi impressum, indelebile retineret & exhiberet in se perfectè absolutum.

Ezechiel. 1.

Passionis eius puriora Acta, quæ Presbyteri & Diaconi Achaiæ ex visu & auditu referunt, hoc luculenter testantur, hac verborum serie: *Intereà vadit omnis populus cum clamore ad Ægeam, & omnes clamantes dicebant, virum sanctum, pudicum, ornatum moribus, bonum doctorem, pium, modestum, rationabilem, non hoc debere pati, sed debere deponi de cruce, quia iam secunda die in cruce positus, veritatem prædicare non cessat. Tunc Ægeas pauescens populum & promittens se eum deponere, simul cœpit ire. Quem videns S. Andreas dixit, Quid tu ad nos Ægea venisti? Si vis credere Christo, sicut promisi, aperietur tibi via indulgentiæ; si autem venisti ad hoc vt me soluas, ego penitùs hinc de ista cruce viuens in corpore deponi non potero, iam enim Regem meum video, iam adoro, iam conspectui eius consisto; sed de tuis miseriis doleo, quia paratus te expectat æternus interitus. Curre pro te miser, dum ipse adhuc potes, ne tunc incipias velle cùm non poteris? Mittentes autem manus ad crucem carnifices, penitùs non poterant contingere eum: Et subinde alij & alij ingerentes se vt soluerent eum, & nullus poterat pertingere ad eum, stupebant enim brachia eorum*, &c. Quæ verba sacræ historiæ his graphicè modulis Baptista Mantuanus Fastor. lib. 12. expressit ac cecinit,

Talia vociferans, biduo sic pectora plebis
Mouit vt Ægea mortem intentaret, atroci
Voce fremens, quibus ille minis perterritus ibat
Cum lictore volens motos sedare tumultus,
Et liberare hominem, fractisque absoluere vinclis.
Id pius Andreas metuens clamabat, abite!
Ite procul! neu me tali fraudate corona.

Contendentibus tamen ipsum deponere non cessit sanctus Apostolus: Dominum suum Iesum, quem (vt olim Stephano cælis apertis) sibi assistentem conspiciebat, ideo obnixè deprecatus est, ne se permitteret è cruce deponi: *Tunc voce magna S. Andreas dixit:* (referunt præfati qui præsentes aderant Achaiæ sacerdotes) *Domine Iesu Christe, ne permittas me famulum tuum, qui propter nomen tuum pendeo in cruce, solui, nec permittas eum qui iam per crucem tuam cognouit magnitudinem tuam, ab Ægea homine corruptibili, humiliari.*

Duo hîc videntur esse paradoxa; 1. Quòd Andreas, qui Apostolorum omnium primus ad Christum accesserat, qui primus eum viderat, qui diuinæ eius doctrinæ primitias ex ore illius delibauerat, qui eum Messiam cognouerat, qui Petrum

fratrem ad eum adduxerat, qui ipsum deinde Christum cum fratre & cæteris Apostolis toto vitæ cursu (quandiu inter homines habitauit) secutus est, qui post eius in cælos ascensum, recepto in linguis igneis spiritu scientiæ & sapientiæ, omnia eius mysteria cognouit, qui nomen eius & fidem tot gentibus prædicauit, tot ad eius gloriam mirabilia operatus est: nihilominùs hic orando dicat, se per crucem eius notitiam magnitudinis esse assecutum. Sed verè & præclarè hoc dixit * Nunquam etenim tam bene cognouit Christum crucifixum, quàm cùm pro eo in cruce pependit. Christi crux, est ænigma diuinæ sapientiæ, cuius secretum non tam assequitur qui audit aut prædicat, quàm qui cum ipso Christo, & pro eo crucem ipsam patitur, & ipsi in cruce assimilatur. Hac practica notitia cœpit S. Andreas Christi gloriam, & magnitudinem cognoscere: & perfectè didicit, cùm ipse post eum, crucem propriis sustulit humeris & in ea pependit, ideo ad Christum ipsum totis ex visceribus suspirabat, opémque eius vrgentissimis his affectibus ac vocibus interpellabat: *Tu es magister meus Christus, quem vidi, quem dilexi, quem cognoui, quem confessus sum! tantummodò in hac voce, exaudi me; ne me patiaris ab impio iudice deponi, quia virtutem sanctæ crucis agnoui.* Hoc mysterium crucis, cùm ad eam propè accederet vt in ea suffigeretur, patere iam sibi protestatus est, dum rationem ingentis sui gaudij, ipsi cruci reddens, demum subiunxit: *Lætus venio ad te, quia secretum tuum cognosco, & mysterium noui, qua de causa fixa sis. Suscipe nunc quem desideras; quia tandem speciem tuam desiderans inueni in te quod quærebam? Video enim in te, quæ mihi à Domino sunt promissa.* Nullus Sanctorum tam perfectè nouit ac expressit Christi crucifixi in se mysterium, quàm beatus hic Apostolus, cui ideo Damasus pulchrum occinens epinicion suauissimis modulis decantabat,

* Nota.

Andrea Christi Apostole,
Hoc ipso iam vocabulo,
Signaris, isto nomine
Decorus idem mystice.
Quem crux ad alta prouehit,
Crux quem beata diligit,
Cui crux amara præparat
Lucis futuræ gaudia.

In te crucis myſterium
Cluit gemello ſtigmate,
Dum probra vincis per crucem
Crucíſque pandis ſanguinem.

Vas electionis Paulus nihil ſe noſſe profitebatur, quàm ipſum crucis myſterium: ideo hoc effuſis annunciabat præcordiis (*Prædicamus Ieſum & hunc crucifixum*): Et nouerat quidem theoricè magnum hoc pietatis Sacramentum: ſed Andreas practicè: Paulus affectu prædicabat ac voce, Andreas cruce ipſa ac toto corde. Paulus Chriſtum crucifixum prædicabat, at Andreas Chriſtum ipſum crucifixum, in ſe quaſi viuum eius ſimulachrum, accuratè depictum exprimebat. Portabat Paulus ſtigmata Domini ſui in corpore ſuo, at Andreas Chriſtum ipſum portabat & graphicè in ſe referebat crucifixum. Denique dicebat Paulus, *Viuo ego, iam non ego, ſed viuit in me Chriſtus:* Andreas autem iure dicere poteſt, *rurſum moritur in me, & iterum reſurgit in me, velut in altero ſeipſo, Chriſtus ipſe Ieſus.*

Alterum paradoxum Andreæ exclamantis ad Dominum è cruce, illud eſt, *Ne me permittas humiliari!* Quid enim cruce turpius, & ignominioſius? Satis non fuit Paulo dicere, *Chriſtus humiliauit ſemetipſum factus obediens vſque ad mortem:* ſed exaggerationis cauſâ continuò ſubdidit, *mortem autem crucis,* quia nullum erat magis infame ſupplicium. vnde Chryſoſtomus homil. de laudib. Pauli, *Mors in cruce turpis & exprobrabilis eſt: Eſt enim vtique & pœnalis mors, & omnium teterrima, apud Iudæos maledicta, & inter Gentiles abominanda:* Vnde cùm vnigenitus Dei filius non ſolùm pro nobis mortem paſſus eſt, ſed mortem inſuper crucis perpeſſus eſt: eò vſque ſe demiſit, vt ſeipſum quaſi exinanierit, magis enim humiliari non potuit: ideo ait per Prophetam, *Ego dixi in exceſſu meo, humiliatus ſum nimis. Exiuit cum eo Andreas extra caſtra improperium eius ferens.* Dum igitur cum eo crucem ſubiit, cum ipſo quoque ſic humiliatus eſt, vt nequiuerit mori abiectiori genere mortis, nec ideo magis vituperari. Quid igitur ſibi vult dicens, *Domine, ne me permittas ab Ægea humiliari*, id eſt de cruce deponi. Sapítne ſic loquens, vel deſipit? ſanè cum Ægeas tantùm depreſſerat, illum ad crucis patibulum damnans, quod perſonis infame erat vilibus, propriúmque parricidarum & latronum, vt magis ire depreſſum neuti-

quam potuisset. Abstersisset igitur vtcumque Ægeas hoc dedecus, si eum de cruce fecisset deponi. At Andreas longè aliter quàm mundus & caro sensit de cruce. Cùm in eam leuatus est, Ægeæ impio & ferali iudicio, se tunc maximè exaltatum & inæstimabili affectum honore & gloria existimauit: quamobrem veretur à cruce diuelli. Summum decus censebat enim in cruce pro Christo pendere, extremum verò dedecus arbitrabatur se Domini sui consortio priuari, demitti de cruce perinde esse putabat, ac de sinu Christi, sedéque, thalamo ac, throno abstrahi, ac deiici. Vox ista, *ne me sinas Domine è cruce deponi, ne me permittas hinc ab Ægea humiliari!* plus perpenditur, & magis mira reperitur. Cùm accessit Andreas propiùs ad crucem se paruulum & humilem ipso in aditu, ad charæ suæ amplexus profitebatur, *suscipe me* (aiebat) *electa mea crux humilem, & transfer seruum ad Dominum suum?* Verùm ex quo crucem ascendit vocem suam mutat, non ampliùs se putat seruum, sed amicum Domini sui, cuius similitudinem tanto æstu desiderij hactenùs concupierat. *Christo seruire regnare est:* vita beata cum eo mori, pendere cum eo in cruce & pro eo, fastigium summum est omnis honoris & gloriæ. Ideo doctor bonus & amicus Dei Andreas, gestit cum Christo magistro suo, gloriæ Domino in cruce fixus permanere, quia in hoc vno eius consortio, quicquid omne desiderium superat, omne transcendit decus, continetur. In IV. Synodo Oecumenica, quæ dicta est Chalcedonensis, cùm exitialis ambitus Anatolij Constantinopolitani Episcopi, paritatem cum Summo Pontifice, sibi vendicare contenderet, conniuentibus quibusdam ex parte Imperatoris in ambitoris fauorem, Paschasius & Lucentius Leonis Papæ Legati prudenter & animosè responderunt, *Apostolica sedes præsentibus nobis non debet humiliari.* Sic enim æqualia priuilegia quæ Anatolius expetebat, ipse fuisset assecutus, Ecclesiæ vnitas dissecta periisset, & maiestas Apostolicæ Sedis, qua constat religionis splendor & totum Ecclesiæ robur, prorsus euanuisset, ac funditùs excidisset. Andreæ tota in cruce fixa erat felicitas, omnis eius sita erat in cruce exaltatio & gloria; quamobrem obnixè Christum deprecabatur, ne hinc ipsum abstrahi permitteret, quia hinc si foret auulsus, omnis eius lætitia, spes, gloria & tota felicitas quam sibi paratam in cruce videbat, deperiret. Ait igi-

igitur, *Ne permittas Domine me ab Ægea humiliari, sed suscipe me magister meus Christe, quem cognoui, quem confiteor, quem adoro, quem cernere desidero; in quo sum quod sum: suscipe me Domine Iesu Christe magister bone, & iube me de ista cruce non deponi, nisi priùs susceperis spiritum meum!* E cruce siquidem orta est Christi exaltatio, & è cruce prodiit Andreæ omnis beatitas.

CAPVT XX.

Beata mors, & honorifica sepultura Beati Andreæ Apostoli.

ARTICVLVS I.

De morte Beati Andreæ Apostoli.



I immolaueritis hostiam pacificorum Domino, (ait Moyses Leuit. 19. 5. &c.) *vt sit placabilis, eo die quo fuerit immolata, comedetis eam, & die altero.* Debebat igitur intra biduum consummari; hanc enim (vt ibidem habetur) vsque in triduum protelari non licebat. Celsus Epicureus, quem refellit Origenes lib. 6. contra ipsum, Sanctos crucifixos pro Domino Iesu, *statuas Christo sacras*, haud minùs ironicè quàm impiè appellabat: sed piè admodum Gregorius Nazianzenus aduersus Iulianum orat. 3. circa med. beatos vocitabat Martyres, *cæsas pro Christo victimas.* Paulus se hostiam pro sanctificatione Euangelij in gentibus immolabat. Sic fecit Andreas, qui se super aram crucis pro Domini sui glorificatione, & conuersione gentium, ad quas diuino nutu, vt ceruus emissus proferens eloquia pulchritudinis destinatus fuerat legatus veritatis, pacis, & salutis. Iam biduo pendebat in cruce: hostia illa pacifica debebat intra biduum gratâ Deo immolatione consummari; ideo iam die alterâ in occasum declinante à suo rege Christo abeundi hinc in cælum licentiam postulauit, nec poposcit tantùm, sed *secundùm animæ suæ desiderium* feliciter impetrauit. Cùm dixisset etenim (vt ait Mantuanus in fine Carminis de S. Andrea Apostolo, lib. 11. Fastorum)

Christe faue, succurre animæ terrena perosa
Omnia, & in superos tua me clementia tollat.
Talibus orantem Deus audiit: Ecce repente
Aureus erumpens hominem circumstetit ardor,
Et longis mens functa malis, in sydera fugit.

Expressit hanc vitæ eius coronidem ipse Mantuanus ex pura, quamuis breui, vitæ & mortis ipsius gloriosi Apostoli historia, vbi sic legitur; *Hæc cùm dixisset, ingens repente de cælo adfuit splendor, qui eum circumdans, adstantium aciem ita obtundebat, vt penitùs in eum oculos defigere non possent: perseuerauit autem lux illa dimidia ferè hora spatio, qua deinde abscedente emisit spiritum, qui simul cum lumine ad Deum perrexit.* Luculentiùs Presbyteri & Diaconi Achaiæ ipsius B. Andreæ discipuli, ac rei tunc gestæ legitimi testes, hanc eius vitæ mirabilem clausulam enarrant, hac scilicet ad verbum serie; *Et cùm hæc dixisset, videntibus cunctis, splendor nimius sicut fulgur de cælo veniens, ita circumdedit eum, vt penitùs præ ipsô splendore oculi eum humani non possent aspicere: Cúmque permansissent splendor & lux ferè dimidia hora spatio, abscedente lumine emisit spiritum, simul cum ipsô lumine pergens ad Dominum; Cui est honor & gloria in sæcula sæculorum, Amen.*

Christus paulò ante mortem transfigurari voluit, astantibus sibi Moyse & Elia, & tribus tantùm Apostolis, Petro, Iacobo, & Ioanne assumptis ad eius gloriæ conspectum: vnde Ioannes sic ait, *Vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à Patre, plenum gratiæ & veritatis.* Mirum nonnulli habuerunt, cur Andream primum Christi discipulum, & quasi filium primogenitum, quem Dominus in aliis raris suis operibus, vel secretioribus actis cum fratre eius Petro & duobus Zebedæi filiis, adhibere testem & comitem consueuerat: in transfiguratione sua cum eis non assumpser t, vt particeps fieret suæ illius instantaneæ glorificationis. Et quidam hinc inferunt inferiori loco à Christo habitum, nec tantæ etenim dignatum intimæ familiaritatis honore: falluntur tamen, nam propriam transfigurationem Andreæ dilecto suo, Dominus in eius gloriosa morte, qua suæ foret idea, reseruabat. Voluit enim vt suspensus pro se in ligno fulgentior sole appareret: nec modò vt circumfusus cælesti lumine efflaret spiritum, sed vt fulgur parens ab Oriente in Occidentem moriendo

corufcaret, amictus lumine, ficut veftimento mortalitatem exueret, & armatus fulgure, de cruce, de morte, de impietate deuicta triumpharet. Ioannes Euangelifta dictus eft cum fratre Boanerges, id eft tonitrui filius, & ex fcriptis quidem eius emicant ignis fuperni fcintillæ, difcurrunt fulgura, fed in eius morte nubecula tantùm inuoluitur, & fic in fepulchrum introiuit. Petrus *paßioni Dominicæ adæquatus* Romæ inuerfo capite expirauit in cruce; Tunc autem nec fulgur vifum eft, nec vllus emicuit in fpectantium oculis fplendor. Celebritas eius martyrij poftmodùm quidem orbem totum impleuit, qui Pauli beato occafu fimul coronati duplicatus eft. Verumtamen de tenebris paulatim lux illa exiuit: non inftar fulguris corufcantis illuxit in ipfo vtriufque martyrio. Iacobus gladio Herodis occifus, citò fepultus, nonnifi diu pofteà corufcauit, & ferò factus eft Boanerges. Moyfes mortuus eft fine pompa, fine luce, fine fulgure, fed fecretò, in abfcondito, Domino iubente, & non in monte, fed in valle fepultus, huc vfque ficut gemma fub puluere delitefcit. Solus (ex quinque teftibus qui Domini transfigurationi interfuerunt) fuit Elias, qui quadrigis igneis raptus eft diuino imperio. oannes Baptifta venit in fpiritu & virtute Eliæ, non eo tamen abiit apparatu, *Erat lucerna ardens & lucens*, fed in morte extinctus eft, occidit eum Herodes in carcere; *quo audito difcipuli eius venerunt, & tulerunt corpus eius & pofuerunt illud in monumento:* Vbinam fulgur, vbi lumen, vbi fplendor? quibus expirans in cruce folus Andreas clarificatus eft. Elias quidem, cuius in curru gloriæ folus Andreas fuit fimilis, raptus eft, in turbine ignis in curru equorum igneorum, fed vbinam tranflatus? quonam receptus? nondum ingreffus eft in regnum Dei, fed referuatur in iudicium extremorum temporum. Andreas verò circumfufus fplendore, omnium mortalium oculos obtundente, & folis ipfius radios refringente, vt fulgur non tantùm perculit orbem occafu fuo, fed cælum ipfum inuafit pernici impetu. Mortuus in cruce, claruit plufquam fol in ipfa morte: cælos penetrauit vt fulgur, mundum exterruit vibrante fuæ gloriofæ mortis fulmine, fui exceffus lumine, móxque ac efflauit fpiritum, tanquam victor in curru gloriæ triumphans, in regnum Domini fui, cum applaufu supernorum ciuium exceptus eft, ficut dudum Iofeph caftiffimum Rex Ægypti

Tertull. in Præf.

Deut. 34.

Marc. 6.

Genes. 41. magnificans, *Induit eum regio ornatu, fecítque aſcendere eum ſuper currum ſuum ſecundum, pracone clamante, vt omnes eum honorificarent.* Sic Andream Chriſtus Rex gloriæ exaltauit: in ſuo curru conſidere voluit, & tanto clarificauit ſplendore, vt nullus Prophetarum, vel Apoſtolorum vnquam fuerit, qui maiori cum gloria occubuerit, & ampliori cum honore & decore peregerit triumphum.

Liceat igitur mihi, cum Elizeo clamare poſt Eliam in cælum igneis curſoribus euectum, *Pater mi, pater mi, currus Iſraël, & auriga eius!* Abeuntem igitur in ſupernas ſedes tanta cum gloria, te Andream his compellare vocibus, téque piis his animi affectibus venerando proſequi:

——— Tandem es ſublatus in altum?
Heu nimium duros perpeſſus morte dolores!
Nunc frueris blanda fœlix in ſacula pace.
Salue biſſenos inter, pater optime, Patres:
Aſpice nos bonus, atque tuo nos iunge Magiſtro.

ARTICVLVS II.

De pia ac honorifica beati Andreæ Apoſtoli ſepultura.

DILEXIT *Andream Dominus in odorem ſuauitatis dum penderet in cruce:* Nec ipſum deſeruit in ligno, cùm vitam pro ſuo nomine profudiſſet. Suſcitauit olim Stephano lapidibus obruto, & inter viarias ſordes iacenti, *viros timoratos*, qui eius curam geſſerunt funeris, & fecerunt planctum magnum ſuper eum. Et aliquis exiſtimabit oblitum fuiſſe Chriſtum Andreæ primogeniti ſui, poſt mortem adhuc in cruce, ſua pro fide & gloria pendentis? Minimè profectò. Miſit olim leonem qui Prophetæ à culpa non immunis, cadauer iacens cuſtodiret, quouſque honeſta ſepultura conderetur: Et putas Andreæ ſanctiſſimi Apoſtoli ſui, pro ſuo nomine interfecti, corpus priuari honore ſepulturæ ſuſtinebit? Voluerat Ægeas truculentus tyrannus ſacrum hoc beatæ animæ ſpolium, flammis ſacrilegis abolere, comminatus enim ei fuerat crucem & ignem; *Stultum* (dixerat) *vltro velle ad paſſionem ire crucis, & ignibus ac flammis te ipſum peſſimis deſtinare?* Nec propterea Apoſtolum exterruit, *Ne putes* (reſpondit) *me minas tuas formidare, quicquid tibi videtur in ſuppliciis maius excogita.* Paratus igitur fuerat Andreas crucem & ignem, & ſiquid

atrocius esse potuisset pro Christo pati; si impius iudex hoc quicquid futurum erat intulisset. Ac voluit quidem tyrannus (sed coactus populi clamoribus ac fremitu) illum tandem è cruce viuum deponere. Sed quo animo fuerit aduersus eum etiam in ligno defunctum, satis vel ex eo patet, quòd eos qui illum solui è cruce postulauerant, & subinde honorifico funere sepelierant, quasi reos maiestatis Cæsari deferre statuerit. Nempe quia sanguine & nece sancti Apostoli, leo hic rugiens exsatiatus nondum erat; voluebat adhuc cruentâ mente prius consilium de iniiciendo ferali rogo ipsius sanctum corpus, ne capillus eius vel vnus post atrox crucis supplicium superesset: sed populi metu exterritus reliquit aliquandiu corpus in cruce, donec explendæ suæ nequitiæ aliqua opportunitas occurreret: *Sed non est consilium contra Deum*, qui de sui Apostoli & Martyris honore curam agens, à belluæ illius immanis falcatis vnguibus sanctum corpus eripuit, condignóque funere decorauit, nec reliquit aurum in luto, aut ad porcorum pedes adeo pretiosam margaritam: *Quædam enim fœmina* (aiunt prænominati testes sacri) *nomine Maximilla, Senatrix, in specu posita, diligens pudicitiam & sanctitatem, statim vt cognouit Apostolum perrexisse ad Dominum, accessit ad crucem, & suorum solatio, cum omni reuerentia deposuit corpus, & condiuit aromatibus, & in loco quo se constituerat sepeliendam, illic eum sepeliuit.*

De Maximilla sancti Andreæ funeratrice.

DISCIPVLAM fuisse sancti Apostoli ex hac eius pietate & sanctimonia, nemo est, qui facilè non perspiciat. Qui Abdiam interpolarunt, illam Maximillam ipsius Ægeæ vxorem faciunt, antequam ab Apostolo edoceretur quæ Christi sunt, fœminam solutioris vitæ, sed inde conuersam ad exemplum omnis gratiæ & virtutis. Si ita est, altera Magdalena fuit, consimilíque affectu pietatis, qua illa erga Christum flagrauerat, aduersus eius Apostolum Andream, tam viuentem quàm mortuum se gessit: nec adeo absurdum quòd impij coniux Proconsulis, qui tanta rabie in virum Dei efferbuerat, contrariis affectibus fuerit accensa. Herodes derisit Christum postulatum ad mortem; Pilatus cruci ipsum addixit, tamen vxor Pilati eum admonuit vt se immunem ab hoc ferali iudicio seruaret: & Ioanna

Luc. 3. & 8. ac 24. vxor Chuze procuratoris Herodis, feruens erat Christi discipula, quem de suis facultatibus sustentabat, cuiúsque morti cum sanctissima Virgine & reliquis piis mulieribus imperterrita interfuit. Fuítque insuper de sepultura eius sollicita, adeovt comparatis pretiosis aromatibus, cum Maria Magdalenæ & Maria Iacobi, aliísque sanctis fœminis venerit diluculo ad sepulchrum, vt ipsius Domini condiret corpus, vnde Angelos cum illis videre, & nuncium primum Christi resurrectionis perferre ad Apostolos, feliciter promeruit. Si Ægeæ igitur fuit vxor hæc nostra Maximilla, propè admodùm ad harum sanctarum mulierum accessit pietatem & felicitatem. *Triumphus Christi* (ait S. Hieronymus) *est Apostolorum victoria.* Honor igitur delatus Apostolis, in Christum redundat. Quamobrem Maximillæ impensa in funus Andreæ charitas, in Christum ipsum se reflectit, *Quod vni* (inquit) *ex meis fecistis, mihi fecistis.* Accedit insuper ad fulcimentum præfixæ persuasionis: quòd Ægeæ Proconsulis fuerit frater Stratocles, Andreæ in Christo filius, & feruens si alius quispiam eius discipulus, qui ab impietate & iniustitia fratris sui vehementer abhorrebat, Apostolo constantissimè adhærens: nam etiam acto in crucem, pio affectu aderat, sanctorum eius verborum attentissimus exceptor, eiúsque strenuus assertor innocentiæ ac sanctitatis. Cùm igitur talis frater impij Ægeæ extiterit, quid mirum ei si fuerit etiam talis vxor? Sanè in tam impari coniugio hoc Christi fuisse videtur impletum oraculum, Matth. 24. *Tunc duo erunt in lecto, vnus assumetur, & alius relinquetur;* Sic enim saluata fuerit Maximilla, Ægeas reprobus perierit, vt sanctus Apostolus ei multoties prædixerat. Fecit cælestis agricola vineæ suæ quæ potuit, & non profecit; quid non curæ, amoris, & gratiæ Christus præstitit, vt Iudam pertinacem in peccato, in viam salutis reuocaret? Exemplo Christi nihil Andreas circa Ægeam curæ & operæ prætermisit, qua eum ad fidem & iustitiam pertraheret: sed miser ille periit nihilominùs, quia faciem suam indurauit super adamantem, & noluit reuerti. Iusto igitur Dei iudicio, infelix Iudas possessus à diabolo, abiit præceps æternum in interitum: impius Ægeas rebellis gratiæ lumini, lapsus in reprobum sensum, corruit in sempiternum exitium & perditionem. horrenda enim hac catastrophe, palam suffocatus à diabolo, reprobam in infernum animam euomuit,

ſic enim authentici illi viſæ rei teſtes, hac inſigni ſua relatione teſtantur : *Ægeas verò iratus contra populum diſponebat conteſtationem publicam facere, & ad Cæſarem accuſationem contra Maximillam & populum deſtinare, ſed dum ordinat, in conſpectu Officij* (id eſt officialium ſui Proconſulatûs) *à diabolo arreptus eſt, & in medio foro ciuitatis volutatus expirauit. Maximilla verò recipiens Prophetam in nomine Prophetæ, mercedem Prophetæ recepit, ſepulto enim Apoſtolo cum honore, pudicitiam & caſtitatem ſeruans, in fide quoque accepta conſtans permanſit, & ſic coronam vitæ demum feliciter promeruit.*

Sed ex epiſtola ſæpiùs laudata Presbyterorum & Diaconorum Achaiæ, probabilius videtur Maximillam iſtam diſcipulam S. Andreæ, non fuiſſe Ægeæ Proconſulis vxorem; quid enim conuenientius ipſorum relationi, ſi coniux Ægeæ fuiſſet, illam iſto loco vbi maximè oportebat, hoc inſignire indicio ? At de hoc manifeſtè ſilent. Et fuiſſe quidem innuunt præpotentem fœminam, dignitate & opibus, Senatricem appellant, viduámque inſinuant potiùs fuiſſe quàm coniugio deuinctam. Adde quòd produnt ſignatim Ægeam voluiſſe aduerſus eam, delationem ad Cæſarem facere, & aduerſus populum inſtituere quoque diram accuſationem. Alienam igitur à ſe illam cenſebat Ægeas, qui eam, cum aduerſo ſibi populo, poſtulare criminis intendebat; ſed præuertit eius conatum vindicatiua Dei iuſtitia, ſicut quondam Herodem interfectorem Iacobi, & Petri incarceratorem, pro ipſo tribunali ſedentem Angelico gladio percuſſum, duplici ſimul morte, eáque ſubitanea plexit. ſic *Act. 12.*
planè infortunatum Ægeam, in conſpectu Officij repente arreptum à diabolo præcipitauit in infernum : cuius ſempiternos ardores niſi reſipiſceret, ab eo incurſum iri, veridicus vates, ſanctus Apoſtolus Andreas frequenter prænunciauerat.

ARTICVLVS III.

Aromata pretioſa ſepeliendo corpori ſancti Apoſtoli, adhibita ſunt à Maximilla Senatrice, tam reuerentiæ teſtandæ cauſa, quàm diuino inſtinctu, ad diuinæ ac myſticæ rationis ſignificationem.

MORTIS Chriſti ſimilitudinem S. Andreas ſemper ardenti deſiderio concupierat, *Deſiderium animæ*

eius Dominus dedit ei, & voluntate labiorum eius non fraudauit eum. Hoc ſatis abundè patet ex præmiſſis; ex quibus euidenter apparet, quàm accurata ipſum conformitate ſibi Chriſtus in paſſione & morte ſua aſſimilauerit: ſed extendit etiam Dominus erga ſanctiſſimum hunc Apoſtolum, primúmque ſuum diſcipulum, vltra mortem hanc ſecum ſimilitudinem; voluit enim vt etiam in ſepulturæ honore ac modo ſibi perfectè aſſimilaretur. De Chriſti Domini ſepultura hoc, breuiter quidem, ſed præclarè, ſcripſit dilectus eius Euangeliſta Ioannes cap. 19. *Acceperunt corpus Ieſu, & ligauerunt illud linteis cum aromatibus, ſicut mos eſt Iudæis ſepelire.* Sic circa corpus S. Andreæ eius diſcipuli teſtantur actum. *Maximilla Senatrix acceßit ad crucem, & ſuorum ſolatio cum omni reuerentia depoſuit corpus, & condiuit aromatibus, & in loco quo ſe conſtituerat ſepeliendam, illic eum ſepeliuit.* Vides quàm accuratè fiunt omnia, Ioſeph nobilis decurio cum ſuis adiutoribus *accepit corpus Ieſu, & ligat illud linteis cum aromatibus, & ponit illud in monumento ſuo nouo quod exciderat in petra.* Matth. 27. 39. Addit Lucas 23. 54. *in quo nondum quiſquam poſitus fuerat.* Maximilla verò Senatrix acceſſit ad crucem, & ſuorum ſolatio, reuerenter depoſuit corpus Andreæ & condiuit aromatibus, & in eo loco ſepeliuit, vbi ſe ſepeliendam conſtituerat. Auxilio fuit Ioſepho Nicodemus; adfuit Maximillæ Stratocles & alij. Pro Chriſto vngendo Magdalena emit aromata; pro vngendo Andrea Maximilla vnguenta dat & effundit pretioſa. Sepelit Ioſephus Ieſum in monumento ſuo nouo; Andream Maximilla ſepelit in eo ſepulchro quod pro ſeipſa præparauerat. Nec dubium quòd priùs illud lauerit, & ſubinde inuoluerit in ſindone munda: Nihil enim eorum prætermiſit, quæ vſus tunc, circa illuſtria funera, exigebat. Porrò mos funerum inſignium tria hæc maximè poſtulabat, non ſolùm apud Hebræos, ſed etiam apud Ethnicos.

Multa paucis verbis S. Ioannes complexus eſt, cùm dixit de ſeruatis in ſepultura Chriſti, *ſicut mos eſt Iudæis ſepelire.* Hæc quæ eſſent colligimus ex dictis Rabbi Moyſi, relatis à Rabbi Iacob *in Thurim hora Degha* cap. 352. vbi docet, Iudæos ſuorum mortuorum oculos conſueuiſſe imprimis claudere, ora ſtringere faſcia, tondere capillos; corpus lauare, vnguentis vngere, cadauer delibutum inuoluere linteaminibus, ſicque curatum ponere in ſepulchro. In

Ioan. 19.

ſcri-

ſcripturis ſacris de ritibus illis, trium dumtaxat illorum præcipuorum fit mentio, nempe lotionis, vnctionis, & inuolutionis.

De lotione legimus in Actis Apoſtolorum cap. 9. de Thabita defuncta, *quam cùm lauiſſent poſuerunt eam in cœnaculo*; *quod erat* (ſubdit S. Hieronymus) *in ſuperiori domus parte*. De vnctione verò in Geneſi proditur, mortuo Iacob Patriarcha, filium eius Ioſeph *precepiſſe medicis ſuis, vt aromatibus condirent corpus eius*. De inuolutione, ſic ſepultum legimus Lazarum Ioan. 11. 44. & in ipſo Domino Ieſu, ſic actum refert S. Matth. 27. 59. *Et accepto corpore eius inuoluit illud Ioſeph in ſindone munda*. Idem dicit Marcus 15. 46. Idem & Lucas 23. 53. Porrò Ioannes qui aderat diſertè ait, *Et ligauerunt illud linteis*, cap. 19. Ex quo loco elicit ſanctus Hieronymus, ſolemnem Eccleſiæ ritum: hinc enim aſſerit factum eſſe*, vt in altari corpus Domini non ſuper ſericum, ſed ſuper lineum pannum ponatur: qui ideò à Græcis nomen ſindonis conſtanti vſu retinet: & apud Latinos, ſolemnis iam olim oratio fuit, in ſacrificio, *ſuper ſindonem*.

Geneſ. 50. 2.

* Nota diligenter.

Tres illi ritus à Iudæis ad Chriſtianos, cum religione tranſierunt: *ſalus enim ex Iudæis eſt*, ait Dominus Ioannis 4. Et Apoſtoli fundauerunt Eccleſiam, vt Dominus ipſe eis præceperat, *Incipientes ab Hieroſolymis*. I. DE LOTIONIS igitur more apud Chriſtianos veteres teſtis eſt Tertullianus Apolog. cap. 42. Et Euſebius Cæſarienſis lib. 7. hiſt. Eccleſ. cap. 17. & lib. 4. cap. 4. Denique poſteriores multi rerum Eccleſiaſticarum Tractatores, quorum eſſet tædioſum accuratiùs catalogum texere; II. DE AROMATIBVS in vngendis corporibus adhibitis, ipſius Tertulliani illuſtre extat teſtimonium in Apologetico cap. 42. vbi enumeratis quæ odoramenta ſolerent hac in re vſurpari, præcipuè *thus, myrrham & alia quæuis ſuaueolentia*: ſubiungit tandem pluris hæc & chariùs Chriſtianis ſepeliendis profligari, quàm diis Gentilium fumigandis. Hinc apud Minutium Felicem in Octauio, Chriſtianis probro vertit (quamuis perperam) ethnicus, *quòd floribus capita non necterent, nec corpora odoribus honeſtarent, ſed vnguenta funeribus reſeruarent*. Rabies ethnica hoc pietatis officium, ſtudioſè à Chriſtianis circa Martyres præſertim obſeruatum, inuidioſè tulit & impedire voluit. Hinc vox illa feralis Maximi impij Præſidis ad

Actuum 1.

Tharacum, qui cum Tharſenſibus Martyribus ſub Diocletiano agonem pro fide illuſtriſſimum conſummauit : ſic enim, furens ſæuus iudex huic ait; *Noli putare te ſemel damnari, ſed particulatim & reliquias tuas beſtiis dabo. Putas quòd mulierculæ corpus tuum habent aromatibus vel vnguentis condire, iniquiſſime? Nam de hoc eſt cogitatio, vt reliquias tuas perdam?* Et paulò infrà, *ſic te perdam*, &c. *& reliquias tuas. Ne mulierculæ in linteamine corpus tuum inuoluant, & vnguentis & odoribus adornent, iubebo te comburi, & cineres tuos in ventum diſpergam.* Sic de S. Andreæ, vt prænotauimus, corpore facere diſpoſuerat Ægeas. At Deus impium eius conſilium ſolerti cura Maximillæ potentis fœminæ, & piæ plebis interuentu cohibuit. Verùm deinde, impij, corpus S. Polycarpi poſtquam ictu gladij transfixus occubuerat, in rogum tumultuosè conſtructum iniecerunt, & flammis combuſſerunt, ne piis honoribus à Chriſtianis exciperetur. Extinctis tamen perſecutionum incendiis, ritum ſepeliendi defunctorum corpora cum aromatibus, Chriſtiana pietas retinuit, ſicut Prudentius teſtis eſt in hymno, *de exequiis defunctorum*, his verbis,

Vide Baron. Tom. 2. an. 290. Ex actis Proconſularibus.

Candore nitentia claro
Prætendere lintea mos eſt:
Aſperſáque myrrha, Sabæo
Corpus medicamine ſeruat.

Ipſum adhuc ſua ætate ſeruatum morem, Orientius Epiſcopus Illiberitanus inſinuat, in ſuo commonitorio agens de animæ immortalitate, vbi ait,

Non modò quæ tumulis bene condita ſaxa reſeruant,
Aut Arabum ſolidans puluis, odórque tenet.

Prolixior forem, ſi hos ipſos tres ritus à Iudæis iam olim ethnicos mutuatos, & vſurpari ſolitos apud pleraſque nationes (præſertim quæ corpora non cremabant) ire oſtenſum vellem : vir raræ eruditionis Tiraquellus teſtimonia & exempla de iis ſtudiosè exquiſita, in ſuis notationibus in Alexandrum ab Alexandro lib. 3. cap. 7. indigitauit : quamobrem ne actum agere videar, (tametſi in promptu pleraque ſint memoriæ obuia, quæ hîc retexere ſuperfluum eſt) non illibenter ab iis ſignandis abſtineo, ne ſim oneri Lectori præſertim erudito. Sat ſit obiter dicere, à quibus gentibus terra conditi mortui, iis ferè & condimenta, & vela adhibita, quibus nuda corpora tegerentur, & à putredine vin-

dicarentur. Sic lota fuisse, vt munda à quauis sorde conderentur sepulchro. Prudenter & doctè Chifflетius originem tantæ obseruantiæ & cultus circa defunctorum corpora apud ethnicos, signauit in aurea sua Chrysi historica de Linteis sepulchralibus Christi seruatoris cap. 1. pag. 4. *Et quidem internum* (inquit) *venturæ resurrectionis sensum, in ethnicorum animis viguisse arbitror, cùm de supremo munere sepulturæ mirum in modum fuerint solliciti, corporúmque reliquias accuratissimè seruarint, quasi rursus futuras domos immortalium animarum. Hinc apud eos tanta funerum celebritas, extructa mausolea, erectæ pyramides, arcæ, pilæ.* Primum hoc lumen immortalitatis à Deo influxum erat, éxque libris Hebræorum, ex quibus sapientiores Philosophi pleraque religionis principia delibârunt, semina nonnulla collegerunt huius notitiæ.

Cæterùm hæc omnia hìc operæ pretium, circa sepulturæ morem, mihi visum est annotatum ire: vt factum ipsius Maximillæ in funere S. Andreæ Apostoli, non solùm illustrarem; sed etiam vindicarem ab eorum argutiis, qui epistolam Presbyterorum & Diaconorum Achaiæ de B. Andreæ passione vocant in dubium; tricandi scilicet eis vt ansam præciderem, circa ritum sepulturæ quem commemorant illi testes, in funere sancti huius Apostoli, fuisse ab ipsa Maximilla adhibitum; nimis enim eam accuratè seruasse dicent Nouatores illum morem, quo Christi funus à Iosepho & Nicodemo aliisque celebratum fuit, monente præsertim Ioanne Euangelista, ipsos sepulturæ mandasse Christi corpus, *sicut mos est Judæis sepelire.* At Iudæa non erat Maximilla, sed Gentilis, & nuper ab ethnicismo irradiata fide, per Andreæ Apostoli prædicationem, ad Christi cultum transierat. Porrò (dicent) sic adhuc non erat constituta Christiana Religio, vt ritus illi quibus sepelienda erant piorum corpora, in praxim recepti essent; fabulamenta sunt igitur, quæ in hac epistola, ipsa de sepultura S. Andreæ referuntur. Verùm argutiæ istæ nihil nisi meræ nugæ sunt; nam vt præostensum est, ritus illi communes erant tam Iudæis quàm ethnicis: Et si nondum Gentilibus fuissent noti, Maximilla tamen quæ ab Apostolo mysteria Christi didicerat, vt qua ratione passus fuerat Christus, sic & qua sepultus etiam didicit; vnde per imitationem in officio sepulturæ sancti ipsius Apostoli, eos-

dem obſeruauit. Affulgere eius menti potuit, circa hoc pium obſequium, inſuper diuinum lumen: Et mouere præterea illius ſententiæ Domini recordatio, *Quod vni ex his minimis fe-*
Matth. 5. 24. *ciſtis, mihi feciſtis.* Monita denique ei non defuerunt ſanctorum illorum Preſbyterorum & Diaconorum, qui ipſius B. Andreæ erant diſcipuli: à quibus par eſt credere impulſam, vt hac cum honorificentia tanti Apoſtoli ſacratiſſimum corpus, quod viuum fuerat Spiritus ſancti organum, tot mirabilium inſtrumentum, & ſemen erat beatæ immortalitatis, pignúſque gloriæ, ſepeliret.

Verùm nec id ſine diuino contigit nutu: *Deus mirabilis eſt in ſanctis ſuis:* Et *ſicut ſtella differt à ſtella in claritate*, ſic variis donis tam gratiæ quàm gloriæ Sancti, & illuſtrantur à Deo, & differunt inter ſe. Vnguentis mirificis ſunt qui ſcateant Sancti; & odoriferi idcirco ab hagiologis ſcriptoribus vocitantur. indicem olim texui de Sanctis odoriferis; alium de Sanctis Medicis: Andreas Apoſtolus in vtroque ſignatur. Cur verò? Infrà luculenter oſtendam parte ſcilicet 2. huius operis lib. 5. vbi ex profeſſo de inſignioribus eius miraculis diſſerendum erit. Interim eſt autem quòd lemmati præfixo ſatisfaciam, de cauſa ſcilicet cur Deo placuerit illum aromatibus condiri in ſepulchro, quod de cæteris Apoſtolis vſpiam me legiſſe non memini.

Myſtici aiunt ſcriptores, eximium odorem eſſe celſioris naturæ argumentum. Miſſa vt profana faciamus, ſanè in ſacris ſcripturis hoc paſſim inſinuatur Eccleſ. 24. 20. diuina ſapientia, quæ ex ore Altiſſimi prodiit de ſeipſa ait: *ſicut cinnamomum & balſamum aromatizans odorem dedi, quaſi myrrha electa dedi ſuauitatem odoris: & quaſi ſtorax, & galbanus, & vngula, & gutta, & quaſi Libanus non inciſus, vaporaui habitationem meam, & quaſi balſamum non miſtum odor meus.* Pſalmiſta verò, vbi Verbo ipſi incarnato epithalamium pangit, indumenta eius fragrantiſſimè ſpi-
Pſal. 44. v. 10. rantia decantat, *Myrrha,* (inquit) *& caſia à veſtimentis tuis.* Hinc ſacerdotes, qui Deo propinqui, odorata ſtola amiciuntur, eorúmque diuinos propè ſuffitus & halitus ipſemet diuinus vates ſuauiter ſe innuit odorari, *ſicut vnguentum in capite, quod deſcendit in barbam, barbam Aaron: quod deſcendit in oram veſtimenti eius.* Pſal. 132. 2. Ideo Sanctos, Deo propiùs accedentes, odoriferos B. Ioannes Apoc. 5. eſſe inſinuat, *Viginti quatuor ſeniores*, ait, *ceciderunt coram*

agno habentes singuli citharas & phialas aureas, plenas odoramentorum, quæ sunt orationes Sanctorum. Sanè Hebræi vt suauissimos odores commendent, similitudines à templi suffimentis mutuantur, quia thymiama quod offerebatur in sanctuario super altare incensi, ex optimis queisque aromatibus conficiebatur, & soli Deo offerri poterat, iuxta hoc eius edictum, *Cúmque in tenuissimum puluerem vniuersa* (ait Moysi) *contuderis, pones ex eo coram tabernaculo testimonij, Sanctum Sanctorum erit vobis thymiama, talem compositionem non facietis in vsus vestros, quia sanctum est Domino.* Exod. 30. 36. Sanctos igitur in cælo hos offerre Deo pretiosos suffitus, sanctus ipse ciuitatis supernæ speculator citato loco renunciat: quin & ipsos Sanctos esse in conspectu Dei suauissimos flores, è quibus fragrantissimi odores exhalantur, sancta Ecclesia agnoscit & concinit in officio Sanctorum Apostolorum, & Martyrum tempore Paschali, hac modulatione: *Sancti tui, Domine, florebunt sicut lilium, & sicut odor balsami erunt ante te in æternum.* Laus ista, decus istud Sanctis, Beatis, ac electis quibusque communis est. Non tamen ad id significandum omnes hunc honorem consecuti sunt, vt cum aromatibus in sepulchro condirentur, sicut nec priuilegium istud vt in sepulchro scaterent vnguentis odoriferis; vnde etiam defluerent miræ infirmorum curationes. Pauci admodum inter summos etiam reperiuntur, quos hac speciali prærogatiua Deus honorauerit; quos inter S. Andreas primus est ac præcipuus, vt ex Ecclesiasticis monimentis, fit satis supérque exploratum.

Nonnullæ priuilegij huius mihi videntur assignari posse rationes.

I. est, *quia hic Apostolus fuit primus, qui ad Dominum accessit,* dicens cum mystica sponsa, *Trahe nos post te, curremus in odorem vnguentorum tuorum. Vox fuit prima turturis, quæ audita est in terra nostra,* is est primus qui dixit, *inuenimus Messiam, quod est interpretatum Christus;* Christus autem dicitur vnctus. Pulchrè Bernardus: *Non sine salute Iesus, nec sine vnctione Christus, nec sine gloria filius Dei.* Contraxit ex primo ad Dominum accessu Andreas horum odoramentorum fragrantiam, qua fratrem perfudit, & ad Christum traxit.

II. est, quia *virgo fuit Andreas & tota vita cælebs:* virginitas verò in Ecclesia & in cælo fragrantissimi est odoris:

Flos est (ait S. Cyprianus) *Ecclesiastici germinis:* insuper *est semper Angelis cognata virginitas*, & sponsus cælestis maximè inter virgines delectatur, vt ex sacris litteris obseruant passim sancti Patres. Nulli Sanctorum dedit Deus fragrantiæ externæ halitum, qui integritatis carnis dono non præstaret. Asa Rex Iuda reprobatus à Deo propter impietatem suam, sepultus fuit regio quidem funere: sed quia fœtidum reliquerat nomen coram Deo, superno nutu contigit, vt sui fœtoris ferret ipso in sepulchro indicium, 2. Paralip. 16. 14. Et *sepelierunt eum in sepulchro suo, quod foderunt ei in ciuitate David: posuerúntque eum super lectum suum plenum aromatibus & vnguentis meretriciis, quæ erant pigmentariorum arte confecta, & combusserunt super eum ambitione nimia.* At contrà Andreas, qui diuino halitu perpetuæ continentiæ semper fragrauerat, & nihil toto vitæ cursu magis contenderat, quàm sanctitatis Domini vestigia sequi, puris in sepulchro sepelitur manibus, & aromatibus conditur, confectis ex floribus castitatis.

S. Amb. de Virgin.

III. Desumitur causa ex verbis illis Ecclesiæ, *Dilexit Andream Dominus in odorem suauitatis, dum penderet in cruce:* Erat enim tunc imago viuens ipsius Domini. Obtulerat se Christus *immaculatum Deo* (in cruce) *in odorem suauitatis.* Id præfigurauerat pretiosum illud thymiama veteris Legis, quod conflatum erat ex stacte, onyche, galbano, & thure lucidissimo, quorum odoramentorum proprietates non ita diu explicaui parte 2. Panopliæ Sacerdotalis lib. 1. quo disseritur de munere offerendi cap. 6. art. 2. Porrò Andreas ardenter Christi mortem imitatus est, & pro virili contendit se ei offerre & immolare in cruce, sicut ipse Christus sese patri suo obtulerat. Exhalauit igitur è cruce, vt è thuribulo aureo, thymiama, quatuor ex virtutibus Deo gratissimis confectum; galbanum humilitatis, stacten castitatis, myrrham patientiæ, & thus feruentissimi amoris, quo mortem in ligno crucis vehementissimo semper desiderio concupiuit. *Dilexit* igitur *Dominus ipsum Andream in odorem suauitatis, dum penderet in cruce:* Et vt hoc innotesceret, voluit eum cum pretiosis aromatibus condiri in sepulchro; & quod magis est perenni vnguento, quod effluit ex eius corpore, ipso in sepulchro, scatere; quo & medelam ferret humanis languoribus, simúlque innueretur quo feruore fundat pro nobis coram Deo preces, cuius

Ephes. 5. 2.

gloriam (cùm hîc ageret) tanto ardore vt Christi bonus odor propagauit, etiamnúmque odoriferis suis emissionibus, in omni loco quò deferuntur manifestat, vt non immeritò de eo, quod legitur in libro Ecclesiastici, dici possit, *Memoria eius in compositione odoris, facta quasi opus pigmentarij* : (fuit in vita siquidem, & in morte, ac post mortem) *quasi arcus refulgens inter nebulas gloriæ, & quasi flos rosarum in diebus vernis, quasi lilia quæ sunt in transitu aquæ, quasi thus redolens in diebus æstatis : quasi ignis effulgens, & quasi thus in igne : quasi vas auri solidum, ornatum omni lapide pretioso.*

Ecclef. 49.

Ibid. 50.

FINIS PRIMÆ PARTIS.

SOLI DEO HONOR ET GLORIA, AMEN.

DE GLORIA S. ANDREÆ APOSTOLI,

PARS ALTERA:

SEV

DE GLORIOSA EIVS MEMORIA

LIBRI IX.

PARTIS II.
DE GLORIA
S. ANDREÆ APOSTOLI
LIBER I.
SACRÆ EIVS MEMORIÆ VENERATIO.
SEV
NATALIS EIVS DIEI CELEBRITAS.

CAPVT I.

Natalitia Sanctorum Apostolorum ac Martyrum, ab ipso ferè Christianæ religionis exordio, in vsu ac obseruantia fuisse. Vbi obiter de Fastis Ecclesiasticis & sacris Natalitiis disseritur.

SANCTORVM nomina, quæ in cælis decernente Domino Luc. 10. 20. scripta sunt, non debuisse in terris vllâ obliuione deleri, sed æternæ memoriæ commendari; tum ad Dei gloriam, (cuius gratiæ munere tot res magnas peregerunt, & ad tam sublimia præmia peruenerunt:) tum ad fidei confirmationem quam ore & moribus prædicârunt: tum denique ad virtutum, quibus præfulsêre, commendationem, fideliúmque tam præsentium excitationem, quàm instructionem posterorum: Pietas Christiana semper credidit & docuit. Hinc ab ortu Ecclesiæ notati fuerunt diligenter eorum felicis exitus ab hoc sæculo dies, & celebrata eorum

Natalitia; conſcripta ſummo ſtudio Martyrologia, quibus ipſorum nomina, dies & locus paſſionis, genúſque mortis breuiter conſignabantur: quemadmodum copiosè demonſtraui in Apparatu ad Martyrologium Gallicanum cap. 4. cui titulus eſt, *de Martyrologiorum origine.* Et in lib. de Myſticis Galliæ ſcriptoribus ſæculo 1. in Paulo Ritu 8. Certè ſanctus Clemens, qui ipſius Beati Pauli fuit in opere Euange-
Philipp. 4. 3. lij coadiutor (vt ipſe Paulus teſtatur Philipp. *) & deinde præcipuus ſancti Petri ſymmyſta, ac tandem in ſumma ſede, ſucceſſor, ſeptem vrbis regiones diuiſit ſeptem Notariis, ſingulas attribuens ſingulis, qui paſſiones Martyrum diligentiſſimè conquiſitas litteris mandarent. Ex quo fonte Martyrologiorum riuuli, vbique poſtmodum dimanârunt. Nec modò iam agonum dies Martyrum ſacris in tabulis primo hoc ſæculo annotari cœperunt: ſed eorumNatales ſolenni cum venerationis obſeruantia celebrari. Idem ſanctus Clemens lib. 8. Conſtit. Apoſtolicarum c. 33. ex eorum diſciplina iubet nominatim ſancti Stephani Protomartyris coli anniuerſariam memoriam: inſuper & omniumApoſtolorum, nec non & Martyrum: *In diebus*, inquit, *Apoſtolorum vacent, magiſtri enim veſtri fuerunt ad docendum vos de Chriſto, vobiſque Spiritum ſanctum dederunt. In die Stephani Protomartyris item vacent: ac reliquis diebus SS. Martyrum qui Chriſtum vita ſua antepoſuerunt.* Feſtum ſancti Matthiæ Apoſtoli, ſtatim à ſuo glorioſo occubitu, ſacra obſeruatione cultum fuiſſe, Abdias (cuius non contemnendam lectionem, ſuprà proprio loco tractantes de apocryphis oſtendimus) lib. 7. certaminis Apoſtolici commemorat: Et Simeon Metaphraſtes in vita ſancti Ioannis Apoſtoli, antiquis ex monimentis deprompta, feſti eiuſdem meminit, poſt eius glorioſum deceſſum à fidelibus celebrati. quæ teſtimonia tametſi ceſſarent: ritus tamen colendi Sanctorum Apoſtolorum memorias, habemus in ſacris litteris ineluctabile fundamentum. Siquidem ſanctus Petrus ep. 2. cap. 3. diſertè ait: *Memores eſtote Apoſtolorum veſtrorum.* Et beatus Paulus ad Hebræos cap. vltimo verſ. 7. ſcribit: *Mementote Præpoſitorum veſtrorum qui vobis locuti ſunt verbum Dei, quorum intuentes exitum conuerſationis, imitamini fidem.* Igitur ab hoc fonte Apoſtolico, Faſti Eccleſiaſtici, & Natales ſacri Beatorum Apoſtolorum ac Martyrum, dehinc in vniuerſam Eccleſiam, obſeruatione perpetua, deriuarunt.

FASTI ECCLESIASTICI.

SED erit fortaſſis qui me hîc ſugillet, in re ſacra vſurpatæ vocis, potiùs ethnicæ quàm Chriſtianæ: Verùm audito Tertulliano, iure ab hac ſimulatione vadimonium petam. Is igitur Latinorum ſcriptorum antiquiſſimus, & (vt loquitur ſanctus Hieronymus) *vicinus Apoſtolicorum temporum*, in aureo ſuo de corona militis opuſculo cap. 13. *Sic* (inquit) *coronatur & vulgus: nunc ex principalium proprietatum exultatione, nunc ex municipalium ſolennitatum proprietate. Et eſt omnis publica lætitia luxuria captatrix. ſed tu peregrinus es mundi huius, ciuis ſupernæ Ieruſalem. Noſter,* (*inquit Apoſtolus*) *municipatus in cælis eſt. Habes tuos cenſus,* TVOS FASTOS: *quid tibi cum gaudiis ſæculi?*

Ad cuius loci genuinam intelligentiam, notare fuerit operæpretium, veteres ethnicos habuiſſe Faſtos ſuos proprio in indice conſignatos: quod etiam Kalendarium vocabant, in quo ſuperſtitionis ſuæ ſacra ſolennia notabantur. Extat adhuc Kalendarium ethnicum vetus Romanum, quod è marmore deſcriptum in ædibus Maffeiorum, ad Agrippinam, è tabula supernè fracta Aldus Manucius expreſſum, typíſque excuſum Venetiis anno Chriſti 1581. publicauit: idémque Iacobo Boncompagnono Duci Soreæ, cum ſubiuncta diſſertatiuncula, de veterum dierum ratione, & tractatu de Senatu Romano, dedicauit.

Hac præeunte facula: facile iam eſt intelligere quid Tertullianus citato loco, per hæc verba quibus Chriſtianum hominem officij admonet, ſibi velit: *habes tuos cenſus*, TVOS FASTOS, *quid tibi cum gaudiis ſæculi?* Sanè per Chriſtianos cenſus, vt in præſcriptionibus aduerſus hæreticos ſe ſe exprimit, codicem ſubindicat proprium cuiuſque matricis Eccleſiæ, in quo Eccleſiæ ipſius origo, & Epiſcopalis ſucceſſionis ſeries deſcribebatur. Per Faſtos autem libellum diarium Natalitiis diſtinctum eorum, qui in pietatis conflictu occubuerant: Exploſis etenim ethnicorum Kalendariis, quæ Pſeudonuminum erant ſolenniis conſignata, Chriſtiani habebant Faſtorum ſuorum codicellum, in quo pari diuinitatis cultu aſſertorum recolenda nomina ad Dei gloriam, athletarum ipſorum honorem, & fidelium documentum diſtinctè annotabantur, quibus enim diebus, Chriſti bellatores è palæſtra certaminis victores exceſſerant, fi-

delis populus conuentus ſacros habebat, in quibus fortia eorum facta è libello paſſionis cuiuſque, recitabantur; pro eorum glorioſa coronatione, offerebantur Deo gratulatoria ſacrificia, ſicut idem Tertullianus non obſcurè inſinuat eiuſdem libri cap. 3. num. 37. Et omninò perſpicuè ſanctus Cyprianus lib. 3. ep. 6. *Dies*, inquit, *eorum quibus excedunt annotate, vt commemorationes eorum inter memorias Martyrum celebrare poßimus.* Et lib. 4. ep. 5. *Sacrificia*, inquit, *pro eis ſemper, vt meminiſtis, offerimus, quoties Martyrum paßiones, & dies anniuerſaria commemoratione celebramus.* Atque de Faſtis Eccleſiaſticis ſatis impræſentiarum: fuſiùs etenim de iis diſſeruimus in notis noſtris in Gallicanum Martyrologium, quod Deo dante, Natalitiis auctum, & notationibus illuſtratum, typis mandare propediem intendimus & ſperamus.

NATALES SACRI.

ATTONITVM (dicam ingenuè) me nonnihil fecit Franciſcus Biuarius, qui in Commentariis in ſuum Dextrum, ſub annum Domini 324. num. 3. ad illa verba, *Natalis Epiſcopus Toletanus ſuccedit ſanctißimo Confeſſori Milanthio:* exertis viribus contendit perſuaſum ire, ab illo Natale, Sanctorum Natales fuiſſe dictos, *quod eorum*, inquit, *tabulæ Kalendaria vocant* (*à Natali Toletano*) *Antiſtite primùm omnium* conſcriptæ ſunt. Nec enim neſciuit Biuarius hæc ſcribens ſe paradoxum, hactenus inauditum, publicam in lucem proferre. Ingenioſè etenim conatur ſe ab eruditorum exemptum ire iudicio, qui vno ore excepturi eſſent nouam illam etymologiam, patenti veterum auctoritate reuinci, qui Natales dictos vnanimiter docuerunt, à nouæ vitæ natiuitate, quam Sancti morientes pro Chriſti fide & gloria ſortiuntur. Hac enim vt ferula ſe ſubduceret, ſic obiectionem anteuertit: *Tamen nomen poſteà accommodatum videtur, ad mortem Sanctorum ſignificandam, qua non quidem non naſcebantur in terra de carne* (Quod Chryſologus dixit ſermone 123.*) *ſed de terra ad cælum, de labore ad requiem, de tentationibus ad quietem, de cruciatibus ad delicias non fluxas, ſed fortes & ſtabiles & æternas.* Seu quod ſanctus Eucherius Lugdunenſis (falsò creditus Euſebius Emiſſenus) homil. 50. in Geneſ. *Beatorum Martyrum paßiones, natales vocamus dies, quando eos martyrij vita, & gloriæ fides, dum*

* *De S. Andrea.*

ingerit morti, genuit æternitati, & perpetua gaudia, breui dolore parturiuit. Alias potuiſſet Patrum antiquiorum ſententias, hanc in rem expreſſiores, annotare: ſed abſtinuit ab hac inductione, ne ſpiſſiori auctoritatis pondere, obrueretur noua eius opinio. quam vt fulciat, elidere hactenus receptam nixus quibuſdam argutiis aggreditur. Audiamus non oſcitanter quæ opponit. Primò, *Sanè ſi Natales dies ita nuncupati fuiſſent, à morte quæ in veram vitam commutatur, ſola illa Sanctorum feſta, eo nomine fruerentur, quæ de morte Martyrum, & cæterorum Beatorum agerent: Nunc autem aliter ſe res habet.* Reſponſio eſt peruia, minimè hoc ſequi: quia Natales in ordinario & natiuo ſignificatu, feſta duntaxat deſignant, quibus Martyrum & aliorum electorum migratio in meliorem vitam recolitur. At latè & per quandam analogiam etiam extenditur hoc vocabulum (ſed raròò & impropriè) ad feſta quædam alia, propter aliquam ſpecialem conuenientiam. Sanctus Auguſtinus egregiè refellit ſimile argumentum, ductum contra metaphoras, lib. contra mendacium cap. 10. Tom. 4.

Secundò, ait Biuarius, ad exempla progrediens: *Sexta Maij dies Natalis ſancti Ioannis Euangeliſtæ à veteribus nuncupatur, & tamen minimè in eius mortis memoriam celebratur, ſed miraculi, quod ad portam Latinam accidit.* Vnde Vſuardus ſic habet: *Natalis ſancti Ioannis Apoſtoli, quando ab Epheſo iuſſu Domitiani Romam perductus, & præſenti Senatu, ante portam Latinam, in olei feruentis dolium miſſus eſt, ſed minimè læſus.* Reſpondeo: hoc exemplum nihil confert ad rem quam Biuarius ex eo probare intendit: at potiùs admodum ei incommodat. Rectè enim & propriè illa dies Natalis ſancti Ioannis vocatur, quia tunc meritò effectus eſt Martyr; per eum non ſtetit enim, quin illo ſupplicio moreretur: nam niſi interceſſiſſet miraculum, mors eius fuiſſet efficaciter ſubſecuta. Quamobrem Patres vt ſanctum Ioannem prædicant Apoſtolum, Euangeliſtam, Prophetam, Virginem, ſic etiam vt Martyrem venerantur, quia tunc cùm in feruentis olei dolium iniectus eſt, etſi ſanguinem & vitam reipſa non fuderit, vtrumque tamen pro Chriſto expoſuit, quamuis enim volente Deo pœna defuerit extrema, hanc tamen ſubeundi non defuit voluntas. Pergit Biuarius. Tertiò ait ſiquidem: Cathedræ etiam ſancti Petri dies, Natalis vocatur à ſancto Auguſtino ſermone de ipſa:

Vide S. Hieron. lib. 1. contra Iouinian. &c.

Respondeo, vocatur quidem, sed lato significatu & impropriè, cum aliqua tamen analogia. Quia scilicet hæc illo die Cathedra nata est, cùm primùm fuit instituta. Addit quartò, Et sanctus Leo dedicationem Ecclesiæ, festum vocat. Respondeo, valet ad idem argumentum, eadem solutio. His tamen suppositis argumentis (quæ abs re solida putat, vt ex his responsionibus patet) hinc infert. *Quare sic vocari cæptum credas, quia à Natali Antistite, tabulæ fastorum Ecclesiæ scribi & ordinari cæptæ sunt.* At nego sequi: & hæc opinatio tam ridicula, tótque absurditates secum trahit, vt pigeat nugationi tam puerili seueriùs excutiendæ immorari. Adde quòd perpetuò laborat Biuarius vitio, quod à Logicis vocatur petitio principij, assumens semper pro concesso, quod minimè probat. Videlicet Natalem istum vmbratilem, tabulas Ecclesiasticas & indices anniuersariorum dierum Sanctorum Martyrum, primùm omnium ordinâsse: quod tam procul à vero infrà ostendam, quanta intercapedine terra distat à summo cælo. Vbinam sunt quæso istæ tabulæ, ista diaria, isti indices? Hoc Kalendarium, hoc Martyrologium quod Natalis ille, siue verus, siue fictus conscripsit? quisnam synchronorum, vel posterorum, scriptorum, Patrum, doctorum, illos indices vnquam vidit, vnquam legit, vel lectos aut conspectos fuisse ab aliquo hominum se audiisse meminit? Meræ sanè nugæ sunt & ludicra præstigia, quæ Biuarius pro certis principiis hîc supponit, quóque plus insistit his firmandis, magis eorum patefacit inanitatem & futilitatem. Subiungit tamen. Non aliter atque Petrus Episcopus Equilinus (& vt quibusdam placet) Petrus de Natalibus dici consueuit, quia de Natalitiis Sanctorum opus vastum descripsit, cùm tamen Petrus de Venetiis proprio nomine vocaretur. Si argumentum à simili rectè procederet, prorsus eo euerteretur funditus Biuarij intentum. Nam Episcopus ille quem asserit Toletanus, Natalis vel Natalitius dici debuisset à Natalibus quos scripsisset: non autem ab eo fasti Sanctorum Natales appellari. sicut Petrus ille de Venetiis, tulit à Natalibus cognomentum quæ & recensuit: non autem suum illis indidit nomen vel cognomen. At ferri non potest quod audacter asserit in fine Biuarius. *Adde*, inquit, *SS. Martyrum mortes, nullatenùs ante Natalis tempora, Natales vocari consueuisse: sed postea.* Quàm enim hoc sit splendidum mendacium, facile est patefacere.

Sanè

Sanè Biuarius, si quem suum Dextrum (verum aut fictitium, impræsentiarum non disquiro:) ponit hunc Natalem, assertum (postquam tot sæculis latuit) Toletanum Episcopum, sub annum Domini 324. At verò Tertullianus qui Apostolica tempora pæne digito attingit, disertè Natalitiorum Sanctorum, in Ecclesia iam tunc signatis, celebrium meminit, lib. de Corona militis cap. 3. *Pro Natalitiis* (inquit) *annua die facimus.* scilicet vt succinit Beatus Cyprianus, ep. 34. *Quoties Martyrum passiones, & dies anniuersaria commemoratione celebramus.* Astipulatur vtrique Origenes, qui medius inter ambos floruit, lib. 3. in Iob, inter medium & finem, vbi ait: *Priores diem Natiuitatis celebrabant, vnam vitam diligentes, & aliam post hanc non sperantes. Nunc verò nos Natiuitatis diem non celebramus, cùm sit dolorum atque tentationum introitus. sed diem mortis celebramus, quia non moriuntur ij qui mori videntur; propterea & memorias Sanctorum facimus, quia in perpetuo viuent, ij qui consummati in fide moriuntur.* Idem porrò Origenes, iam extitisse in Ecclesia Sanctorum Martyrologium, quod appellat *Integrum Sanctorum ordinem*, testatur hom. 3. in diuersos super cap. 2. Matthæi, quæ est de innocentibus paruulis interfectis ab Herode: *Quique paruuli* (inquit) *& ad memoriam æternæ laudis, à Beato Euangelista in sancto Euangelio conscribuntur: horum & memoria semper vt dignum est, in Ecclesiis celebratur, secundùm integrum Sanctorum, vt primorum Martyrum pro Domino occisorum.* *Part. 2. operum eius à pag. 280. ad 283.*

Ex his tribus testimoniis tantorum Auctorum, cæcus planè sit oportet, qui non facilè perspiciat, vel quàm fœdè hallucinatur Biuarius, vel lectori conetur imponere: dum scribere non veretur, nullatenùs ante Natalis, quem prætexit, tempora, dies Martyrum anniuersarios dictos fuisse *Natales*, sed postea; húncque fuisse primum omnium, & qui tabulas hagiologicas scripserit, tum Sanctorum diariis suum nomen indiderit, vt non alia de causa, *Natalitia* dicta sint, quàm quòd ab illo Natali Episcopo fuerunt Natalium dierum appellationem consecuta. *In verbo trium vel duorum testium stabit omne verbum*, inquit Dominus. *Matth. 18. 16.* Porrò circa res præsertim in Ecclesia primis sæculis gestas, quanti sit momenti concors maximè testimonium Tertulliani, sancti Cypriani, & Origenis, nemo tantisper tinctus rerum Ecclesiasticarum notitiâ esse potest, qui nesciat. Adeo vt pudor

ſit, contra patentem eorum auctoritatem, Biuarium audire, ſi obſtrepere quicquam in aduerſum auderet. Denique quàm longè aberret ille à recta veritatis linea, dum Natales à Natali Hiſpano Epiſcopo duxiſſe nuncupationem, qui primus eorum auctor fuerit: meridiano ſole clarius, hac ſententia Nicolai Papæ cognomine Magni, in reſponſione ad conſulta Bulgarorum cap. 5. verſus finem, vbi ſic habet: *Natus dicitur qui ex hac vita migrauit: quomodo enim vſitato more dicitur naſci, quando qui ex materno procedens in hanc lucem exit: ſic iure natus appellari poteſt, qui liber ab huius ſæculi tenebris ad lucem pertingit viuentium: pro qua ergo re aptè conſuetudinem tenet Eccleſia, vt ſolennes Beatorum Martyrum vel Confeſſorum Chriſti dies, quibus ex hoc mundo, ad regionem migrauerunt viuorum, nuncupentur Natales. ſed & eorum ſolennia, non funebria tanquam morientium; ſed Natalitia (vtpote in vera vita naſcentium) vocitentur.* Hoc litis huius audito decretorio iudicio: profectò eſt quòd Biuarius recantet palinodiam, vel certè circa hanc quam mouit quæſtionem (quæ ſumma cum auctoritate deciſa eſt) conticeſcat.

CAPVT II.

Sancti Andreæ Natalem, mox ab eius glorioſo exceſſu fuiſſe celebratum: quin & Cathedræ eius apud Patras inſtitutæ, feſtiuam abhinc obſeruatam fuiſſe quotannis commemorationem.

NATALEM Sanctorum Innocentium in ipſo Chriſtianæ religionis exordio conſueuiſſe celebrari, ſuperiori capite ex Origenis expreſſo teſtimonio demonſtraui, ſancti Matthæi in Æthiopia coronati, item feſtiuam mox memoriam cœpiſſe coli, & ſancti Ioannis Epheſi in pace poſt tot certamina defuncti, actitari protinùs incepiſſe ſolennitatem, aliis ex monimentis oſtendi. Stephani autem Protomartyris ex decreto Apoſtolorum à ſancto Clemente memoriæ prodito, ſacris anniuerſariis honoratum victorialem agonem, itidem indicaui; quin ex ipſius Clementis teſtimonio cæterorum Apoſtolorum palmas & coronas quotan-

nis illis diebus, quibus supremos spiritus in victoria profuderant, lege vbique in Ecclesia recepta, consueuisse celebrari: qua & iussum erat aliorum Martyrum etiam victorias recolere, diebus ipsis quibus pro Christi fide certando non minùs fortiter quam feliciter occubuerant. Quo ex more ad posteros traducto, secundo ineunte sæculo anniuersaria celebritate cultum fuisse Beati Polycarpi primarij discipuli sancti Ioannis natalem, ex testimonio Ecclesiæ Smyrnensis constat, in eius epistola quæ legitur apud Eusebium Cæsariensem lib. 4. Hist. Ecclesiast. cap. 15. vbi hæc verba leguntur: *Quo in loco* (vbi inclytus ille Martyr & Pontifex agonem suum peregerat) *etiam nunc præstante Domino, solennes agimus celebrésque conuentus: maximè quidem in die passionis eius: sed & cùm eorum memoriam qui priùs passi fuerant celebramus, vt sequentium animi ad prædecessorum viam exemplis insignibus excitentur.* Sanè colendi annualis sancti Andreæ triumphi, immemores non fuisse Achaiæ Ecclesias, satis facilè colligere licet ex hac gloriosa passionis eius coronide, quæ ad calcem Epistolæ sæpe sæpius laudatæ Presbyterorum & Diaconorum Achaiæ, qui ei interfuerant, extat. *Hæc autem acta sunt apud Achaiam prouinciam ciuitate Patras, pridie Kalendas Decembris, vbi etiam præstantur gloriosa eius beneficia vsque in præsentem diem. Tantus autem timor inuasit omnes, vt nullus remaneret, qui non crederet Saluatori nostro Deo, ipsi gloria in sæcula sæculorum, amen.* Hoc enim authentico testimonio patet. Primò, statim à Beati ipsius Apostoli glorioso obitu, Deum mirificâsse Sanctum suum, & miracula ad eius sepulchrum coruscâsse, quibus suis clientibus in ipsorum infirmitatibus opitulabatur: adeovt continuus fieret ad eius tumulum fidelium concursus. Secundò, tantæ gloriæ & virtutis fuisse eius passionem, vt non vnus aut alter, sed omnes qui interfuerant Patrarum ciuitatis ciues, aut Achaiæ qui accurrerant vndique incolæ, ne vno quidem excepto (vt testes disertè scribunt) compuncti corde, ad tantum Christianæ fidei lumen, Christo dederint manus, eiúsque Euangelium magno animo sint amplexi. Sic igitur cùm omnes pij facti fuissent, esse non potuerunt erga suum in Christo patrem ingrati. *Memores estote Apostolorum vestrorum*, scripserat non ita diu germanus Andreæ, Simon Petrus. Paulus verò (vtriusque, per spiritum adoptionis, & Collegium Apostolatûs charis- 2. Pet. 3. 2.

ſimus frater) *Mementote præpoſitorum veſtrorum, qui vobis*
Hebr. 13. 7. *locuti ſunt verbum Dei: quorum intuentes exitum conuerſationis imitamini fidem.* Non poterant igitur Achaiæ populi proprij ipſorum Apoſtoli obliuiſci: & inter Faſtos publicæ lætitiæ, triumphalis eius agonis diem non numerare, præſertim cùm cæterorum Apoſtolorum eius fratrum, palmæ & coronæ, vbique (præſertim verò in palæſtris cuiuſque victoriæ) aduĕneratione multa, ſignata die, celebrarentur. Debito ſuo igitur par eſt credere, tam pio quàm iuſto, feciſſe ſatis. Et proinde, ſecundùm Apoſtolicam theoriam ac communem Eccleſiarum praxim, ſanctificatum dedicâſſe memoriæ beati ipſius Apoſtoli diem. Tertiò, hunc diem fuiſſe 30. Nouembris, ac de induſtria, cum loco & prouincia, vbi res tam digna memoratu quàm ipſe dies contigit, fuiſſe in iis actis ſignatum, vt deinceps ſine vlla ambiguitate cognoſceretur vbique, & perpetua coleretur obſeruatione. Certè Tertullianus, vbi ſuprà, teſtatur vnam eſſe ex antiquis traditionibus, annuas oblationes facere pro Natalitiis, iuxta quam Beatus Cyprianus lib. 3. ep. 6. iubet excedentium in pugna pro fide, conſignari dies paſſionis. *Dies eorum quibus excedunt* (ait) *annotate, vt commemorationes eorum inter memorias Martyrum celebrare poſſimus.* Quod factum ſi religiosè in minimis fidei pugilibus: quid in ſummis ducibus (quales fuerunt Apoſtoli, & inter primarios Andreas) dubitauerit, fuiſſe diligentiſſimè obſeruatum? Sanè mos fuit Eccleſiæ Orientalis celebrare Ioannis & Andreæ Cathedras. Epheſi quidem Ioannis die 27. Decembris. Andreæ autem 5. Februarij apud Patras: quemadmodum notauimus in ſupplemento Martyrologij Gallicani illa die his verbis: *Burdigalæ, Agathæ & Abrincis veneratio S. Andreæ Apoſtoli Epiſcopalium harum Eccleſiarum Tutelaris: cuius hodie Cathedræ Patris in Achaia (vbi ouans demum peroptatam crucem aſcendit) ab ipſo collocatæ, celebritas, antiqua ex traditione peragitur.* Si inſtitutionis Cathedræ, id eſt Epiſcopatûs initium, memoria, anniuerſario cultu recolebatur, an non potiori obſeruantia celebrabatur eius paſſio & triumphus?

CAPVT III.

Natalis S. Andreæ veneranda vbique celebritas iampridem consignata, nec sine insigni elogio, in sacris Ecclesiæ tam Latinæ quàm Græcæ tabulis. Vbi etiam alia eius solennia consignantur.

ARTICVLVS I.

Id ostendens ex Latinis Kalendariis & Martyrologiis.

§. I. *Ex veteri Kalendario Romano.*

D euulgauit typis Heribertus Rosweidus Antuerpiis ex Officina Plantiniana anno 1613. sub titulo veteris Martyrologij Romani, quod Paulo V. Pontifici Maximo dedicauit, sic ipso in limine præfatus: *Romam redit, Sanctissime Pater, quod Romæ olim conceptum, quod Româ profectum, quod Romam ad originis suæ sedem, anhelabat: Vetus id est Romanum Martyrologium, quod prædecessores vestri summa cura in vrbe collectum, singulari fide conscriptum, maximo beneficio in Romani orbis diœceses transmiserunt. Et verò redit ad solem radius, ad fontem riuulus, ad stipitem ramus, ad cælum sidus.* Præclarè quidem, sed tamen sub titulo Martyrologij Romani, hîc prolatum ire libelli istius auctoritatem, non à re esse mihi visum, quòd texturæ eius strictior sit series, quàm vt Martyrologij sustinere nomen possit, existimem; mirum enim Kalendarium esse breuissima ipsius series illud prodit. Sanè iam dudum præter Sanctorum Martyrum acta, erat eorum certaminum quædam, non fusa quidem, sed abbreuiata descriptio, quæ in die Natali singulorum propria publicè in Ecclesia lectitari solebat. Erat insuper catalogus arctior, de quo sic S. Gregorius scribit ad Eulogium Patriarcham Alexandrinum, ep. 29. lib. 7. indictione 1. *Non penè omnium Martyrum distinctis per dies singulos passionibus, collecta in vno codice nomina habemus, atque quotidianis in diebus eorum veneratione Missarum solennia agimus.* Non tamen eodem volumine quis qualiter passus sit indicatur, sed tantùm locus & dies passionis ponitur. At

Rosweidi indiculus solùm nomina signat, loca passionis non innuit: arctius igitur adhuc est eo codicillo quem sanctus Gregorius asserit nomina & loca indicâsse. proinde non Martyrologium esse potest vetus Romanum, sed Kalendarium duntaxat Romanum vetus. Nam solùm dies indicat, & nomina Martyrum, non autem mortis genus, nec locum assignat. De S. Andrea exemplum est apertum: cuius in eo Kalendario hæc est breuissima consignatio,

II. *Kal. Nouembris Andreæ Apostoli.*

Nihil parcius. Nam diem certum quidem annotat: at sancti Apostoli nudum ponit nomen sine vllo indicio generis eius mortis, aut loci passionis. Vidi aliud exemplar, quod vnam voculam superaddit: nempe, *Natalis sancti Andreæ Apostoli.*

§. II. *Ex Kalendario Gallicano perantiquo.*

EST penes me in vetustissimo codice membraneo exaratum, aureis insigne notulis, & maiusculis litteris miniatis: plerisque locis ob caducitatem iam dissolutum, in quo sancti Andreæ profestum & Natalis sic breuiter notatur.

III. *Kal. Decembris vigilia Andreæ Apostoli.*
II. *Kal. Natale ipsius.*

§. III. *Ex Martyrologio Romano in antiquo codice MSC. in membranis, characteribus vetustæ notæ.*

III. *Kal. Decembris.*
Vigilia sancti Andreæ Apostoli.
II. *Kal. Decembris.*

Ciuitate Patras Prouincia A......... Sancti Andreæ Apostoli, qui in Scythia prædicauit. Hinc Beatissimus ab Ægea Proconsule comprehensus, primò in carcere est clausus, ac deinde grauissimè est cæsus, ad vltimum verò in cruce appensus, biduo mihi superuixit.

Et VI. *Idus Maij.*

Festiuitas Beati Andreæ Apostoli, quando sacratissimum eius corpus, vnà cum ossibus Sanctorum Lucæ Euangelistæ, & Timothei discipuli S. Pauli, sub Constantio Imperatore Constantinopolim translatum est.

§. IV. *Ex Martyrologio venerabilis Bedæ, quod extat editum, operum eius Tom. 3.*

III. *Kal. Decembris.*
Vigilia sancti Andreæ Apostoli.

Prid. Kal. Decembris.

In ciuitate Patras Prouinciæ Achaiæ, Natale Beati Andreæ Apostoli, qui interpretatur virilis vel decorus, frater Petri. Hic prædicauit in Scythia, qui ab Ægea Proconsule comprehensus, cùm perseueranter in fide Christi & Euangelio duraret, carcere clausus primùm: inde coram Proconsule grauissimè cæsus, ad vltimum cruce ligatis manibus & pedibus, funibúsque toto corpore tensus, biduo inibi superuixit, non cessans ea quæ Dei sunt populum docere. Cúmque hi qui crediderant Domino, satis agerent vt deponeretur, Ægeámque vt hoc perficeret nolentem impellerent, Apostolus Domini, circumstante populo, & Ægea Proconsule vt solueretur agente, post verba orationis fulgore cælesti ferè vna desuper circumfulsus hora, cum ipso lumine abscedente emittens spiritum perrexit ad Dominum: cuius corpus Maximilla potentissima Matronarum, reuerenter depositum sepeliuit.

Nonis Februarij.

In Patras ciuitate ordinatio Episcopatus sancti Andreæ Apostoli.

Paradoxum quod extat in Martyrologio venerabilis Bedæ, de sancto Andrea Apostolo passo sub Herode, apud Bethlehem Iudæ, examinatum & eliminatum.

INTER inuestigandum accuratiùs, ea quæ ad gloriam memoriæ sancti Andreæ pertinent, occurrit mihi non leuis scrupulus, cùm fortè in hæc verba venerabilis Bedæ, quæ extant in eius Martyrologio, incidissem. IV. *Idus Februarij in Bethlehem ciuitate Iudææ sub Herode rege, passio sancti Andreæ Apostoli.* Hæc etenim inscriptio perennem Ecclesiæ traditionem funditus euertit de Beati ipsius Apostoli martyrio, siue diem, siue locum, siue tyrannum spectes à quo illud passus est. Habet constans Ecclesiæ traditio gloriosum hunc Apostolum suum consummâsse agonem in Achaia: at illo Bedæ Martyrologio ponitur in Iudæa. Patrum docet consensus eundem fuisse crucifixum

apud Patras : ſed ſignat hoc Martyrologium, illum apud Bethlehem Iudææ ciuitatem, paſſionem ſuam ſubiiſſe. Traditio docet iuſſu Ægeæ Achaiæ Proconſulis fuiſſe cruci affixum : Martyrologium iſtud ſub Herode rege Iudææ aſſerit, illum martyrio affectum occubuiſſe. Cùm igitur hæc ita inter ſe pugnent, vt planè diſſona & aduerſa inueniantur : verſare mente cœpi quomodo hanc antinomiam ad aliquam concordiam reuocare poſſem. Subiit primùm opinio, locum Bedæ exſcribentium vitio eſſe corruptum ; ſed qua parte dubium erat ; anceps enim eram an circa diem, vel locum, vel tyranni nomen, aut paſſionis, prouocationis, aut electionis vocabulo, mendum irrepſiſſet : quod vltimum vero ſimilius ac nonnihil probabilius mihi apparebat. Nec repugnat enim ſancti Andreæ Apoſtoli veræ & rectæ hiſtoriæ, vocationem, ſeu primum eius ad Chriſtum acceſſum, regnante Herode apud Bethlehem Iudææ contigiſſe. Sed prorſùs repugnat ipſum ibidem ab ipſo Herode martyrio fuiſſe affectum : cùm firma ſit & vbique diffuſa traditio, ipſum non alibi quàm apud Patras inſignem Achaiæ ciuitatem fuiſſe paſſioni Dominicæ adæquatum. Ipſo etiam Beda id in ſuo Martyrologio ſemel ac iterum adſtipulante. Eodem enim menſe ſcilicet Nonis Februarij ſanctum Andream Achaiæ apud Patras Epiſcopatum iniiſſe conſignat. *In Patras ciuitate* (inquit) *ordinatio Epiſcopatus ſancti Andreæ Apoſtoli. Et prid. Kal. Decembris. In ciuitate Patras prouinciæ Achaiæ, Natale Beati Andreæ Apoſtoli, qui ab Ægea Proconſule comprehenſus*, &c. Vnde conſtat vel enormiter Bedam ſibimet aduerſari : vel locum illum qui duobus aliis contradicit, manifeſtè eſſe corruptum. Prius eſt improbabile : ſupereſt igitur neceſſariò poſterius eſſe verum.

Id porrò iam euidenter oſtendo. Obſeruatu igitur dignum eſt in Romano Martyrologio inſcriptionem, quæ extat apud Bedam 4. Idus Februarij de B. Andrea ſub Herode apud Bethlehem paſſo, non haberi; quemadmodum nec apud Vſuardum, nec apud Adonem. Verùm aliquod eius veſtigium ſignatum apparere, tam in Notkeri, quàm Rabani Martyrologiis, ſic in Notkeri legitur : *In Bethlehem ciuitate Iudææ ſub Herode rege paſſio Sanctorum Andreæ & Aporij.*
* *Februarij.* In Rabani verò, IV. *Iduum*, in Bethlehem ciuitate Iudææ paſſio Sanctorum Andreæ & Aporij.* Inde igitur hallucinatio ex-

exſcriptoris Bedæ ſit perſpecta, & error euidens: quòd nimirùm plurale Sanctorum nomen, in ſingulare tranſuerterit, & Apoſtoli, pro Aponij ſeu Aporij nomen poſuerit, ſícque duos Sanctos conflauerit in vnum, vt S. Andreæ Apoſtolo tribuerit, quod SS. Andreæ & Aponio martyribus iure proprio competebat. Hac igitur poſita obſeruatione, paradoxum illud quod legitur apud Bedam planè diluitur, & quæ ſit ſincera Bedæ lectio, abſterſo tam craſſo errore, clarè demonſtratur.

§. V. *Ex Martyrologio Vſuardi iuſſu Karoli Magni conſcripto.*

III. *Kal. Decembris.*

Vigilia ſancti Andreæ Apoſtoli.

Pridie Kal. Decembris.

In ciuitate Patras, &c. vt ſuprà legitur ex Martyrologio Romano MSC. vnde Vſuardus ad verbum exſcripſit.

Septimo Idus Maij.

*Feſtiuitas Beati Andreæ Apoſtoli, quando ſacratiſsimum eius corpus, vnà cum oßibus (apud quæ Dæmones rugiunt *) Sanctorum Lucæ Euangeliſtæ, & Timothei diſcipuli ſancti Pauli, ſub Conſtantino Imperatore, Conſtantinopolim tranſlata ſunt.*

* Hanc parentheſim interiecit Molanus ex S. Hieron. aduerſus Vigilant.

§. VI. *Ex Ephemeride Wandalberti Monachi Prumienſis, qui claruit ſub Ludouico Pio Imperatore.*

Tertio Kalendas Nouembris.

Vigilia ſancti Andreæ.

Secundo Kal. Natiuitas ſancti Andreæ Apoſtoli.

Idem in Metrico Martyrologio eiuſdem Wandalberti, quod extat cum citata Ephemeride, Tomo 1. operum Bedæ.

Andreas pridie præcellet Apoſtolus, amplis
Virtutum fulgens radiis, tituliſque per orbem,
Qui indomitos verbo ſigniſque ſubegit Achæos.
Brumalem hac claudent populorum vota Nouembrem.

§ VII. *Ex Martyrologio Adonis Archiepiſcopi Viennenſis.*

III. *Kal. Decembris.*

Vigilia ſancti Andreæ Apoſtoli.

Pridie Kalendas Decembris.

Natalis sancti Andreæ Apostoli. Nec plura ibi, quia alibi dixerat copiosè.

Ex eiusdem libello de Festiuitatibus Sanctorum Apostolorum, & reliquorum, qui discipuli, aut vicini, successoresque Apostolorum ipsorum, fuerunt.

II. *Kal. Decembris.*

In ciuitate Patras Prouinciæ Achaiæ, Natalis Beati Andreæ Apostoli, qui etiam apud Scythiam prædicauit. Hic beatissimus Apostolus ab Ægea Proconsule Achaiæ comprehensus, cùm perseueranter in fide duraret, insuperabilísque maneret, carcere primùm clausus, inde coram Proconsule grauissimè cæsus, ad vltimum cruce ligatis manibus & pedibus, funibúsque toto corpore tensus, vt longiùs cruciaretur, biduo inibi superuixit, non cessans ea quæ Christi sunt populum docere. Cúmque ij qui per eum Christo Domino crediderant, satis agerent, vt deponeretur, Ægeámque vt hoc perficeret nolentem impellerent, Apostolus Domini, circumstante populo, & Ægea Proconsule vt solueretur agente: post verba orationis, fulgore cælesti ferè vna desuper circumfulsus hora, cum ipso lumine abscedente, emittens spiritum perrexit fine beato ad Dominum: Cuius sanctissimum corpus Maximilla potentissima Matronarum, reuerenter depositum sepeliuit. Sed emergentibus annis, sacratissima eius ossa, vicesimo Constantij Imperatoris anno, * *ab Achaia Constantinopolim translata sunt.*

* *Eusebius in Chronico.*

§. VIII. *Ex Martyrologio Rabani Archiepiscopi Moguntini.*

II. *Kal. Decembris.*

Natale sancti Andreæ Apostoli, qui interpretatur virilis, vel decorus, frater Petri. Hic prædicauit Scythiam & Achaiam, ibique in ciuitate Patras, cruci suspensus occubuit.

§. IX. *Ex Martyrologio sanctæ Romanæ Ecclesiæ à Petro Galesinio Sedis Apostolicæ Protonotario, edito, & Gregorio XIII. summo Pontifici dedicato.*

III. *Kal. Decembris.*

Vigilia sancti Andreæ Apostoli.

Prid. Kal. Decembris.

Sancti Andreæ Apostoli. Is Bethsaïde, in Galilæa natus,

frater Beati Petri Apostoli, maior; primùm Ioannis Baptistæ discipulus, deinde cum Petro fratre, à Christo Domino vocatus, relictis retibus eum secutus est. Post cuius ascensionem cùm maritimas Bithyniæ partes, Pontum, Thraciam, Epirum, Peloponessum peragrando, fidem vbique prædicâsset, ad vrbem Patras denique venit, vbi Ægeam Proconsulem, Euangelicæ veritati resistentem liberrimè increpauit. Quamobrem comprehensus Apostolus, primò in carcerem truditur, post grauissimè cæditur, postremo cruci affigitur, in qua biduum viuus pendens & Christi fidem prædicare numquam intermittens, ad eum migrauit, cuius mortis similitudinem concupierat.

Ex eodem VIII. *Idus Decembris.*

DE OCTAVA S. ANDREÆ.

Octaua sancti Andreæ. Quam notauit ex venerabili Beda, & Radulpho Tungrensi. Hæc autem quàm olim esset in Gallia celebris, testantur Ecclesiarum insignium officia. Maximè verò vetus Breuiarium Parisiense M S C. & quædam impressa: signatim illud quod editum fuit anno 1557. Idem Sandionysianum anni 1550. Aurelianense 1573. Laudunense 1545. Suessionense 1571. immo & Gebennense 1556. Quo iure deleta fuerit, vix perspicio: quòd enim in minoribus censeretur, tempus aduentus Domini, quod olim ieiuniis erat obnoxium, & aliquid quadragesimale redolebat, in causa esse potuit. Nam & Parisiis in Breuiario reformato post Romani recognitionem, festa tantùm insigniora, quæ duplicia sunt, vel ad minus semiduplicia in aduentu Domini celebrantur. aliorum simplex tantùm fit commemoratio. Igitur poterat octaua S. Andreæ per simplicem commemorationem actitari. Et quidem, vt minimùm, die ipsius octauæ sola. Expostulaui non ita diu, in Notis editis super Breuiarium Parisiense, de octauæ huius abrogatione facta non ita considerate ab iis censoribus, qui octauam etiam immaculatæ Conceptionis sanctissimæ Mariæ, minùs oculatè sustulerunt. Quanquam sunt qui iustam causam * eiusdem suppressionis prætendunt, scilicet non vt Beatissimæ Virginis minueretur honor: sed ne officium Aduentûs Domini prætermitteretur: quæ ratio, si cuius est momenti, militat etiam pro cessatione octauæ olim celebris sancti Andreæ.

* *Vide Coluenerium Kalendarij sanctissimæ Virginis part. 2. die 9. Decembris, & die 15.*

§. X. *Ex Martyrologio Romano, à Baronio auctiùs & correctiùs edito.*

Tertio Kal. Decembris.

Vigilia sancti Andreæ Apostoli.

Pridie Kal. Decembris.

Apud Patras Achaiæ, Natalis sancti Andreæ Apostoli, qui in Thracia & Scythia Christi Euangelium prædicauit. Is ab Ægea Proconsule comprehensus, primò in carcere clausus est, deinde grauissimè cæsus, ad vltimum in cruce suspensus, in ea populum docens, biduo superuixit: & rogato Domino, ne eum sineret de cruce deponi: circumdatus magno splendore de cælo, abscedente postmodum lumine, emisit spiritum.

Septimo Idus Maij.

Constantinopoli Translatio sancti Andreæ Apostoli & Lucæ Euangelistæ de Achaia, & Timothei discipuli Beati Pauli Apostoli. Corpus autem sancti Andreæ Apostoli longo pòst tempore, Amalphim delatum: ibi pio fidelium concursu honoratur. Ex cuius sepulchro, liquor ad languores curandos iugitur manat.

§. XI. *Ex Fastis Christianis, siue libro inscripto, Pantheon, Ioannis Bachotij.*

Die 30. Nouembris.

A rdent diuinis Andreæ viscera flammi S
N imbifer atque niue incipiunt ignescere sol I
D eposuisse cruci, de nudo pectore flamma M
R es agitur, gelidas omni rescindere mund O
E xtemplo glacies molitur, in æthere carme N
A udiit, ille crucem vano præponit amor I
S ic clamans, bona crux, quæ cælo perdita salua S.

Frigidissimo cælo, nudus crucem sustinuit; sed non nocebat glacialis plagæ frigiditas, cui feruenti spiritu flagrabat deuotio; quod mundani milites faciunt, eo magis Christianos decet exercere.

Frigora sæua pati, grauibus non cedere nimbis,
Æstiuum tolerare iubar.

§. XII. *Ex nostro Martyrologio Gallicano.*

Tertio Kal. Decembris.

Vigilia sancti Andreæ Apostoli.

Pridie Kal. Decembris.

NATALIS sancti Andreæ Apostoli, præcipui S. Ioannis Baptistæ symmystæ; primi Christi sectatoris & discipuli; Apostolorum secundicerij; Petri eorum Principis germani, doctoris, ducis, illuminatoris, eiusdémque præcursoris ad vitam, & ad mortem successoris; primi cum eo hominum Piscatoris: gentium IESVM *videre quærentium*, ad ipsum grati officiosíque ductoris; Agni immaculati quotidiani immolatoris, eiusdémque viuæ carnis & realis in magno illo pietatis sacramento præsentiæ, magnifici assertoris: Crucis amatoris & Paranymphi; crucifixi in virentis oliuæ transuerso stipite pendentis; biduo in Christi lectulo decumbentis, decumbendo prædicantis, prædicando patientis, patiendo exultantis, exultando morientis, moriendo viuentis, fulgentis, fragrantis, triumphantis. Quem Patres in trophæo admirati nuncupârunt, Angelum terrestrem, hominem cælestem, Dei & hominis perfectum simulachrum, vestigiorum Christi propinquum sectatorem, militem eiusdem præ cæteris animosum, castrorum eius signiferum, imò ducem inuictum; feruentem Domini æmulum, in laboribus, in vigiliis: in contumeliis; in paupertate, in mansuetudine, in charitate & misericordia, in obedientia, in humilitate, in patientia: in vita denique & in morte. Cuius recolentes martyrium non vt cæterorum pietatis athletarum, dixêre se agere *natalem*, sed, *gloriosum celebrare triumphum*. Quem etsi vbique terrarum constet fuisse semper illustrem & venerabilem: Galliæ tamen imprimis fuisse clarum, charum ac ab initio honorabilem, vetera non modò euincunt Ecclesiarum diptycha, quæ trium indicant præcipuo cultu peragenda Apostolorum solemnia: nempe natalem vnicum Petri & Pauli, & singulare Andreæ trophæum. Quod festum Christianissimi Reges Carolus Magnus, Ludouicus Pius, & Carolus Caluus omni religione præcipientes celebrari, cum præcipuis Domini & sanctæ Virginis Deigenitricis festiuitatibus connumerârunt; specialíque honore colendum Patres Gallicani in Moguntiaco Concilio, ante annos octingentos, decreuerunt. Itémque in Remensi sub Sonantio Archipræsule, & Turonensi sub Herardo. Quo ex Gallicanæ Ecclesiæ ritu perantiquo, Innocentius IV. Pontifex Maximus Lugduno cùm Cluniacum venisset, in festo passionis sancti An-

dreæ, quod in Gallia maximè solemne esset, nec minùs apud Sedem Apostolicam, ob memoriam tanti Apostoli (qui prima fuit vocatio Domini Saluatoris, & germanus sociúsque Petri) conspicuum & venerandum: Missam ad summum altare eiusdem monasterij, cum maximo splendore Apostolicæ dignitatis celebrauit, adsistentibus sibi ad aram duodecim Cardinalibus: sacra verò mysteria in Pontificali decore spectantibus Antiocheno & Constantinopolitano Patriarchis, Archiepiscopis insuper Remensi, Lugdunensi & Bisuntino; Parisiensi verò, Cabilonensi, Lingonensi, Claromontensi, Catalaunensi, Suessionensi, aliisque multis Episcopis: Cluniacensi Cœnobiarcha, & Cisterciensi, cum aliis plurimis Abbatibus. Nec modò festum S. Andreæ in Gallia illustre fuit, sed nomen, sed memoria, sed reliquiæ, sed patrocinia admodum iam olim insignia, chara, pretiosa & venerabilia extitêre. Quam deuotionem in hunc beatum Apostolum ab ipso erumpentis in Gallia Euangelici luminis exordio cœpisse exploratum est: quin & ab ipsis primis Christi gloriæ præconibus, & Ecclesiarum Apostolis, hanc emanâsse: qui vt S. Andreæ memoriam colendam populis infigerent, prima templa conspicuis in vrbibus sub eius nomine condiderunt. In quibus primatum honoris tenet Burdegalensis (Aquitaniæ secundæ caput) in honorem beatissimi huius Apostoli à sancto Martiale Christi nobili discipulo, & Apostolo Galliæ Aquitanicæ, consecrata: deinde huius glorioso titulo dedicata iampridem est celebris Pontificalis basilica Agathensis, in qua Patres numeroso cœtu, ex quibusque Galliarum prouinciis regnante Clodouæo Magno conuenientes considentésque, septuaginta vnum Canones magnæ auctoritatis de sacris rebus, ritibus, & œconomia ediderant. In quorum limine ad precum commendationem & decretorum illustrationem, S. Andreæ, ædis ipsius tutelaris, nomen venerabile commemorârunt. Ex cuius nomine non modò, sed multò magis meritis, pignoribus, miraculis clarificatam valde sua ætate eminuisse hanc ipsam basilicam, Gregorius Turonensis (qui certa testatur) in aureo opusculo quod inscripsit *de gloria Martyrum*, luculenter enarrat. Proximè verò huic accedit Cathedratica quoque Ecclesia Abrincensis, ante mille ducentos annos fundata, quæ ditata iamdudum vno sancti Andreæ (quo in cruce fixus hæsit) brachio pa-

trocinio illius mirificè gloriatur. Alterum cuius brachium (vt Galliam vtroque tueatur) Remis in monasterio sancti Remigij, religiosissimè in sacrario reconditum est. Crux sancti huius Apostoli à Stephano Burgundiæ Rege ex Achaia in Galliam deportata, apúdque Veaunenses Virgines (nam virgo & Andreas fuit ac perstitit) in agro Massiliensi deposita : inde anno salutis millesimo ducentesimo quinquagesimo ad sancti Victoris famosum cœnobium translata est, vbi etiam asseruatur. Fundauit Guillelmus Godefridus Dux Aquitaniæ & Pictauiæ Comes in Pictauiensi suburbio nobilem Abbatiam in honorem sancti Andreæ Apostoli & Martyris, & beati Ioannis Apostoli itidem & Euangelistæ, in vico de Cassania, *Monasterium Nouum* vocitatam, quam Vrbanus secundus post absolutum celebre Concilium Aruernense, instante ipso Guillelmo Duce, ritu solemni dedicauit. Aruernis verò extat antiqua ipsius Apostoli Ecclesia, cuius Gregorius Turonensis meminit, apud quam S. Tigidius vrbis illius Episcopus quiescit. Hanc æui senio collapsam instaurauit Wilelmus Comes & Delphinus Aruerniæ, anno Domini millesimo centesimo quadragesimo nono, vbi idem inclytus Dynasta, ascetas instituit ordinis Præmonstratensis, tunc efflorentis. Sed & Parisiis, vbi regni sedes, conspicitur nobilis S. Andreæ Ecclesia parœcialis, ipsius primario titulo, & S. Ioannis (qui ipsimet passim in locis Galliæ sacris iungitur, ob prærogatiuam virginitatis & præcipuam Domini dilectionem) secundariâ inuocatione insignis. Monasticæ etiam sunt nonnullæ in Gallia sub patrocinio tanti Apostoli basilicæ. Inter quas Abbatialis Ecclesia sancti Andreæ monialium, in vrbe Vienna, instaurata à Conrado Rege Burgundiæ, & Mathilde eius coniuge : subindéque ab Andrea itidem Rege Burgundiæ, qui ibi reconditus iacet. Insuper sacra ædes Abbatialis S. Andreæ de Bosco, præsulatus Saniciensis. Sancti Andreæ in nemore territorij Ambianensis. Sancti Andreæ diœcesis Brugensis, olim Tornacensis. Cuius est præ cæteris fundatio memoratu digna. Anno etenim millesimo nonagesimo octauo Robertus Flandriæ Comes, qui vindiciis Hierosolymæ interfuerat, iussit per literas, vxori Clementiæ, vt cœnobium construeret in honorem S. Andreæ : eo quòd beatus ille Apostolus Antiochiæ Petro sacerdoti Massiliensi apparens, lanceam qua Christi latus percussum

fuit, latentem in basilica S. Petri reuelauerat : quâ inuentâ, & ex Apostoli monitu in acie exercitus delatâ, infestos infidelium cuneos deiecit, perculit, dissipauit; Christianorúmque agmina viribus collapsa ad pugnam animans, insignem illam, qua Palæstinæ regnum Christo reuendicatum est, peperit victoriam. Clementia viri piæ iussioni obtemperans, statim à Baldrico (aliis Balduino) Episcopo Tornacensi, altare in Stratis impetrauit iuxta Brugas, vbi monasterium, ceu immortale tanti beneficij mnemosynon, in memoriam construxit S. Andreæ Apostoli, Christi passionis imitatoris, Christianorum defensoris, infidelium triumphatoris. Cuius & ope (præsidiis sanctissimæ Deiparæ, quæ *Apostolorum regina est*) communita, insignem illam naualem victoriam, Christianis obtigisse consentaneum est credere : qua Turci in Corinthiaco sinu *iuxta Patras, vbi magnus ille Apostolus hac die sub Ægea crucifixus est*, strage immani fusi & ferè deleti sunt : incredibili reipublicæ Christianæ solatio & commodo.

Quinto Nonas Februarij.

*Burdigalæ, Agathæ & Abrincis, veneratio S. Andreæ Apostoli, Episcopalium harum Ecclesiarum Tutelaris : Cuius hodie Cathedræ, Patris in Achaia (vbi ouans demum crucem peroptatam ascendit) ab ipso collocatæ celebritas, antiqua ex obseruatione peragitur.**

* *Beda Ven. in Martyrol. hoc die.*

Septimo Idus Maij.

Festiuitas S. Andreæ Apostoli, quando sacratißimum eius corpus ex Achaia vnà cum oßibus SS. Lucæ Euanglistæ, ac Timothei S. Pauli discipuli, apud quæ (ait B. Hieronymus) dæmones rugiebant, Constantinopolim sub Constantio Imperatore translatum est. Cuius celebris aduectionis memoria, iampridem in Ecclesiasticis tabulis consignata, potißimum verò Burdigalæ, Agathæ, & Abrincis, vbi S. Andreas, Episcopalium ædium & sedium proprius Tutelaris colitur. Quæ Ecclesiæ vt pignoribus eius sacratißimis etiam decoratæ sunt: sic huius translationis, quâ primùm distrahi cœperunt veneranda eius spolia ; eo quo par est honore solennia exequuntur; quæ & Carnuti in Ecclesia de valle cœnobitica, vbi vnum Sancti ipsius Apostoli brachium religiosè asseruatur, etiam ex prisco vsu & felicis oppignerationis iure, digna honorificentia celebrantur.

Decimo quinto Kal. Decembris.

Aureliis brachij S. Andreæ Apostoli, olim repositi in sum-

summa Basilica sanctæ crucis, cum aliis plerisque insignium Sanctorum pignoribus, impia crematio, facta ab emissariis diaboli Caluinisticis hæreticis.

Ex Supplemento eiusdem Martyrologij Gallicani.

Pridie Kalendas Decembris.

In Monasterio Casæ Dei, in Aruernia, Veneratio brachij S. Andreæ Apostoli, hodie apud Patras Achaiæ Metropolim, in curru Dominico, cum luce ac odore suauissimo, & Spiritus sancti gaudio, dum moreretur triumphantis. cuius egregij Apostoli & Athletæ barba longa, vt minimum vno palmo, & niuis instar candida, circumspersis tamen capillis nigris, Massiliæ in Prædicatorum Ecclesia hodie ostenditur, & magna reuerentia conspicitur.

ARTICVLVS II.

Natalis eiusdem sancti Apostoli solennitas......

Ex Orientalis Ecclesiæ tabulis.

Τῷ αὐτῷ μηνὶ, λ'. τοῦ ἁγίου καὶ ἐνδόξου ἀποστόλου, Ἀνδρέου τοῦ πρωτοκλήτου.

Eodem mense die trigesima, Sancti * ac gloriosi Andreæ Apostoli, intérque Apostolos vocati primi.

* Nouembri

Ἐν τῷ μεγάλῳ ἑσπερινῷ μετὰ τὸν προοιμιακὸν, ψάλλομεν, τὸ Μακάριος ἀνὴρ, Εἰς τὸ Κύριε ἐκέκραξα, ἱστῶμεν στίχους η', καὶ ψάλλομεν στιχηρὰ προσόμοια, τὰ παρόντα τρία, δευτεροῦντες τὸ πρῶτον.

In magnis vesperis, *post psalmum proœmiacum, (qui est Ps. 103. Benedic anima mea Domino) canimus psalmum, Beatus vir. Ad psalmum, Domine clamaui, adiungimus versus octo, ac similares versiculos tres hîc positos canimus, priorem bis repetentes.*

Ὁ ἐξ ὑψίστου κληθείς.

Qui ex altissimo vocatus.

Ὁ τῷ προδρόμῳ φωνῇ μεμορφωμένος, ὅτε τὸ ἀπαύγασμα, τὸ ἐνυπόστατον τῆς πατρικῆς δόξης ἔφανεν, ἀνθρώπων γένος δι' εὐσπλαγχνίαν σῶσαι βουλόμενος· τότε πρῶτος, ἔνδοξε, τούτῳ προσέδραμες· καταυγασθεὶς τὴν διάνοιαν, τελεωτάτῃ μαρμαρυγῇ αὐτοῦ τῆς θεότητος· ὅθεν καὶ κῆρυξ, καὶ ἀπόστολος χρηματίζεις Χριστοῦ τοῦ Θεοῦ ἡμῶν· ὃν ἱκέτευε σῶσαι, καὶ φωτίσαι τὰς ψυχὰς ἡμῶν.

Δίς.

LVCE *Christum præcurrente formatus, cùm splendor subsistens paternæ gloriæ visendum se præbuit, salutem allaturus (quæ eius clementia!) humano generi: tunc primus ipse, ô gloriose, ad eum accurristi: nempe perfectissimo radio illius deitatis animo collustratus. Quamobrem etiam præco, ac Apostolus Christi, ac Dei nostri existis. Hunc precare, vt animas nostras saluas faciat, atque illustret.* Bis canatur.

Ὁ τῆς προδρόμου φωνῆς ἐνηχ-

Tu qui vocis Christum præcurrentis sono

audito, cùm Verbum sanctißimum carnem assumpsit, vt nobis vitam ac salutem præstaret, euangelisans iis qui in terra erant; tunc ipsum, ô sapientißime, secutus es, téque ipsum primitias ac sacram quandam delibationem illi consecrasti; quem & agnouisti, & fratri tuo nuntiasti, Deum nostrum ora vt salutem præstet.

Qui natum ex sterili magistrum habuisti, cùm virginalis enituit partus pietatem docens, ac castitatis puritatem ostendens, tu virtutis feruentißimus amator extitisti, B. Andrea, qui in corde ascensiones disposuisti, exque gloria in gloriam ineffabilem Christi Dei nostri transiuisti; eum precare, vt animas nostras saluas faciat atque illustret.

Gloria. Anatolij.

Relicta piscium captura, ô Apostole, homines calamo prædicationis capis, instar hami laxans pietatis escam, éxque erroris profundo omnes gentes attollens, Andrea Apostole, principis Apostolorum germane, ac orbis doctor clarißime. ne cesses intercedere pro nobis, qui fide atque amore laudatißimam ac semper colendam tuam memoriam laudamus.

Sicut erat.

Esaia choros ducito: verbum Dei suscipe: puellæ Mariæ rubum vaticinare, qui Deitatis flamma ardeat, nec igne comburatur. Præparare Bethleem: portam aperi Eden. Ite magi videre salutem, pannis inuolutum, eum quem stella nuntiauit è cauernæ tecto lucens; Dominum vitæ datorem, qui saluat genus humanum.

Introitus. Lumen lætum, ac lectiones. Lectio Epistolæ Petri Catholicæ.

Petrus Apostolus Iesu Christi, electis, &c.

λιθίος, ὅτε ὁ παναγίος λόγος σεσάρκωται, ζωὴν ἡμῖν παρεχόμενος καὶ σωτηρίαν, τοῖς ἐπὶ γῆς εὐαγγελιζόμενος. τότε τούτῳ, πάνσοφε, κατηκολούθησας καὶ σεαυτὸν ἀκροθίνιον, καὶ παναγίαν, ὡς ἀπαρχὴν αὐτῷ καθιέρωσας· ὃν καὶ ἐπέγνως καὶ ἐμήνυσας τῷ συγγόνῳ τῷ σῷ τὸν θεὸν ἡμῶν. ὃν ἱκέτευε σῶσαι.

Ὁ τῷ ἐκ στείρας βλαστήσαντι φοιτήσας ὅτε ὁ παρθένιος, τόκος ἀνέτειλε τῆς εὐσεβείας διδάσκαλος, καὶ σωφροσύνης ὑποδεικνύων τὴν καθαρότητα. τότε σὺ θερμότατος τῆς ἀρετῆς ἐραστής. Ἀνδρέα μάκαρ γεγένησαι, τὰς ἀναβάσεις ἐν τῇ καρδίᾳ διατιθέμενος, καὶ ἀπὸ δόξης, πρὸς τὴν ἄφραστον ἦλθες δόξαν, Χριστοῦ τοῦ θεοῦ ἡμῶν. ὃν ἱκέτευε σῶσαι, καὶ φωτίσαι τὰς ψυχὰς ἡμῶν.

Δόξα. Ἀνατολίου.

Τὴν τῶν ἰχθύων ἄγραν καταλιπών, ἀπόστολε ἀνθρώπους σαγηνεύεις καλάμῳ τοῦ κηρύγματος, χαλῶν ὥσπερ ἄγκιστρον, τῆς εὐσεβείας τὸ δέλεαρ καὶ ἀνάγων ἐκ τοῦ βυθοῦ τῆς πλάνης τὰ ἔθνη ἅπαντα, Ἀνδρέα ἀπόστολε, τοῦ κορυφαίου ὁμαίμων καὶ τῆς οἰκουμένης, ὑφηγητὰ διαπρύσιε· πρεσβεύων μὴ ἐλλείπῃς ὑπὲρ ἡμῶν, τῶν ἐν πίστει καὶ πόθῳ εὐφημούντων πανεύφημε τὴν ἀξιοσέβαστον μνήμην σου.

Καὶ νῦν.

Ἡσαΐα, χόρευε λόγον θεοῦ ὑπόδεξαι προφήτευσον τῇ κόρῃ Μαριὰμ βάτον καταφλέγεσθαι, καὶ πυρὶ μὴ καίεσθαι, τῇ αἴγλῃ τῆς θεότητος Βηθλεὲμ εὐτρεπίζου· ἄνοιγε πύλην ἡ ἐδέν. καὶ μάγοι πορεύεσθε ἰδεῖν τὴν σωτηρίαν, ἐν φάτνῃ σπαργανούμενον, ὃν ἀστὴρ ἐμήνυσεν, ἐπάνω τοῦ σπηλαίου. ζωοδότην κύριον τὸν σώζοντα τὸ γένος ἡμῶν.

Εἴσοδος, φῶς ἱλαρὸν, καὶ τὰ ἀναγνώσματα. Καθολικῆς ἐπιστολῆς Πέτρου τὸ ἀνάγνωσμα.

Πέτρος ἀπόστολος Ἰησοῦ Χριστοῦ. &c.

Εἰς τὴν λιτήν.

Ἀνδρέου Ἱεροσολυμίτου.

Ὁ πρωτόκλητος μαθητὴς, καὶ μιμητὴς τοῦ πάθους, συμμορφούμενός σοι Χριστὲ Ἀνδρέας ἀπόστολος τοὺς ἐν βυθῷ τῆς ἀγνοίας πλανωμένους ποτὲ τῷ ἀγκίστρῳ τοῦ σταυροῦ σου ἀνελκύσας προσήγαγέ σοι. ταῖς πρεσβείαις αὐτοῦ ὑπεράγαθε, τὴν ζωὴν ἡμῶν εἰρήνευσον, καὶ σῶσον τὰς ψυχὰς ἡμῶν.

Ὁ αὐτός.

Ὑμνήσωμεν οἱ πιστοὶ, Πέτρου τὸν σύγγονον, Ἀνδρέαν τὸν Χριστοῦ μαθητήν· οὗτος γὰρ τὴν θάλασσαν, δικτύοις ἐρευνήσας ποτὲ ἰχθύας ἐζώγρησε. νῦν δὲ τὴν οἰκουμένην τῷ καλάμῳ σαγηνεύει τοῦ σταυροῦ, καὶ τὰ ἔθνη ἐκ πλάνης ἐπιστρέφει, τῷ βαπτίσματι. καὶ Χριστῷ παριστάμενος, αἰτεῖται τὴν εἰρήνην τῷ κόσμῳ, καὶ ταῖς ψυχαῖς ἡμῶν τὸ μέγα ἔλεος.

Ὁ αὐτός.

Τὸ πῦρ τὸ νοερὸν τὸ φωτίζον διανοίας, καὶ φλογίζον ἁμαρτίας, ἔνδον λαβὼν ἐν καρδίᾳ, ὁ ἀπόστολος Χριστοῦ καὶ μαθητὴς, λάμπει μὲν, ταῖς μυστικαῖς ἀκτῖσι τῶν διδαχῶν. ἐν ταῖς τῶν ἐθνῶν ἀφωτίστοις καρδίαις φλέγει δὲ πάλιν τὰς φρυγανώδεις τῶν ἀσεβῶν μυθουργίας. πῦρ γὰρ τοῦ πνεύματος, τοιαύτην ἔχει τὴν ἐνέργειαν. ὢ θαῦμα ξένον καὶ φοβερόν. ἡ πηλώδης γλῶσσα ἡ πηλίνη φύσις, τὸ σῶμα τὸ χοϊκὸν, τὴν νοερὰν καὶ ἄϋλον ὑπεδέξατο γνῶσιν. ἀλλ᾽ ὦ μύστα τῶν ἀῤῥήτων, καὶ θεωρὲ τῶν οὐρανίων, ἱκέτευε καταυγασθῆναι τὰς ψυχὰς ἡμῶν.

Τὸν ποθούμενον θεὸν ἐν σαρκὶ κατιδὼν ἐπὶ γῆς βαπτίζοντα, θεόπτα πρωτόκλητε, τῷ μὲν ὁμαίμονι ἐβόας ἀγαλλόμενος, εὑρήκαμεν ὦ Σίμων τὸν ποθούμενον. τῷ δὲ σωτῆρι δαβιτικῶς ἐκραύγαζες· ὃν τρόπον ἐπιποθεῖ ἡ ἔλαφος ἐπὶ τὰς πηγὰς τῶν ὑδάτων, οὕτως ἐπιποθεῖ ἡ ψυχή μου πρὸς σε Χριστὲ ὁ θεός. ὅθεν καὶ πόθῳ πόθον προσθεὶς, διὰ σταυροῦ διαβαίνεις, πρὸς ὃν ἐπόθησας, ὡς ἀληθὴς μαθητὴς καὶ σοφὸς μιμητὴς γενόμενος, τῆς διὰ

Ad processionem.

Andreæ Hierosolymitani.

Primus vocatione discipulus ac passionis æmulus: tibi Christe assimilis factus Andreas Apostolus, errantes in ignorantiæ imo gurgite crucis hamo extractos tibi obtulit. Tu perquam optime eius intercessionibus vitæ nostræ pacem tribue, nostrísque animabus vitam præbe.

Idem.

Laudemus fideles Petri germanum, Christi discipulum, hic namque quandoque retibus æquora scrutans pisces capiebat, nunc autem crucis arundine orbem piscatur, gentésque baptismatis initiatione conuertit; & Christo assistens pacem mundo, magnámque nobis misericordiam exorat.

Idem.

Ignem spiritalem qui mentes illuminat, exurítque peccata, intus animo accipiens Christi Apostolus ac discipulus, illucet quidem mysticis doctrinæ radiis tenebrosis gentium cordibus: iterum verò fruticosas impiorum fabellas ac nugamenta perurit. Hæc enim ignis spiritus vis existit. O nouum tremendúmque miraculum! lingua lutea, natura lutea, corpus terrenum, spiritalem ac sine materia scientiam suscepit. Sed ô doctor rerum arcanarum, ac cælestium contemplator, precibus obtine vt mentes nostræ illustrentur.

Desideratum in carne Deum in terra baptizantem cùm vidisses, Dei aspectu dignatus, ac vocatione primus fratri gaudio clamabas, dicens: Inuenimus, ô Simon, desideratum. at Saluatori Dauidicis clamabas verbis: sicut desiderat ceruus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Christe Deus: quamobrem etiam desiderium desiderio cumulans per crucem ad desideratum tanquam verus discipulus transis, sapiénsque æmulator

eius per crucem passionis effectus. Idcirco illi gloriæ consors factus, intercede iugiter pro nostris animabus. Gloria.

Andreas Hierosol. auctor.

Præconem fidei ac sermonis ministrum Andream laudibus prosequamur. Hic è profundo homines expiscatur, arundinis loco crucem manu tenens; ac velut linum laxans virtutem, animas ab inimici deceptione educit, ac Deo munus acceptabile addicit. Hunc semper, Christiani, laudemus cum choro discipulorum Christi, ut ipse intercedens propitium nobis illum faciat in die iudicij.

Domina suscipe. Sicut erat.

Modulus in S. Deiparam.

Item preces solitæ.

Ad versum similares versiculi.

Gaudeas rationale cælum, quòd Dei gloriam semper enarres, qui primus Christo vocanti feruenter obsecutus es, ac nullo mediante cum eo congressus es: cuius perfusus luce lumen alterum visus es, tuísque fulgoribus illuminasti eos qui erant in tenebris, illius bonitatis imitator existens. Idcirco sanctissimam tuam solemnitatem læti agimus, ac loculum quo tuæ continentur reliquiæ gaudio amplexamur, ex quo salutem, ac magnam misericordiam poscentibus scaturis.

Versus, In omnem terram exiuit sonus eius.

Cùm è discipulis primus eum inuenisses, qui misericordia motus, nostram induit naturam, diuino Andrea prædite sensu, accenso illi desiderio adhæsisti, germano clamans, quem Prophetæ in spiritu prædicauerunt, inuenimus: veni, animum, mentémque nostram venustate illius mulceamus, quo eius illustrati fulgoribus erroris noctem ac ignorantiæ tenebras dispellamus, Christum laudantes, qui magnam misericordiam tribuit mundo.

σταυροῦ αὐτοῦ πάθους. διὸ καὶ τῆς δόξης κοινωνὸς αὐτῷ γενόμενος, ἐκτενῶς ἱκέτευε ὑπὲρ τῶν ψυχῶν ἡμῶν. Δόξα.

Ἀνδρέου Ἱεροσολυμίτου.

Τὸν κήρυκα τῆς πίστεως, καὶ ὑπηρέτην τοῦ λόγου Ἀνδρέαν εὐφημήσωμεν, οὗτος γὰρ τοὺς ἀνθρώπους, ἐκ τοῦ βυθοῦ ἁλιεύει. ἀντὶ καλάμου, τὸν σταυρὸν, ἐν τῇ χειρὶ διακρατῶν, καὶ ὡς σπαρτίον χαλῶν τὴν δύναμιν, ἐπισπάζει τὰς ψυχὰς. ἀπὸ τῆς πλάνης τοῦ ἐχθροῦ, καὶ προσκομίζει τῷ θεῷ εὐπρόσδεκτον. ἀεὶ τοῦτον πιστοὶ, σὺν τῇ χορείᾳ τῶν μαθητῶν τοῦ Χριστοῦ εὐφημήσωμεν. ἵνα πρεσβεύῃ αὐτῷ ὅπως ἵλεως γενήσεται ἡμῖν, ἐν τῇ ἡμέρᾳ τῆς κρίσεως.

Δέσποινα πρόσδεξαι. Καὶ νῦν.

Θεοτόκιον.

Καὶ αἱ συνήθεις εὐχαί.

Εἰς τὸν στίχον προσόμοια.

Χαίροις ὁ λογικὸς οὐρανὸς, δόξαν θεοῦ διαπαντὸς διηγούμενος, ὁ πρῶτος Χριστῷ καλοῦντι, καθυπακούσας θερμῶς. καὶ ἀμέσως τούτῳ συγγινόμενος. ὑφ' οὗ πυρσευόμενος καθωράθης φῶς δεύτερον, καὶ τοὺς ἐν σκότει ἀστραπαῖς σου ἐφώτισας, ἀγαθότητα τὴν αὐτοῦ ἐκμιμούμενος. ὅθεν τὴν πανάγιαν σου τελοῦμεν πανήγυριν, καὶ τὴν λειψάνων σου θήκην, περιχαρῶς ἀσπαζόμεθα, ἐξ ἧς ἀναβλύζεις, σωτηρίαν τοῖς αἰτοῦσι, καὶ μέγα ἔλεος.

Στίχ. Εἰς πᾶσαν τὴν γῆν ἐξῆλθεν ὁ φθόγγος αὐτοῦ.

Πρῶτος τῶν μαθητῶν εὑρηκὼς, δι' εὐσπλαγχνίαν, τὴν ἡμῶν περικείμενον Ἀνδρέα θεόφρον φύσιν. συνανεκράθης αὐτῷ, διαπύρῳ πόθῳ, τῷ συναίμονι βοῶν, ὃν ἐκήρυξαν οἱ προφῆται ἐν πνεύματι, εὑρήκαμεν· δεῦρο, ταῖς αὐτοῦ ὡραιότησι καταθέλξωμεν καὶ ψυχὴν καὶ διάνοιαν ὅπως φωταγωγούμενοι, αὐτοῦ ταῖς λαμπρότησι νύκτα τῆς πλάνης καὶ σκότος τῆς ἀγνωσίας διώξωμεν, Χριστὸν εὐλογοῦντες, τὸν παρέχοντα τῷ κόσμῳ τὸ μέγα ἔλεος.

Στίχος. Οἱ οὐρανοὶ διηγοῦνται δόξαν θεοῦ.

Versus, Cæli enarrant gloriam Dei.

Ἔθνη τὰ μὴ εἰδότα θεὸν, ὡς ἐκ βυθοῦ τῆς ἀγνωσίας ἐζώγρησας σαγήνῃ τῶν σῶν λογίων. καὶ συνταράσσεις σαφῶς, ἁλμυρὰς θαλάσσας, ἵππος ἄριστος, ὀφθεὶς τοῦ δεσπόζοντος, τῆς θαλάσσης ἀοίδιμε. καὶ σηπεδόνα ἀσεβείας ἐξήρανας, ἅλατι τιμίῳ ἐμβαλὼν τὴν σοφίαν σου. ἣν περ καὶ κατεπλάγησαν. ἀπόστολε ἔνδοξε, τῆς μωρανθείσης σοφίας οἱ ἀναιδῶς ἀντεχόμενοι· Χριστὸν μὴ εἰδότες τὸν παρέχοντα τῷ κόσμῳ, τὸ μέγα ἔλεος.

Gentes quæ Deum non nouerant, tanquam ex ignorantiæ profundo tuorum sagena eloquiorum cepisti: sapientérque conturbas salsa maria, equus optimus visus, ô inclyte, eius qui mari dominatur: putredinem quoque impietatis siccasti pretioso iniecto sale, tuá nempe sapientiâ, quam & stupuerunt, gloriose Apostole, qui impudentiùs infatuatæ sapientiæ student, Christum ignorantes, qui magnam mundo tribuit misericordiam.

Δόξα. Γερμανοῦ.

Gloria. Germanus auctor.

Τὸν συναίμονα Πέτρου καὶ Χριστοῦ μαθητὴν τῶν ἰχθύων ἀγρευτὴν, καὶ ἁλιέα τῶν ἀνθρώπων, ἐν ὕμνοις τιμήσωμεν, Ἀνδρέαν τὸν ἀπόστολον· τοῦ γὰρ Ἰησοῦ τὰ διδάγματα, πάντας ἐξεπαίδευσε τοῖς δόγμασι. καὶ ὡς δέλεαρ ἰχθύσι, τὰς σάρκας τοῖς ἀνόμοις παρέδωκε, καὶ τούτους ἐσαγήνευσεν. αὐτοῦ ταῖς ἱκεσίαις, Χριστὲ, παράσχου τῷ λαῷ σου εἰρήνην, καὶ τὸ μέγα ἔλεος.

Petri germanum ac Christi discipulum, piscium piscatorem, ac piscatorem hominum, canticis celebremus Andream Apostolum. Iesu namque doctrinam cunctos docuit; velut escam piscibus carnes improbis præbuit, eáque illos ratione cepit. Eius Christe precibus pacem tribue plebi tuæ, ac magnam misericordiam illi impende.

Καὶ νῦν. Θεοτόκιον.

Sicut erat. Modulus ad laudem SS. Virg.

Ἀπολυτίκιον, ἦχος δ'.

Dimissorius modulus siue ad finem vesperarum.

Ὡς τῶν ἀποστόλων πρωτόκλητος, καὶ τοῦ κορυφαίου αὐτάδελφος, τῷ δεσπότῃ τῶν ὅλων, Ἀνδρέα ἱκέτευε, εἰρήνην τῇ οἰκουμένῃ δωρήσασθαι, καὶ ταῖς ψυχαῖς ἡμῶν τὸ μέγα ἔλεος.

Velut primus ex Apostolis vocatus, ac principis Apostolorum germanus, vniuersorum Domino supplica, Andrea, vt pacem donet mundo, nostrísque animabus magnam misericordiam impendat.

Εἰς τὸν ὄρθρον.

AD MATVTINAS.

Εἰς τὴν πρώτην στιχολογίαν κάθισμα.

Ad primam psalmorum alternis versibus decantationem.

ἦχος α'.

Sessio. Tonus 1.

Ὡς θεῖον μαθητὴν, καὶ πρωτόκλητον πάντων, Χριστοῦ τῶν μαθητῶν, εὐφημοῦμέν σε πόθῳ, Ἀνδρέα ἀπόστολε καὶ πιστῶς ἐκβοῶμέν σοι· ῥῦσαι ποίμνην σου, ἣν ἐκ θεοῦ ἐπιστεύθης, πάσης θλίψεως, καὶ ἀναγκῶν καὶ σκανδάλων, καὶ πάσης κακώσεως.

Vt diuinum discipulum ac priorem omnibus Christi discipulis vocatum, desiderio te laudamus, Andrea Apostole, ac fide clamamus: libera gregem tuum, quem à Deo creditum accepisti, ab omni tribulatione, & necessitatibus, & scandalis ac afflictione.

Θεοτόκιον.

Modulus in laudem S. Deiparæ.

Ad ſecundam pſalmorum alternis vicibus recitationem. Seſſio.

Primùm te Chriſtus inuenit ipſum vocantem magiſtrum optimum, beate Andrea, ciúſque præcepta acutè mundo annuntiantem, velut ſub alas poſitos illuminas gentium cœtus. Ipſum ora vt magnam nobis miſericordiam impertiatur. Bis dicatur.

Sicut erat. In S. Deiparam modulus.

Poſt pſalmum 135. Seſſio.

Verbum patri coæternum ac ſpiritui.

Omnes Apoſtolum laudemus tanquam eum, qui ipſe verbum viderit, ac diuinus præco, gentiúmque piſcator ſit: ſiquidem ad Chriſti nos agnitionem adduxit Deiloquus Andreas, *verè magnus noſter defenſor: núncque iugiter vt animarum conſequamur ſalutem intercedit.* Bis dicatur.

In ſanctam Deiparam.

Pſalmi graduales.

1. Antiphonum, &c.

Legitur Euangelium ſecundùm Matthæum, *In illo tempore ambulans Ieſus ſecus mare.* Item Canones, ac primùm Deiparæ canticis ſex & Sancti.

Tractus. Deiparæ, &c.

Alter Canon

Opus S. Ioannis monachi.

Inquinatam animam meam dictis cogitatíſque expurga eâ gratiâ, quæ in te habitauit, O Chriſti prædicator Andrea, *vt purè tibi condignum fundam hymnum.*

Chriſti præcurſor ſterilis feminæ proles ad Dominum ex Virgine natum, qui glorificatus eſt, pretioſas diſcipulorum ſuorum primitias Andream gaudens adduxit.

Cum amore & firmo deſiderio à virtutis gradibus incipiens, atque ſemper aſcenſus meditans Andrea, ex tenui ad ſupremam potentiam euectus es.

Εἰς τὴν δευτέραν στιχολογίαν κάθισμα.

Πρῶτον εὗρέ σε Χριστὸς καλοῦντα, μύστην ἄριστον, Ἀνδρέα μάκαρ, καὶ τὰ προστάγματα αὐτοῦ. τομῶς διαγγέλλοντα τῇ οἰκουμένῃ, καθάπερ ὑπὸ πτέρων καταφωτίζεις ἐθνῶν τὰ συστήματα. αὐτὸν ὡς θεὸν ἱκέτευε δωρήσασθαι ἡμῖν τὸ μέγα ἔλεος. Δίς.

Καὶ νῦν. Θεοτόκιον.

Μετὰ τὸν πολυέλεον, κάθισμα.

Τὸν συνάναρχον λόγον πατρὶ καὶ πνεύματι.

Τὸν ἀπόστολον πάντες εὐφημήσωμεν ὡς αὐτόπτην τοῦ λόγου, καὶ θεῖον κήρυκα, καὶ τῶν ἐθνῶν πνευματικὸν σαγηνευτὴν ὡς ἀληθῶς. ὅτι προσήγαγεν ἡμᾶς, εἰς τὴν ἐπίγνωσιν Χριστοῦ, Ἀνδρέας ὁ θεηγόρος, ὁ μέγας ἡμῶν προστάτης. καὶ νῦν πρεσβεύει ἀδιαλείπτως, εἰς τὸ σωθῆναι τὰς ψυχὰς ἡμῶν. Δίς.

Θεοτόκιον.

Οἱ ἀναβαθμοί.

τὸ ά. ἀντίφωνον.

Εὐαγγέλιον, κατὰ Ματθαῖον. Τῷ καιρῷ ἐκείνῳ, περιπατῶν ὁ Ἰησοῦς, παρὰ τὴν θάλασσαν. Εἶτα. Καὶ οἱ κανόνες, τοῦ θεοτόκου πρῶτον εἰς ϛ΄. καὶ τοῦ ἁγίου.

ὁ εἱρμός. Θεοτόκῳ.

Ἕτερος κανών.

Ποίημα τοῦ ἁγίου Ἰωάννου μοναχοῦ.

Τὴν πεθολωμένην μου ψυχὴν τῶν ἐννοιῶν τε καὶ λόγων ἐκκάθαρον, τῇ ἐνσκηνωσάσῃ σοι κῆρυξ Χριστοῦ, Ἀνδρέα χάριτι. ὅπως καθαρῶς σοι, πηγάσω ὕμνον ἐπάξιον.

Τίμιον ὁ πρόδρομος Χριστοῦ τῶν ἑαυτοῦ μαθητῶν ἀκροθίνιον, ὁ ἐκ στείρας οὔσης βλαστὸς, τῷ ἐκ παρθένου φύντι Χριστῷ τῷ δεδοξασμένῳ, Ἀνδρέα χαίρων προσήγαγεν.

Ἔρωτι καὶ πόθῳ ἀκλινεῖ τῆς ἀρετῆς τῶν βαθμίδων ἀρξάμενος, καὶ τὰς ἀναβάσεις ἀεὶ μελετῶν, ἐξ ἀμυδρᾶς δυνάμεως πρὸς τὴν ἀκροτάτην, Ἀνδρέα δύναμιν ἔφθασας.

Θεοτόκιον.

Ἕτερος κανὼν τοῦ ἀποστόλου.

Τῷ καλάμῳ τοῦ εὐαγγελίου ἐκ τοῦ βυθοῦ τῆς πλάνης ἀνελὼν, Ἀνδρέα πολυύμνητε, σὺ ἐζώγρησας λαοὺς, ὡς ἐπηγγείλατο Χριστός. ὁ σαγηνεύειν διδάξας σε ἀνθρώπους ὡς ἰχθύας ζωγρεῖν.

Ὁ τῆς πίστεως στύλος. ἡ ἕδρα, τῶν ἀληθινῶν δογμάτων τοῦ Χριστοῦ Ἀνδρέας ὁ θεόπνευστος. πάντα σήμερον καλεῖ, τῆς γῆς τὰ πέρατα ἑορτὴν ἐτήσιον, συστήσασθαι. συνέλθωμεν οὖν πάντες πιστοί.

Τὸ θαλάσσιον κῆτος, δικτύοις ἐρευνῶν. τῇ τέχνῃ ἁλιεὺς σαγήνῃ τῇ τοῦ πνεύματος, ἔθνη φῦλα, καὶ λαοὺς ζωγρεῖς ἐν πνεύματι· σαφῶς ἄνω βυθὸν πολυθαύμαστε· σαφῶς ἀνακαλύπτεις ἡμῖν.

Μυστοπόλε, αὐτόπτα, καὶ ῥήτωρ τῆς ἀπορρήτου γνώσεως Χριστοῦ. ὁ δεξάμενος ἄνωθεν πνεῦμα ἅγιον, λαλῶν ἐν γλώσσαις καθήμενον. τῷ πυρὶ διαιροῦν τὰ χαρίσματα. ἱκέτευε σωθῆναι ἡμᾶς.

Δόξα.

Καταβασία.

Ἄλλος.

Προσέδραμες δίψῃ οὐ κληθεὶς Ἀνδρέα, ἀλλ' αὐθαίρετος, τῇ τῆς ζωῆς πηγῇ ὥσπερ ἔλαφος. καὶ πᾶσι ταύτην εὑρὼν ἐκήρυξας. καὶ πιὼν, ἐπότισας. ἀφθαρσίας νάματα. κεκμηκότα, τῇ δίψῃ τὰ πέρατα.

Ἐπέγνως τῆς φύσεως θεσμοὺς, Ἀνδρέα ἀξιάγαστε. καὶ κοινωνὸν τὸν σύγγονον εἴληφας βοῶν εὑρήκαμεν τὸν ποθούμενον· καὶ ὁδοποιήσαντι, τῆς σαρκὸς τὴν γέννησιν, καθηγήσω, τὴν γνῶσιν τοῦ πνεύματος.

Σαγήνῃ τοῦ λόγου ἐκ βυθοῦ, ἀπάτης ἐσαγηνεύσας, τοὺς λογικοὺς ἰχθύας ἀπόστολε. καὶ τῇ τραπέζῃ, Χριστοῦ ὀψώνιον καθαρὸν προσήγαγες. λαμπρυνθέντας χάριτι. τοῦ φανέντος σαρκὸς ὁμοιώματι.

Θεοτόκιον.

In laudem S. Deiparæ.

Alter Canon Apostoli.

Tu Andrea super omnia laudande Euangelij calamo extractos ex profundo erroris populos piscatus es, vt pollicitus est Christus, cùm docuit te piscando homines capere.

A Deo inspiratus Andreas, omnes hodie vocat fines terræ, vt solemnitatem annuam celebrent. Conueniamus igitur omnes Christiani.

Marina cete retibus indagans, arte piscator, spiritus naßâ gentes, tribus & populos in spiritu capis, manifestè altissimam abyssum, ô vir mirabilis, manifestè reuelas nobis.

Rebus mysticis proposite, testis oculate, & ineffabilis Christi doctrinæ prædicator recepisti desuper Spiritum sanctum qui loquitur sedens in linguis per ignem dona distribuens. Ora vt nos salui simus.

Gloria, &c.

Descensio.

Alius.

O *Andrea*, non siti vocatus, sed propria voluntate ad vitæ fontem veluti ceruus accurristi: cúmque eum inueniſſes, omnibus annuntiasti, ac potam immortalitatis aquam sitientibus mundi finibus potandam dedisti.

Agnouisti naturæ iura, ô mirabilis Andrea, & germanum comitem assumpsisti clamans, desideratum inuenimus; quíque tibi ad carnis generationem præiuerat, huic ad spiritus agnitionem præiuisti.

Ex fallaciarum profundo pisces rationis compotes, orationis sagenâ extractos, ô *Apostole, purum opsonium Christi mensæ apposuisti, illustratos gratia eius, qui in similitudine carnis apparuit.*

In laudem S. Deiparæ.

Alius.

Audito Verbo vocante, Veni, sequere me: Christum statim secuti sunt Andreas & Cephas relicto parente, nauigio & retibus, tanquam fidei propugnatores.

Idolorum ædes in templa commutasti, ô omninò venerande, baptismi filios in ipsis consecrasti, quos gratia per aquam in spiritu renouauit.

Gemmam pretiosam mysticè mundo inuenisti in cordis tui agro absconditam, ô Apostole, quam inuentam gentes thesaurizauerunt.

Accepto præ manibus Euangelio ad instar thesauri, ô omni laude cumulande, vniuersam ditasti terram diuina prædicatione. quare vnà cum certaminibus tuis memoriam tuam honorat.

Gloria.

In laudem S. Deiparæ.

Descensus.

Te, vt decet, honoramus primum omnium discipulorum vocatum, ac verbi testem oculatum & ministrum, *ô Andrea Apostole, agnum enim qui tollit peccata mundi desiderio firmissimo ardenter secutus es. Vnde & passionis socius effectus es, qui in carne voluntariam mortem sustinuit, quare clamamus tibi; precare Christum Deum, vt tribuat remissionem delictorum, in desiderio celebrantibus tuam sanctam memoriam.*

Simile.

Deturbata idolorum audacia Saluatoris passiones desiderans, ô beate Andrea, te Apostolum ostendisti de cælo omnibus miracula fundens, & gentium factus es doctor felicissimus. Vnde memoriam tuam condignè honorantes in hymnis glorificamus & fideliter magnificamus, ô Christi Apostole, precare Deum, vt delictorum remissionem tribuat.

In laudem S. Deiparæ.

Αλλος.

Λόγῳ καλοῦντι δεῦρ' ὀπίσω μου, τῷ Χριστῷ εὐθὺς ἠκολούθησε, σὺν τῷ Ανδρέᾳ καὶ Κηφᾶς. τὸν γενέτην ἐάσαντες, καὶ τὸ σκάφος καὶ τὰ δίκτυα ὡς πίστεως πρόμαχοι.

Τὰ εἰδωλεῖα μετεποίησας, εἰς ναοὺς Θεοῦ πανσέβασμε. καθιέρωσας ἐν αὐτοῖς, τοὺς υἱοὺς τοῦ βαπτίσματος. οὓς ἡ χάρις ἀνεκαίνισε δι' ὕδατος πνεύματι.

Τὸν μαργαρίτην τὸν πολύτιμον. μυστικῶς τῷ κόσμῳ προεξεύρηκας τῷ τῆς καρδίας σου ἀγρῷ κεκρυμμένον ἀπόστολε. ὃν τῇ πίστει ἐθησαύρισαν, τὰ ἔθνη εὑράμενα.

Ως θησαυρὸν τὸ εὐαγγέλιον. ἐν χερσὶ λαβὼν πολυύμνητε. πᾶσαν ἐπλούτισας τὴν γῆν· τοῦ ἐνθέου κηρύγματος· διὸ τὰ μνημόσυνα, τιμᾷ σὺν τοῖς ἄθλοις σου.

Δόξα.

Θεοτόκιον.

Καταβασία.

Ως πρωτόκλητον πάντων τῶν μαθητῶν, καὶ αὐτόπτην τοῦ λόγου καὶ ὑπουργὸν, Ανδρέα ἀπόστολε, κατὰ χρέος ὑμνοῦμέν σε. τὸν γὰρ ἀμνὸν τὸν αἴροντα, τοῦ κόσμου τὰ πταίσματα ἀδιστάκτῳ πόθῳ θερμῶς ἠκολούθησας. ὅθεν καὶ τοῦ πάθους, κοινωνὸς ἀνεδείχθης. σαρκὶ ὑπομείναντος ἑκουσίως τὸν θάνατον. διὰ τοῦτο βοῶμέν σοι. πρέσβευε Χριστῷ τῷ Θεῷ τῶν πταισμάτων ἄφεσιν δωρήσασθαι τοῖς ἑορτάζουσι πόθῳ, τὴν ἁγίαν μνήμην σου.

Ομοιον.

Τῶν εἰδώλων τὰ θράση καταβαλὼν τοῦ σωτῆρος τὰ πάθη ἐπιποθῶν. Ανδρέα μακάριε, ἀνεδείχθης ἀπόστολος. οὐρανόθεν πᾶσι, πηγάζων τὰ θαύματα. καὶ ἐθνῶν ἐγένου, παμμάκαρ διδάσκαλος. ὅθεν σε τὴν μνήμην. ἐπαξίως τιμῶντες, ἐν ὕμνοις δοξάζομεν. καὶ πιστῶς μεγαλύνομεν τοῦ Χριστοῦ ἀπόστολε. πρέσβευε Χριστῷ τῷ Θεῷ τῶν πταισμάτων ἄφεσιν δωρήσασθαι.

Θεοτόκιον.

Αλλος

Ἄλλος.

Ἡ θεία ἐξαναλωτική τε τοῦ χείρονος τοῦ παντουργοῦ καὶ φωταγωγοῦ πνεύματος δύναμις ἐν σοὶ, Ἀνδρέα οἰκήσασα. θεοπρεπῶς, πυρίνης γλώττης ἐν σχήματι, τῶν ἀπορρήτων ἀνέδειξε κήρυκα.

Οὐχ ὅπλα πρὸς ἄμυναν ἀνείλατο σάρκινα καὶ πρὸς καθαίρεσιν δεινῶν ὀχυρωμάτων τοῦ ἐχθροῦ, Ἀνδρέας ὁ πολύτιμος· ἀλλὰ Χριστῷ φραξάμενος προσενήνοχεν, αἰχμαλωτίσας τὰ ἔθνη ὑπήκοα.

Τοὺς πόθῳ τελοῦντάς σου, τὴν μνήμην ἐν ᾄσμασιν ἐκ τῆς ἀφθόνου δωρεᾶς, τῆς διδασκάλου σου Χριστοῦ, Ἀνδρέα πανόλβιε, πνευματικῆς ἀγαλλιάσεως νάματα ἀναπιμπλῶν, μὴ ἐλλείπῃς πρεσβείαις σου. Θεοτόκ.

Ὑμνοῦμεν τὸ μέγα, καὶ φρικτόν σου μυστήριον· ὑπερκοσμίους γὰρ λαθὼν, ταξιαρχίας ἐπὶ σε, ὁ ὢν καταβέβηκεν, ὡς ὑετὸς, ὁ ἐπὶ πόκον πανύμνητε, εἰς σωτηρίαν ἡμῶν καὶ ἀνάπλασιν.

Ἄλλος.

Τὰ δίκτυά σου ῥίψας, καὶ ἄρας τὸν σταυρὸν, δρόμῳ ἠκολούθησας, καλοῦντι τῷ Χριστῷ, καὶ τὴν σαγήνην τοῦ πνεύματος ὑφαπλώσας, ἀντὶ ἰχθύων, τοὺς ἀνθρώπους σαγηνεύεις, δόξα τῷ δοθέντι σοι πνεύματι.

Τοῦ πνεύματος τὴν φλόγα, τῇ γλώττῃ προσλαβὼν, γέγονας ἀπόστολε, θεόληπτος ἀνὴρ, τῶν οὐρανίων τὰ κάλλη περιπολεύων, καὶ τὰ ἐν τούτοις νοητὰ καταμανθάνων, κάλλη, καὶ ἡμῖν ἐκκαλύπτων αὐτά.

Τὴν ἔρημον διψῶσαν, ἐπότισας σοφὲ, τοῖς ἐνθέοις λόγοις σου, καὶ ἔδειξας αὐτὴν πολυγονοῦσαν τὰ τέκνα τῆς ἐκκλησίας καρποφοροῦντα, τοῦ κηρύγματος τὸν πόρον. δόξα τῷ δοθέντι σοι πνεύματι.

Τὸ ἄφραστόν σου κάλλος, Ἀνδρέας προϊδὼν, Ἰησοῦ τὸν σύγγονον ἐφώνησε λαμπρῶς. Πέτρε ὁ ὅμαιμον, εὑρήκαμεν τὸν Μεσσίαν, τὸν ἐν τῷ νόμῳ, καὶ προφήταις κηρυχθέντα δεῦρο κολληθῶμεν τῇ ὄντως ζωῇ.

Δόξα. Θεοτόκιον.

Ἄλλος.

Ἀπείληφας, ὃν ἐπόθεις, Ἀνδρέα

Alius.

Quæ in te habitauit, Andrea, diuina virtus, omnium operatoris & illuminatoris Spiritus, consumptrix vitij sub linguæ igneæ specie, vt Deum decet, rerum ineffabilium præconem exhibuit.

Non carnea cepit arma clarißimus Andreas, ad defensionem, terribiliáque euertenda hostium præsidia: sed Christo septus, congressus est captiuis gentibus factis obedientibus.

Ne cesses precibus tuis, ô beatissime Andrea, spiritalis exultationis scaturigine replere eos qui cum amore memoriam tuam celebrant. Deiparæ.

Magnum tuum tremendúmque mysterium laudamus: ille enim qui est, ô omni laude decoranda, cœlestes oblitus principatus, sicut pluuia in vellus in te descendit ad salutem instaurationémque nostram.

Alius.

Proiectis retibus tuis, elatáque cruce, cursu secutus es vocantem Christum, atque spiritus explicata sagena, piscium loco homines piscaris. gloria spiritui qui tibi datus est.

Tu es qui sub linguæ forma Spiritus flammam accepisti, vir à Deo captus, rerum cœlestium pulchritudines circumducens, & quæ in ipsis præclara sub intelligentiam cadere possunt, pernoscens & nobis reuelans.

Eremum sitientem irrigasti, ô sapiens, diuinis tuis sermonibus, quæ Ecclesiæ filios multiplicat, & exportatæ fructum fert prædicationis. gloria spiritui qui tibi datus est.

Ineffabilem pulchritudinem tuam prospiciens Andreas, ô Iesu, clara voce ad germanum clamauit: Petre germane, inuenimus Messiam, quem lex & Prophetæ prædicauerunt, huc veni, adhæreamus ei, qui verè vita est. Gloria.

In laudem S. Deiparæ.

Alius.

Excepisti quem desiderabas, Andrea

Apostole, qui in incorruptibilibus cum ipso tabernaculis laborum tuorum manipulos dissoluisti dignè collectos. Vnde laudibus te glorificamus.

Dominum desiderasti, eúmque secutus es, *vestigiis ipsius ad vitam praeundo viam monstrans, & illius passiones vsque ad mortem verè imitatus,* ô super omnes honorande.

Cùm te, ô beate, Christus intendisset velut idoneum arcum, in vniuersum mundum immisit, dæmonas sauciens, hominésque sanans impietate sauciatos.

In laudem S. Deiparæ.

Alius.

Cùm desiderasses crucem, ô Christi discipule, cruce tua comparasti immortale regnum, cuius nos Theologos hæredes constituet is qui cruce traxit omnes Dei Sacerdotes.

Quæsiuisti Christum, qui verè est vita; & cùm quæsiuisses, primus inuenisti; *cúmque inuenisses, mysticè apprehendisti; ipsúmque accepisti in eodem qui dederat,* & factus es thesaurus vitæ indissolubilis.

Diuinorum tuorum verba tonitruum audita sunt in mundo cum sonitu, & ab vna terræ extremitate ad alteram venere, velut enim rota circumacta sunt, & visa sunt fulgura tua, vt ait Dauid, orbi terræ.

Memento nostrûm Christi discipule, qui memoriæ tuæ solemnitatem agimus, & reliquias tuas honoramus. Impensè semper ora pro grege, cuius à principio custos & salus extitisti.

Gloria. Alius.

Huius vitæ traiecto mari, in lintre corporis tui vniuersa administrantem Christum inuenisti gubernatorem, beatissime, & ad ipsum gaudens accessisti.

Spiritus verbo expelluntur, fugiunt morbi, spiritualiúmque dolorum agmen longè ab ægris abigitur eâ gratiâ, quæ tibi à Deo data est, Andrea.

ἀπόστολε, ἐν ἀφθάρτοις σὺν αὐτῷ καταλύσας σκηνώμασι τὰ τῶν πόνων δράγματα τῶν σῶν δρεψάμενος ἀξίως. ὅθεν σε ὕμνοις δοξάζομεν.

Ἐπόθησας τὸν δεσπότην, καὶ τοῦτον ἐδίωξας τοῖς ἴχνεσι, τοῖς αὐτοῦ πρὸς ζωὴν ποδηγούμενος, καὶ τὰ τούτου πάθη ἀψευδῶς, ὑπέρτιμε Ἀνδρέα, μέχρι θανάτου μιμούμενος.

Ἐντείνας σε, δυνατὸν ὥσπερ βέλος μακάριε, ἐπαφῆκεν, εἰς τὸν σύμπαντα κόσμον ὁ κύριος, τραυματίζων δαίμονας, καὶ δυσσεβείᾳ τοὺς ἀνθρώπους, τραυματισθέντας ἰώμενος.

Θεοτόκιον.

Ἄλλος.

Ποθήσας τὸν σταυρὸν Χριστοῦ μαθητὰ, ἐπορίσω τῷ σταυρῷ σου, τὴν ἀκήρατον βασιλείαν, ἧς ὁ πάντας ἑλκύσας σταυρῷ τοὺς θυμύστας, κληροδοτήσει ὑμῖν τοῖς θεολόγοις αὐτοῦ.

Ἐζήτησας Χριστὸν, τὴν ὄντως ζωήν· καὶ ζητήσας, πρῶτος εὗρες, εὑρὼν μυστικῶς καὶ ἐδράξω ἔλαβες αὐτὴν, ἐν αὐτῷ τῷ δεδωκότι, καὶ γέγονας θησαυρὸς ζωῆς ἀκαταλύτου.

Τὰ ῥήματα τῶν σῶν ἐνθέων βροντῶν διηχήθη ἐν τῷ κόσμῳ, καὶ ἀπ' ἄκρων εἰς ἄκρα γῆς ἦλθεν· ἐκυκλώθησαν γὰρ ὥσπερ τροχὸς, καὶ ἔφαναν σου αἱ ἀστραπαὶ, ὡς φησὶ Δαβὶδ, τῇ οἰκουμένῃ.

Μνημόνευε ἡμῶν, Χριστοῦ μαθητὰ, τῶν τελούντων σου τὴν μνήμην, καὶ τιμώντων τὰ λείψανά σου. δεήθητι ἀεὶ ἐκτενῶς, περὶ τῆς ποίμνης, ἧς γέγονας ἀπ' ἀρχῆς, φύλαξ καὶ σωτηρία.

Δόξα. Ἄλλος.

Τὴν θάλασσαν, τοῦ βίου διαπερούμενος ἐν σκάφει τῷ τοῦ σώματος τὸν τὰ σύμπαντα διέποντα Χριστὸν εὗρες κυβερνήτην παμμακάριστε, καὶ πρὸς αὐτὸν μάκαρ Ἀνδρέα, χαίρων προσώρεξαι.

Τὰ πνεύματα τῷ λόγῳ φυγαδεύονται, αἱ νόσοι δραπετεύονται, ψυχικῶν τε παθημάτων ὁ ἑσμὸς πόρρω τῶν νοσούντων ἀπελαύνονται τῇ ἐκ θεοῦ σοὶ δεδομένῃ Ἀνδρέα χάριτι.

Ὡς κῦμα γαληνὸν πνεύματι κινούμενον μακάριε, ἀπεξήρανας θαλάσσας πονηράς, τοῖς πολυθείας θείοις ῥεύμασι, καὶ ποταμοὺς θεογνωσίας πᾶσιν ἐξέβλυσας.

Θεοτόκιον.

Ἄλλος.

Ὁ ἐκ τῆς Βηθσαϊδᾶ, κατηγγελμένος ἡμᾶς ἑορτάσαι συγκαλεῖ, τὴν πανήγυριν αὐτοῦ προθεὶς ἡμῖν, τὰς ἀριστείας, τῶν παλαισμάτων αὐτοῦ.

Ὁ τῇ τέχνῃ ἁλιεύς, καὶ τῇ πίστει μαθητής, ὡς βυθὸν διερευνῶν, τὰς καρδίας τῶν πιστῶν, τὸ ἄγκιστρον χαλᾷ τοῦ λόγου. καὶ σαγηνεύει ἡμᾶς.

Τῆς ἀγάπης τοῦ Χριστοῦ, ἐν καρδίᾳ σου τὸ πῦρ περιφέρων, μαθητά, κατεβόας τῶν ἐθνῶν· ἡ φλὸξ ἡμῶν ἐσβέσθη ὄντως ἐπιφανέντος Χριστοῦ.

Οἱ τῷ ἅλατι τὸν νοῦν, ἀρτυθέντες τοῦ Χριστοῦ τὰ ὀψώνια ὑμῶν, κατεγλύκαναν ὑμῖν, τὰ δόγματα τῆς οὐρανίου, καὶ ἀκηράτου τρυφῆς. Δόξα.

Καταβασία.

Τὸν τῆς ἀνδρείας ἐπώνυμον θεηγόρον, καὶ ἐκκλησίας ἀκόλουθον κορυφαίου. Πέτρου τὸν σύγγονον εὐφημήσωμεν. ὅτι ὡς πάλαι τούτῳ, καὶ νῦν ἡμῖν ἐκέκραγεν· εὑρήκαμεν δεῦτε τὸν ποθούμενον.

Ὁ οἶκος.

Ἄνωθεν μὲν Δαβὶδ ἀναστέλλει ἁμαρτωλὸν ὡς ἐμέ, διηγεῖσθαι Θεοῦ εὐλόγως τὰ δικαιώματα· ὅμως πρὸς πίστιν διδάσκει πάλιν, καὶ ἐν δάκρυσι πλείστοις ἐξαγορεύει· σήμερον γὰρ τῆς φωνῆς αὐτοῦ ἐὰν ἀκούσητε, καρδίας μὴ σκληρυνθῆτε, ὡς ποτὲ Ἰσραὴλ παρεπίκρανεν. ἐπάγει οὖν τῷ ἑξῆς ψαλμῷ, τῷ κυρίῳ ἡ σύμπασα ἄσατε· Εὑρήκαμεν δεῦτε τὸν ποθούμενον.

Τῷ αὐτῷ μηνί, τριακοστῇ, μνήμη τοῦ ἁγίου ἐνδόξου καὶ πανευφήμου ἀποστόλου, Ἀνδρέου τοῦ πρωτοκλήτου.

Στίχοι.

Ἀντίστροφον σταύρωσιν Ἀνδρέας φέρει, φανεὶς ἀληθῶς οὐ σκιωδῶς, ὢν μύστης.

Vt tranquillus fluctus leni spiritu motus, ô beate, exsiccasti sæua maria idololatriæ diuinis fluentis, & fidei fluuios omnibus aperuisti.

In laudem S. Deiparæ.

Alius.

Conuocat nos qui ex Bethsaida natus est, *ipsius solemnitatem celebremus proposita nobis luctationum eius strenuitate.*

Arte piscator, & fide discipulus, *fidelium corda vt profundum scrutans verbi hamum attollit, & piscatur nos.*

Christi charitatis ignem in corde tuo circumferens, discipule, aduersus gentes clamabas: Nostra verè extincta est flamma Christi qui sese videndum præbuit.

Quorum mens Christi sale condita fuit, ij opsonia vestra suauia nobis effecere cælestium æternarúmque deliciarum dogmata. Gloria.

Descensus.

Laudibus celebremus eum qui à viridi fortitudine nomen accepit, & Ecclesiam secutus est, germanum Petri principis Apostolorum. quia quemadmodum olim illi, ita & nunc nobis clamat, venite, desideratum inuenimus.

Domus.

Denuò quidem Dauid remittit peccatorem sicut me ad narrandas Dei iustitias in benedictione: tamen per fidem docet rursus, & in lacrymis plurimis eloquitur. Hodie enim si vocem eius audieritis, ne obduretis corda, vt aliquando Israël exacerbauit. subiungit igitur Psalmo sequenti, Domino omnis clamat, venite desideratum inuenimus.

Eodem mense, die 30. Commemoratio sancti gloriosi & illustris Apostoli Andreæ primi vocati.

Versic.

Inuersam Andreas fert crucem, qui verè non fictè Christi discipulus apparuit.

Capite etiam sustinuit crucem Andreas die trigesima. Qui ex vrbe Bethsaida extitit quidem filius Ionæ Hebræi cuiusdam; frater verò Petri Apostoli, & principis discipulorum Christi: ille prius fuit discipulus Ioannis Baptistæ & præcursoris. Postea cùm audiisset, Ecce Agnus Dei, à magistro digito præmonstrante Iesum, relicto eo secutus est Christum: Cúmque dixisset Petro; Inuenimus Iesum de Nazaret, ad Christi amorem attraxit. Atque multa sunt alia in scriptura diuina de eo conscripta. Cùm ille Christum secutus esset, post ascensionem ipsius alij quidem Apostolo alia regio sortitò obtigit: primo autem Apostolorum vocato Bithynia & Pontus Euxinus, Propontidísque partes vnà cum Calcedonia & Byzantio, & Thracia & Macedonia, & quæ vltra Istrum porriguntur; Thessaliáque & Græcia, & Achaiæ partes; Aminsus etiam & Trapezus, & Heraclea atque Amastris. Has verò non, quemadmodum verbum peruadit, sic & ille peruasit; sed in vnaquaque vrbe multa aduersa perpessus est, & in plurimis rerum difficultatibus versatus quamuis Christi gratiâ & auxilio omnium victor existeret. Ex quibus factâ vnius vrbis mentione, cæteras iis qui norunt, relinquam. Ille in Sinopensem vrbem profectus, annuntiatóque verbo, tribulationibus multis subiicitur: ipsum enim in terram proiiciebant, manibúsque & pedibus captum trahebant; ac dentibus dilaniabant, percutiebántque lignis, & lapidibus obruebant, longè ab vrbe proiiciebant. túncque digitum amputauerunt dentibus, sed ipse denuò per saluatorem & magistrum integer & sanus ex plagis apparuit: illincque resurgens plurimas conuertit vrbes regionésque, Neocæsaream, Samosatas, Alanos, Abasgos, Zeuchios, Bosphorinos & Chersonenses. Deinde cùm ad Bizantium nauigasset, cúmque ordinato Episcopo Stache, reliquas percurrisset regiones, ad conspicuam Peloponnesum

Σταυρὸν κἀκ κεφαλῆς τριακοστῇ Ἀνδρέας ἔτλη. Ὃς ὑπῆρχεν ἐκ πόλεως Βηθσαϊδᾶ, υἱὸς μὲν Ἰωνᾶ τινος ἑβραίου, ἀδελφὸς δὲ Πέτρου τοῦ ἀποστόλου καὶ κορυφαίου τῶν μαθητῶν τοῦ Χριστοῦ. οὗτος, πρότερον τῷ προδρόμῳ καὶ βαπτιστῇ Ἰωάννῃ μαθητεύεται. ἔπειτα τὸ, ἴδε ὁ ἀμνὸς τοῦ Θεοῦ, παρὰ τοῦ διδασκάλου ἀκούσας δακτυλοδεικτοῦντος τὸν Ἰησοῦν, καταλιπὼν αὐτὸν, ἠκολούθησε τῷ Χριστῷ. καὶ τῷ Πέτρῳ τὸ, εὑρήκαμεν Ἰησοῦν τὸν ἀπὸ Ναζαρὲτ, εἰπὼν, ἐπεσπάσατο πρὸς τὸν τοῦ Χριστοῦ ἔρωτα, καὶ ἕτερα πολλά ἐστιν ἐν τῇ θεοπνεύστῳ γραφῇ, κείμενα περὶ αὐτοῦ. οὗτος ἐπεὶ τῷ Χριστῷ ἠκολούθησε. μετὰ τὴν ἀνάληψιν αὐτοῦ, ἄλλῳ μὲν ἀποστόλῳ ἄλλη τις ἐκληρώθη χώρα· τῷ πρωτοκλήτῳ δὲ, ἥ τε Βιθυνῶν, καὶ ὁ Εὔξεινος Πόντος, τῆς Προποντίδος τὰ μέρη σὺν Χαλκηδόνι καὶ Βυζαντίῳ· καὶ Θρᾴκη καὶ Μακεδονία, καὶ τὰ ἕως τοῦ Ἴστρου φθάνοντα, Θεσσαλία τε καὶ Ἑλλὰς, καὶ τὰ μέρη Ἀχαΐας, ἀλλὰ καὶ Ἀμινσὸς, καὶ Τραπεζοῦς, καὶ Ἡράκλεια, καὶ Ἄμαστρις. ταύτας δὲ, οὐχ ὥσπερ ὁ λόγος διέρχεται. οὕτω κἀκεῖνος διῆλθεν. ἀλλ' ἐν ἑκάστῃ πόλει πολλὰ τὰ ἀντιπίπτοντα ὑποστὰς, πολλαῖς τε πραγμάτων δυσχερείαις ὁμιλικῶς. εἰ καὶ ῥοπῇ Χριστοῦ καὶ βοηθείᾳ, πάντων ἐκράτει. ἐξ ὧν μιᾶς πόλεως ἐπιμνησθεὶς, τὰς λοιπὰς τοῖς εἰδόσιν ἐάσω. οὗτος, τῇ Σινωπέων ἐπιδημήσας, καὶ τὸν λόγον καταγγείλας, πολλαῖς θλίψεσι καθυποβάλλεται, κατὰ γῆς γὰρ αὐτὸν ἐρρίπτουν, καὶ χειρῶν καὶ ποδῶν λαβόμενοι εἷλκον. καὶ τοῖς ὀδοῦσιν ἐσπάραττον, καὶ ξύλοις ἔπαιον. καὶ λίθοις ἔβαλλον, καὶ μακρὰν τῆς πόλεως ἀπερρίπτουν. ὅτε καὶ τὸν δάκτυλον, ὀδοῦσιν ἔκοψαν. ἀλλ' αὐτὸς αὖθις ὑπὸ τοῦ σωτῆρος, καὶ διδασκάλου, ἄρτιος καὶ ὑγιὴς ἀπὸ τῶν πληγῶν ἐφάνη. ἐκεῖθεν τε ἀναστὰς ἤμειψε πλείστας πόλεις, καὶ χώρας· τήν τε Νεοκαισάρειαν, τὰ Σαμόσατα, Ἀλανοὺς, Ἀβασγοὺς, Ζήκχους, Βοσπορινοὺς, καὶ Χερσωνίτας. εἶτα διαπλεύσας εἰς τὸ Βυζάντιον. καὶ τὸν Στάχυν ἐπίσκοπον χειροτονήσας. καὶ τὰς λοιπὰς χώρας διελθὼν, πρὸς τὴν περιφανῆ Πελοπόννησον

ἔρχεται, καὶ ξενισθεὶς παρὰ Σωσίῳ χαλεπῶς ἀσθενοῦντι ἰάσατο αὐτόν, καὶ παραυτίκα πᾶσα ἡ πόλις ἐκείνη τῶν Πατρῶν, προσῆλθε τῷ Χριστῷ. ὅτε καὶ ἡ τοῦ ἀνθυπάτου γυνὴ Μαξιμίλλα, τῶν χαλεπῶν λυθεῖσα τῆς νόσου δεσμῶν, καὶ ταχείας τυχοῦσα θεραπείας, ἐπίστευσε, καὶ Στρατοκλῆς ὁ σοφώτατος ὁ τοῦ ἀνθυπάτου Αἰγεάτου αὐτάδελφος. καὶ ἕτεροι πολλοί, νόσους ἔχοντες ποικίλους, ὑγιώθησαν διὰ τῆς ἐπιθέσεως τῶν χειρῶν τοῦ ἀποστόλου. διὰ ταῦτα μανίᾳ περιπεσὼν ὁ Αἰγεάτης, καὶ σταυρῷ προσηλώσας τὸν ἀπόστολον, τῆς παρούσης ζωῆς ἐξέστησε. αὐτὸς δὲ ἀπό τινος μετεώρου κρημνοῦ εἰς γῆν ἑαυτὸν καταβεβληκώς, συνετρίβη. τοῦ δὲ ἀποστόλου τὸ λείψανον μετὰ πολὺν χρόνον μετετέθη ἐν Κωνσταντίνου πόλει ἐπὶ τῆς βασιλείας Κωνσταντίου τῇ τούτου κελεύσει, παρὰ Ἀρτεμίου τοῦ μάρτυρος, καὶ κατετέθη μετὰ Λουκᾶ, καὶ Τιμοθέου, ἐν τῷ τῶν ἁγίων ἀποστόλων περιβλέπτῳ τεμένει.

venit, hospitióque apud Sosium exceptus grauiter ægrotantem curauit ipsum, & confestim vniuersa illa Patrûm ciuitas Christo se adiunxit. Atque eo tempore Proconsulis vxor Maximilla grauibus soluta morbi vinculis, celerémque consecuta sanitatem credidit, & Stratocles sapientissimus Proconsulis Ægeati frater germanus, & alij multi variis affecti morbis sanati sunt per impositionem manuum Apostoli. Propter hæc furore correptus Ægeates affixo cruci Apostolo præsentem vitam ademit. Ipse verò cùm ex edito quodam præcipitio sese coniecisset, in terram contritus est. Apostoli verò reliquiæ post multum temporis spatium ab Artemio martyre translatæ sunt Constantinopolim, Constantio regnante & iubente; & vnà cum Luca & Timotheo repositæ in conspicuo sanctorum Apostolorum templo.

Ὑπόμνημα εἰς τὸν ἅγιον ἀπόστολον Ἀνδρέαν πρωτόκλητον.

Ἄρτι τοῦ παιδὸς Ζαχαρίου, Ἰωάννου φημὶ τοῦ πάνυ, τὰς ἐρήμους ἀπολιπόντος, καὶ πρὸς τὰς ἐν ἄστει κατελθόντος διατριβάς. ἐκάλει γὰρ τὴν φωνὴν, ὁ λόγος, καὶ λύχνον, τὸ φῶς, ἤδη τῷ κόσμῳ φανὲν, καὶ φωτίζειν ἐπειγόμενον τὰ ἐσκοτισμένα· ὑφ' οὗ καὶ βαπτίζεσθαι ἔμελλε τὸ ὑπὲρ ἡμῶν βάπτισμα, ὃ καὶ αὐτοῦ φωτὸς καθαρώτερος, ἐπεὶ καὶ μαθηταὶ αὐτῷ ἦσαν συνεργοὶ καὶ διάκονοι τοῦ τῶν πολλῶν βαπτίσματος καὶ τῆς μετανοίας· εἷς τῶν μαθητῶν τούτων καὶ Ἀνδρέας ἦν ἀνήρ, τά τε ἄλλα σεμνὸς καὶ αἰδέσιμος, καὶ τῷ βάθει τοῦ φρονήματος, τὴν ἐν βάθει τοῦ γράμματος αἰνιχθεῖσαν ἀλήθειαν, καὶ τὰς ὑπὸ παραπετάσματι τῷ λόγῳ κεκρυμμένας προρρήσεις ὑπὲρ Χριστοῦ θηρεύων, καὶ τῷ δηλουμένῳ δι' αὐτῶν προστιθέμενος.

Τούτῳ δὴ τῷ Ἀνδρέᾳ, καὶ τοῖς ἄλλοις τῶν μαθητῶν, βουλόμενος ὁ Ἰωάννης μείζονας τῆς ἑαυτοῦ καὶ ὑψηλοτέρας ἐνθεῖναι τὰς περὶ Χριστοῦ ὑπολήψεις, δύο τῶν αὐτοῦ μαθητῶν

Commentarius in S. Andream Apostolum, primum Apostolorum vocatum.

Cùm nuper Zachariæ filius, Ioannes, inquam, solitudines omnino reliquisset, séque ad vrbanas conuersationes contulisset; vocabat enim vocem verbum, & candelabrum lumen, quod iam mundo apparuerat, festinabátque illustrare ea, quæ tenebris erant obducta, à quo & baptizari debebat, qui ipsa luce purior baptisma propter nos extitit; cúmque in multorum baptismo & pœnitentia discipuli ipsi ministrarent & cooperarentur, horum & vnus discipulorum Andreas erat vir cùm multis aliis, tum sapientiæ profunditate conspicuus atque venerandus, & veritatem in scripturæ profundo peruestigans, & de Christo prædictiones captans sub mystico Verbi integumento absconditas, & per eas demonstrato applicans.

Huic igitur Andreæ, & aliis discipulis volens Ioannes altiores de Christo quàm de seipso opiniones exponere, cúmque duos ex suis discipulis

quorum vnus erat Andreas, electos secum habens, Christum inspexisset ambulantem: Ecce agnus Dei, inquit, nempe illi statim Christum sequuntur, & interrogant, vbi manet; conuersus enim Iesus, & sequentes eos videns, quem quæritis? inquit; illi verò aiunt: Rabbi, quod dicitur magister, vbi manes? hic autem: venite & videte. Venerunt igitur, inquit Euangelista, & viderunt vbi manet, & apud ipsum manserunt die illa. Cúmque Andreas inuenisset quem quærebat, ac mansisset apud eum, didicissétque quæ didicit, thesaurum nec apud se retinuit, nec potuit non communicare fratri, sed festinat, curritque celeriter communicaturus ipse bona, quibus erat ipse locupletatus. Petrus talis erat; is enim Andreæ germanus, Bethsaida vtriusque patria, pagus humilis quidem antea & ignobilis; ex his verò & valde illustris & conspicuus fuit; & parentes in paupertate simul viuentes, atque suis manibus, vt ita loquar, Apostolicè vitam quærentes. Cùm hunc inuenisset consuetæ piscationi incumbentem, & retia quæ habebat resarcientem: inuenimus, inquit, Meßiã, quem interpretamur Christum. hoc erat animæ parturientis præsentiam illius & aduentum desuper expectantis. quid enim vult articuli additio? Meßiam enim dicere, monstrantis erat Andreæ, vt vnum omnino Christum expectantis nihil commune ad alios habentem. Quid verò Petrus? ardentem & hic celerémque sese exhibuit, fratríque fit obediens, ac ipsum manu capiens Andreas ad Iesum ducit; quem cùm & ipse approbato consilio inspexisset: Tu es Simon, inquit, filius Ionæ, tu vocaberis Cephas qui dicitur Petrus. Illa quidem sic se habebant, Christíque mysteria fratrem docebat. Cùm ergo Ioannes in carcere inclusus esset, sicque Propheta, vel potiùs Prophetâ excellentior prænosset seipsum quidem iamiam ab Herode interficiendum esse, suos verò discipulos

ἀπολεξάμενος, ὧν ἅτερος Ἀνδρέας ἐτύγχανε, μεθ' ἑαυτοῦ τε εἶχεν, καὶ τὸν Ἰησοῦν ἐμβλέψας περιπατοῦντι, ἴδε ὁ ἀμνὸς τοῦ Θεοῦ, λέγει. ἀμέλει, καὶ ἀκολουθοῦσιν ἐκεῖνοι παραυτίκα Χριστῷ. καὶ ὅπου μένει, διαπυνθάνονται. ἐπιστραφεὶς γὰρ ὁ Ἰησοῦς, καὶ ἀκολουθοῦντας αὐτοὺς θεασάμενος. τίνα ζητεῖτε; λέγει. οἱ δὲ, ῥαββί, φασιν, ὃ λέγεται διδάσκαλε, ποῦ μένεις; ὁ δὲ, ἔρχεσθε καὶ ἴδετε. ἦλθον οὖν, φησὶν ὁ εὐαγγελιστής, καὶ εἶδον ποῦ μένει, καὶ παρ' αὐτῷ ἔμειναν τὴν ἡμέραν ἐκείνην. Ἀνδρέας τοίνυν τῷ ζητουμένῳ περιτυχὼν καὶ παρ' αὐτῷ μείνας, καὶ μαθὼν ἅπερ ἔμαθε, τὸν θησαυρὸν οὐ κατέσχε παρ' ἑαυτοῦ, οὐδὲ ὑπέμεινεν εἰ μὴ καὶ τῷ ἀδελφῷ κοινώσεται. ἀλλ' ἐπείγεται, καὶ τρέχει ταχέως, μεταδώσων αὐτῷ τῶν ἀγαθῶν ὧν πεπλούτηκε. Πέτρος τοιοῦτος ἦν, οὗτος γὰρ Ἀνδρέᾳ σύγγονος, καὶ Βηθσαϊδὰ πατρὶς ἀμφοτέρων, κώμη ταπεινὴ μὲν πρότερον καὶ ἄσημος· ἀπὸ δὲ τούτων, καὶ λίαν ἐπίσημος καὶ περιφανής· καὶ γεννήτορες, πενίᾳ συζῶντες, καὶ τῶν ἑαυτῶν χερσὶν ἀποστολικῶς εἰπεῖν, τὸ ζῆν πορίζομενοι. Τοῦτον εὑρηκὼς τῆς συνήθους ἁλιείας ἐχόμενον, καὶ τῶν δικτύων ὧν εἶχεν ἐπιμελούμενον. εὑρήκαμεν, φησι, τὸν Μεσίαν, ὅ ἐστι μεθερμηνευόμενον, Χριστός. τοῦτο τῆς ψυχῆς ἦν ὠδινούσης τὴν παρουσίαν ἐκείνου, καὶ τὴν ἄφιξιν ἄνωθεν προσδοκώσης. τί γὰρ βούλεται ἡ τοῦ ἄρθρου προσθήκη; τὸ γὰρ τὸν Μεσίαν εἰπεῖν, δεικνύοντος ἦν τοῦ Ἀνδρέου, ὡς ἕνα πάντως Χριστὸν προσδοκῶντος, οὐδὲν κοινὸν πρὸς τοὺς ἄλλους ἔχοντα. τί δὲ ὁ Πέτρος; θερμὸς καὶ ταῦτα καὶ ταχὺς δείκνυται, καὶ τῷ ἀδελφῷ καταπειθὴς γίνεται, καὶ αὐτὸν τῆς χειρὸς Ἀνδρέας λαβόμενος, πρὸς τὸν Ἰησοῦν ἄγει. ὃν καὶ αὐτὸς τῆς γνώμης ἀποδεξάμενος, καὶ ἐμβλέψας. σὺ εἶ Σίμων, φησὶν, ὁ υἱὸς Ἰωνᾶ· σὺ κληθήσῃ Κηφᾶς, ὃ ἑρμηνεύεται Πέτρος. εἶχε μὲν οὕτω ταῦτα, καὶ τὸν ἀδελφὸν ἐμυσταγώγει τὰ τοῦ Χριστοῦ. Ὡς οὖν Ἰωάννης τῷ δεσμωτηρίῳ καθεῖρκτο, καὶ οἷα προφήτης, μᾶλλον δὲ καὶ προφήτου περισσότερος, προεγίνωσκεν ἑαυτὸν μὲν ὅσον οὔπω ὑπὸ Ἡρώδου διαχειρισθησόμενον, τοὺς ἑαυτοῦ δὲ μαθητὰς

τῇ νομικῇ σκιᾷ καὶ τῷ ζόφῳ παραμένοντας, ἵνα μὴ τοῦτο γένηται, μηδὲ ἐξ ἀνθρώπων αὐτοῦ γενομένου, ταῖς ταπειναῖς καὶ ἔτι περὶ Χριστοῦ ὑπολήψεσιν μαθηταὶ καταμείνωσι, τί ποιεῖ; δύο τούτων πρὸς τὸν Ἰησοῦν ἐκπέμψας, σὺ εἶ ὁ ἐρχόμενος, εἶπεν, ἢ ἕτερον προσδοκῶμεν; τί οὖν ὁ τῆς γνώσεως κύριος; οὔτε κρύπτει τὸ πᾶν, οὔτε τὴν ἰδίαν αὐτὸς ἐκκαλύπτει θεότητα· ἀλλὰ τοῖς πράγμασιν ἐπιτρέψας, ἀφίησιν ἐκείνους σκοπεῖν, ὡς ὁ ταῦτα ποιῶν, αὐτὸς ἂν εἴη ὁ καὶ ἐλεύσεσθαι μέλλων· φησὶ γάρ· ἀπελθόντες, εἴπατε Ἰωάννῃ, ὅτι τυφλοὶ ἀναβλέπουσι· κωφοὶ ἀκούουσι· νεκροὶ ἐγείρονται· χωλοὶ περιπατοῦσι· πτωχοὶ εὐαγγελίζονται· καὶ μακάριος ὃς μὴ σκανδαλισθῇ ἐν ἐμοί. Οὔτε οὖν Ἰωάννης εἰς ἐρώτησιν ἐκπέμπων τοὺς μαθητάς, ἠγνόει τὸν ἐρωτώμενον· ἀλλ' ἐκείνους μᾶλλον ἔσπευδε μαθεῖν ἀπὸ τοῦ Χριστοῦ, καὶ τὴν αὐτοῦ θεότητα διδαχθῆναι. οὔτε μὴν ὁ Χριστὸς ἀποστέλλων ἐκείνους, Ἰωάννην ἐβούλετο βεβαιοῦν· ἐγίνωσκε γὰρ ἐκεῖνον, ὑφ' οὗπερ δὴ καὶ αὐτὸς ἐγινώσκετο, ἀλλὰ πιστοῦν ἤθελε τοὺς πεμφθέντας, ἔτι χαμαὶ βαίνοντας, καὶ πολλῷ τῷ μέσῳ τὴν Ἰωάννου δόξαν ὑπερτιθέντας τῆς Ἰησοῦ· ὅτι ὁ μὲν ἐκ παραδόξου συλλήψεως, ἀρχιερατικοῦ γένους, καὶ τῆς ἐρημίας ἀναφαινόμενος, ὁ πᾶς τε ὄχλος συρρέων αὐτῷ ἦν, καὶ ὡς μεγάλῳ προστιθέμενος· ὁ δὲ πένης, καὶ ἐκ πενήτων, καὶ ἄσημος ὅσον γοῦν τὸ ὁρώμενον, καὶ μηδὲ μαθητὰς ἔτι περὶ αὐτὸν ἔχων. Ἐπεὶ οὖν Ἰωάννην εἶχε τὸ δεσμωτήριον, ὡς ὁ λόγος φθάσας ἐδήλωσεν, Ἰησοῦς μεταβὰς ἐκεῖθεν, ᾗ τὰ θεῖα διδάσκει λόγια, εἰς τὴν λίμνην Γενησαρὲτ ἀφικνεῖται· καὶ ἐπὶ τοῖς πλοίοις ἐπιβάντες Ἀνδρέας τε καὶ Πέτρος τὰ ἑαυτῶν κατήρτιζον δίκτυα τῆς λίμνης ἀκταῖς ὁ φιλάνθρωπος ἐπιστάς· οὔθ' ὡς καταλιπόντας αὐτὸν ὠνείδισεν, οὔτε ῥῆμα σκληρὸν προῆκε, καθικέσθαι αὐτῶν δυνάμενον, ἀλλὰ πρᾳείᾳ καὶ ἡμέρῳ φωνῇ. δεῦτε, ἔφη, ὀπίσω μου, καὶ ποιήσω ὑμᾶς ἁλιεῖς ἀνθρώπων, οἵ γε καὶ εὐθέως ἀφέντες τὰ δίκτυα, ἠκολούθησαν αὐτῷ.

legali umbra & tenebris permansuros, ne contingeret, & ne ipso è viuis sublato, in humilibus adhuc de Christo opinionibus discipuli remanerent; quid facit? ex his duobus ad Christum missis: Tu es qui venis, aut alium expectamus, inquit? Quid igitur scientiarum Dominus? neque omne abscondit, neque propriam ipse reuelat diuinitatem; sed illos rebus permissos dimisit ut viderent, quòd qui illa agit, ipse esset qui venturus est. Dicit enim, abeuntes dicite Ioanni, quòd cæci vident, surdi audiunt, mortui resurgunt, claudi ambulant, pauperes euangelizantur; & beatus qui non scandalizatus fuerit in me. Neque igitur Ioannes ad interrogationem discipulos mittens ignorabat quem interrogabat, sed eos magis incitabat, ut discerent à Christo, ipsiusque diuinitatem edocerentur. Neque etiam Christus remittens illos, Ioannem volebat confirmare; cognoscebat enim eum, à quo certè cognoscebatur; sed volebat eos qui mittebantur, fideles efficere, humi adhuc gradientes, & magno interuallo Ioannis existimationem supra acceptam de Christo opinionem attollentes; quod quidem ille ex admirabili conceptione, pontificia stirpe & deserto prodiret, turbáque omnis ad ipsum conflueret tanquam ad magnum sese adiungens. Ille verò egenus & ex egenis, atque ignobilis quantùm videre erat, nec discipulos adhuc circa se habens. Cùm ergo Ioannes includeretur in carcere, ut suprà declarauimus, Iesus illinc digressus, quemadmodum docent diuina eloquia, ad stagnum Genesaret sese contulit; conscensis autem nauigiis, retia sua resarcientibus, homo Deus superuenit ad stagni littus, nec quòd seipsum deseruissent, increpauit, nec durum præmisit verbum, quod eos contristari posset, sed miti & suaui voce dixit: Venite post me, & faciam vos piscatores hominum; qui quidem statim relictis retibus secuti sunt eum.

Ac perinde erat, ac si diceremus ipsos reliquisse omnia: quæ enim eis amplior substantia quàm retia? Dicit itaque vt continuò sequantur nihil cunctantes, sed ardentem feruentémque præ se ferentes animum: nam adhuc habebant animo insidentem miraculorum eius memoriam, & testimoniorum Ioannis. At quæ Petrum spectant, omittantur interim. Quod autem è re nunc est, audiendus vobis, qui Dei amici estis, proponatur Andreas. Hic ergo genere & infimis quibuscunque occupationibus, parui aut nullius ductus, magistro adhærebat, concomitabatur, doctrinam audiebat, ministrabat. In omnibus primus & solus erat ipsi scitè conformatus; hunc etenim nouerat ex Mosaïcis propheticísque libris verè venturum. Cùm autem corporum mutilationes & morbos insanabiles curari, claudos quidem saltare eo iubente, cæcos verò molesta caligine exolui, solísque fulgores amicos claré videre, atque spiritus verbo fugari, & faciliùs à morte quàm à somno mortuos suscitari, aliáque id genus inaudita miracula diuino mandato patrari videret: ex his, quasi manu ductus ad diuinam altitudinem assurgebat, cogitabat enim bene cordatus, quòd, tametsi à multis Prophetis, & à veteribus iustis signa & prodigia peracta sint, non vt Domini; sed vt supplices precibúsque rectè operabantur & feliciter omnia. At hîc magna auctoritate hæc verba: Tibi dico, & volo; aliáque eiusmodi dominij indicia proferens æquè facilè ac si diceret, operatur maiora signa, magísque diuina. Respicit tantùm aridam manum, & soluit repentè morbi vincula; imperat legioni spirituum, & sicut fumus deficiunt; neque vllo modo increpationem sustinent, sistit ventorum flatus, supra mare pedibus iter facit, paucis ex panibus decem hominum millia replet, omnia quæcunque Deum decebant, conuenienter facit, verè filius Dei erat ille, verus Deus &

πάντως δ' ἴσως ἦν εἰπεῖν, καὶ πάντα καταλιπόντας· τί γὰρ ἐκείνοις πλέον εἰς ὕπαρξιν, ἢ τὰ δίκτυα; εὐθέως οὖν ἀκολουθῆσαι φησίν, οὐδὲν ἀναβαλλομένους, ἀλλὰ τὸ θερμὸν καὶ ζέον τῆς ψυχῆς ἐπιδειξαμένους· ἔτι γὰρ τὴν μνήμην τῶν αὐτοῦ θαυμάτων, καὶ τῶν Ἰωάννου μαρτυριῶν, ἐγκαθημένην εἶχον τῇ διανοίᾳ· ἀλλὰ τὰ μὲν περὶ Πέτρου, τέως ἀναμενέτω· τὸ δὲ νῦν ἔχον, Ἀνδρέας προκείσθω τοῖς φιλοθέοις ὑμῖν ἀκροάσιν· οὗτος τοίνυν μικρὰ ἢ οὐδὲν γένους· καὶ ὅσα τῆς κάτω φροντίσας περιφορᾶς, εἴχετο τοῦ διδασκάλου· συνείπετο, διδαχῶν, ἤκουε, διηκόνει, πάντα ἦν αὐτῷ καὶ πρῶτος, καὶ μόνος, ἐπιτηδείως προσαρμοζόμενος· ᾔδει μὲν γὰρ αὐτὸν ἔκ τε τῶν Μωσαϊκῶν βίβλων καὶ τῶν προφητικῶν, ἀληθῶς ἐλευσόμενον. ἐπεὶ δὲ καὶ πηρώσεις σωμάτων εἶδε, καὶ ἀνίατα πάθη θεραπευόμενα· χωλοὺς μὲν, ἁλλομένους, ἐξ ἐπιτάγματος, τυφλοὺς δὲ, τοῦ λυπηροῦ σκότους ἐκλυομένους, καὶ τὰς ἡλίου φίλας αὐγὰς καθαρῶς βλέποντας, πνεύματά τε λόγῳ φυγαδευόμενα, καὶ νεκροὺς ῥᾷον ὕπνου, τὸν θάνατον ἀποτιθεμένους, τ' ἄλλα τε τῶν παραδόξων αὐτοῦ θαυμάτων, τῷ θεϊκῷ κελεύσματι, ἐνεργούμενα, ἐκ τούτων οἷα χειραγωγούμενος πρὸς τὸ θεϊκὸν ὕψος ἀνεβιβάζετο. Διελογίζετο γὰρ νουνεχὴς ὤν, ὡς εἰ καὶ πολλοῖς τῶν προφητῶν, καὶ τῶν πάλαι δικαίων σημεῖα καὶ τέρατα κατεπράχθη· ἀλλ' οὐ δεσποτικῶς, ἱκετικῶς δὲ μᾶλλον, καὶ δι' εὐχῆς τὰ πάντα κατώρθουν. ὁ δὲ, τὸ, σοὶ λέγω, καὶ τὸ, θέλω· καὶ τ' ἄλλα δὲ τὰ δεσποτικὰ κατὰ πολλὴν προβαλλόμενος αὐθεντίαν, ἴσῃ τῷ λέγειν εὐκολίᾳ, τὰ μείζονα τερατουργεῖ καὶ θειότερα. ἐπιβάλλει μόνον ὀφθαλμὸν ξηρανθείσῃ χειρί, καὶ λύει παραυτίκα πάθους δεσμά· ἐπιτάσσει λεγεῶνι πνευμάτων, καὶ οἷα καπνὸς ἐκλείπει· καὶ οὐδαμῶς φέρει τὴν ἐπιτίμησιν, ἵστησιν ἀνέμων πνοάς, πεζεύει τὴν ὑγράν, ἐξ ὀλίγων ἄρτων, μυριάδας ἐμπίπλησι· πάντα ὅσα Θεῷ προσῆκον, ἀκολούθως ποιεῖ, ἀληθῶς Θεοῦ υἱὸς ὢν οὗτος, καὶ Θεὸς ἀψευδής, καὶ

salua-

σωτὴρ τοῦ κόσμου· οὗτος ὁ ἱερὸς Ἀνδρέας τὰ μεγάλα τε καὶ θεοπρεπῆ διδάσκεται, καὶ τὸ ἑξῆς, ἀδιαίρετος τοῦ διδασκάλου καθίσταται, παρ' ὅλον αὐτῷ τὸν χρόνον τῆς ζωῆς συγγινόμενος.

Ἐπεὶ δὲ τὰς πόλεις ἀφιεὶς ὁ σωτὴρ πολλάκις περιενόστει τὴν ἔρημον, περιεῖχε δὲ αὐτὸν πλῆθος ἀνθρώπων, ἀπό τε τῶν θαυμάτων, καὶ τῆς ἐκείνου γλώττης ἡδέως ἑλκόμενοι· ἐρημία δὲ ἦν καὶ τροφῆς ἀπορία, καὶ ἡ γαστὴρ οὐκ ἐσπένδετο· ὁ ἀγαθὸς τότε τὴν ἐρημίαν ὁρῶν θαῦμα παλαιὸν ἐκαίνιζεν ἐν ἐρήμῳ πραχθὲν, καὶ μάρτυρα πάλιν ἐποιεῖτο τὴν ἔρημον, καὶ τοὺς μαθητὰς, ἑστιάτορας προεβάλλετο, καὶ πρὸς εὐωχίαν σχέδιον παρεκάλει τὸ πλῆθος· τοῖς μὲν ἄλλοις τῶν μαθητῶν, ἀπορίαν τὸ γενόμενον καὶ θόρυβον ὡς εἰκὸς ἐποίει, τὴν ἔνδειαν ἐπισταμένοις, καὶ τί βούλεται τῷ Χριστῷ ἡ τοῦ λαοῦ πρόσκλησις, διηπόρουν· Ἀνδρέας δὲ, ἐλευθεριώτερόν τι ποιῶν, καὶ φανερῶς διελέγχων τῶν ἀναγκαίων τὴν ὀλιγότητα, ἔλαθε διδοὺς τῷ σωτῆρι τοῦ θαύματος τὰς προφάσεις· φησὶ γάρ, οὐκ εἰσὶν εἰ μὴ πέντε ἄρτοι, καὶ ὀλίγα ἰχθύδια. τί οὖν ἐκεῖνος· φέρετέ μοι αὐτὰ ὧδε· καὶ γέγονεν ἡ τῆς ἐνδείας ὁμολογία, περιουσία τῶν ἀγαθῶν καὶ πλήρωσις.

Ἔξω δὲ καὶ ἄλλο σκοπεῖν, τὸ τοῦ ἀποστόλου πρὸς τὸν διδάσκαλον οἰκεῖον καὶ προσφιλὲς, καὶ ὁπόσης μὲν αὐτὸς ἀπήλαυε τῆς παρ' ἐκείνου ῥοπῆς. ὅσον δὲ οὗτος πάλιν, τὸ πρὸς αὐτὸν τῆς ἀγάπης ἔτρεφε πῦρ, ἐφ' οὗ καὶ θανάτου παντὸς κατετόλμα· καὶ ἀνδρείαν καὶ εὔτολμον εἶχε τὴν ψυχὴν ὁ Ἀνδρέας.

Δεῆσαν γάρ ποτε τῷ κατ' ἐκεῖνο καιροῦ τινας ἑλλήνων· περὶ τὴν τοῦ πάσχα ἑορτὴν, εἰς Ἱεροσόλυμα ἀναβῆναι, τόν ναόν τε ἰδεῖν· καὶ τὴν εἰωθυῖαν ἀποδοῦναι προσκύνησιν, ὅπερ καὶ οὗτοι τὸν Ἰουδαϊσμὸν ᾑρετίσαντο· φήμη δὲ τὰς ἐκείνων κατέπληττε περὶ Ἰησοῦ ἀκοὰς ὡς εἴη τὸ κατὰ τὸν Λάζαρον θαῦμα ἐνηργηκώς· ὡς ἀπαντηθείη παρὰ τοῦ ὄχλου μετὰ βαΐων· ἄλλοις τε πολλοῖς σημείοις, εἰς ἔννοιαν αὐτοὺς ἐμβάλλει θεότητος, καὶ εἰς

Saluator mundi. Sacrosanctus hic Andreas magna diuináque edocetur, atque deinceps à magistro inseparabilis constituitur per totum vitæ curriculum cum ipso conuersatus.

Relictis autem vrbibus circuibat Saluator plerumque desertum: sequebatur verò ipsum multitudo hominum, qui à miraculis & linguâ eius suauiter trahebantur, neque cum ea solitudine ciborúmq; angustia venter paciscebatur. bonus tunc ille desertū respiciens, factum vetus in solitudine miraculum nouum reddidit, ac testem rursus desertum faciebat, necnon discipulos conuiuatores designans, ad conuiuium vltro paratum multitudinem inuitabat, & quidem cùm res ista aliis discipulis indigentiam noscentibus anxietatem, vt par erat, & tumultum faceret, dubitaréntque quid sibi Christus vellet populi aduocatione, liberius quid agens Andreas, atque necessariorum paucitatem apertè redarguens Saluatori occasiones miraculi nihil cogitans tribuit. Ait enim: non sunt nisi quinque panes & pauci pisciculi. quid ergo ille? Huc mihi afferte ipsos, & confessio inopiæ facta est abundantia repletióque bonorum.

Habebo etiam & aliud considerandum, Apostoli scilicet cum magistro familiaritatem & amicitiam, & quantus ipsius in eum fuit amor; quantum hic rursus charitatis ignem erga ipsum fouit, pro quo & mortem contemnebat, & fortitudinem, & audacem præ se ferebat animum Andreas.

Enimuerò cùm oportuisset Græcos aliquos eo tempore circa festum Paschæ Hierosolymam ascendere, templum inuisere, solitámque reddere adorationem; postquam & hi Iudaismum zelauerunt, fama de Iesu ad eorum aures veniebat, quomodo in Lazaro miraculum operatus est, qua ratione turba cum ramis obuiam illi processit, aliísque multis signis ad notitiam diuinitatis ipsos impellit; atque in

visionis eius amorem transmutati adeunt Philippum per ipsum frui postulantes conuersatione magistri: is non hoc alia ratione præstat, donec prius communicauerit Andreæ, primo Apostolorum vocato debitum honorem præbens, minimeque nescius, quomodo cum magistro ageret. At posteaquam qui passus pro nobis atque in cruce sepulchroque versatus est Dominus, diuinitatis potentia surrexit ex sepulchro, conuocauit ad se denuò & discipulos & amicos; dimittebátque vt omnes nationes pædagogorum more docerent, vsquequò mitteretur ex alto vniuersa boni spiritus armatura. Hac & Andreas armatus ad Euangelij cursum sese accingebat.

Sed reliquis quidem discipulis aliæ terræ partes gentiúmque in ipsis habitantium sortitò distributæ sunt atque determinatæ. Andreæ autem quæ? quàm magna aliqua & magnificè commissa? omnis enim Bithynorum regio, & Pontus Euxinus, Propontidis partes vtræque, & quæ ad Astacenum vsque sinum protenduntur, & quæ traiectum illum peruadunt. Numera cum iis Chalcedonem celeberrimam, Byzantiúmque ipsum, & nationes quæ Thraciam & Macedoniam habitant, & quæ ad Istrum pertinent. Thessalia autem & Græcia, quæque ad Achaiam vsque ipsam extenduntur, illius linguæ fructus extiterunt & plantæ ad religionem. His ergo regionibus, locis ac ciuitatibus, quæ in eis sunt, ad hæreditatem assumptis, neque ad magnitudinem negotij respiciens obtusus, neque ad susceptam rem segnis fuit: at fidei plenus, amorémque magistri parturiens, incubuit prædicationi, discipulos adsciscens quoscumque putabat ad prædicationem idoneos fieri posse, vt & alij sensim sine sensu sibi mox adiungerentur. Atenim multæ illius in omni gente peregrinationes, harum verò plures in vrbibus & pagis, in quibus cum dogmata Chri-

ἔρωτα τῆς αὐτοῦ θέας μεταστάντες, προσίασι Φιλίππῳ δι' αὐτοῦ τυχεῖν ἀξιοῦντες τῆς πρὸς τὸν διδάσκαλον ὁμιλίας. ὁ δέ, οὐκ ἄλλως τοῦτο ποιεῖ, ἕως ἐκοινώσατο πρῶτον Ἀνδρέᾳ, τὰ πρεσβεῖα τῷ πρωτοκλήτῳ διδούς, καὶ εἰδὼς ὅπως εἶχε πρὸς τὸν διδάσκαλον. ἐπεὶ δὲ καὶ ὁ ὑπὲρ ἡμῶν παθὼν κύριος, καὶ σταυρῷ καὶ τάφῳ προσομιλήσας, δυνάμει τε θεότητος ἐξανέστη τοῦ τάφου· καὶ τοὺς μαθητὰς πάλιν καὶ φίλους πρὸς ἑαυτὸν συνηγάγετο. προέπεμπέ τε πάντα τὰ ἔθνη παιδαγωγικῶς μαθητεύοντας, μετὰ τὴν ἐξ ὕψους περιφθησομένην τοῦ ἀγαθοῦ πνεύματος πανοπλίαν, ταύτην καὶ Ἀνδρέας καθοπλισθεὶς πρὸς τὸν τοῦ εὐαγγελίου δρόμον παρεσκευάζετο.

Ἀλλὰ τοῖς μὲν ἄλλοις τῶν μαθητῶν ἄλλαι μοῖραι τῆς γῆς, καὶ τῶν ἐν αὐταῖς ἐθνῶν, ἀπεκληροῦντο καὶ ἀφωρίζοντο· Ἀνδρέᾳ δέ, τίς; ὡς μεγάλη τις καὶ φιλοτίμως ἐγχειρισθεῖσα, ἥ τε γὰρ Βιθυνῶν ἅπασα χώρα καὶ Πόντος ὁ Εὔξεινος, τῆς Προποντίδος τὰ μέρη ἑκάτερα, ἄχρι καὶ τοῦ Ἀστακηνοῦ κόλπου τείνοντα, καὶ τοῦ διάπλου τοῦ ἐκεῖθεν διήκοντος. ἀρίθμει σὺν τούτοις καὶ Χαλκηδόνα τὴν περιώνυμον, καὶ τὸ Βυζάντιον αὐτό, καὶ τὰ τῶν Θρᾳκῶν δὲ καὶ Μακεδόνων νεμόμενα γένη, καὶ τὰ ἕως τοῦ Ἴστρου φθάνοντα· καὶ Θεσσαλία δὲ καὶ Ἑλλάς, καὶ τὰ μέχρις Ἀχαΐας αὐτῆς ἐκτείνοντα, τῆς ἐκείνου γλώσσης καρπὸς καὶ φυτὰ πρὸς εὐσέβειαν. τούτων οὖν τῶν χωρῶν καὶ τόπων, καὶ τῶν ἐν αὐταῖς πόλεων ὁ πρωτόκλητος τὸν κλῆρον ἐγχειρισθείς· οὐ πρὸς τὸ μέγεθος τοῦ πράγματος ἀποβλέψας ἠμβλύνθη τε τὸ πρόθυμον, καὶ ὤκνησε τὴν ἐγχείρησιν· ἀλλὰ πίστεως πλήρης τε ὤν, καὶ τὸν τοῦ διδασκάλου πόθον ὠδίνων, ἥπτετο τοῦ κηρύγματος· μαθητὰς ἐπαγόμενος, ὅσους δὴ τὴν ἀρχὴν ἱκανοὺς ἔχειν ᾤετο πρὸς τὸ κήρυγμα. ὡς κατ' ὀλίγον, καὶ ἑτέρων αὐτῷ προστιθεμένων· πολλαὶ μὲν οὖν αἱ κατὰ πᾶν ἔθνος αὐτοῦ ἀποδημίαι· πλείους δὲ τούτων, αἱ κατὰ πόλεις καὶ κώμας, ἐν αἷς τὰ περὶ Χρι-

τοῦ δόγματα καταασπείρας, τὸν τῆς εὐσεβείας στάχυν ἐθέρισε.

Καὶ πρῶτα μὲν, Αμινσὸς αὐτὸν ὑπεδέξατο· καὶ ἢ συχνοὺς εὑρηκὼς τοὺς μὲν, τὰ ἑλλήνων, τοὺς δὲ, καὶ τὰ τοῦ Ιουδαϊσμοῦ σέβοντας, καὶ τοὺς μὲν, τῆς τοιαύτης δόξης καὶ τῆς θρησκείας λίαν ἀντεχομένους· φιλοξενίᾳ δὲ καὶ ἁπλότητι, καὶ τῇ τοῦ ἤθους ἐλευθερίῳ, σφόδρα σεμνυνομένους, ἐπιξενοῦταί τινι τῶν τὰ Ιουδαϊκὰ σεβομένων ἀνδρί· ἐσκόπειτε, πῶς ἂν αὐτῷ εἴη πλῆθος τοσοῦτο θαλάσσῃ, πλάνης βεβυθισμένον τῷ ἑαυτοῦ δικτύῳ περιλαβεῖν.

Συναγωγῆς οὖν ἑωθινῆς γεγονυίας· καὶ τοῦ Ανδρέου μετὰ πάντων εἰσελθόντος, ἐπυνθάνοντο, τίς τε εἴη, καὶ πόθεν, καὶ ὁποῖον ἥκει διαγγέλλων τὸ κήρυγμα. ὁ δὲ δημηγορίας ἁψάμενος, διῄει καλῶς περὶ τοῦ Χριστοῦ· καὶ ὅσα περὶ αὐτοῦ προφῆται μὲν προηγόρευσαν, νόμος δὲ, ὑπέφηνε καὶ διὰ πάντων ἐτράνου, ὅτι αὐτός ἐστιν, ὁ καὶ σωτηρία τῆς ἀνθρωπίνου γένους ἐληλυθώς· αὐτὸν παραγαγὼν τὸν πρόδρομον μάρτυρα, καὶ ὅσαπερ αὐτῷ ἐκεῖνος μεμυσταγώγηκε.

Ταῦτά τε, καὶ τὰ τοιαῦτα πρὸς ἐκείνους εἰπὼν καὶ τὴν ἀψευδῆ πίστιν τῶν αὐτῶν ἐγγράψας ψυχαῖς· καὶ εἴσω τῶν ἰδίων ἤδη δικτύων θέμενος οὗτος ἁλιεὺς ἀνθρώπων κατὰ τὸν διδασκάλου λόγον ἐφάνη. εἶτα καὶ λουτρῷ μὲν τοῦ θείου βαπτίσματος, τὸν τῆς ψυχῆς αὐτῶν ῥύπον ἀποκαθαίρει. ὅσοι δὲ καὶ νόσοις πονήρως εἶχε τὰ σώματα, ἢ πνεύμασι χαλεποῖς προσεπάλαιον, τῆς ἑκατέρωθεν αὐτοὺς ἀπήλλαξε βλάβης.

Εντεῦθεν ναούς τε ἱεροὺς ἀνεγείρας, καὶ ἀπὸ τῶν ἤδη πεπιστευκότων ἱερέας προχειρησάμενος, ἔξεισι μὲν ἐκεῖθεν, πρὸς δὲ τὴν Τραπεζοῦντα παραθαλάσσιον οὖσαν πόλιν γίνεται· ἔτι δὲ καὶ τὴν οὐ μακρὰν αὐτῆς ἀπέχουσαν Λαζικήν· καὶ αὖθις ὁμοίως τὸ πιστευθὲν τάλαντον καταθέμενος τῆς διδασκαλίας· καὶ πολλὰ πλήθη προσαγαγὼν τῷ Χριστῷ ἐκεῖθεν ἀπαίρειν πρὸς Ιερουσαλὴμ ἔγνω, τὴν ἑορτὴν τοῦ πάσχα ἐπιτελέσων· ἵνα Παύλῳ τε ὁμιλῇ τῷ θείῳ καὶ Πέτρῳ τῷ ἀδελφῷ συγγίνεται.

sti disseminasset, religionis spicam messuit.

Ac primùm quidem Aminsus ipsum suscepit, & vbi frequentes inuenit, alios quidem Græcorum, alios verò Iudæorum religionem retinentes, & hos quidem eiusmodi opinioni cultuíque nimium deditos, hospitalitate autem & simplicitate, liberalitatéque morum summopere venerabiles. Hospitio excipitur apud virum quemdam Judaicæ religioni deditum, speculabatúrque quomodo posset multitudinem tantam in erroris pelago demersam reti suo comprehendere.

Synagoga igitur matutina facta, & Andream vna cum omnibus ingressum interrogauerunt, quis esset, & vnde, & qualem venit prædicationem annunciare. Ille verò concione habita rectè percurrebat de Christo, quæcumque tum Prophetæ de ipso prædixerunt, tum lex significauit, & per omnia manifestabat, quod ipse est & qui salus humani generis venit, præcursore in testem adducto, à quo & ipse primò sacra illa mysteria didicerat.

Hæcque & alia id genus ad eos dicens, veráque fide ipsorum animis impressa, iisque propria intra retia positis, hic secundùm magistri verbum piscator hominum apparuit. Deinde & lauacro quidem diuini baptismatis eorum animæ sordes abluit, & quicumque morbis affecta habebant corpora, aut spiritibus agitabantur perniciosis, vtroque ipsos exemit incommodo.

Posthac sacris templis excitatis, & ex iis qui iam crediderant sacerdotibus delectis, abit quidem hinc, & Trapezuntem vrbem maritimam peruenit, Lazicámque præterea non longè ab ea distantem: at ipsis similiter creditum doctrinæ talentum persoluit. quin etiam magna ad Christum multitudine perducta, hinc Hierosolymam proficisci statuit Paschæ festum celebraturus, vt diuini Pauli conuersatione, Petríque fratris colloquio frueretur.

Atque ex eo loco simul cum Ioanne Deiloquo & Euangelista in Ephesum secedit; cúmque illic in visione nocturna accepisset, vt in Bithyniam sibi imperatam rediret, persuasus Nicæam vrbem peruenit, nondum tunc temporis muratam, nec firmatam præsidiis: posterioribus enim temporibus aiunt septis ipsam & turribus munitam, neque etiam sic vicinum habentem portum tali magnitudine, sed breuem & angustis circumscriptum finibus, & multùm à Nicæa abscissum.

Huic supergressus vrbi, cùm & ipsi tum Græcæ tum Iudaicæ religioni mordicùs adhærerent, nec posset illos verbis conuertere ad religionem, operibus enititur, & quæ maximè crassiorum suadet mentes, edit miracula, modò vocis instrumenta restaurans, modò dæmonas expellens, aliarúmque passionum & morborum medicum sese exhibens nullius mercedis auidum. Nunc quidem latentes illic dracones virgâ ferreâ quâ innitebatur, cuius in extremitate crux affixa erat, prosternens, periménsque, nunc verò Veneris & Dianæ turpissimarum obscœnas purificans statuas, quique in ipsis habitabant spiritus sola Christi inuocatione in fugam coniiciens, quò posthæc regio ista volentibus esset peruia.

Ex hac hora Græcarum subuersio festiuitatum, & ipsorum, qui gratiâ congregabantur iusta mercedis persolutio, nam dæmonium habebant, & spiritibus malis agebantur in furorem, propriísque carnibus arreptis, omnes conuiuio excipientes gestiebant, condignas accipientes retributiones ab ipsis, quos curare conuenerunt. Verùm non illius erat negligere, sed & ipsorum ex duplici perditione misertus duplex adhibuit remedium, tum diuinæ cognitionis luce eos illuminando, tum quod inter eos deplorandum erat bellum, idolorúmque delubra in sacrosancta commutando templa, constitutis in iis rursus sacerdotibus: biennium verò inibi moratus, ex Nicæa ad

Κἀκεῖθεν ἅμα Ἰωάννῃ τῷ θεολόγῳ καὶ εὐαγγελιστῇ, πρὸς Ἔφεσον ἀφικνεῖται· ἔνθα καὶ νυκτερινῆς τυχὼν ὄψεως πρὸς τὴν Βιθυνῶν αὐτῷ κελευούσης ἐπιμεληθῆν, πεισθεὶς τὴν Νικαέων καταλαμβάνει οὔπω πότε τειχήρη καὶ ἀσφαλῆ οὖσαν. χρόνοις γὰρ ὕστερον παρὰ Τραϊανοῦ φασι Καίσαρος, περιβόλοις αὐτὴν καὶ πύργοις ὀχυρωθῆναι, ἀλλ' οὐδὲ τὸν ἀγχίθυρον αὐτῆς λιμένα οὕτως ἔχουσαν τῷ τηλικῷδε μεγέθει, ἀλλὰ βραχεῖαν οὖσαν καὶ εὐπερίγραπτον, καὶ πολὺ Νικαέων ἀπῳκισμένην.

Κατὰ ταύτην ἐπιστὰς τὴν πόλιν, ἐπεὶ καὶ αὐτοὶ κατάσχετοι ἦσαν Ἑλληνισμῷ τε καὶ Ἰουδαϊσμῷ· οὐχ οἷός τε ὢν ἐκείνους μὲν λόγῳ μεταβαλεῖν πρὸς εὐσέβειαν, τοῖς ἔργοις ἐπιχειρεῖ· καὶ ἃ μάλιστα τὰς τῶν παχυτέρων πείθει ψυχάς, ἐνεργεῖ τὰ θαύματα· ὅτε μὲν, ἀφωνίας χαλινὰ λύων, ὅτε δὲ δαίμονας ἐλαύνων, καὶ παθῶν ἄλλως καὶ νόσων ἄμισθος ἰατρὸς γινόμενος. νῦν μὲν τοὺς ἐμφωλεύοντας ἐκεῖσε δράκοντας, τῇ σιδηρᾷ ῥάβδῳ ᾗ ὑπεφέρετο, ἧς κατὰ τὸ ἄκρον, σταυρὸς ἐπεπήγει, καταβάλλων, καὶ θανατῶν, νῦν δὲ Ἀφροδίτης καὶ Ἀρτέμιδος τῶν αἰσχίστων, τὰ μιαρὰ καθαίρων ἀγάλματα, καὶ τὰ ἐν αὐτοῖς ἐνοικοῦντα πνεύματα τὴν φυγὴν ἀγαπᾶν, τῇ ἐπικλήσει μόνῃ Χριστοῦ ποιούμενος· ὡς εἶναι μετὰ ταῦτα βάσιμον τὸν ἐκεῖσε χῶρον τοῖς βουλομένοις.

Ἐντεῦθεν ἡ τῶν ἑλληνικῶν καθαίρεσις ἑορτῶν, καὶ ἡ τῶν χάριν αὐτῶν συναθροιζομένων ἔνδικος μισθαποδοσία· δαιμονῶντες γάρ, καὶ πνεύμασι πονηροῖς ἐξοιστρούμενοι, σαρκῶν τε ἀπλήστως τῶν ἰδίων, καὶ πάντας ἐσθίοντες κατευφραίνοντο, ἄξια παρ' αὐτῶν ὥσπερ ἔφημεν λαμβάνοντες ἀντιδόσεις, οἷς θεραπεύειν συνεληλύθασιν· οὐ μὴν ἐκείνου τὸ παρορᾶν ἦν, ἀλλὰ καὶ αὐτοὺς τῆς διπλῆς ἀπωλείας κατελεήσας, διπλῆν παρέσχε τὴν ἴασιν· φῶς τε θεογνωσίας ἐπιλάμψας αὐτοῖς· καὶ τὸν κατ' αὐτὸν πολύδακρυν στήσας πόλεμον, αὐτά τε τὰ τῶν εἰδώλων τεμένη εἰς ἱεροὺς μεταποιήσας ναούς, καὶ ἱερεῖς πάλιν ἐν τούτοις καταστησάμενος· διετίαν δὲ ὅλην ἐκεῖσε διαγαγών, ἐκ Νικαίας πρὸς τὴν

Νικομήδειαν παραγίνεται, καὶ αὐτὴν, δεισιδαιμονεστάτην οὖσαν, πλάνῃ τε ἀσεβείας προσέχουσαν, καὶ ψεῦδος τὴν ἐλπίδα θεμένην. ἐκεῖθεν δὲ, πρὸς τὴν Χαλκηδόνα, καὶ ἀπ' αὐτῆς παραπλεύσας τὴν Προποντίδα, καὶ τὰς τοῦ Εὐξείνου Πόντου παραμείβων ἀκτὰς, Ἡράκλειαν ἱστορεῖ, κἀκεῖθεν μέτεισι πρὸς Ἄμαστριδα.

Ταύτας δὲ, οὐχ ὥσπερ ὁ λόγος ῥαδίως διέρχεται οὕτω κἀκεῖνος διήρχετο, ἀλλ' ἐν ἑκάστῃ πολλὰ τὰ ἀντιπίπτοντα ὑποστάς· πολλαῖς δὲ πραγμάτων δυσχερείαις ὁμιλήσας, εἰ καὶ ῥοπῇ Χριστοῦ καὶ βοηθείᾳ πάντων ἐκράτει, ὃς καὶ συμπαρῆν αὐτῷ τὸ ἔργον τῶν χειρῶν κατευθύνων, καὶ στόμα διδοὺς καὶ σοφίαν πρὸς τοὺς Ἑλλήνων σοφοὺς καταισχύνουσαν.

Εἶτα μεταβὰς ἐκεῖθεν, τῇ Σινωπέων ἐπιφοιτᾷ· ὥς φασι λόγοι παλαιοὶ, αὐτὸν τὸν πρωτόκλητον μετὰ τοῦ συγγόνου, χρόνον οὔτι μικρὸν διατρίψαι· μαρτύρουσι δὲ καὶ γάρ εἰσι καὶ νῦν αἱ τούτων καθέδραι τοῖς βουλομένοις ὁρώμεναι, λίθου πεποιημέναι λευκοῦ, αἷς καθεζόμενοι, τὸ γλυκὺ νᾶμα τῆς διδασκαλίας προέχεον· καὶ εἰκὼν δὲ Ἀνδρέου παρ' αὐτοῖς σώζεται πρεσβυτάτη, ἀπόδειξις ἐναργὴς, οὗ καὶ φέρει τύπον αὐτῆς δυνάμεως ὅτι περ οὐ ζῶν ἁπλῶς καὶ φθεγγόμενος, ἀλλὰ καὶ γραφῇ μόνῃ καθ' ἕκαστον Ἀνδρέας θαυματουργεῖ.

Λόγος δὲ ὅτι καὶ τὸν ἀπόστολον Ματθίαν παρὰ Σινωπεῦσι τῷ δεσμωτηρίῳ καθειργμένον εὗρε, τῷ σταυρικῷ τε σημείῳ τὴν φυλακὴν διανοίξασαν· καὶ τοῖς ἄλλοις ἅμα δεσμώταις, ἐκεῖθεν ἐξαγαγών. καὶ ταῦτα μὲν ὁ θεῖος Ἀνδρέας.

Σινωπεῖς δὲ, Ἰουδαῖοι μὲν τὸ σέβας ὑπῆρχον, ὠμοὶ δὲ καὶ ἄγριοι τὰς ψυχὰς, μορφῇ μόνῃ καὶ ὄψει τὸ μὴ θῆρες, εἶναι πιστευόμενοι, οἳ καὶ τὸν ἀπόστολον θεασάμενοι· καὶ οἷα δὴ καθαιρέτην τῆς οἰκείας δόξης μισήσαντες, ὅτι τε τὸ δεσμωτήριον εὐχῇ διανοίξας, ἐκεῖθεν ἐξαγάγοι τοὺς καθειργμένους, εἰς ἓν γενόμενοι σύστημα τὴν μὲν οἰκίαν ἐμπρῆσαι ἐπεχείρουν, ἐν ᾗπερ αὐτὸς ἐπιξενωθεὶς ἐτύγχανεν. ἐκεῖνον δὲ συλλαβόμενοι, κατὰ γῆς ἔρριπτον, καὶ οἱ μὲν ποδῶν, οἱ δὲ καὶ χειρῶν λαβόμενοι,

Nicomediam venit, eámque meticulosè deorum cultui vehementer incumbentem, impietatísque errori deditam, & quæ spem in falsitate posuerat: inde autem ad Chalcedonem, & ab ea cùm nauigasset ad Propontida & Euxini Ponti littora prætergressus, peragit & cognoscit Heracleam, atque illinc ad Amastrida transit.

Has autem non vt verbum facilè percurrit, sic & ille percurrebat, sed in vnaquaque multa contraria perpessus, multísque rerum difficultatibus exercitus, tametsi Christi amore & auxilio omnium victor existebat, qui & ipsi astitit, opus manuum dirigens, os præbens, atque sapientiam Græcorũ sapientes confundentem.

Deinde digressus illinc in vrbem Sinopensium sese confert, sic referunt antiqui sermones, ipsum primum Apostolorum vocatum cum germano non parum temporis immoratum. testantúrque quæ & nunc extant eorum Cathedræ quorumlibet oculis expositæ, ex albo lapide fabricatæ, in quibus sedentes suauissimos doctrinæ latices profundebant. Imago autem apud ipsos seruatur antiquissima, cuius quidem fert ipsius potestatis signum, quod non viuens simpliciter & loquens, sed & sola scriptura in singulis miracula operatus est Andreas.

Ferunt & Apostolum Matthiam apud Sinopenses in carcere inclusum inuenisse, atque custodia signo crucis aperta vnà cum aliis captiuis illinc eduxisse. atque hæc quidem diuinus Andreas.

Sinopenses autem religione quidem Iudæi, crudeles & agrestes animas sola forma & visione belluas non esse credentes, qui & contemplati Apostolum, quíque vt propriæ destructorem opinionis prosecuti quòd aperto precibus carcere illinc eduxisset inclusos, in cœtum coacti domum quidem incendere nitebantur, in qua ipse hospitio exceptus erat. At hunc correptum proiiciebant in terram, alíque pedibus, alij verò manibus prehendentes

trahebant, distrahebántque. necnon manifestum erat eos insana quadam rabie corripi, ipsis etiam dentibus appetentes in sanctas illas carnes sæuire. alij itaque lignis percutiebant, alij verò lapidibus feriebant. atque cùm & ipsi Iudæi omnino essent, & interempti à seipsis Christi imitatorem semianimem effecissent, veluti morticinium quoddam longè ab vrbe proiiciebant. at propè aderat consolatio: Cùm enim magister apparuisset, summa benignitate discipuli animum erigebat, consolabatúrque, & vt prædicationi quæ ad manum erat, incumberet hortabatur. Dum autem ab iniquis hominibus traheretur, vnus ex digitis excisus est, húncque ipse sanum restituit, qui sese visendum præbuerat, quocirca in vrbem denuò integer & saluus ingreditur, nec vllum prorsus plagarum vestigium extabat.

Quem cùm vidissent ij qui tam indignis verberibus exceperant, siue quòd perseuerantia eos in admirationem rapuisset, siue quòd ex tanta, quæ hominum vires excedebat, curâ commoti fuissent, feritatem exuunt, corde conteruntur, ac illius doctrinam obsequiosè recipiunt, qui quidem ipsos Christo adiungit sanatis animabus, curatísque malè affectorum corporibus, partim verbo, partim manuum impositione, sic plerumque qui iniuria affectus longanimiter distulit, eos qui affecerunt fortiùs omni pœna mulctauit, cùm virtutis miraculo eorum animas confuderit, patientibúsque planè seruas effecerit.

Magno deinde nuntiatum est cæsum esse aliquem, cuius aufugerat homicida, matérq; maternis affectibus indulgens filium grauiter lamentabatur, veluti plenus humanitatis misericordia commouetur, atque ad locum statim se proripit, & tanquam Christi Apostolus miraculum edit, dátque matri filium viuentem. Sic acceperunt mulieres de resurrectione mortuos suos. quod certè iis, qui viderant, maiorem ingenerat fidem, suadétque vt diuino cõsummati baptismate

εἷλκόν τε καὶ διέσπων· καὶ φανεροὶ ἦσαν ὑπὸ τῆς ἐκμαινούσης αὐτοὺς ὁρμώμενοι λύσσης, καὶ αὐτοῖς ὀδοῦσιν ἐφιέμενοι τῶν ἁγίων ἐκείνων σαρκῶν ἅψασθαι· οἱ μὲν οὖν, ξύλοις ἔπαιον, οἱ δὲ, λίθοις ἔβαλλον. Ἰουδαῖοι πάντως καὶ αὐτοὶ ὄντες, τὸν μιμητὴν Χριστοῦ, τοῦ πρώτου ὑπ' ἐκείνων ἀναιρεθέντος. ἕως ἡμιθανῆ θέλωσι, ὥσπερ τι τῶν θνησιμαίων μακρὰν τῆς πόλεως ἐπερρίπτουν. ἀλλ' ἐγγὺς ἡ παράκλησις· ἐπιφανεὶς γὰρ ὁ διδάσκαλος ἐθάρρυνε καὶ ἀνεκτᾶτο μάλα φιλανθρώπως τὸν μαθητὴν, καὶ τοῦ ἐν χερσὶ κηρύγματος ἐπιμελεῖσθαι παρεκελεύετο· ἐπεὶ δὲ καὶ συρόμενος ὑπὸ τῶν ἀνόμων, ἕνα τῶν δακτύλων ἔκειτο ἐκκοπεὶς, ὑγιᾶ καὶ τοῦτον ὁ ἐπιφανεὶς ἀπεδείκνυτο· εἴσεισιν οὖν καὶ αὖθις εἰς τὴν πόλιν ἄρτιος, ὑγιής· μηδὲ τύπου τινὸς τῶν πληγῶν ὑποφαινομένου.

Ὃν οἱ αἰκισάμενοι θεασάμενοι, καὶ τοῦτο μὲν, τὴν καρτερίαν θαυμάσαντες· τοῦτο δὲ, καὶ τὸ τῆς θεραπείας ὑπὲρ ἄνθρωπον ἐκπλαγέντες, μεταβάλλονται τῆς θηριωδίας, κατανύσσονται τὴν καρδίαν· τὴν ἐκείνου διδαχὴν ἀσπασίως δέχονται· ὃς καὶ αὐτοὺς τῷ Χριστῷ προσάγει· ψυχάς τε αὐτῶν ἰασάμενος, καὶ τῶν κακῶς ἐχόντων τὰ σώματα· τὰ μὲν, λόγῳ, τὰ δὲ τῇ τῶν χειρῶν ἐπιθέσει· οὕτω πολλάκις τὸν κακῶς παθόντα, μακροθυμίας διενεγκεῖν, τιμωρίας πάσης τοὺς δεδρακότας ἐπλήξεν ἰσχυρότερον· ἀρετῆς θαύματι τὰς ψυχὰς αὐτῶν καταιδέσαντα, καὶ τοῖς παθοῦσι δούλας ἀτεχνῶς ποιησάμενον.

Ἔπειτα φόνος τις, ὑποσχεὶς, ἀγγέλλεται τῷ μεγάλῳ, οὗπερ ὁ μὲν φονεὺς ἀφανής, ἡ μήτηρ δὲ, μητρικῶς πάσχουσα, καὶ ἰσχυρῶς τὸν παῖδα ὀδυρομένη, ὁ δὲ, σπλαγχνίζεται μὲν ὡς φιλάνθρωπος, καὶ τῷ τόπῳ εὐθὺς ἐφίσταται, ἐνεργεῖ δὲ ὡς Χριστοῦ ἀπόστολος καὶ ζῶντα δίδωσι τὸν υἱὸν τῇ μητρί· οὕτως ἔλαβον γυναῖκες ἐξ ἀναστάσεως τοὺς νεκροὺς αὐτῶν· ὃ τοὺς ἰδόντας, πρὸς πλείονα πίστιν ἐνάγει· καὶ πείθει τῷ θείῳ τελειωθῆναι βαπτίσματι,

λαὸν ἱερὸν γενέσθαι Χριστοῦ, καὶ τῆς αὐτοῦ ποίμνης ἀληθῶς ἄξιον.

Ὧν κἀνταῦθα τοὺς δοκιμωτέρους ἱερέας χειροτονήσας ἔξεισιν ἐκεῖθεν, καὶ τῇ Ἀμινσῷ πάλιν πρόσεισιν· παρ' ὧν εἰς Τραπεζουντίους τὸ δεύτερον διαπέμπεται. ὧν ὀλίγων τινῶν φωτὶ θεογνωσίας πεφωτισμένων, τὸ πλῆθος ὑπὸ νύκτα τῆς ἀπιστίας πλανώμενον ἦν. οἷς ἐπιμείνας τά περὶ πίστεώς τε διδάξας, καὶ βίου τοῦ καλῶς ἔχοντος, μεταβαίνει πρὸς τὴν Νεοκαισάρειαν. κἀκεῖ ὁμοίως τὸν τῆς εὐσεβείας λόγον κηρύξας, πρὸς Σαμόσατα πάλιν μεταχωρεῖ· οὗ ἄνδρες τότε κατῴκουν, οὐ μόνον τὴν περὶ τὰ εἴδωλα πλάνην νοσοῦντες. ἀλλὰ καὶ τῇ περὶ τὴν τοῦ κόσμου σοφίαν δόξῃ, δυσθεράπευτοι τὴν ψυχὴν, ὄντες ἅτε συλλογισμῶν πλεκτάναις αὐτοί τι ἄμαχοι εἶναι, καὶ οὓς ἂν βουληθεῖεν εὐκόλως θηρᾶν οἰόμενοι.

Ἀλλ' οὗτος διὰ τῆς μωρίας τοῦ κηρύγματος, τὰς ἐκείνων πλοκὰς ὡς ἄμματά τινα διακόψας, παῖδας ἔδειξε τοὺς τῷ δοκεῖν ἀηττήτους καὶ μετεώρους. μακράν τε τῆς ἀληθείας αὐτοὺς ἀποπλανωμένους, καὶ πολλῷ τοὺς αὐτῶν θεοὺς ἐκείνων ὄντας ἀθλιωτέρους· οἵ, τῷ πρὸς ἀλλήλους ἐναντίως ἔχειν τῆς γνώμης καὶ τοῖς θελήμασι, καὶ ἀλλήλων εἰσὶ πολέμιοι, καὶ διὰ τοῦτο καὶ φθαρτικοὶ ἀλλήλων ἀκριβῶς δείκνυνται. οὕτω καὶ λόγῳ τὴν τῶν φιλοσόφων ὀφρὺν ὁ ἅγιος κατασπάσας, καὶ ταῖς ἀπὸ τῶν σημείων ἐνεργείαις τὰς ἐκείνων πείσας ψυχάς, καὶ μεταγαγὼν πρὸς εὐσέβειαν, πάλιν πρὸς Ἱερουσαλὴμ ἀφικνεῖται· κἀκεῖ τὰ συνήθη ἐπιτελέσας· εἶτα καὶ πρὸς τὰς οὕτω δεξαμένας τὸν λόγον τῆς ἀληθείας πόλεις ὑπέστρεψε. καὶ ἐπεὶ Ματθίας τε καὶ Θαδδαῖος καί τινες ἄλλοι τῶν μαθητῶν αὐτῷ συνείποντο· Θαδδαῖος μὲν ἔγνω προσμένειν τῇ Ἐδεσσηνῶν πόλει· Ματθίας δὲ σὺν τοῖς ἄλλοις, τὸ εὐαγγελικὸν διαγγέλλειν κήρυγμα· αὐτὸς δὲ Ἀνδρέας τὴν Ἀλανῶν χώραν ἐπιβάς, καὶ τὸ τῆς χάριτος ἐκεῖ διασαλπίσας εὐαγγέλιον· μεταβαίνει πρὸς Ἀβασγοὺς καὶ τὴν ἐκεῖθεν Σεβαστόπολιν εἰσιὼν, ἐδίδασκέ τε καὶ εἰσηγεῖτο τὸ τοῦ Χριστοῦ μυστήριον· ὡς πολλοὺς αὐτῶν, ἔργον

fierent sacer Christi populus, ac grege ipsius verè digni.

Quorum probatioribus in sacerdotes ordinatis, illinc discedens Aminsum iterum petit, ex quo ad Trapezuntios secunda vice dimittitur, quorum paucis quibusdam luce diuinæ cognitionis illustratis, multitudo erratica erat sub infidelitatis nocte. His immoratus, traditâ fidei doctrinâ vnà cum honesta viuendi ratione, ad Neocæsaream transgreditur, cúmque inibi pariter Religionis verba prædicasset, ad Samosatas denuò se recipit, vbi viri tunc habitabant, non solùm idololatriæ morbo laborantes, sed mente vix sanabiles ex opinione circa mundanam sapientiam; qui quidem argumentorum fallaciis sese inexpugnabiles putabant, & facilè se quos vellent captare.

Sed hic per stultitiam prædicationis eorum nodis velut arcubus discissis pueros eos demonstrauit, qui inuicti subliméſque videbantur, atque ipsos à veritate procul aberrantes, & illorum deos ipsis longè miseriores, qui quòd contrarij sibi sint, sententiis & voluntatibus sibi inuicem infensi sunt, & propterea sese mutuò penitus destruentes apparent; sic cùm piscator verbo attraxisset philosophorum supercilium, & per opera ex signis illarum mentes conuictas ad Religionem adduxisset, Jerusalem denuò petit, vbi iis quæ consueuerat, operam dedit, postea etiam conuertit se ad vrbes, quæ hac ratione veritatis verbum exceperant. Quem etiam cùm Thaddæus & Matthias, & alij discipuli vnà sequerentur, Thaddæus quidem in Edesinorum vrbe immorari, at Matthias simul cum aliis prædicationem Euangelij diuulgare statuit. Ipse autem Andreas cùm Alanchorum regionem petiisset, faustúmque inibi gratiæ nuntium publicasset, ad Abasgos sese proripit, atque illinc Augustopolim ingressus docebat, inducebátque Christi mysterium; ita vt multi opus fierent

Andreæ linguæ, atque diuinam cognitionem amplecterentur.

Neque verò Zecchorum Bosphorinorúmque salutem neglexit, sed cùm apud ipsos mansisset, inobedientem ipsorum agrestémque animum odio prosecutus, secedere statuit, quippe quos reperisset inhabiles diuini seminis recipiendi, & religionis indignos existentes. At laudato Bosphorinorum obsequio, in diuini verbi susceptionem probatissimos esse existimauit, atque religionem apud ipsos intromisit, apud quos Sanctorum imagines cereo figuratæ archetypo artem non imitatricem esse, sapientiámque quam exhibent, manuum artes, inferiorem arguebant, duorum eiusdem cognominis Apostolorum capsæ monstrantur, quæ in terræ profundo erant absconditæ. ex inscriptionibus quidem liquet, vnam esse Simonis Zelotis, alteram verò Simonis Cananitæ. Itaque cùm ille non paruo temporis spatio permansisset in Bosphoro Chersonem vrbem frequentabat, & inclytam quidem, & à multis hominibus celebratam, sed sacræ fidei non firmiter adhærentem, & ad eas paratam, quas consueuerat sectas suscipiendas; vnde cùm apud ipsos sese insinuasset, rectúmque fidei verbum rectissimè annuntiasset, transnauigato mari, rursus Sinopem petit. Iámque cùm plantatas nouellas prius (eos dico, qui nuper sermonem fidei susceperant) in diuino cultu iterum magis corroboratos effecisset, Philologúmque præposuisset ipsis Episcopum, ipse discedens Byzantium nauigabat, quod adhuc oppidulum erat, necdum ad tantam maiestatem, hominúmque celebritatem feliciter euectum: vbi Stachen vnum ex septuaginta constitutum Episcopum illic ordinat. Atque cùm multos instruxisset, & lucis filios fidei susceptione reddidisset, in vrbis arce sacra exædificat templum Verbi Dei matri, hancque custodem esse voluit, & Orthodoxi futuri regni protectricem. Illinc posthac

ἀμέσθαι τῆς Ἀνδρέου γλώττης, καὶ τὴν θεογνωσίαν ἀσπάσασθαι.

Ἀλλ' οὐδὲ τῆς τῶν Ζηκχῶν τε καὶ Βοσπορινῶν ἠμέλησε σωτηρίας, ἀλλὰ καὶ τούτοις ἐπιδημήσας· τὸ μὲν ἀπειθὲς μισήσας καὶ ἄγριον, ἀναχωρεῖν ἔγνω, ἅτε ἀπαραδέκτους εὑρὼν τοῦ θείου σπόρου, καὶ μηδὲ ἀξίους τῆς εὐσεβείας ὑπάρχοντας. Βοσπορινῶν δὲ τὸ εὐπειθὲς ἐπαινέσας καὶ δοκίμους εἰς ὑποδοχὴν τοῦ θείου λόγου νενόμικε, καὶ τὴν εὐσέβειαν αὐτοῖς εἰσηγήσατο· παρ' οἷς καὶ εἰκόνες ἁγίων, ἀρχετύπῳ μεμορφωμέναι κηρῷ. τέχνην οὐ μιμητὴν, καὶ σοφίαν ὅσην δηλοῦσαι χειρῶν, τέχναι, ἥττω μὲν ἠλέγχοντο· οὐ μὴν ἀλλὰ καὶ λάρνακες ἐν μυχῷ γῆς ἀποκεκρυμμέναι δυοῖν ἀποστόλων ὁμωνύμων, ἐδείκνυντο, τὴν μὲν γὰρ, Σίμωνος εἶναι τοῦ Ζηλωτοῦ, τὴν δὲ, τὴν τοῦ Κανανίτου Σίμωνος αἱ ἐπιγραφαὶ διεσάφουν. Ὁ μὲν οὖν μικρὸν ἐν Βοσπόρῳ παραμείνας πρὸς Χερσῶνα πόλιν ἐφοίτα ἐπίσημόν τε οὖσαν καὶ πολυάνθρωπον, καὶ πρὸς μὲν τὴν ὑγιᾶ πίστιν, οὐκ εὐπαγῆ, πρὸς δὲ τὰς συνήθεις αἱρέσεις εὐπαραδέκτως ἔχουσαν. ὅθεν καὶ αὐτοῖς ὑπεισελθὼν εὐφόρως· καὶ τὸν εὐθῆ τῆς πίστεως λόγον εὐθύτατα διαγγείλας διαπόντιος περαιωθεὶς, αὖθις κατὰ Σινώπην γίνεται. καὶ τὸ ἤδη προφυτευθὲν αὐτοῦ νεόφυτον· τοὺς ἄρτι φημὶ τὸν λόγον τῆς πίστεως παραδεξαμένους, ἑδραιοτέρους πάλιν καταστήσας πρὸς θεοσέβειαν· Φιλολόγον τε αὐτοῖς προχειρησάμενος ἐπίσκοπον, αὐτὸς ἀπελθὼν ἔπλει πρὸς τὸ Βυζάντιον, πολίχνιον ἔτι ὂν, καὶ οὔπω τοσαύτην μεγαλειότητα καὶ πολυανθρωπίαν εὐτυχηκός. Ἐν ᾧ καταστὰς, Στάχυν μὲν ἕνα τῶν ἑβδομήκοντα ἐπίσκοπον ἐκεῖσε χειροτονεῖ· πολλοὺς δὲ τῶν τῆς πόλεως κατηχήσας, καὶ τέκνα φωτὸς τῇ τῆς πίστεως παραδοχῇ ποιησάμενος, ἱερὸν τέμενος τῇ τοῦ Θεοῦ λόγου μητρὶ πρὸς τῇ ἀκροπόλει τοῦ ἄστεως ἀνεγείρει, φύλακα ταύτην καὶ πολιοῦχον τῆς ἐς ὕστερον ὀρθοδόξου βασιλείας καταστησάμενος. Εἶτα ἐκεῖθεν

ἀπάρας

Εἶτα ἐκεῖθεν ἀπάρας, πρὸς Ἡράκλειαν τὴν τῆς Θρᾴκης ἐχώρει· ὀλίγον οὖν ἐν ταύτῃ προσμείνας, καὶ τὸ ἱερὸν κήρυγμα καταγγείλας, πρὸς τὰς γείτονας πόλεις καὶ κώμας διῄει, ἕως καὶ πρὸς αὐτὴν ἐπέστη Μακεδονίαν, κηρύττων μὲν τὸν τοῦ Θεοῦ λόγον· οἴκους δὲ θείους οἰκοδομῶν ἢ καὶ τοὺς ἀνθρώπους μᾶλλον Θεοῦ οἴκους κατασκευάζων· καὶ ψυχαῖς πεινώσαις, τὸν τῶν ἀγγέλων διανέμων ἄρτον, ὃ τῆς εὐσεβείας δηλαδὴ κήρυγμα. Εἶτα διὰ πάσης Θετταλίας καὶ Ἑλλάδος περιοδεύσας, φθάνει καὶ πρὸς αὐτὴν τὴν περιφανῆ Πελοπόννησον. οὗ εἰσιὼν πρὸς μίαν τῶν ἐν αὐτῇ πόλεων, ἐπιξενοῦται ἀνδρὶ Πάτραι τῇ πόλει, Σώσιος τῷ ξενίζοντι ὄνομα· οὗτος ἀρρωστίᾳ κατεχόμενος ὤν, λυτήριον εὑρίσκει ταύτης τοῦ ξενισθέντος τὴν εἴσοδον· παραπολαύουσι καὶ ἑτέρων αἱ Πάτραι θαυμάτων, τῇ ἐπιφοιτήσει τοῦ κήρυκος.

Κατὰ γὰρ μέσην τὴν πόλιν, δοῦλός τις τῶν ἠμελημένων ἐπὶ κοπρίας κείμενος· καὶ ὅλος νόσου δαπάνημα γεγονώς· καὶ τὰς τοῦ ζῆν ἐλπίδας ἀφῃρημένος, ταχείας τυγχάνει τῆς παρ' αὐτοῦ θεραπείας· ἔδει γὰρ μηδὲ τοῦτον ἔρημον ἀφεῖναι προνοίας τὸν τοῦ Χριστοῦ κήρυκα· μαθητὴν ὄντα πάντως ἐκείνου, παρ' ᾧ οὔτε δοῦλος, οὔτε ἐλεύθερος ἁπλῶς κρίνεται· καὶ ὅς, ἀδελφὸν καλεῖν οἶδε καὶ τὸν ἐλάχιστον, καὶ ἴδιον εἶναι τὸ εἰς ἐκεῖνον ὁμολογεῖ. Ἐκεῖνος οὖν, τῇ ἰδίᾳ δεσποίνῃ σημαίνει τὸν ἰατρόν· καὶ ἐπεὶ καὶ ταύτην μετ' οὐ πολὺ νόσος ἐλάμβανεν, ἧς ἰατροὶ καὶ τέχναι φανερῶς ἡττῶντο, τῶν ἄλλων ἀμελήσασα πάντων, μετακαλεῖται τὸν ἀληθῆ καὶ ἄμισθον ἰατρόν, τὸν θεῖόν φημι ἀπόστολον· ὃς τῷ οἴκῳ αὐτῆς ἐπιστάς, ἐκείνην μὲν οὐκ εἰς ἀναβολάς, ἀλλ' εὐθέως τῶν χαλεπῶν τῆς νόσου λύει δεσμῶν· τὸν δέ γε ἀνθύπατον σύζυγον αὐτῆς ὄντα, καὶ ὅσον οὔπω ἑαυτὸν μαχαίρᾳ διαχειρίσασθαι μέλλοντα, εἰ ταύτην τεθνηκυῖαν ἴδοι, τῆς σφαγῆς τε ἀπήλλαξε, καὶ σωφρονεῖν παρεσκεύασε. χαρᾶς ἀντὶ λύπης, ἀντιτεθείσης αὐτῷ καταστάς· ἐπεὶ δὲ τὴν μὲν γυναῖκα τὴν ἑαυτοῦ ζῶσαν ἑώρα·

Illinc posthac digressus Heracleam petit Thraciæ terram, in qua parum moratus, atque sancta prædicatione annunciata ad finitimas vrbes & pagos diuertebat, donec ipsam Macedoniam attigit, & Dei verbum prædicans, & diuinas ædificans domos, aut homines potiùs domos Dei reddens, atque esurientibus animabus Angelorum panem distribuens, religionis scilicet prædicationem. Deinde cùm Thessaliam integram Græciámque percurrisset, venit enim ad celebrem Peloponnesum, in quam ingressus vnam, quæ inibi est, vrbem petens apud virum hospitio excipitur, Patrarum vrbi, Sosij hospiti nomen est. Hic infirmitate laborans, illius remedium inuenit, ingressum scilicet eius quem hospitio exceperat. Patræ etiam aliorum miraculorum fructum obiter percipiunt prædicatoris aduentu.

Nam in media vrbe contemptus aliquis seruus in stercore iacens, totúsque morbo consumptus viuendi abiecta omni spe, repentinam ab eo sanitatem recuperauit. oportebat enim vt prouidentiâ desertum illum minimè dimitteret Christi præco, quippe qui omni ex parte discipulus sit illius apud quem nec seruus neque liber absolutè iudicatur, & qui minimum fratrem appellare nouit, quódque in illum fit proprium esse fatetur. Is itaque propriæ Dominæ medicum indicat, atque cùm paulò pòst illa morbo corriperetur, cui medendo nec medici, nec artes, pares erant, reiectis omnibus medicum verum à mercede alienum aduocat, diuinum inquam Apostolum, cuius domum cùm accessisset, hanc quidem non moras agendo, sed confestim difficilibus exoluit morbi vinculis, atque Proconsulem ipsius coniugem, qui tantùm non seipsum ense erat interfecturus, si eandem mortuam videret; & à propria, quam parabat cæde reuocauit, & mentis compotem esse fecit, mœroris loco lætitia ipsi allata. Cùm autem suammet vxorem videret viuentem

(mortuam enim habebat animam ex idololatriæ stultitia) nullatenus amabat conspicere viuentem per fidem, sed potiùs parum ac indignè circa eum, qui curauerat, affectus, curæ mercedem ipsi tribuere volebat. Hic autem ne summis quidem auribus excipiebat: nam impietas ipsi videbatur venale spiritus donum efficere. dixit & fecit diuinus Apostolus, quod magister: gratìs accepistis, gratìs date.

Hinc quidem abiit, cùm autem totam circumiisset vrbem, videt in aliquo porticu virum paralyticum diuturno detentum morbo, cui nullus curam adhibere dignabatur. Huius commiseratione motus Christi nomen vocat, veluti nouum incantamentum, quod amolitur mala. & cùm extensa manu excitasset è lecto pariter immobilem incedere faciebat. At hæc non solùm gradiendi organa Patrensibus Andreas, sed etiam multis cæcutientibus visus adaperit.

Postquam insuper leprosum quemdam ad ciuitatis portum abiectum, &, secundùm Iob, in stercore positum, scatentem autem & fœtidum ex vlceribus conspexit, eum porrecta manu excitat, deinde vicino abstersum mari, seu potiùs diuino renouatum baptismate, & à malo purgat, & pristinam ipsi restituit valetudinem. sic conuertit carnem illius, vt diuinæ Scripturæ verbis vtar, tanquam paruuli pueri, quod quidem de antiquo Neeman illa dicebat. Hic verò statim Apostolum secutus est, ex visu & lingua curatorem diuulgans, & Christi præconem.

Sic Patrenses ex Apostolicis miraculis vtilitatem percipiunt: sic Andreas vniuerso Achaiæ populo, quà verbo, quà miraculis & signis attracto, ac Christi grege sanctóque populo ad perfectionem adducto, ex præclarè gestis gaudebat atque lætabatur. Hinc quæ crediderat multitudo, idololatriæ columnas & fana perfregit, deiecítque in terram iustâ quadam iniuria

τὴν δὲ ψυχὴν νεκρὰν εἶχεν ἐκεῖνος, τῇ πολλῇ περὶ τὰ εἴδωλα μανίᾳ, οὐκ ἠγάπα διὰ τῆς πίστεως ζῶσαν ἰδεῖν, ἀλλὰ μικροῖς μᾶλλον καὶ ἀναξίοις περὶ τὸν θεραπεύσαντα λογισμοῖς διακείμενος, ἐβούλετο μισθοὺς αὐτῷ παρασχεῖν τῆς ἰάσεως· ὁ δὲ, οὐδὲ ἄκροις ὠσὶ προσεδέχετο· ἀσέβημα γὰρ αὐτῷ ἐδόκει, χρημάτων ὤνιον τοῦ πνεύματος ποιεῖσθαι τὴν δωρεάν· τὸ τοῦ διδασκάλου καὶ εἰπὼν καὶ δράσας ὁ θεῖος ἀπόστολος· τὸ δωρεὰν ἐλάβετε δωρεὰν δότε.

Ἐκεῖθεν μὲν ἀπέστη· τὴν δὲ πόλιν πᾶσαν περιϊὼν, ὁρᾷ ἔν τινι τῶν στοῶν ἄνδρα παράλυτον νόσῳ μὲν χρονίᾳ κατειλημμένον, μηδεμιᾶς δὲ παρά τινος ἀξιούμενον θεραπείας· οὗπερ οἶκτον λαβὼν, οἷά τινα καινὴν καὶ ἀλεξίκακον ἐπῳδὴν, τὸ τοῦ Χριστοῦ καλεῖ ὄνομα· καὶ εὐθὺς χεῖρα ὀρέγει, καὶ τῆς κλίνης ἐγείρας, τὸν ἐπ' ἴσης ἀκίνητον, βαδίζειν ἐποίει· οὐ ταῦτα δὲ μόνον Ἀνδρέας Πατρεῦσιν ἐπιβατήρια, ἀλλὰ καὶ πολλοῖς τὰ ὄμματα τυφλώττοντα διανοίγει· καὶ φῶς, ἀφωτίστοις δίδωσι.

Καί τινα λεπρὸν τῷ τῆς πόλεως λιμένι παρερριμμένον, καὶ κατὰ τὸν Ἰὼβ ἐπὶ κοπρίας κείμενον· βρύοντα δὲ καὶ ὄζοντα τοῖς ἕλκεσι θεασάμενος, χεῖρα δοὺς, ἐξανίστησιν· εἶτα τῇ ἐγγιτόνων ἀποσμήξας θαλάσσῃ, μᾶλλον δὲ τῷ θείῳ ἀναχωνεύσας βαπτίσματι, καθαίρει τε τοῦ νοσήματος, καὶ τὴν προτέραν ἀποδίδωσιν εὐεξίαν, ὡς ἐπιστρέψαι τὴν σάρκα αὐτοῦ, τὸ τῆς θείας φάναι γραφῆς· καθάπερ παιδαρίου μικροῦ, ὅπερ ἐπὶ τοῦ Νεεμὰν ἐκείνη τοῦ παλαιοῦ ἔλεγεν· ὃς, καὶ αὐτίκα τῷ ἀποστόλῳ συνείπετο· διαγγέλλων ἀπὸ τῆς θέας, καὶ παρὰ τῆς γλώττης τὸν ἰασάμενον· καὶ διαπρύσιος κῆρυξ τῶν τοῦ Χριστοῦ θαυμάτων γινόμενος.

Οὕτω Πατρεῖς, τῶν ἀποστολικῶν ἀπώναντο τερασίων· οὕτως Ἀνδρέας, τὸν ἐν πάσῃ τῇ Ἀχαΐᾳ λαὸν, τὸν μὲν τῷ λόγῳ· τὸν δὲ θαύμασι καὶ σημείοις ἐπισπασάμενος· καὶ ποίμνην Χριστοῦ καὶ λαὸν ἅγιον ἐκτελέσας, ἔχαιρέ τε καὶ ἐγεγήθει τοῖς κατορθώμασι. Ἐντεῦθεν τὰς εἰδωλικὰς στήλας καὶ τὰ τεμένη, τὸ πιστεῦσαν πλῆθος κατέαξέ τε, καὶ εἰς γῆν καταβέβληκε δικαίᾳ ὕβρει

ἄλογον τιμὴν ἀμειβόμενοι. ἀλλὰ καὶ αὐτὰς τὰς Ἑλληνικὰς βίβλους, πίστεως περιέχοντας πληροφορίαν, τῷ πυρὶ παραδέδωκεν· εἶτα καὶ τὸν αἴτιον αὐτοῖς ἀγαθῶν τοιούτων γενόμενον, οἷς εἶχον ἐθέλοντες θεραπεύειν, ἐκ τῶν οἰκείων χρημάτων ἕκαστος καθόσον οἷός τε ἦν ἀπομοιρᾶν τῷ ἀποστόλῳ παρεῖχεν· ὁ δὲ, ταῦτα μὲν οὐδαμῶς, οὐδὲ γὰρ ἐδεῖτο, τὴν γνώμην δὲ προσιέμενος, ἐκεῖνα πενομένοις ἐκέλευε καὶ λιμώττουσι χορηγεῖν. τὰ δὲ, καὶ εἰς κατασκευὴν ἱεροῦ ναοῦ ἐπέτρεπεν ἀναλίσκειν. ὃς, καὶ πολλῷ τῷ τάχει νεουργηθεὶς, εἰς σύνταξιν ἦν τῶν ἄρτι πεπιστευκότων. ἐν ᾧ καὶ αὐτὸς θυσίας ἀναφέρων πνευματικὰς, ἐξ αὐτῶν τε εἰς μυσταγωγοὺς καὶ ἱερέας ἀπολεξάμενος· καὶ ἀπαρτίσας Θεοῦ ἐκκλησίαν ὁλόκληρον, τῶν συνήθων εἴχετο πρὸς αὐτοὺς διδαχῶν. ποτὲ μὲν ἀπὸ τῆς παλαιᾶς παράγων γραφῆς, καὶ σαφηνίζων αὐτοῖς τὰ περὶ Χριστοῦ· ποτὲ δὲ καὶ ἀπὸ τῆς νέας προστιθεὶς διαθήκης· καὶ ὅπως ἐν αὐτῷ τὴν ἔκβασιν ἔσχε τὰ τῶν προφητῶν προκηρύγματα, καὶ δεικνὺς τὴν νέαν, συμφθεγγομένην τῇ παλαιᾷ· καὶ Θεὸν ἕνα, τὸν αὐτήν τε κἀκείνην νομοθετήσαντα.

Ἐν τούτῳ δὲ, ὁ μὲν ἀνθύπατος πρὸς Ῥώμην ἀπῄει· ὧν τε ἐνεχειρίσθη, τὸν λόγον ὑφέξων Καίσαρι· καὶ τῶν εἰς τὸ ἑξῆς, ληψόμενος τὴν διάταξιν· ὁ δέ γε αὐτάδελφος ἐκείνου Στρατοκλῆς ἄρτι ἐξ Ἀθηνῶν ἀνακομισθεὶς, συμφορᾷ περιέπεσεν οὐ μετρίᾳ τὸν εὐνούστατον αὐτῷ τῶν θεραπόντων, δαίμονι κάτοχον εὑρηκώς· τοῦτον οὖν θεασάμενος, ἠθύμει, ἤσχαλλεν, ἐδυσφόρει· φέρειν οὐκ εἶχε τὰς ἐκ τῆς λύπης πληγάς.

Μαξιμίλλα δὲ ἡ τοῦ ἀνθυπάτου γαμετὴ, οὕτω διακείμενον ὁρῶσα, τὰ περὶ τοῦ ἀποστόλου τε εἰσηγεῖτο, καὶ οὕτω χρησταῖς ἀνελάμβανε ταῖς ἐλπίσιν· ἄνδρα λέγουσα εἶναι θαυμάτων πολλῶν αὐτουργόν· καὶ οὗ πρὸς νόσων ἴασιν χαλεπῶν αὔταρκες καὶ ῥῆμα ψιλόν· χωρὶς δὲ τῶν ἄλλων, ἀρκοῦν εἶναι τῶν εἰρημένων μαρτύριον· ἐμὲ γὰρ οὕτω παρ' ἐλπίδα πᾶσαν καὶ τέχνης δύναμιν,

honorem commutans irrationabilem. Sed & ipsos Græcos libros plena fidei dogmata continentes igni tradidit. Dein & eum qui eiuſmodi bonorum ipſis cauſa fuerat, quibus poterant volentes curare, ex propriis facultatibus, prout valebat vnuſquiſque portionem Apoſtolo præbebat. Hæc autem is neutiquam, neque enim indigebat, ſed approbata voluntate iſta egenis & eſurientibus diſtribui iubebat; hæc autem impendi in conſtructionem ſacri templi, quod quidem magna celeritate de nouo factum ad eorum qui crediderant, conſtructionem inſeruiebat, in quo etiam ipſe ſacrificia inſtituens ſpiritualia, ex iiſque ſelectis myſticarum rerum adminiſtris ſacerdotibus, ac vniuersâ Eccleſiâ Dei, quæ ei ſortitò obtigerat, ritè coordinatâ, conſuetis apud ipſos documentis incumbebat, modò à veteri ſcriptura deducens, modò ex nouo applicans Teſtamento, & quemadmodum in eo figuram habuere Prophetarum prædictiones, oſtendénſque nouum conſenſiſſe cum veteri, ac Deum vnum huius & illius legem tuliſſe.

Inter hæc autem Proconſul Romam abierat rationem Cæſari redditurus eorum quæ ſibi fuerant commiſſa, & faciendorum imposterum mandata accepturus. At Stratocles frater illius germanus nuperrimè Athenis reuerſus in calamitatem non mediocrem incidit, vnum ex chariſſimis famulus à dæmone detentum inueniens. Hunc itaque intuitus animo deſpondebat, mœrebat, angebatur, ferendo impar erat illatas à dolore plagas.

At Maximilla Proconſulis vxor ita affectum conſpiciens de geſtis ab Apoſtolo mentionem faciebat, & ſic bona ſpe refocillabat, virum eſſe dicens miraculorum plurimorum operatorem, & cuius ſufficiens ſit ad morborum curationem, vel etiam verbum nudum, abſque autem aliis ſufficiens eſſe eorum quæ dixit teſtimonium. Nam me ita præter ſpem omnem artíſque poteſtatem,

& à morte exemit, & facilè sanitatis munere donauit. quare bonæ spei virtutem tuam esse velim; nihil enim impedit, quominus vir, quem ego cognoui, calamitati tuæ medeatur. ab ea sic loquente adductus est vt crederet Stratocles, quia non solùm ex eo quòd vellet, promptus erat ad credendum, sed etiam animam habebat idoneam ad excipienda religionis semina.

Itaque conuocabatur Andreas, & Christi fiebat inuocatio, & confestim patiens à dæmonio, & Stratocles à superstitioso dæmonum cultu liberabatur, continuóque baptismus & ad Christum adiunctio in vniuersa domo, quibuscum etiam Maximilla Stratoclésque, cùm ad diuinum accessissent redemptorium, assiduè incubuerunt Apostolo, palámque diuina rudimenta receperunt.

Quid postea? Proconsul Româ reuertitur, & domi vxorem nactus ad eam accedit, sed Maximilla non ita erat vt priùs affecta; iam enim ea Christo desponsata consuetudinem Christum nescientis repellebat, vnà cum Dauide dicens: Odio te habentes odio habui Domine, & super inimicos tuos contabescebam. *Veruntamen repulsionis prætextus morbi huc vsque simulatio erat, quam cùm paulò post tempus patefecisset, odij causam sciscitabatur.*

Postquam verò ipsi nuntiatum est à quodam, aduenam, qui hîc aderat, mutationis illius causam esse, Maximillámque & Stratoclem visos fuisse illius sermonum capturam, qui in ipsius Deum crediderint, abiurata religione à Maioribus tradita. His auditis Proconsul totus ardebat irâ, atque sûis ad instar contra Sanctum dentem acuebat. Præterquamquod priùs obseruato silentio suam tentabat vxorem, aut quid non faciens, aut quid non dicens, hanc adduceret, persuaderétq; Proconsulem benignis oculis conspicere. At postquam vacuam occinere visus est, & ea nihil de iis quæ in aurem dicebantur, audiret, totam animi concitationem aduersùs præconem intendit, atq; hoc tempore trudi in carcerē sub custodibus

θανάτου πεῤῥύσατο, καὶ τὸ ὑγιαίνειν ἀνεχέρως ἐδωρήσατο. ὅθεν δὴ ἔλπιν εἶναί σοι τὴν ἀρίστην βούλομαι· οὐδὲν γὰρ τὸ κωλύον, ἄνδρα ὃν ἐγὼ ἔγνωκα, καὶ τὴν σὴν ἰάσασθαι συμφοράν. οὕτω λεγούσῃ, ἐπείθετο Στρατοκλῆς· καὶ γάρ ἦν, οὐκ ἐκ τοῦ βούλεσθαι μόνον ταχὺς πείθεσθαι, ἀλλὰ καὶ ψυχὴν ἔχων ἐπιτηδείαν, εὐσεβείας σπέρματα καταδέξασθαι.

Μετεκαλεῖτο τοίνυν Ἀνδρέας καὶ Χριστοῦ ἐπίκλησις ἦν, καὶ εὐθὺς ἐλύετο, ὁ πάσχων τε τοῦ δαιμονίου, καὶ δεισιδαιμονίας ὁ Στρατοκλῆς· καὶ παραχρῆμα βάπτισμα· καὶ παντὸς ὅλου οἴκου προσαγωγὴ τῷ Χριστῷ. μεθ' ὧν καὶ Μαξιμίλλα τῷ θείῳ προσελθοῦσα λουτρῷ· συνάμα καὶ Στρατοκλεῖ, τῷ ἀποστόλῳ προσεδρεύον, καὶ κοινῇ τῶν θείων ἀπέλαβον διδαχῶν.

Τί τὸ μετὰ ταῦτα; ἐπιδημεῖ ἐκ Ῥώμης ἀνθύπατος· καὶ οἴκοι καταλαβὼν, προσίεσι τῇ αὐτοῦ γαμετῇ· Μαξιμίλλα δὲ οὐκ εἶχεν ὥσπερ τὸ πρότερον· ἐκείνη γὰρ, ἤδη Χριστῷ νυμφευθεῖσα, τοῦ Χριστὸν οὐκ εἰδότος ἀπωθεῖτο τὴν ὁμιλίαν. τοὺς μισοῦντάς σε μετὰ τοῦ Δαβὶδ λέγουσα, ἐμίσησα κύριε· καὶ ἐπὶ τοὺς ἐχθρούς σου ἐξετηκόμην· τοῦ μέντοι ἀπωθεῖσθαι τὸ πρόσχημα, νόσου τέως προσποίησις ἦν. ἦν μεθ' ὀλίγον * λέξαντος τοῦ καιροῦ, τὴν αἰτίαν ἐκεῖνος τοῦ μίσους ἠρώτα. al. δείξαντος

Ἐπεὶ δέ τις αὐτῷ ἀπήγγελεν, ὡς ὁ ἐνταῦθα παρὼν ξένος αἴτιος εἴη σοι τῆς μεταβολῆς ταύτης· καὶ ὡς τῶν ἐκείνου λόγων θήραμα ὤφθησαν Μαξιμίλλα καὶ Στρατοκλῆς· καὶ τῷ αὐτοῦ Θεῷ πεπιστεύκασι, τὸ πάτριον ἐξομωσάμενοι σέβας. τούτων ἀκούσας ἀνθύπατος, πλήρης ἦν ἀπὸ τῆς ὀργῆς, καὶ τὸν ὀδόντα συὸς τρόπον ἔθηγε κατὰ τοῦ ἁγίου· πλὴν, ἀλλὰ πρότερον σιωπὴν ἐπισχὼν ἀπεπειρᾶτο τῆς αὐτοῦ γαμετῆς· τί μὲν οὐ λέγων, τί δὲ οὐ ποιῶν, ὥστε ταύτην ἐπαγάγεσθαι, καὶ πεῖσαι ἀνθυπάτου πρὸς ὀφθαλμοὺς προσβάλλειν ἡμέρους. Ἐπεὶ δὲ κενὴν ψάλλειν ἐῴκει καὶ εἰς ὦτα λέγειν μὴ ἀκουούσης· τὸν θυμὸν ὅλον ἀνάπτει κατὰ τοῦ κήρυκος· καὶ νῦν μὲν εἱρκτῇ δίδωσιν ὑπὸ φρουροῖς, καὶ σφραγῖσι,

ἀσφαλῶς τηρούμενον, ἕως ἂν ἐπὶ σχολῆς σκέψηται, πῶς ἀνελεῖν μᾶλλον αὐτὸν χρήσαιτο. Ἤδη δὲ βαθείας νυκτὸς οὔσης, ὁ Στρατοκλῆς σὺν Μαξιμίλλῃ, καὶ τισὶν ἄλλοις τῶν πιστευσάντων, τῇ θύρᾳ τῆς φυλακῆς ἐπιστάντες, κόπτουσι πάνυ κούφως, ὡς γρηγοροῦντι μόνῳ αἴσθησιν παρασχεῖν. ὁ δέ, καὶ γὰρ ἦν προσευχῇ σχολάζων, συνεὶς τὴν ἔλευσιν, τῷ τοῦ σταυροῦ σημείῳ παραδόξως τὰς θύρας ἀνοίγνυσι. Εἶτα τὸ γεγονὸς τοῖς φρουροῖς εἰς γνῶσιν ἐλθόν, φόβος ἐμπίπτει πολύς· καὶ ὃς ἀμελεῖν ἐκέλευε καὶ θαρρεῖν, οὐδὲν προσδόκιμον πονηρὸν ἐλπίζειν. Στρατοκλῆς δὲ σὺν Μαξιμίλλῃ καὶ τοῖς ἄλλοις, προσπίπτουσί τε, καὶ θερμῶς αἰτοῦσι τὸν ἀπόστολον, ἐπιρρῶσαι αὐτοὺς τὴν εὐσέβειαν· ὁ δέ, πολλά τε εἰπὼν καὶ διδάξας, καὶ τοῦτο μέν, πρὸς θεοσέβειαν· τοῦτο δέ, καὶ πρὸς ἐπιμέλειαν βίου καταρτίσας αὐτούς, καὶ τῶν ἁγίων μεταδοὺς μυστηρίων, ἐπανιέναι πάλιν ἐκέλευε, καὶ οἱ μὲν ἐξῄεσαν· ὁ δὲ τὰς θύρας τῆς φυλακῆς, ὅπως εἶχον αὐτῶν ἀποκαθίστησι σφραγῖσιν.

Ὁ μέντοι ἀνθύπατος, ἐπεί, ὥσπερ εἴρηται τῆς γυναικὸς ἀπέγνω τὴν ὁμιλίαν· τοὺς ὑπὲρ αὐτῆς οὐ φέρων θυμούς, πρόφασιν ἔχων καὶ τὸ τοῦ Χριστιανισμοῦ σέβας τὸν διὰ σταυροῦ θάνατον καταψηφίζεται τοῦ ἁγίου. τὸν δέ, ποίας δόξης, ποίου πλούτου, ποίας τρυφῆς οὐ μᾶλλον εὔφρανε τὸν ἀπόστολον, ὅτι τὸν αὐτὸν θάνατον ὑπείκει τῷ δεσπότῃ, καὶ συνεμορφοῦτο τοῖς ἐκείνου παθήμασι· καὶ διὰ τοῦτο καὶ φωναῖς αὐτὸν εὐχαριστηρίοις ἠμείβετο, χάριν ὁμολογῶν ὅσην, τῆς ὁμοιώσεως, καὶ ὅτι τὸν τοῦ εὐαγγελίου δρόμον, εἰς πέρας ἤγαγε; καὶ ὅτι τὴν πίστιν, ἀκαταίσχυντον τετήρηκε τῷ δεσπότῃ.

Ἀμέλει, καὶ πρὸς αὐτὸν ἀπιδὼν τὸν σταυρόν, πολλοῖς ἐτίμα τοῖς ἐγκωμίοις, σωτηρίας αἴτιον ἀνθρώποις, θανάτου θάνατον, ἐχθρῶν καταπτῶσιν, πιστῶν φύλακα, γένους ἀνθρώπων εἰς οὐρανοὺς ἀνύψωσιν, καὶ ἄλλα ὅσα ἐκεῖνον ἀποκαλῶν· πρὸς τούτοις, εὐκαταφρόνητον ἠρνεῖσθαι τὸν θάνατον· καὶ χαίρειν παρῄνει, ὅτι δι᾽ αὐτοῦ Χριστῷ συναπτόμεθα, Χριστῷ τῷ ὑπὲρ ἡμῶν θάνατον ἑλομένῳ· μεταβαίνοντες ἀπὸ τῶν φθαρτῶν, πρὸς τὰ ἄφθαρτα, καὶ

sigillis securè seruandum, donec per otium viderit, quâ ratione sit ipsum è medio sublaturus. Iam verò cùm profunda nox esset, Stratocles & Maximilla vnà cum aliis fidelibus custodiæ ostio superuenientes pulsant valde leniter, ita vt solus vigilans perciperet. At ille (nam orationi vacabat) aduentus conscius, crucis signo mirabiliter portas aperit. Deinde cùm quod factum erat, in custodum notitiam venisset, magno timore corripiuntur. Hoc etiam negligere iubebat, & bono esse animo, nihilque mali expectandum. Stratocles & Maximilla vnà cum aliis supplices aduoluuntur, ardentérque petunt ab Apostolo religionem in scipsis confirmari. Sed hic cùm multa dixisset, docuissétque, atque partim ad Dei cultum, partim ad vitæ conformationem ipsos disposuisset, effecissétque sanctorum mysteriorum participes, denuò reuerti imperabat, atque exeuntibus iis, portas custodiæ eorum quibus erant sigillis, reposuit.

Verumtamen Proconsul desperata, vt dictum est, vxoris consuetudine, concitatos pro ea minimè ferens animos, & Christianismi religionem prætexens, crucis morte Sanctum condemnat. Hoc autem quantâ gloriâ; quantis diuitiis, quantâ voluptate Apostolum recreauit? quòd eandem ac magister mortem subiret, eiúsque doloribus conformis fieret. eam ob rem gratiarum actionis vocem ipsi rependebat, quantamcunque ex similitudine gratiam habens, quòd etiam Euangelij cursum perduxerit ad finem, & quòd irreprehensibilem Domino fidem seruauerit.

Ad ipsam nimirum respiciens crucem multis illustrabat encomiis, salutis hominum causam, mortis mortem, hostium excidium, fidelium custodem, generis humani in cælos assumptionem, & alia similia ipsi attribuens. Præterea aspernabilem inficiari mortem, eámque saluere hortabatur, quia Christo, qui pro nobis mortem elegit, per ipsam coniungimur, à corruptibilibus ad incorruptibilia transgredientes, & infinitis

quæ illic sunt bonis, digni habemur.

Itaque cùm Apostolus diu in cruce perseueraret, ille quidem Stratocles conabatur ipsum reducere, fratris Ægeatis inhumanitatem odio habens. Postquam verò non permisit, non vna cruce sed sexcentis dignus, sic in cruce mansit fidelium multitudinem docens, sinceram Christo confessionem conseruans.

Quamobrem omnibus ad ipsum confluentibus, tum beatam illam speciem videndi, tum vocem audiendi studio, minimèque ferendi supplicij loco esse ducentibus, si aliquod verbum, quod mors nusquam attingit, non exciperent, atque vt hanc vnusquisque commemorationem, & in reliquam vitam solamen haberet: ne quid noui turba moliretur Proconsul veritus, accedit ipsum à cruce liberaturus. Ille autem non sustinebat, sed rogabat potiùs quantùm poterat, vt seipsum exolueret à detinentibus ignorantiæ vinculis, coniũgendo se Christo per ipsius fidei confessionem: Secùs, expectaret intra paucos dies miserrimam mortem toleraturus. quod certè secundùm illud verbum accidit: etenim diuinus Apostolus eo modo per multum temporis spatium suspensus in cruce Deo spiritum tradit ad extremam iam ætatem prouectus martyrum fine, Apostolico cursu consignato. Proconsul verò Deo exosus insano furore, & dæmonum quos colebat, reprehensiones condignas recipiens, cùm seipsum ab altissimo præcipitio in terram coniecisset, fractus est veluti terræ crassamentum, atque vt iuxta sacrosancta verba loquar, in inferno dispersa sunt ossa eius. Sed Apostolicum & beatum corpus Stratocles & Maximilla è cruce tollunt, & iusta omnia reddunt parentalia, honorificè sepeliunt eum, qui Patrensium custos paternum conseruat amorem. Cùm autem Stratocles ex fortunis fratris participare nihil omnino voluisset, omnia pauperibus largitus est, nefas esse iudicans peccatoris oleo pinguefieri caput, & cuius ille spi-

μυείων ἐκεῖ τῶν ἀγαθῶν ἀξιούμενοι.

Ἐπὶ πολὺ οὖν τῷ σταυρῷ τοῦ ἀποστόλου ἐγκαρτεροῦντος· ὁ μὲν Στρατοκλῆς ἐπειρᾶτο καταγαγεῖν αὐτόν, τὸ ἀπάνθρωπον τοῦ ἀδελφοῦ Αἰγεάτου, διὰ μίσους ποιούμενος. ἐπεὶ δὲ οὐκ ἠφίει ὁ μυρίων ἐκεῖνος σταυρῶν ἄξιος, ἔμεινεν οὕτως ἐπὶ τοῦ σταυροῦ, ὃ τῶν πεπιστευκότων διδάσκων πλῆθος, ἀκίβδηλον τὴν εἰς τὸν Χριστὸν φυλάττων ὁμολογίαν.

Πάντων οὖν πρὸς αὐτὸν συῤῥεόντων κατὰ θέαν ἅμα καὶ ἀκοὴν τῆς μακαρίας ἐκείνης μορφῆς τε καὶ φωνῆς· καὶ ζημίαν οὐ φορητὴν ἡγουμένων, ὃ μὴ ὑπεξανάστιόν τι ῥῆμα λαβεῖν, ὥς τε ἀπομνημόνευμα τοῦτο ἔχειν καὶ παραμύθιον ἕκαστος τῆς ὅλης ζωῆς. ὁ ἀνθύπατος δείσας μή τι καὶ νεωτερισθείη παρὰ τοῦ ὄχλου, προσέρχεται ἀπολύσων αὐτὸν ἀπὸ τοῦ σταυροῦ· ὁ δέ, οὐκ ἠνείχετο· ἀλλ' ἠξίου μᾶλλον ἥτις γε δύναμις, ἑαυτὸν ἀπολύσαι τῶν κατεχόντων τῆς ἀγνοίας δεσμῶν, τῷ Χριστῷ συνάψαι διὰ τῆς πρὸς αὐτὸν πίστεως· εἰδὲ οὖν ἔσται οὔπω προσδοκᾶν, τὸν οἴκτιστον ὑποστήσεσθαι θάνατον. ὃ δὴ καὶ πρὸς τὸν ἐκεῖνον λόγον, κατὰ πόδας ἀπήντα. Ὁ μὲν γὰρ θεῖος ἀπόστολος, ἐπὶ πολὺ οὕτω τὸν χρόνον τῷ σταυρῷ προσαρτημένος, τῷ Θεῷ παραδίδωσι τὴν ψυχήν, τῶν ἐσχάτων ἤδη τῆς ἡλικίας ἁπτόμενος· μαρτυρικῷ τέλει, ἀποστολικὸν δρόμον ἐπισφραγίσας. ὁ δὲ γε θεομισὴς ἀνθύπατος μανίᾳ κατοχος γεγονώς· καὶ ὑπὸ τῶν θεραπευομένων ὑπ' αὐτοῦ δαιμόνων ἀξίας ἀπολαμβάνων τὰς ἐπιπλήξεις ἀπό τινος μετεωροτάτου κρημνοῦ ἑαυτὸν εἰς γῆν καταβεβληκώς, ὥσπερ πάχος γῆς ἐῤῥάγη· καὶ τὰ ὀστᾶ αὐτοῦ παρὰ τὸν ᾅδην κατὰ τὰ ἱερὰ λόγια φάναι διεσκορπίσθη. ἀλλὰ τὸ ἀποστολικὸν ἐκεῖνο καὶ μακάριον σῶμα, Μαξιμίλλα καὶ Στρατοκλῆς τοῦ σταυροῦ καθελόντες, καὶ ὅσα πάντα ἐπ' αὐτῷ δράσαντες, θάπτουσιν ἐντίμως, πατρῶοι φρουρόν, πατρικὴν στοργὴν διασώζοντα. Στρατοκλῆς δέ, τῆς τοῦ ἀδελφοῦ ὑπάρξεως οὐδὲ ποσῶς μεταλαχεῖν θελήσας, πένησι διανέμει πάντα· ἀνόσιον εἶναι κρίνας ἐλαίῳ ἁμαρτωλοῦ λιπαρυνθῆναι τὴν κεφαλήν· καὶ ὅπερ ἐκεῖνος τοῦ πλού-

ματος οὐ μετεῖχε καρπῶν, τούτου τῶν σωματικῶν αὐτὸς κοινωνῆσαι.

Ἡ δὲ Μαξιμίλλα, τῷ τάφῳ παραμένουσα τοῦ ἀποστόλου, τὸ λοιπὸν ἐξεβίωσε τῆς ζωῆς, ἧς ἔτυχε, τῆς φθειρομένης τε καὶ τῆς κρείττονος, αὕτη καὶ μετὰ Στρατοκλέους πένησι τὰ ὄντα διανειμάμενοι μικρῶν παραχωροῦντες ἐκείνοις, ἐπεὶ τῶν μειζόνων ἑαυτοὺς ἠξίουν· καὶ ἐπισκοπὴν οἰκοδομοῦσιν· αὐτοῦ τοῦ Στρατοκλέους εἰς ἐπισκοπὴν ἤδη παρὰ τοῦ ἀποστόλου προχειρισθέντος· φροντιστήριά τε ἐκ βάθρων αὐτῶν δειμάμενοι· τὰ μὲν, εἰς ἀνδρῶν· τὰ δὲ, καὶ εἰς γυναικῶν οἴκησιν· οὕτω θεοφιλῶς τὸ ἑξῆς τοῦ βίου διανύσαντες, εἶτα, καὶ πρὸς τὴν αἰωνίαν ζωὴν μετετάξαντο· ἀλλὰ προστιθέσθω ἔτι καὶ τοῦτο περὶ τοῦ ἀποστολικοῦ σώματος. Εἶχον μὲν γὰρ ἐκεῖνο Πατρεῖς ἐπὶ πολὺ τιμώμενοι, καὶ πολλαῖς θαυμάτων δωρεαῖς, τῆς ξενοδοχίας αὐτοὺς ἀμειβόμενον. ἐπεὶ δὲ ὁ τοῦ πρώτου Χριστιανῶν εὐσεβῶς βασιλεύσαντος Κωνστάντιος παῖς, ἐπαινετῷ ληφθεὶς ἔρωτι μετακομίζειν αὐτὸ πρὸς τὴν βασιλίδα ταύτην τῶν πόλεων σπουδὴν ἔθετο, πληροῖ τοῦτο, ἀνδρὶ λίαν ἐπιτηδείῳ τὴν ὑπηρεσίαν πιστεύσας Ἀρτέμιος οὗτος ἦν, ὁ θαυμαστὸς ἐν μάρτυσι καὶ γενναῖος· καλὴ γὰρ ὄντως καὶ φίλη διακονία, ἣν ἀποστόλοις καὶ μάρτυσι διακονήσωσι μάρτυρες.

Ὑπ' αὐτοῦ τοίνυν, πρὸς τὴν δε βασιλίδα πόλιν μετακομίζεται τοῦ σοφοῦ, σὺν ἑτέροις ἀποστολικοῖς σκηνώμασι κατατίθεται, Λουκᾶ φημὶ τοῦ θείου, καὶ Τιμοθέου. ὃν μὲν ἐξ Ἑλλάδος, ὃν δὲ ἐξ Ἐφεσίων, αὐτῶν ἐρειπίων ἀνελομένων τοῦ Κωνσταντίου· ἵνα τοὺς ὑπὲρ ἑνὸς κηρύγματος, καὶ σφαγῆς ἀγωνισαμένων, εἷς καὶ ὁ αὐτὸς ὑποδέχοιτο τάφος.

Κεῖνται τοιγαροῦν ἐν τῷ τῶν ἱερῶν ἀποστόλων ἐπωνυμίῳ ναῷ· οὐκ ἐν γωνίᾳ, οὐκ ἐν παραβύστῳ, οὐκ ἐκτὸς ἔν τινι χωρείᾳ, ἀλλὰ μέσον αὐτοῦ τοῦ ἱεροῦ θυσιαστηρίου καλοί, καλὴν λαχόντες τὴν κατοικίαν· καὶ πῶς γὰρ οὐκ ἔμελλον ὧν τὰ πνεύματα οἶκος ὁ ἐνδότατος εἶχε Θεοῦ, τῆς παρ' αὐτοῦ πρώτης ἠξιωμένα τιμῆς; οἱ καὶ ἡμῖν ἁμαρτιῶν λύσιν, καὶ τὴν μετὰ Χριστοῦ διαπρεσβεύονται βασιλείαν· ὅτι αὐτῷ πρέπει δόξα, τιμὴ καὶ προσκύνησις,

ritus fructuum non fuerit particeps, huius & corporalium esse participem.

*Maximilla verò ad sepulchrum permansit per reliquum, quo vixit, corruptæ suæ & melioris vitæ curriculum, hæcque & Stratocles distributa pauperibus omni substantia, parua sibi concedentes, cùm se maioribus dignos esse censerent, Episcopalem domum ædificant, ipso iam Stratocle ab Apostolo Episcopatui præposito, quin etiam monasteria duo ab ipsis fundamentis constructa in virorum vnum, alterum verò in mulierum habitationem. Hac ratione Deo accepti reliquâ transactâ vitâ ad æternam vitam transcripti sunt. Addamus etiam hæc de Apostolico corpore. Enimuerò à Patrensibus illud asseruabatur magno honore, quod plurimis miraculorum beneficentiis ob hospitalem aduenarum receptionem ipsos remunerabat. Cùm autem primi Christiani piè regnantis filius * Constantius ipsum ad reginam hanc vrbium transportari studuisset, perfecit hoc, homini valde capaci ministerio tradito. Hic erat Artemius mirabilis inter martyres atque generosus. Honestum enim est & acceptum ministerium, quod Apostolis ac martyribus exhibent martyres.*

* De hac translatione, non à Constantio, sed à patre eius Côstantino facta pluribus infrà, libro scilicet 3. 2. part. cap. 4. agimus ex professo.

Ab ipso igitur sapiente ad reginam vrbem translatum vna cum aliis Apostolicis tabernaculis reponitur, diuini, inquam, Lucæ & Timothei, alterius è Græcia, alterius ex Epheso, sublatis Constantij ruderibus; vt qui vnius eiusdémque Euangelij causâ eâdem cæde mactati fuerant, in vno eodémque tumulo constituerentur.

Positi sunt igitur in celebri sanctorum Apostolorum fano, non in angulo velut intrusi, non extrà in loculo quodam, sed in medio ipso altari clari claram sortiti habitationem. Quomodo enim ea, quorum spiritus intima domus Dei habuit, non primo honore ab eo digna censerentur? Illi pro nobis intercedunt, vt peccatorum solutionem & regnum cum Christo consequamur. quia ipsum gloria decet, honor & adoratio

cum improducto Patre & viuifico Spiritu nunc & semper, & in sæcula sæculorum. Amen.

Eodem die, sancti Patris nostri Phrumentij Indiæ Episcopi, &c.

Ode 7. Tractus.

In camino filios tuos, ô Saluator, nec tetigit, &c.

Alius. *Te spiritualem, Deipara, caminum, &c.*

Apertè vera impleta est promissio tua, Christe, fluctuosam enim iactationem discipulus tuus valde diuinus partu infremens ad iucundam serenitatem immutauit, laudabilis patrum Deus & supergloriosus.

Spiritualem Sion montem ascendere iussus, Apoštole, gaudénsque acceptum salutaris poculum distribuis, à morte ad diuinam vitam transferens. Laudabilis patrum Deus & supergloriosus.

Tu à natura terrenus, Apostole, consuetum naturæ modum excedendo signa edis, per charitatem enim huic coniunctus secutus es Christum, qui te dilexit.

In laudem S. Deiparæ.

Alius. *In camino omnes tuo, Saluator.*

Allato desuper sanctissimi spiritus igne, Christi Apostole, nouis linguis, quibus nunquam locutus es, mundi finibus iussus es eloqui magnalia eius.

Rationem omnem supra modum obstupefacit, quod terræ promulgastis Euangelium, ô Christi discipuli & cælestium contemplatores. quia soli duodecim myriadas terræ illuminastis.

Admirati sumus, Christe Domine, gratiam tuam in discipulis diuinâ sapientiâ præditis, quòd cùm humiles & imperiti essent, terram vniuersam percurrerunt, à summa eius extremitate ad omnes vsque fines.

Quis te hac ratione edocuit, Apostole? quid mentem tuam illustrauit vt coruscantem inaccessibilis gloriæ splendorem apertè conspiceres, veritatis lumen in cordibus nostris. Gloria.

σὺν τῷ ἀνάρχῳ πατρὶ, καὶ τῷ ζωοποιῷ πνεύματι· νῦν καὶ ἀεὶ καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. Ἀμήν.

Τῇ αὐτῇ ἡμέρᾳ, τοῦ ὁσίου πατρὸς ἡμῶν Φρουμεντίου ἐπισκόπου Ἰνδίας, &c.

ζ. Ὁ εἱρμός.

Τοὺς ἐν καμίνῳ παῖδάς σου, σωτὴρ, οὐχ ἥψατο.

Ἄλλος. Σὲ νοητὴν θεοτόκε, κάμινον.

Ἡ ἀψευδὴς ἐμφανῶς πεπλήρωται ἐπαγγελία σου, Χριστὲ, τὸν γὰρ σάλον ὁ φοιτητής σου ὁ ἐνθεώτατος, τόκῳ ἐμβριμώμενος, πρὸς ἱλαρὰν, γαλήνην μετέβαλεν· ὁ αἰνετὸς τῶν πατέρων Θεὸς, καὶ ὑπερένδοξος.

Τῷ νοητῷ τῆς Σιὼν ἀπόστολε, προσβῆναι ὄρει κελευσθεὶς, σωτηρίου τε εἰληφὼς, χαίρων τὸ ποτήριον, νέμεις πορθμευόμενος διὰ θανάτου πρὸς θείαν ζωήν· ὁ αἰνετὸς τῶν πατέρων Θεὸς καὶ ὑπερένδοξος.

Σὺ γηγενὴς πεφυκὼς ἀπόστολε, ὑπερφυῶς τερατουργεῖς, δι' ἀγάπης γὰρ συγκραθεὶς τούτῳ ἠκολούθησας Χριστῷ τῷ σε ἀγαπήσαντι ὁ αἰνετὸς ἀναμέλπων Θεὸς ὁ ὑπερένδοξος.

Θεοτόκιον.

Ἄλλος. Τοὺς ἐν καμίνῳ πάντας σου σωτήρ.

Τοῦ πανα γίου πνεύματος τὸ πῦρ, ἀναστάμενος ἄνωθεν ἀπόστολε Χριστοῦ· γλώσσαις καιναῖς, αἷς μηδαμοῦ ἐφθέγξω, τοῖς τοῦ κόσμου πέρασι διεκελεύσθης λαλεῖν τὰ μεγαλεῖα αὐτοῦ.

Ὑπερεκπλήττει πάντα λογισμὸν, τὸ κήρυγμα, ὅπερ ἐσαλπίσατε τῇ γῇ μύσται Χριστοῦ, καὶ θεωροὶ τῶν ἄνω· ὅτι μόνοι δώδεκα τὰς μυριάδας τῆς γῆς, κατεφωτίσατε.

Ἐθαυμαστώθη, δέσποτα Χριστὲ, ἡ χάρις σου, ἐν τοῖς θεοσόφοις μαθηταῖς· ὅτι μικροὶ καὶ ἰδιῶται ὄντες, πᾶσαν γῆν διέδραμον, ἀπὸ τῶν ἄκρων αὐτῆς, ἕως περάτων πάντων.

Τί σε διδάξαν οὕτως σε λαλεῖν ἀπόστολε; τί τὸν καταλάμψαν σου τὸν νοῦν βλέπειν τρανῶς τῆς ἀπροσίτου δόξης, τὴν αὐγὴν τὴν λάμψασαν τῆς ἀληθείας τὸ φῶς ἐν ταῖς καρδίαις ἡμῶν.

Δόξα.

Θεοτόκιον.

Καταβασία. Οἱ παῖδες εὐσεβείᾳ συντραφέντες.

Ωδὴ η'. Ὁ Εἱρμός.

Ἄλλος. Ἐν καμίνῳ παῖδες Ἰσραήλ.

Φωτοφόρος καὶ εὐφραντικὴ ἀκτῖνας ἰαμάτων, Ἀνδρέα Χριστοῦ ἀπόστολε, ἐκλάμπουσα ἡμῖν ἡ ἔνθεος μνήμη σου, τοῖς βοῶσι πάντα τὰ ἔργα κυρίου, τὸν κύριον ὑμνεῖτε.

Ἀνθρωπίνης φύσεως λαχὼν, τοὺς ταύτης ὑπερέβης θεσμοὺς καὶ πρὸς τὴν ἀγγέλων μεταβέβηκας σκηνὴν, Ἀνδρέα ἀπόστολε, καὶ κραυγάζεις πάντα τὰ ἔργα κυρίου, τὸν κύριον ὑμνεῖτε, καὶ ὑπερυψοῦτε, εἰς πάντας τοὺς αἰῶνας.

Ἡ ἐξ ὕψους πνεύματος Θεοῦ πνοή σε προεκπυρώσασα ῥήτορα, θεηγόρε, ἀναδείκνυσι θερμὸν βοῶντα ἀπόστολε τῷ Χριστῷ σου, πάντα τὰ ἔργα κυρίου, τὸν κύριον ὑμνεῖτε.

Φεγγοβόλους ὥσπερ ἀστραπὴ εἰς φῶς ἐθνῶν ἐξῆλθες, τὸ σκότος τῆς ἀγνωσίας ἐκδιώκων καὶ πιστοὺς, φωτίζων κραυγάζοντας· εὐλογεῖτε πάντα τὰ ἔργα κυρίου, τὸν κύριον ὑμνεῖτε.

Θεοτόκιον.

Ἄλλος. Τὸν ἐν Σινᾶ τὸν βάτον καιόμενον.

Τῇ τέχνῃ τῆς ἁλιείας, ἐκ θαλάσσης ἠγρεύσας ἰχθύας, πάνσοφε· νῦν δὲ τῇ πίστει ἀνθρώπους σαγηνεύεις Χριστῷ, ἐκ πλάνης τοῦ ἐχθροῦ· βυθὸς γὰρ ἦν ἡ πλάνη ποτὲ βυθίζων τὰ ἔθνη, τῇ ζάλῃ τῆς ἀγνοίας.

Τὸν νοητὸν τοῦ βίου ἀκυμάντως ἔπλευσας, βυθὸν ἀπόστολε, διαπετάσας τὸ ἱστίον τοῦ πνεύματος τῇ πίστει τοῦ Χριστοῦ, διὸ καὶ εἰς λιμένα ζωῆς κατήντησας χαίρων, εἰς πάντας τοὺς αἰῶνας.

Τοῦ νοητοῦ ἡλίου ἐπὶ ξύλου δύναντος, αὐτεξουσίῳ βουλῇ· ὁ τοῦ ἡλίου φωστὴρ συναναλῦσαι ζητῶν, καὶ δῦναι εἰς Χριστὸν, ἐν ξύλῳ ἐκρεμάσθη σταυροῦ Ἀνδρέας ὁ μέγας, λαμπτὴρ τῆς ἐκκλησίας.

Ὦ μαθητὰ καὶ φίλε τοῦ Χριστοῦ, καὶ σύμψηφε τῶν ἀποστόλων αὐτοῦ· ὅταν ἐν θρόνῳ καθίσῃ κριτὴς, σὺν ὑμῖν τοῖς δώδεκα, κρῖναι ὡς ἡ ἐπαγγελία φησί· γένοισθε τότε ἡμῖν, φιλανθρωπίας τεῖχος. Δόξα.

In laudem S. Deiparæ.

Descensus. *Pueri religione simul nutriti.*

Ode 8. Tractus.

Alius. *In camino filij Israël.*

Lucem lætitiámque ferens diuina memoria tua, ô Andrea Christi Apostole, sanitatum radiis nos illustrat clamantes: Omnia opera Domini laudate Dominum.

Humanam sortitus naturam, huius exuperas leges, atque ad Angelorum naturam ascendis, Apostole Andrea, & clamas: Omnia opera Domini laudate Dominum, & superexaltate in omnia sæcula.

Qui te inflammauit ex diuini Spiritus altitudine flatus, ô diuinarum rerum prædicator, ardentem oratorem exhibet clamantem ô Apostole, Christo tuo: omnia opera Domini laudate Dominum.

Tanquam fulgur coruscans ad illuminationem gentium prodiisti, ignorantiæ tenebras expellens, & fideles illustrans clamantes: Benedicite omnia opera Domini, laudate Dominum.

In laudem S. Deiparæ.

Alius. *In Sina rubum combustum, &c.*

Piscationis arte pisces ex mari piscatus es, ô sapientissime; nunc autem per fidem homines Christo piscaris ex hostis errore. profundum enim erat olim gentes demergens fluctuosa ignorantiæ iactatione.

Rationale vitæ profundum sine fluctibus, Apostole, traiecisti expanso spiritus velo per Christi fidem, quare ad vitæ portum deuenisti gaudens in omnia sæcula.

Cùm Sol rationalis lignum subiisset libera voluntate, Solis luminare unà cum eo dissolui quærens, inque Christum occidere, pependit in crucis ligno magnus Andreas *fax Ecclesiæ fulgens.*

O discipule & amice Christi, & cum Apostolis ipsius in ferenda sententia annumerate, cùm in throno sederit iudex unà cum vobis duodecim iudica, ut ait promissio: Estote nobis tunc benignitatis murus. Gloria.

In laudem S. Deiparæ.

Descensus. *Miraculi consuetum naturæ modum excedentis rorem iaciens.*

Ode 9. Tractus.

Alius. *Typum casti partus tui.*

Tanquam discipulus optimus eius, qui vltro cruci se adiunxit, Dominum tuum ad crucem vsque secutus, gaudens in crucis sublimitatem ascendisti, viam ad cælos sternens beate Andrea.

Porta Eden aperta est, & addita scala cælestis, & cælorum tabernacula susceperunt, & astitisti gaudens, Apostole, Christo vitæ largitori pro mundo intercessor optimus.

Paribus clarificatus es magistri passionibus, beate Andrea sapientissime, per crucem enim diuinam obiisti mortem, & per participationem Deus factus es. quare exoramus te, pro nobis semper suppliciter ora.

Gaudeas par optimum, nunc in cælis municipatum tenens, atque despicias laudatorum voluntatem, quæ expetit longè maiora quàm possit; ac efficias, vt diuinorum munerum splendor illucescat.

In laudem S. Deiparæ.

Alius. *Luciferam nubem.*

Qui mysticæ speculationis explicasti sagenam, & in ea tanquam pisces piscatus es theoremata, sanctam Trinitatem, vt etiam nobis propitiationem scaturiret.

Gratias agimus, quòd à te gentes illustratæ sint, & ad cælos per te reductæ; etenim abiurato hostis cultu, sanctorum Angelorum sodales facti sumus, & Domini gloriæ socij.

Qui vestrismet oculis secreta vidistis, & ministrastis Verbo, mysteriis præpositi, & inuestigabilium contemplatores, orate Apostoli, vt nos etiam cohæredes simus Christi regni, ipsiúsque diuinitatis participes.

Qui ligandi & soluendi à Christo potestatem accepistis, soluite omnes à multorum delictorum vinculis, quando veniet Christus, & omnes sedebitis duodecim in thronis tantis ad iudicandum omnes tribus Israël.

Gloria.

Θεοτόκιον.

Καταβασία. Θαύματος ὑπερφυοῦς ἡ δροσοβόλος.

Ὠδὴ θ'. Ὁ Εἱρμός.

Ἄλλος. Τύπον τῆς ἁγνῆς λοχείας σου.

Οἷον φοιτητὴς πανάριστος τοῦ περὶ σταυροῦ βουλήσει προσομιλήσαντος τῷ δεσπότῃ σου, μέχρι θανάτου ἑπόμενος ἀνελήλυθας χαίρων εἰς ὕψος σταυροῦ στελλόμενος πορείαν πρὸς οὐρανούς, μάκαρ ἀπόστολε.

Πύλη τῆς Ἐδὲμ σοι ἠνοίγεται, καὶ προσετέθη κλίμαξ ἡ ἐπουράνιος, καὶ ἐδέξαντο τῶν οὐρανῶν τὰ σκηνώματα· καὶ παρέστηκας χαίρων ἀπόστολε, Χριστῷ τῷ ζωοδότῃ, ὑπὲρ τοῦ κόσμου πρέσβυς ἄριστος.

Ἴσοις ἐδοξάσθης πάθεσι τοῦ διδασκάλου μάκαρ Ἀνδρέα, πάνσοφε, διὰ σταυροῦ γὰρ τὸ θεῖον τέλος ἀπείληφας· καὶ μεθέξει Θεὸς ἐχρημάτισας· διό σε δυσωποῦμεν, ὑπὲρ ἡμῶν ἀεὶ ἱκέτευε.

Χαίροις, ξυνωρὶς πανάριστος, ἐν οὐρανοῖς λαχοῦσα νῦν τὸ πολίτευμα· ἐποπτεύοις τε, τῶν ὑμνητῶν τὴν προαίρεσιν ἑαυτῶν ἐκνικῶσα τὴν δύναμιν· καὶ θείων χαρισμάτων καταγλαΐζεται λαμπρότησιν.

Θεοτόκιον.

Ἄλλος. Τὴν φωτοφόρον νεφέλην.

Ὁ τὴν σαγήνην ἁπλώσας τῆς μυστικῆς θεωρίας· καὶ ὡς ἰχθύας ἐν αὐτῇ, σαγηνεύσας τὰ κάλλη, τὴν ἁγίαν τριάδα, τοῦ πηγάσαι καὶ ἡμῖν τὸν ἱλασμόν.

Εὐχαριστοῦμεν τὰ ἔθνη, τὰ διὰ σοῦ φωτισθέντα, καὶ ἀπὸ γῆς εἰς οὐρανούς, διὰ σοῦ ἀναχθέντα· τῆς γὰρ λατρείας τοῦ ἐχθροῦ ἐκστάντες γεγόναμεν συμμέτοχοι, τῶν ἁγίων ἀγγέλων, τοῦ κυρίου τε τῆς δόξης κοινωνοί.

Τῶν ἀπορρήτων αὐτόπται καὶ ὑπηρέται τοῦ λόγου· μυσταγωγοὶ καὶ θεωροὶ τῶν ἀνεξιχνιάστων· συγκληρονόμους καὶ ἡμᾶς, γενέσθαι δεήθητε, ἀπόστολοι, τῆς Χριστοῦ βασιλείας· καὶ μετόχους τῆς θεότητος αὐτοῦ.

Δεσμεῖν καὶ λύειν λαβόντες παρὰ Χριστοῦ ἐξουσίαν, λύσατε πάντας τῶν δεσμῶν τῶν πολλῶν ἐγκλημάτων· ὅταν ἔλθῃ ὁ Χριστὸς καὶ πάντες καθίσητε, οἱ δώδεκα ἐπὶ θρόνοις τοσούτοις, κρῖναι πάσας τὰς φυλὰς τοῦ Ἰσραήλ.

Δόξα.

Θεοτόκιον.

Καταβασία. Μυστήριον ξένον ὁρῶ καὶ παράδοξον Ἐξαποστειλάριον. Ἐν πνεύματι τῷ ἱερῷ.

Ὁ λόγος ὁ προαιώναρχος, εὑρηκώς σε παμμάκαρ πρωτόκλητον ἀνέδειξε, πάντων τῶν ἀποστόλων, Ἀνδρέα πανασίδημε· καὶ τοῖς τούτου ἴχνεσιν, ἑπόμενος ἀνεδείχθης· ὁδηγὸς πλανωμένων· πρὸς οὐράνιον αὐτούς, ἀνάγων θείαν πορείαν.

Ἕτερον. Γυναῖκες ἀκουτίσθητε.

Τοῦ Πέτρου τὸν συναίμονα τῶν μαθητῶν τὸν πρώτιστον, αὐτόπτην καὶ ὑπηρέτην, γενόμενον τὸν τοῦ λόγου, Ἀνδρέαν τὸν ἀπόστολον, ἐνδόξως εὐφημήσωμεν· τὰ ἔθνη γὰρ ἐφώτισε, καὶ σταυρωθεὶς τελειοῦται, ὡς μαθητὴς τοῦ δεσπότου.

Θεοτόκιον. Ὅμοιον.

Θεὸν ὃν περ ἐγέννησας, παρθένε παναμώμητε· ἱκέτευε ὑπὲρ πάντων, τῶν εὐσεβῶς σε τιμώντων· σὺν τῷ κλεινῷ Ἀνδρέᾳ τυχεῖν θείας ἐλλάμψεως, τοῦ σοῦ υἱοῦ καὶ στάσεως, τῶν ἐκλεκτῶν καὶ ἁγίων· καὶ γὰρ ἰσχύεις ὡς θέλεις.

Εἰς τοὺς αἴνους· Πᾶσα πνοή.

Ἱστῶμεν στίχους δ'. καὶ ψάλλομεν.

Στιχηρόν. Ἦχος α'.

Τῶν οὐρανίων ταγμάτων.

Βηθσαϊδὰ νῦν ἀγάλλου, ἐν σοὶ γὰρ ηὐθήνησαν ἐκ μητρικῆς λιβάδος εὐωδέστατα κρίνα, Πέτρος καὶ Ἀνδρέας, κόσμῳ παντί, τὸ τῆς πίστεως κήρυγμα· εὐωδιάζοντες χάριτι τοῦ Χριστοῦ· οὗ καὶ τὰ πάθη ἐκοινώνησαν.

Ἀνδρέα χαῖρε καὶ σκίρτα, ὅτι ἐδέξω σαφῶς· ἐν τῇ τοῦ λόγου λάμψει τὸν ἥλιον τῆς δόξης, Χριστὸν τὸν ζωοδότην. ὃν καὶ κρατῶν ἐν τῇ πίστει ἐκήρυξας· τοῦτον δυσώπει ἀπαύστως ὑπὲρ ἡμῶν· τῶν ἐν πίστει ἀνυμνούντων σε.

Ὁ μυστολέκτης τῆς θείας οἰκονομίας Χριστοῦ, ὁ ἐκλεχθεὶς ἐν πρώτοις μαθητεῦσαι τῷ λόγῳ Ἀνδρέας ὁ θεόπτης· ἐβόα φησὶ τὸν συναίμονα Πέτρον ἰδών· εὑρήκαμεν τὸν Μεσίαν, ὃν ἡ γραφή, καὶ οἱ προφῆται προεκήρυξαν.

In laudem S. Deiparæ.

Descensus. *Mysterium nouum video, & insolitum dimissorium. In Spiritu sacrosancto.*

Verbum æternitate priùs, inuentum te, beatissime, Apostolorum omnium primum vocatum effecit, atque eius vestigia secutus es, Andrea multùm venerabilis, errantium dux, ad diuinam cœlorum viam ipsos reducens.

Alterum. *Mulieres audite.*

Petri germanum, discipulorum primum, qui vidit ipse Verbum & ministrauit, Andream Apostolum gloriosè celebremus, illuminauit enim gentes, & crucifixus consummatur quemadmodum discipulus Domini.

In laudem S. Deiparæ. Similis.

Deum à te genitum, virgo intemeratissima, suppliciter ora pro nobis, qui te religiosè honoramus, vt simul cum inclyto Andrea diuina filij tui illustratione fruamur, & sanctorum electorum statu; nam quamcunque vis potestatem habes.

Ad laudes. *Omnis spiritus.*

Versiculos quatuor hîc positos canimus.

Versiculus. Tonus 1.

Cælestium ordinum.

Bethsaida nunc lætare, in te enim floruerunt ex materno prato fragrantissima lilia Petrus & Andreas, per totum mundum fidei prædicationis odorem sparserunt gratiâ Christi, cuius quidem passionem participauerunt.

Gaude Andrea, & salta, quia palam accepisti in Verbi illuminatione gloriæ Solem Christum vitæ largitorem, quem & in fide possidens prædicasti: hunc incessabiliter exora pro nobis, qui in fide collaudamus te.

Qui ad diuinæ Christi domus administrationem vocatus sacerdos, qui inter primos electus, vt Verbi discipulus esset Andreas, Deum ipse vidit statim, ac Petrum germanum conspexit, clamabat dicens: Inuenimus Messiam, quem Scriptura & Prophetæ prædicauerunt.

Patrensis ciuitas pastorem possedit, & diuinum præsulem, ex periculis omnibus liberatorem custodémque. quæ te, Andrea sapiens, gratiosè honorat, sed incessabiliter ora pro ipsa, vt à damno immunis seruetur.

Ἡ τῶν Πατρέων σε πόλις, ποιμένα κέκτηται· καὶ πολιοῦχον θεῖον· καὶ κινδύνων παντοίων ῥύστην καὶ φρουρόν σε, Ἀνδρέα σοφέ, εὐχαρίστως τιμῶσά σε· ἀλλ' ἐκδυσώπει ἀπαύστως ὑπὲρ αὐτῆς διασώζεσθαι ἀλώβητον.

Gloria. Propriis versibus.

Δόξα. Ἰδιόμελον.

Anatolij.

Ἀνατολίου.

Hi autem Andreæ Hierosolymitæ.

Οἱ δὲ Ἀνδρέου Ἱεροσολυμίτου

Fidei præconem & administrum Verbi Andream celebremus; ille enim homines ex profundo piscatur, pro arundine crucem manibus apprehendens, virtutémque vt funiculum laxans ab hostis errore animas reducit, acceptúmque Deo donum affert, perpetuis hunc, fideles, vnà cum discipulorum Christi turba laudibus celebremus, qui oret ipsum vt propitius fiat nobis in die iudicij.

Τὸν κήρυκα τῆς πίστεως καὶ ὑπηρέτην τοῦ λόγου Ἀνδρέαν εὐφημήσωμεν· οὗτος γὰρ τοὺς ἀνθρώπους, ἐκ τοῦ βυθοῦ ἁλιεύει, ἀντὶ καλάμου τὸν σταυρὸν ἐν ταῖς χερσὶ διακρατῶν, καὶ ὡς σπαρτίον χαλῶν τὴν δύναμιν ἐπανάγει τὰς ψυχάς, ἀπὸ τῆς πλάνης τοῦ ἐχθροῦ· καὶ προσκομίζει τῷ Θεῷ, δῶρον εὐπρόσδεκτον, ἀεὶ τοῦτον πιστοὶ σὺν τῇ χορείᾳ τῶν μαθητῶν τοῦ Χριστοῦ εὐφημήσωμεν. ἵνα πρεσβεύῃ αὐτῷ· ὅπως ἵλεως γένηται ἡμῖν, ἐν τῇ ἡμέρᾳ τῆς κρίσεως.

Et nunc. Tonus idem.

Καὶ νῦν. Ἦχος ὁ αὐτός.

Suscipe Bethleem Dei Metropolim, nam lumen nusquam occidens apud te paritura venit: obstupescite Angeli in cælo, homines glorificate in terra, Magi ex Perside triplici gloria insigne munus afferte; vigilantes in agris pastores trisagij hymnum canite; omnis spiritus collaudet Creatorem rerum omnium.

Ὑπόδεξαι Βηθλεέμ, τὴν τοῦ Θεοῦ μητρόπολιν· φῶς γὰρ τὸ ἄδυτον ἐπί σε γεννῆσαι ἧκε· ἄγγελοι, θαυμάσατε ἐν οὐρανῷ· ἄνθρωποι, δοξάσατε ἐπὶ τῆς γῆς· μάγοι ἐκ Περσίδος, τὸ τρισόκλεον δῶρον προσκομίσατε· ποιμένες ἀγραυλοῦντες, τὸν τρισάγιον ὕμνον μελῳδήσατε· πᾶσα πνοὴ αἰνεσάτω τὸν παντουργέτην.

Glorificatio magna & dimissio.

Δοξολογία μεγάλη καὶ ἀπόλυσις.

Ad Missam Typica, & à Canone Apostoli.

Εἰς τὴν λειτουργίαν, τυπικά, καὶ ἀπὸ τοῦ κανόνος ἀποστόλου.

Ode 3. & vers. Communicatorium.

Ὠδὴ γ'. καὶ στίχος. Κοινωνικόν.

In omnem terram exiuit sonus eius.

Εἰς πᾶσαν τὴν γῆν ἐξῆλθεν ὁ φθόγγος αὐτοῦ.



CAPVT

CAPVT IV.

Decus proprij officij, à sancto Gregorio Magno compositi; cuius innuitur certis indiciis, feruens in ipsum S. Andream deuotio.

SANCTVS Gregorius eximia deuotione fragrabat aduersus Beatum Andream Apostolum, in cuius memoriam & honorem, paternam domum in cliuo Scauri, non longè à circo maximo, in Monasterium eius nomini consecratum, redegit; ac in eo sæculi pompis abdicatis, sub Abbate Valentio Monachus effectus (nihil de sua prima deuotione remittens) integrum eius officium de nouo composuit: ac sacrorum officiorum canonicis formulis, Pontifex factus inseruit, vt testes sunt Rupertus in opere de diuinis officiis, Durandus in Rationali diuinorum officiorum, Molanus in annotationibus ad Vsuardi Martyrologium signata die, Arnoldus Wion ligni vitæ libro 5. cap. 12. Emblemate 4.

Sanè officium illud S. Andreæ, tam in vigilia quàm in festo, est omninò proprium, & adeò luculentum & illustre: vt nullum sit Sanctorum officium eo præclarius, vberius & magis pium ac deuotum. Dignum est profectò S. Gregorij Magni opus, & tanti Apostoli non minùs dignum præconium. Omnia spirant in eo quid diuinum, eximiámque pietatem redolent, & sapientiam, quâ sanctus ipse Gregorius diuina gratia inundatus (vt nemini ignotum est) abundauit. Porrò quantum Dominus in Apostolo suo Andrea fuerit admirabilis, ipséque B. Andreas in Domino gloriosus, eo planè tenore, conspicitur.

Officium vigiliæ habet, ad Matutinum propriam Euangelij lectionem & homiliam. In Laudibus specialem orationem. Missam etiam propriam. Epistolam singularem, Euangelium selectum: proprium offertorium. Secretam peculiarem. Communionem & Postcommunionem non communem. In festo omnia sunt propria. Antiphonæ super Psalmos trium Nocturnorum selectæ. Lectiones speciales, propria responsoria. Antiphonæ ad Laudes, super Psalmos, appositæ. Capitulum singulare: item ad omnes horas particularia Capitula & Antiphonæ signatæ; super Magnificat vtriusque officij vespertini singulares Antiphonæ. Propria

Tt

ad Benedictus. Oratio vigiliæ ſelecta. Propria diei feſti collecta. In Miſſa proprius introitus. Epiſtola propria: Verſiculus ad Graduale ſingularis, tres orationes ſelectæ. Proſa extat etiam ſpecialis, ab Adam Victorino ex antiquis monimentis edita. Hymnum proprium compoſuerat Damaſus; quamobrem non dictauit Gregorius ſpecialem. Sed cetera vniuerſa vel collegit ex ſacris Scripturis, vel expreſſit, ex inſigni illa relatione paſſionis S. Andreæ, ab eius diſcipulis conſcripta, ad vniuerſas orbis Eccleſias directa. Sanè in toto illo ſacro officio, mirè elucet in hoc ſancto Apoſtolo Dei gratia, fulget innocentia, puritas, fides, animi incomparabilis fortitudo. Micat eius eximius in magiſtrum ſuum amor, feruentiſſimus pro ipſius gloria patiendi ardor; crucis incredibilis cupiditas. Cuius myſterij etiam huic ſancto Apoſtolo diuinitùs inſpirata radiat ſcientia: Verbo dicam, in ligno pendens homo totus igneus, Chriſtus patiens rediuiuus. Exhibetur, in cruce, de opprobrio, de dolore, de ipſa morte triumphus. Denique patientiæ portentum, zeli ardens ſpeculum, fidei, ſpei & charitatis exemplar omnibus numeris abſolutum. Egregius igitur pictor fuit S. Gregorius, qui tam exigua, quàm ſplendida tabella trophæi crucis altitudinem, Apoſtoli Andreæ magnitudinem, Chriſti in eo viuentis, morientis, & vincentis gloriam, perfectámque Chriſtiani hominis ideam mirabili planè compendio expreſſit. Non hîc ſtetit tamen eius aduerſus B. Andream deuotio. Ingenioſus amor eſt, at in multas formas ſe vertit. Artem inuenit magnus ipſe Gregorius, qua longè extra Natalis Beati Andreæ ſolennia, eius venerabilis memoriæ cultum & præconium extenderet. Pia ſiquidem effecit induſtria, vt in ſacris proceſſionibus ad fontes, quæ fiunt in Chriſti reſurgentis ſolenniis, quotidie ferè memoria S. Andreæ, per aditum ad eius oratorium celebraretur, quemadmodum egregiè obſeruat Abbas Rupertus, lib. 8. de diuinis officiis cap. 2. vbi ait: *Vnde nunc apud fontes Eccleſia mater iubilans, exultat in laudem eius gratiæ, per quam meruit eſſe fons hortorum, puteus aquarum viuentium, quæ fluunt impetu de Libano.* Et infrà: *Hac ſtatione terminata tranſitur deinde ad oratorium S. Andreæ Apoſtoli, cantando In exitu Iſraël. Sic omnis Paſchalis Hebdomadæ veſpera, qua hora Sabbatho in ſancta Trinitatis nomine baptiſma celebratum eſt, trina ſtatione completur. Et idcirco fortaßis ad S. Andream pene omnis veſpera*

terminatur, quia Beatus Gregorius, qui stationes sicut hactenùs extant, ordinauit, eidem sancto Andreæ specialiter deuotus extitit: cui & iuxta basilicam SS. Ioannis & Pauli ad cliuum Scauri Monasterium in proprio domate formauit: in quo relictis omnibus, ex mundi huius naufragio nudus euasit; diu desideratum, monachicum capiens indumentum. Nec mirum hanc illum vespertinam stationem, pro deuotione, tanto Apostolo consecrasse, &c.

SANCTVS AMBROSIVS, pia quoque admodum propensione, affectus fuit in Beatum Andream Apostolum.

EX *abundantia cordis os loquitur*, ait Dominus, & ex amore scintillæ erumpunt igneæ, quæ intimum produnt cuiusque in aliquem propensionis affectum. S. Ambrosius sæpe sæpiùs (etiam dum minùs cogitare videtur) prodit eximiam quam corde gerebat aduersus B. Andream Apostolum, mentis suæ sanctæ propensionem. Vnum ex multis indicium huius veritatis, non illubenter, hîc proferam. Socrus Simonis laborabat magnis febribus, intrauit Iesus *in illam domum, quæ erat Simonis & Andreæ, cum Iacobo & Ioanne, & statim rogauerunt illum pro ea. Et tetigit Iesus manum eius & reliquit eam febris**. *In typo illo mulieris* (inquit Ambrosius) *socrus Simonis & Andreæ, variis criminum febribus, caro nostra languebat.* Ambit verò Ambrosius ad sanationem nostram, Andreæ & Petri suffragium. *Vtinam* (inquit) *surgant oraturi pro nobis ad Dominum, Simon Petrus, & Andreas frater eius**. Sed in libro de viduis* luculenter exponit illud Sanctorum duorum Apostolorum (quos altè insitos gerebat præcordiis) intercessionis exemplum. *Ama* (inquit) *propinquitatem Petri, affinitatem Andreæ, vt pro te rogent, & recedant cupiditates tuæ, verbo Dei pulsa. Surges illico, quæ in terris iacebas, vt Christo ministres. Habetis ergo viduæ auxilium, si tales proximos eligatis. Rogauerunt pro vidua Petrus & Andreas. vtinam existat aliquis, qui tam citò possit rogare pro nobis! Vel certè iste qui rogabat pro socru Petrus, & Andreas frater eius: tunc enim pro affinitate poterant. Nunc iam possunt pro nobis, & pro vniuersis impetrare.*

Matth. 12. 34.
* *Matth. 8. Marc. 1. Luc. 4.*
* *Lib. 4. in Lucam c. 4.*
* *Post medium tom. 4.*

Pium hunc affectum venerationis specialis in hos sanctissimos fratres, primarios Christi Apostolos, Petrum & Andream, effusiùs prodidit idem sanctus Ambrosius in ritu

& ordine Liturgiæ, quam tradidit Ecclesiæ suæ Mediolanensi, vtriusque etenim memoriam honorauit, insignium officiorum splendore. Aliàs egimus data opera de S. Petro, cum B. Paulo coniunctim. Ratio igitur iam postulat, vt hic formulas referam mysticarum precationum: quas præscripsit ipse S. Ambrosius, ad peculiarem Beati Andreæ honorificentiam.

EX MISSALI MEDIOLANENSI. Cui respondent quæ de Missa Ambrosiana scribit Radulphus Tungrensis Decanus, lib. de Canonum obseruantia, Proposit. 12. & 23. Tom. 10. Bibliothecæ SS. PP. postremæ edit. Paris.

In Vigilia S. Andreæ.

Super populum.

APOSTOLICIS *Domine quæsumus nos attolle præsidiis: vt cuius solennia præuenimus, eius precibus adiuuemur. Per Dominum.*

Super Sindonem.

Da nobis quæsumus Domine Deus noster, Beati Apostoli tui Andreæ intercessionibus subleuari: vt per quos Ecclesiæ tuæ superno munere rudimenta donasti, per eos subsidia perpetuæ salutis impendas. Per Dominum, &c.

Super Oblata.

Præsta quæsumus Domine, vt per intercessionem Beati Apostoli tui Andreæ: hæc nobis prosit Oblatio, quam immolando totius mundi tribuisti relaxari delicta. Per Dominum, &c.

Præfatio.

Per Christum Dominum nostrum, per quem Beatus Apostolus Andreas, tantum cælesti gratia eminet præcipuus: quantum etiam Beati Petri Apostoli germanitate, demonstratur esse præclarus: vt quos vna genitrix edidit mundo, vna regeneratione, per crucis patibulum, collocarentur in cælo. Et ideo, &c.

Postcommunio.

Beati Andreæ Apostoli supplicatione, quæsumus Domine, plebs tua benedictionem percipiat, vt de eius meritis fideliter glorietur, & sempiternis valeat consortiis sociata lætari. Per Dominum, &c.

In Festo eiusdem.

Super populum.

Deus qui hunc diem Beati Apostoli tui Andreæ martyrio consecrasti, da nobis de eius festiuitate lætari, vt apud mi-

ſericordiam tuam, & exemplis eius adiuuemur & meritis. Per Dominum, &c.

Super Sindonem.

Da tuorum, quæſumus Domine, habitator æterne Sanctorum: vt Beati Apoſtoli tui Andreæ pretioſa natalitia, non ſolùm miniſterio corporali, ſed & mentis proſequamur affectu. Per Dominum &c.

Super Oblata.

Sacrificium noſtrum tibi Domine Beati Andreæ Apoſtoli tui precatio ſancta conciliet, vt in cuius honore ſolenniter exhibetur, eius meritis efficiatur acceptum. Per Dominum, &c.

Præfatio.

Æterne Deus. Adeſt enim nobis dies magnifici votiua myſterij, qua venerandus Andreas, germanum ſe Beati Petri Apoſtoli, tam prædicatione Chriſti tui, quàm confeſſione monſtrauit. Et Apoſtolicæ numerum dignitatis, ſimul paſſione ſuppleuit & gloria: vt quod libera prædicauerat voce, nec pendens taceret in cruce. Auctorémque vitæ perennis tam in hac vita ſequi, quàm in mortis genere meruit imitari: vt cuius præcepto, terrena in ſemetipſo crucifixerat deſideria: eius exemplò ipſe patibulo figeretur. Vtrique igitur germani piſcatores, ambo cruce eleuantur ad cælum; vt quos in huius vitæ curſu, tua gratia, tot vinculis pietatis conſtrinxerat, hos ſimilis in regno cælorum necteret & corona; & quibus vna cauſa erat certaminis, vna retributio eſſet & præmij. Per Dominum, &c.

Poſtcommunio.

Quæſumus omnipotens Deus, vt quos diuina tribuis participatione gaudere, intercedente Beato Apoſtolo tuo Andrea, humanis non ſinas ſubiacere periculis. Per Dominum, &c.

Inter Præfationes antiquas per anni circulum, quæ extat Tom. Liturgicon Pammelij: legitur hæc alia præfatio, in Vigilia S. Andreæ Apoſtoli.

ÆTERNE *Deus. Et Maieſtatem tuam ſuppliciter exorare, vt qui Beati Andreæ Apoſtoli feſtum ſolennibus ieiuniis, & deuotis præuenimus officiis, illius apud Maieſtatem tuam, & adiuuemur meritis, & inſtruamur exemplis. Per Chriſtum Dominum noſtrum*, &c.

In die eiuſdem hæc præfatio ponitur, quæ ſuprà ex officio Ambroſiano recitata eſt.

Ex lib. Sacramentorum S. Gregorij PP. in Vigilia ſancti Andreæ.

QVÆSVMVS *omnipotens Deus, vt B. Andreas Apoſtolus tuum imploret pro nobis auxilium: vt à noſtris reatibus abſoluti, à cunctis etiam periculis eruamur. Per Dominum*, &c.

Super Oblata.

Sacrandum tibi Domine munus offerimus, quo Beati Andreæ ſolennia recolentes, purificationem quoque noſtris mentibus imploramus. Per Dominum, &c.

Præfatio.

Eadem eſt quæ ſuprà ex præfationibus antiquis à Pamelio editis, eſt expreſſa.

Ad complendum.

Perceptis Domino Sacramentis, ſuppliciter exoramus, vt intercedente B. Andrea Apoſtolo tuo, quæ pro eius veneranda gerimus paſſione, nobis proficiant ad medelam.

Alia.

Tuere nos miſericors Deus, & Beati Andreæ Apoſtoli tui, cuius Natalitia præuenimus, ſemper guberna præſidiis. Per Dominum, &c.

Ad Veſperas.

Adiuuet Eccleſiam tuam, tibi Domine ſupplicando, B. Andreas Apoſtolus: & pius interceſſor efficiatur, qui tui nominis extitit prædicator. Per Dominum, &c.

Ad Matutinas.

Deus qui es Sanctorum tuorum ſplendor mirabilis, quique hunc diem B. Andreæ martyrio conſecraſti, da Eccleſiæ tuæ de eius Natalitio ſemper gaudere, vt apud miſericordiam tuam, exemplis eius protegamur & meritis. Per Dominum.

Pridie Kalendas Decembris Natale S. Andreæ.

MAIESTATEM *tuam ſupplices Domine exoramus, vt ſicut Eccleſiæ tuæ B. Andreas Apoſtolus extitit prædicator & rector, ita apud te ſit perpetuus interceſſor. Per Dominum*, &c.

Super oblata.

Sacrificium noſtrum tibi Domine quæſumus B. Andreæ precatio ſancta conciliet, vt cuius honore ſolenniter exhibetur, meritis efficiatur acceptum. Per Dominum.

Præfatio.

Eadem eſt cum Ambroſiana ſuprà deſcripta.

Bened.

Ad complendum.

Sumpſimus Domine diuina myſteria B. Andreæ feſtiuitate lætantes, quæ ſicut Sanctis tuis ad gloriam, ita nobis quæſumus ad veniam prodeſſe perficias. Per Dominum, &c.

Ad Veſperas.

Da quæſumus Domine Deus, nos Beati Andreæ interceſſionibus ſubleuari, vt per quos Eccleſiæ tuæ, ſuperni muneris rudimenta donaſti, per eos ſubſidia perpetuæ ſalutis impendas. Per Dominum, &c.

Alia.

Exaudi Domine populum tuum cum ſancti Apoſtoli tui Andreæ patrocinio ſupplicantem: vt tuo ſemper auxilio, ſecura tibi poßit deuotione ſeruire. Per Dominum &c.

Extra Sacramentorum librum S. Gregorij, in antiquis Breuiariis hæc inſuper extat oratio, dicenda ad Tertiam, Sextam, & Nonam.

DEVS *qui humanum genus, tuorum retibus præceptorum capere cenſuiſti: reſpice propitius, ad tanta ſolennia piſcatoris, & tribue, vt natalitio eius munere gratulantes, æternæ vitæ præmia conſequamur. Per Dominum,* &c.

In antiquo Breuiario Virenſis Eccleſiæ, quæ ſedes ſuffraganea eſt Archiepiſcopi Taraconenſis in Hiſpania Bætica: Hymnus hic ponitur proprius, in primis Veſperis feſti ſancti Andreæ Apoſtoli.

ANDREA *pie, Sanctorum mitiſſime,*
Obtine nobis errantibus veniam
Et qui grauamur ſarcina peccaminum,
Subleua tuis interceßionibus.
Annue Chriſte ſæculorum Domine,
Nobis per huius tibi chari merita,
Vt qui te coram grauiter deliquimus,
Huius ſoluantur glorioſis precibus.
Salua Redemptor plaſma tuum nobile,
Signatum ſancto vultus tui nomine:
Nec lacerari ſinas fraude dæmonum
Propter quos mortis exoluiſti pretium.

Sit tibi Iesu benedicte Domine
Gloria, virtus, honor & imperium
Vnà cum Patre, sanctóque Paraclito,
Cum quibus regnas Deus ante sæcula.
Amen.

Ceterùm facit nonnihil ad Natalis B. Andreæ celebritatem: quod in eius elogio die 30. Nouembris in Martyrologio nostro Gallicano obseruauimus: scilicet quòd Innocentius IV. Pontifex Max. Lugduno cùm Cluniacum venisset, in festo passionis S. Andreæ, quòd in Gallia maximè solenne esset, nec minùs apud Sedem Apostolicam, ob memoriam tanti Apostoli, qui prima fuit vocatio Domini Saluatoris, & germanus sociúsque Petri, conspicuum & venerandum: Missam ad summum altare eiusdem Monasterij, cum maximo splendore Apostolicæ dignitatis celebrauit: assistentibus sibi ad ipsum altare, duodecim Cardinalibus: sacra verò mysteria in Pontificali decore spectantibus Antiocheno & Constantinopolitano Patriarchis, Archiepiscopis insuper Remensi, Lugdunensi & Bizontino; Parisiensi verò, Cabillonensi, Lingonensi, Catalauniensi, Suessionensi, aliísque multis Episcopis; Cluniacensi Cœnobiarcha, & Cisterciensi, cum aliis plurimis Abbatibus. Hæc ibi quæ descripta sunt ex Chronico Cluniacensi, sub annum 1145.

CAPVT V.

De Vigilia sancti Andreæ Apostoli.

DVRANDVS in Rationali diuinorum officiorum agens de Vigilia S. Andreæ Apostoli, non satis considerate ait, » Andream Apostolum ex » institutione Vigiliam non habere, sed solùm » ex consuetudine. Si enim vt aliqua Vigilia, vel ieiunium censeatur de institutione esse, requiritur expressum vniuersalis Ecclesiæ decretum: ostendat illud quod exigit in Parasceue Natalis sancti Andreæ; in ceterorum quoque Apostolorum (qui præliminari ieiunio honorantur) sancitum reperiri: Sin autem assignare non potest; fateatur oportet inanem fuisse hanc eius obseruationem: quæ circa Vigiliam sancti Andreæ potiùs adhibetur, quàm in ceterorum Apostolorum, etiámque Petri & Pauli ante festo-

festorum ieiuniis. Porrò quod Vigilia sancti Andreæ in vniuersa Ecclesia obseruatur, sit de institutione canonica, eáque antiquissima, patet ex omnibus Martyrologiis, in quibus illa notatur constantissimè, pridie Kalendas Decembris. Scitè & appositè magnus Annalista Ecclesiæ id indicat, in notis ad hanc diem. *Vigilia sancti Andreæ. De eadem,* inquit, *Beda, Vsuardus, Ado, & alij omnes, qui agunt de diuinis officiis, vt Amalarius de ordine Antiphonarij cap.* 63. *Concilium Oxoniense*, &c. Quòd si Durandus exceperit, se non de Vigilia disputare, sed de ieiunio: facilè reuincetur, nam ieiunium*, sicut Vigiliam, sanctum Andream, non de mera consuetudine, sed etiam de præcepto habere, promptum est ostendere. Sanè notum est tempore Philippi Augusti circa annum 1210. legatos fuisse missos ab Innocentio III. ad ipsum Augustum, Simonem & Galonem, vt ad arma capessenda aduersus Albigenses eum hortarentur. hac occasione, inspectione Ecclesiarum Galliæ ipsi Legati functi, cùm seorsim tum coniunctim, varias Synodos habuerunt, in quibus reuocarunt ad natiua principia, nonnihil collapsam Ecclesiasticam disciplinam. Concilia eiusmodi, præsertim habita sunt Parisiis, Suessione & Bituricis. Ex quibus Sanctiones compilatæ, inscriptæ sunt generaliter, editæ in Synodo Simonis & Galonis legatorum, inter quas hæc constitutio verbatim extat. *Sacerdotes præcipiant omnibus habentibus adultam ætatem, instituta ieiunia obseruare: vt ieiunium Quadragesimæ, Quatuor temporum, Vigiliarum Natiuitatis Domini, Assumptionis Beatæ Mariæ, Beati Ioannis Baptistæ, Apostolorum Petri & Pauli; Andreæ, Iacobi, B. Matthæi, Simonis & Iudæ, Laurentij Martyris,* &c. *Si qua autem de vigiliis prætaxatis die Dominica venerit, indicendum est ieiunium die Sabbati præcedentis.* Qua ex canonica lege, illa in Synodo renouata, hoc Synodale vetus statutum emanauit Trecensis Ecclesiæ. *Sacerdotes debent inducere populum ad hoc vt omnes habentes ætatem legitimam, obseruent ieiunia ab Ecclesia instituta: Sicut est ieiunium Quadragesimæ, Quatuor temporum, Vigiliæ Natalis Domini, sancti Ioannis Baptistæ, Laurentij, Assumptionis Beatæ Mariæ Virginis, omnium Sanctorum, Apostolorum, & maximè eorum, qui in iis versibus continentur.*

Petrus & Andreas, Paulus, cum Simone Iudas,
Vt ieiunemus nos admonent, atque Mathæus.

in aliis autem Apostolis loci consuetudo seruetur, & de aliis ieiuniis. Qua ex sanctione apertè patet, ieiunium in Vigilia sancti Andreæ Apostoli, non esse vnum ex iis quæ sola locali consuetudine tenentur: sed expressim ex iis vnum, quæ ab Ecclesia instituta sunt. Ex cuius canonica obseruantia, sanctus Bernardus sermonem I. de S. Andrea, in eius Vigilia habuit: quo sex ponit axiomata. I. In vigiliis magnarum solennitatum ieiunium fuisse ab Ecclesia institutum, ex legitimis causis quas recenset ibid. II. Veram viam festiuitatis æternæ, per hanc abstinentiam indicari. III. monet, vt si cum Beato Andrea pendere non possumus; saltem cum eo ieiunemus. IV. Gaudium sancti Andreæ in cruce & alacritatem in afflictione agnoscit, miratur & enixè commendat. V. Beatissimi eiusdem Apostoli attollit laudibus sanctum in cruce feruorem, igneámque linguam qua fidem Christi populo prædicabat. VI. Denique eius fidem grano sinapis assimilat. Sed in ipso limine errorem Durandi nondum nati, quasi iam præuisum de industria refellit, dicens. *Sanctorum festa præcipua, Patrum sanxit auctoritas, votiuis præuenienda ieiuniis,* &c. *Hodierni itaque ieiunii, & eius quam præstolamur solennitatis & lætitiæ causa est beata passio Andreæ Apostoli: dignum est enim, vt si cum eo pendere non possumus, cum eo vel ieiunemus. Nam & ipsum, cùm penderet in cruce, etiam ieiunasse quis dubitet? Inueniamur ergo, vel in exiguo communicantes passioni eius, etsi non simul affixi patibulo, simul afflicti ieiunio: vt miserante Domino, etiam coronæ participes simus, & in præsenti quoque specialium socij gaudiorum.* Ex quibus sancti Bernardi verbis, tria præsertim elici possunt. 1. Quod S. Andreæ solennitas, vna sit ex præcipuis festiuitatibus Sanctorum. 2. Quòd præueniendam ieiunio non solùm consuetudo suadeat: sed sanxerit etiam Patrum auctoritas. 3. Præ ceteris hunc beatissimum Apostolum meruisse, solenni ieiunio, sui in natalis Vigilia honorari: vt qui non solùm ieiunarit in cruce, sed biduò vt pependerit, ita & biduò ieiunauerit. Inde non obscurè insinuans: Si alij sancti Apostoli sua quique digni sunt vigilia ac ieiunij obseruantia, Sanctum Andream, non vnius diei præuentione ieiunij, coli meruisse, sed bidui, hoc est duplici ieiunio, & vigilia suam præoccupari solennitatem. Ideo sancta mater Ecclesia, Vigiliam sancti Andreæ proprio officio decorauit: videlicet in Matutinis propria Euange-

lij lectione & homilia. Propria per horas collecta. *Quæsumus Domine vt Beatus Andreas Apostolus*, &c. In Missa speciali epistola ex libro Ecclesiastici cap. 44. *Benedictio Domini super caput iusti*, &c. Proprio Graduali, peculiari Euangelio, speciali secreta, communione, postcommunione. Sanctus Ambrosius propriam addidit præfationem quam suprà recitauimus. Exciderat hîc pæne mihi Concilium Ænhamense, Anglicanum dictum, insulæ huius generale, habitum circa annum Domini 1009. quo decernitur cap. 15. singulorum Apostolorum festiuitates (quæ Vigilia cum ieiunio præueniuntur) religioso à quocumque celebrandas esse ieiunio : non tantùm voluntario. Cæterum in Diœcesi Tullensi, cuius sedis etsi immeritus designatus sum (miserante Deo) Episcopus : Vigilia sancti Andreæ strictioris ieiunij obseruantiâ celebrari solet, quàm aliorum Apostolorum. Nam ouîs & caseo in iis vti licet : in Vigilia autem S. Andreæ, ieiunium agendum esse præcipitur, vt in Quadragesima.

De festo sancti Andreæ Apostoli : quòd sit vbique de præcepto.

EX Sanctorum Patrum sermonibus, habitis in solennitate sancti Andreæ, qui infrà proferentur, promptum est elicere, festum eiusdem, perenni obseruatione fuisse vbique custoditum. Suprà probatum est, Vigiliam sancti Andreæ, habere ieiunium de præcepto. Vnde fit consectaneum, & festum ipsius Beati Apostoli, vi præcepti ad eius obseruationem, tam sacros viros quàm sæculares seu laïcos obstringere. Vigilia enim cum ieiunio, non nisi maioribus Sanctorum solennitatibus præmittitur (vt nos suprà docuit sanctus Bernardus, ex Patrum sancta auctoritate) est dumtaxat enim ad eius celebrationem dispositio. Proinde si ieiunium præfesti obstringit vi sacræ legis : multo magis ipsa festiuitas, cultum & obseruantiam religiosam iure suo exigit & supponit. De traditione, circa hoc, Ecclesiæ Orientalis seu Græcæ, non solùm ex Græcorum Menologio cum Menæis & ceteris libris ritualibus, peremptoriè constat. De Latinæ verò seu Occidentalis perpetua traditione & praxi, inuicto sunt argumento, Ecclesiarum omnium Kalendaria, Missalia, Breuiaria : quin & singula-

rum Prouinciarum, & Diœceseωn Manualia, seu Ritualia, & Synodicæ constitutiones, vt tempus deficeret enarrantem, qui hæc per singula capita, & proprias inductiones vellet ostendere.

Carolus Magnus & filius eius Ludouicus, Imperium tenuerunt Occidentis. At verò in eorum Capitularibus, quæ ad munimen Ecclesiasticæ doctrinæ & disciplinæ, in variis Synodis, condita sunt, accedente summæ Sedis auctoritate: Festum sancti Andreæ Apostoli inter cæteras solennitates, quæ vbique celebrabantur, ex traditione antiqua, nominatim recensetur & obseruandum præcipitur. Sic enim habetur libro secundo Capitularium. *Festos dies in anno celebrari sanximus. Hoc est, diem Dominicum Paschæ, cum omni honore & sobrietate, venerari. Similiter totam illam hebdomadam obseruare decreuimus. Diem Ascensionis pleniter celebrare. In Pentecoste similiter vt in Pascha. In Natali Apostolorum Petri & Pauli, diem vnum. Festiuitatem sancti Michaelis, Natalem sancti Remigij, sancti Martini, sancti Andreæ. In Natali Domini dies* IV. *Octauas Domini, Epiphaniam Domini, Purificationem sanctæ Mariæ, & illas festiuitates Martyrum vel Confessorum, quorum in vnaquaque Parochia, sancta corpora requiescunt; similiter etiam dedicationem templi.* Et libro 6. eorumdem Capitularium. *Hæ sunt festiuitates in anno, quæ per omnia venerari debeant. Natalis Domini, sancti Stephani, sancti Ioannis Euangelistæ, Innocentium, Octaua Domini, Epiphania, Octaua Epiphaniæ. Purificatio sanctæ Mariæ. Paschæ dies octo. Letania maior. Ascensio Domini, Pentecoste. Sancti Ioannis Baptistæ, sanctorum Petri & Pauli, sancti Martini,* SANCTI ANDREÆ, &c. Et eodem lib. *Has siquidem præcipuas festiuitates annuncient Presbyteri. Et diebus Dominicis Sabbatare, id est, in Natali Domini dies quatuor* VIII. *Kalendas Ianuarij. In Circumcisione Domini, diem vnum. In Epiphania* VIII. *Idib. Januar. diem vnum. In Purificatione sanctæ Mariæ* IV. *Non. Febr. diem vnum. In Pascha Domini, vsque in Octauas Paschæ. Post Dominicam dies tres. In Ascensione Domini diem vnum. In Natali sancti Ioannis Baptistæ diem vnum. In Passione sanctorum Apostolorum Petri & Pauli* III. *Kalendas Iulij diem vnum. In Assumptione sanctæ Mariæ: In transitu beati Martini* III. *Idib. Nouemb. diem vnum. In Pas-*

In Concilio Moguntiaco an. D. 813. ipso iam Carolo annum 13. in imperio agente, sanctio ipsa edita est, seu saltem promulgata, c. 36. sub hac inscriptione: *De festiuitatibus anni.* Extat in Capitul. l. 11. c. 35.

ſione S. Andreæ Apoſtoli II. *Kal. Decembris diem vnum.* Vbi notare iuuat alias iam cultas fuiſſe feſtiuitates; quæ non ſunt in hoc indice, vt minùs inſignes: ſed has ſignatim enumerari, quæ ſunt præcipuæ. Præterea hoc in triplici catalogo, quaſdam ex ipſis præcipuis feſtiuitatibus, vna in ſerie ſignari, in alia prætermitti; ſed in tribus ipſis indiculis feſtiuitatem ſancti Andreæ conſtanter ſuo loco cenſeri. Concilium Oxonienſe à Stephano Cantuarienſi Primate ſub Honorio Papa III. celebratum anno 1222. declarauit, feſtum S. Andreæ, vt feſtum inſigne, Vigilia ſolenni ex antiquo iure præueniendum eſſe: vt feſtum S. Ioannis Baptiſtæ, feſtum ſanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli, & feſtum omnium Sanctorum, cap. 8. In priſcis conſtitutionibus Synodalibus Eccleſiæ Remenſis, feſtum ipſum ſancti Andreæ Apoſtoli ſpeciatim recenſetur, inter ea ſolennia, quæ de præcepto ſeruanda ſunt. Quanta verò cum reuerentia & religione, feſta quæ ſunt à iure, præſertim verò Sanctorum Apoſtolorum obſeruanda ſunt: habes in ipſo iure titulo *de reliquiis & veneratione Sanctorum* cap. 1. Porrò Pius V. Sanctiſſimus Pontifex, in extrauag. *Cùm primùm Apoſtolatus*, ſic ea de re decreuit. *Feſtiui dies præcipuè in honorem Dei, & Beatæ Mariæ Virginis, & Sanctorum Apoſtolorum, cum omni veneratione debent obſeruari. Et in illis diebus Eccleſias frequentare, diuinis officiis deuotè intendere, ab omni ſeruili opere abſtinere; non debent fieri mercatus ac profanæ negotiationes, & contrà facientes debent puniri*, &c. Adde quòd feſtiuitates quæ ſunt à iure celebrandæ, *ſeruandæ ſunt ab omnibus* cap. 1. & ibi gloſſ. 1. de conſecr. diſt. tertia, *Et diuinis officiis, & non ſaltationibus vel cantilenis populi vacare debent.* can. *Quoniam.* De conſecr. diſt. eadem. Vide etiam Titulum *de Feriis.* Denique ius Græcum Latino conſonat, in præcepto obſeruandi, cum omni honore, feſtum ſancti Andreæ. Sic enim habet Enchiridion Chriſtiani Iuriſconſulti. *Pridie Kalendas Nouembris E. 30. Andreas Apoſtolus paſſus in Achaia. Trigeſimus Nouembris dies, quòd tum Andreas Apoſtolus feſtiuiter honoretur, feriatus eſt.* Nouella Emanuëlis Comneni cap. 2. Imperium autem Orientale regendum ſuſcepit iſte Emmanuël, aliàs Manuël Comnenus anno 1143. Conrado III. in Occidente iam anno 2. imperante.

De Octaua S. Andreæ Apostoli.

CVM anno Domini 1631. noua editio Breuiarij Parisiensis ineunda esset, & ego inter recognitores, auctoritate illustrissimi Domini Ioannis Francisci de Gondy Archiepiscopi Parisiensis, ex assensu venerabilis Capituli delectos, designatus fuissem, antequam tam arduo operi ipsi censores manum admouerent: iniunctum munus mihi fuit, accuratè ipsum Breuiarium perlegendi, & interlegendum annotandi, quænam emendatione magis indigere viderentur, tam circa commissa, quàm omissa, in vltima editione. Vix vlla Ecclesia est in Galliis, quæ proprium Breuiarium sæpiùs cuderit & recuderit quàm Parisiensis, ex quo Calchographia in vsum venit. Prima editio Breuiarij simul & Missalis facta est Venetiis typis Ioannis Hamani de Landoya, & Ioannis Emench de Vdehem, nascente recenter prælo, anno Domini 1487. absoluta impressione die 10. Nouembris. Secunda editio Parisiis prodiit anno 1530. apud .... Tertia ibidem ex officina Iolandæ Bonhomme viduæ Tielmani Keruer, sub Vnicorni anno 1557. Quarta auctoritate Reuerendi Domini Petri de Gondy Parisiensis Episcopi paulòpòst Cardinalis anno 1584. apud Ioannem Charron. Quinta 1607. Et sexta 1617. auctoritate Domini Henrici de Gondy eius ex fratre nepotis & successoris, & subinde Cardinalis, ex officina .... Septima igitur erat, quæ tum propediem iussu Illustrissimi præfati Domini Ioannis Francisci de Gondy, Henrici Cardinalis fratris & primi Archiepiscopi Parisiensis auspicanda erat. His igitur omnibus editionibus, per me, attentè consideratis & inuicem collatis, necnon cum veteri Breuiario Parisiensi MSC. in membraneo codice, in folio exarato, qui annos saltem 400. vsus exsuperat; non inane operæ pretium me facturum existimaui, quos animaduerteram grauiores defectus, vel errata, referenda esse ad Collegarum meorum iudicium: vnum igitur in indiculum congessi: quem cùm communicassem quibusdam ex hoc consessu, visum est commodi causâ, quo copia eius faciliùs plerisque fieret, typis mandare; quod & feci, libellúmque ipsum, cui titulus est, *Notæ in Breuiarium Parisiense*, ipsimet illustriss. D. Archiepiscopo, (qui gratis hunc excepit oculis) dedicaui. Porrò in prima obseruatione conquestus sum de suppressis in postremo Breuiario SS. quorumdam memoriis, quæ in superioribus consi-

gnatæ erant, vel eorum cultu imminuto, inductione facta, per singulos anni menses. Mense autem Decembri, die 7. sic notaui. Deleta est Octaua S. Andreæ, vbique in Gallia celebris, vt testantur Ecclesiarum officia: quorum in margine quædam signaui, anno indicato cuiusque editionis. Et verò quoad vsum Parisiensis Ecclesiæ, vetus illud Breuiarium quod antiquitatis annos supra 400. attingit, sic in Kalendario habet cæruleis apicibus exaratum: 7. *Idus Decemb. Octaua S. Andreæ.* Edita subinde typis suprà memorata, idem ferunt eadem die indicium. Et in textu diuini officij, sic legitur, *In secundis Vesperis S. Nicolai pro crastina octauæ S. Andreæ commemoratione. Antiphona: Andreas Christi famulus, dignus Dei Apostolus, germanus Petri & in passione socius.* Vers. *In omnem terram*, &c. *Oratio. Beatus Andreas Apostolus, tuum pro nobis Domine imploret auxilium, vt à nostris reatibus absoluti, à cunctis etiam periculis eruamur. Per Christum*, &c. At in Breuiario Domini Petri de Gondy, editionis anni 1584. in Kalendario, nota octauæ deleta est die 7. Decembris, & in textu officij illa commemoratio expuncta: quæ in Breuiariis posterioribus penitus est extincta. Quàm piè & prudenter factum, illi viderint, qui huius obliterationis, ac abrogationis auctores & antesignani extiterunt. Non est enim res parui momenti, terminos antiquos quos patres posuerunt euellere, & minuere cultum tanti Apostoli, præsertim cùm illa commemoratio minimè onerosa esset, & officium de tempore Aduentus Domini, cùm simplex esset memoria, non interturbaret, sicut nec hodie in Romano Breuiario, commemoratio quæ fit 11. Decembris (Damasi Papæ & Confessoris) officium de tempore Aduentus non impedit. Axioma insigne profert Radulphus Tungrensis Decanus, libro de Canonum obseruantia, propositione 19. circa celebrationem Octauarum. *Iuxta Romanam auctoritatem* (inquit) *nullorum Sanctorum Octauas celebrare debemus, nisi vnde aliquam certam traditionem à SS. Patribus habemus.* Atqui habemus traditionem certam de Octaua S. Andreæ. Primò, in auctoritate Ecclesiæ Romanæ. *Sunt enim* (inquit Radulphus, loquens ex scitis & praxi Romanæ ipsius Ecclesiæ) *Octauæ duplicis speciei: aliæ sunt enim maiores, aliæ minores. Huiusmodi autem Octauas maiores habent, Natiuitas Domini, Epiphania, Ascensio, Assumptio & Natiuitas Mariæ, Petrus & Paulus: Mi-*

nores verò habent Andreas, Laurentius & Martinus. Habebat igitur S. Andreas suam Octauam. quòd verò minorem, non defectu dignitatis, sed occursu temporis Aduentûs Domini. Causa hæc erat, cur per simplicem commemorationem transigeretur. Secundò. Hæc traditio constat ex Ecclesiarum consensu ac vsu. Patet ex antiquis Breuiariis MSC. & editis pæne totius Occidentis Ecclesiarum. Gallicana Ecclesia, Romanæ omnium matris & magistræ primogenita, vestigia eius sequens in omnibus, hoc in more constanter eius exemplum est imitata. Octauam enim S. Andreæ vnanimiter celebrauit, saltem eius speciei, quam tempus in quod cadit ferebat: vt videre est in primò editis Breuiariis singularum Diocese͡on, iuxta antiqua MSC. impressis, scilicet Parisino anni 1487. Venetiis excuso. Ex Aurelianensi 1553. Ex Laudunensi 1545. Ex Suessionensi 1571. Ex Carnotensi 1555. Ex Trecensi 1540. & 1560. Ex Cenomanensi 1526. Ex Santonensi 1522. Ex Vasatensi 1572. Ex Aptensi 1532. Ex Sandionysiano 1550. Ex Gebennensi 1530. & 1556. Denique passim ex ceteris tam Diœcesanis quàm propriis ordinibus: quæ ne in immensum crescat hæc inductio, datâ operâ prætermittimus, cùm hæc quæ penes me sunt, superiùs indicato, sufficienti sint argumento, ad Ecclesiarum Galliæ consensum in hanc traditionem demonstrandum. Erat tamen in vsu huius Octauæ aliqua varietas. Nam quædam Ecclesiæ nihil faciebant de Octaua S. Andreæ, nisi ipsa die octaua, scilicet 7. Decembris; ídque per simplicem commemorationem. Aliæ singulis Octauæ diebus memoriam ipsius Octauæ tam in Laudibus quàm in Vesperis agebant. Aliæ in ipsa Octaua memoriam in Missa adiiciebant. Aliæ denique in Octaua faciebant officium nouem lectionum. Sic fieri mos erat in Ecclesia Meldensi, in cuius Breuiario MSC. trecentorum ad minus annorum exarato in membraneis paginis: In crastino festi S. Nicolai: totum officium fiebat de Octaua S. Andreæ cum memoria Aduentus: cum propriis nouem lectionibus, & hac speciali collecta, *Protegat nos Domine sæpius B. Andreæ Apostoli tui repetita solennitas: vt cuius patrocinia sine intermissione recolimus, perpetuam defensionem sentiamus. Per Dominum*, &c. In Vasatensi die octaua sancti ipsius Apostoli hæc recitabatur Oratio: *Adiuuet Ecclesiam tuam quæsumus Domine tibi supplicando S. Andreas Apostolus tuus: & eius fiat interuentor, qui tui nominis extitit*

titit prædicator: Insuper præsignata Oratio, *Protegat*, recitatur; & nouem lectiones, quarum sex erant de historia, tres verò de homilia S. Gregorij super Euangelium, *Ambulans Iesus*. In Andegauensi MSC. tantæ vetustatis, vt in Kalendario nota immaculatæ Conceptionis B. Virginis careat: in die Octauæ etiam nouem Lectiones assignantur, cum prædicta oratione *Protegat*. Sed in Gebennensi tres tantùm ponuntur lectiones ex sermone S. Gregorij Papæ, quo insinuat Octauam S. Andreæ illa die celebrari; sic etenim incipit: *Quia fratres charissimi, B. Andreæ Apostoli repetita natalitia celebramus: debemus imitari quod colimus.* Vnde patet Octauam S. Andreæ tantæ esse antiquitatis in Romana Ecclesia, vt suæ obseruationis B. Gregorium testem & præconem habeat. Quo fit vt magis mirum sit, quî fiat vt tantæ auctoritatis praxis, tandem exoleuerit, tam Romæ quàm alibi. Sanè Romani Breuiarij vindices exemplum secuti sunt Cardinalis Quigonij, qui in suo Breuiario & eius Kalendario hanc Octauam expunxerat: virga nixus censoria, scilicet fixo theoremate, quòd iuxta priscos canones non liceat festa vlla Martyrum in Quadragesima peragere, proinde nec in Aduentu: quo tempore vt in Quadragesima Christiana pietas diuinum officium ordinabat. Et sanè optandum fuisset, hanc regulam Sanctorum Patrum fuisse semper & vbique seruatam: nec abs re prorsùs Censores præfati voluerint hac in parte canones in vsum reuocare. Verùm Gallicanæ Ecclesiæ, quæ ex indulgentia Apostolicæ Sedis, proprio officio, ab annis 200. & suprà vtebantur, morem suum absque vlla culpa retinere poterant: maximè cùm ipso Aduentu solennitates quasdam Sanctorum etiamnum celebrent: quæ Romano in Breuiario correcto non habentur. Qua ratione fretus, cùm alioquin ægrè ferrem, cultum S. Andreæ aliqua ex parte minutum iri: institi in postrema recognitione Breuiarij Parisiensis, vt eius Octaua tanta vetustate venerabilis, postliminio restitueretur. Censores prudentissimi qui notas meas & suggestiones ferè omnes secuti fuerant: mihi tamen hac in re non dederunt manus: eo quòd maximè deleta nuper Octaua S. Andreæ, aliquo supplemento compensetur. Nam in festo susceptionis sanctarum reliquiarum, quod fit Parisiis die 4. Decembris, duplicis officij ritu, sanctus ipse Apostolus magnam obtinet officij portionem. Etenim quinta lectio, desumpta ex Gregorij Turonensis li-

bro, de gloria Sanctorum Martyrum, eáque copiosa tota de eo est: cum proprio responsorio, *Vir iste in populo suo mitissimus apparuit.* Acquieui igitur huic considerationi, ne notam incurrerem tenacis plus æquo animi. Atque hactenùs satis pró instituta breuitate, de S. Andreæ Vigilia, Festo & Octaua.

COROLLARIVM.

NE aliquid desit diligentiæ meæ, Lectorem monitum velim; Patres tanto affectu pietatis coluisse venerabilem S. Andreæ memoriam: vt luculento illo eius officio, quod S. Gregorius texuit, addiderint appendiculum. Posuerunt recentiores in Matutini exordio, Apostolorum inuitatorium commune: *Regem Apostolorum Dominum venite adoremus.* Sed proprium B. Andreæ adscribendum Maiores nostri censuerunt, vt Alcuinus tribuerat B. Stephano Protomartyri, cuius officium rogatu Caroli Magni integrum composuerat. In diuersis Ecclesiis habuit igitur S. Andreas proprium inuitatorium, sed pro Antistitum pietate, varium etiam ac diuersum. Insigniora quædam tamen hîc visum referre.

1. [a] *Christum Regem regum adoremus Dominum, qui martyrio crucis, beatum glorificauit Andream Apostolum.*

2. [b] *Regem magnum collaudemus Dominum, morte crucis qui dilectum, dignè sibi famulum, hodie glorificauit Andream Apostolum.*

3. [c] *Adoremus victoriosissimum Regem Christum, qui victorem per crucis trophæum, coronauit B. Andream Apostolum.*

4. [d] *Christum Regem adoremus, quem hodie glorificauit in cruce B. Andreas Apostolus.*

[a] ex Breuiar. Remensi. Aptensi, & Parisiensi.
[b] ex Andegauensi.
[c] ex Meldensi.
[d] ex Gebennensi.

SECVNDÆ PARTIS
DE GLORIA
S. ANDREÆ APOSTOLI
LIBER II.

Nominis vbique diffusi clarificatio.

CAPVT I.

Andreæ nomen in toto veteri Testamento nullibi expressum : ab Andrea Apostolo vsum & splendorem tulit.

NTEQVAM Patriarcha Iacob fuisset dictus Israel ab Angelo, populus Dei Hebræus vocabatur ab Heber, qui fuerat atauus Abrahæ; nec Israëlitæ aut filij Israel appellari cœperunt, qui postmodùm dicti sunt etiam à Iuda Iudæi; nisi ex quo ipse Iacob Israëlis nomen diuino nutu consecutus est, qui moriens orauit, vt nomen suum super filios Ioseph, dilecti filij sui inuocaretur: *Angelus qui eruit me de cunctis malis* (inquit Genes. 48. 16.) *benedicat pueris istis, & inuocetur super eos nomen meum*: Id est vocentur filij mei, dicantúrque à me filij Israel & Israëlitæ: sic decussatis manibus ad modum Andreanæ crucis, benedixit eis.*

S. Hieronymus ad illud Genes. 14. 13. Nunciauit Abraham Hebræo.

Vide Tertull. l. de Baptismo c. 8. Et Nouatianum lib. de Trinitate longè post med.

Sanè illustre quod nunc est in Ecclesia Andreæ nomen, à sancto illo Apostolo, qui primus extitit Christi discipulus, ortum suæ lucis accepit; Nec enim antè in populo Dei, vt sanctum innotuerat, cùm Euangelium suum duxit exordium, totúmque suum hoc decus, è cruce quam

*obliquatis trãsuersum manibus in se, ait Tertul. Nouatus autem, transuersis super capita puerorum manibus.

post Christum primus ascendit sanctus Apostolus Andreas, recepit. in cruce natum, in cruce sanctificatum, è cruce vt è fonte riuulus defluxit. *Ascendam in palmam* (ait sponsa) *& colligam fructum eius*; Ascendit post Dominum Andreas in crucem, & nomen suum quod ferè antè erat ignotum, de profano sacrum effecit, cruore suo pretioso purpuratum. Dauid nomen obscurum erat, vt ipse Dauid ignotus antequam è suo cum Goliath conflictu, innotesceret & clarificaretur, subinde enim vt dixit Nathan ad eum 2. Reg. 7. 9. *Fecit ei Dominus nomen grande iuxta nomen magnorum qui sunt in terra*: Sic fecit Andreæ Dominus: non enim statim ac natus est, sed postquàm pro sua fide & gloria in cruce conflixit cum Ægea tyranno & dæmone, ab huius purpura gloriosi certaminis, clarum vniuerso mundo Andreæ nomen illuxit. Significat Andreas, decorus seu virilis: decor eius in cruce potissimùm apparuit. Hinc pulchra hæc apostrophe sancti Papæ Damasi, ad Andream crucem passum;

Decus sacrati nominis,
Vitámque nomine exprimens;
Hoc te decorum prædicat
Crucis beatæ gloria.
Andrea Christi Apostole,
Hoc ipso iam vocabulo
Signaris isto nomine
Decorus idem mysticè.

Virilis etiam dicitur Andreas. Sed vbinam eius eluxit fortitudo, nisi in cruce? Vnde idem Damasus supplex eum orabat, vt nos non despiciat debiles & infirmos, sed suæ fortitudinis spiritum, studeat à Domino nobis impertiri.

Iam nos foueto languidos,
Nostrique curam suscipe,
Quo per crucis victoriam
Cæli petamus patriam.

Pretiosum & salutiferum è suo sepulchro Andreas, quotannis fundit vnguentum. De tempore suo quod annos mille superat, Gregorius Turonensis testis est, & nostro Baronius, cuius hæc sunt verba in notis super Martyrologium 7. Idus Maij. *De perenni miraculo scaturientis inde liquoris, ad curandos morbos, totus pene Christianus orbis est testis, in omnes enim regiones, ex eo fonte fluxere riui.* sic nomen eius glo-

riosum, è cruce velut è fonte oleum effusum, in vniuersum mundum riuulos per felicem communicationem, iis quibus impositum est, superno factam beneficio exundauit, vt mox, non ingrata nec inani inductione, patefaciam.

CAPVT II.

Mos antiquus imponendi in baptismo tam paruulis quàm adultis, Sanctorum Beatorum, præsertim verò Apostolorum nomina.

ICVT pridem in circumcisione Hebræi, vel Proselytæ nomen accipiebant, sic in baptismo priscus mos Christianus tulit, vt regeneratis in Christo nomen imponeretur: nec, vt plurimùm, prius ipsi adulti Neophyti, nomen suum retinebant, at eis nouum assignari mos erat. Tertullianus lib. de resurrectione carnis, ritus illius arcanum eleganter exponit; Oro te (inquit) si seruum tuum libertate mutaueris, quia eadem caro & anima permanebunt quæ flagellis & compedibus & stigmatibus obnoxiæ retro fuerant, idcircóne illa eadem pati oportebit? non opinor. Atqui & vestis albæ nitore, & annuli aurei honore, & patroni nomine & tribu, mensáque honoratur. Hæc priuilegia nobis à Christo Domino, in Sanctorum regenerationibus, communicari subindicans. Cui adstipulatur S. Ioannes Chrysostomus, vbi rationem afferens, cur Sauli nomen in Pauli mutatum fuerit? sic ait: *Saulus adhuc spirans cædem in discipulos Domini, &c. Atqui in epistolis Paulus vocatur, quare ergo hoc nomen mutauit Spiritus sanctus? quemadmodum dominus qui seruum mercatus est, ostendere volens se dominum serui, nomen illius immutat; ita & Spiritus sanctus fecit, vbi Saulum captiuum accepit, vocabulum eius mutauit, vt inde etiam disceret Paulus se habere dominum; nominum enim impositio, dominij signum est.* *Homil. de ferenda reprehẽsione, & de Pauli conuersione.*

Porrò nominum in baptismo delectus, non solùm à susceptorum pendet arbitrio; nam Patres in Nicæna magna Synodo congregati can. 30. Gentilium nomina baptizandis imponi vetuerunt, quod à multis Conciliis renouatum est, & à sancto Ioanne Chrysostomo, graui monitu commenda-

tum, dum superstitionem aliquam quæ non ita diu irrepse- rat, reprehendit homil. 21. in cap. 4. ep. 1. ad Corinth. his verbis: Siquidem cùm nomen filio imponendum sit, omissa Sanctorum appellatione, quemadmodùm maiores facie- bant, accensis lucernis, & his nominibus impositis, quæ plurimùm durarent eius nomine filium appellant, hinc enim diuturniùs victurum coniectant. Hunc superstitiosum morem Ecclesia profligauit, & iamdiu vsus secundùm iura præualuit, vt pia regenerandis nomina, non autem profana imponantur, vt res est notoria, quamuis alicubi etiamnum prauus hic mos à quibusdam vsurpatus repullulet, ethnica nomina baptizandis imponendi, sed semper renitente Ecclesia, vt ex libris ritualibus patet, quibus seriò admonentur susceptores, à profanis eiusmodi vocabulis assignandis abstinere, & sacerdotes ea sedulò prohibentur admittere.

Et sanè primi Christiani diligenter ab hoc more cauebant, sed Sanctorum nomina, maximè verò Apostolorum, à quibus Christiana religio duxerat exordium, studiosè regenerandis imponebant, vt ex Eusebio patet lib. 7. hist. c. 20. & Nicephoro Callisto lib. 6. cap. 22. hist. Eccles. quandoque etiam Prophetarum nomina, pro nominibus idolorum & pseudonuminum, quæ fortè fuerant à parentibus ipsis imposita, adulti baptismum suscepturi, sibi assignari postulabant, vt idem Eusebius insinuat lib. 8. hist. Eccles. c. 21.

CAPVT III.

Apostolorum nomina certatim data fuisse baptizandis: tum ad eorum patrocinium conciliandum, tum ad ipsorum excitandam in iis qui eorum vocabula perferebant, sedulam imitationem.

PVLCHRA nomina imponenda esse pueris sapienter Plato censuit, vt iis quasi igneis quibusdam stimulis, ad virtutem prouocarentur. Non alio id fine apud Christianos effectum Eusebius lib. 7. hist. Eccles. cap. 26. præclaro monimento obseruat: Ioannis (inquit) Apostoli multos fuisse Gentiles arbitror, qui propter singularem amorem quo erga illum affecti erant, propter admirationem quam

de eo habebant, & propter imitationem qua ad illum imitandum flagrabant, & quòd à Domino pari ratione diligi cupiebant, etiam illam appellationem amplexati sunt; quemadmodùm Petri & Pauli nomina fidelium liberi crebrò ferunt. Nec porrò trium tantùm illorum Apostolorum, sed & ceterorum omnium nomina passim affectabantur: Multi enim (ait Nicephorus) propter suam in Apostolos propensionem & affectionem, nomina eorum liberis suis imponebant.

Rectè & sensatè dixit priscus Sapiens, magna nomina magna ornamenta; sed nihilominùs magna onera esse: sustinendæ etenim magni nominis dignitati plurimum inesse studij & laboris: Ab hoc axiomate elicit Ambrosius lib. 1. de Cain cap. 2. insignem philosophiam, cúmque illustri exemplo, præclarum suggerit documentum, dum in memoriam Eliæ Prophetæ incidit. Ait siquidem de ipso igneo Propheta, *Victor passionum, nec vllis captus illecebris, qui omnem istam secundùm corpus habitationem cælestis puritate conuersationis obduxerat, mentem regens, carnem subiic ens & regia quadam auctoritate castigan*, NOMINE DE VOCATVS EST, *ad cuius similitudinem se perfectæ virtutis vbertate formauerat.* A pari, quamuis laxiori argumento, philosophatur magnus Ioannes Chrysostomus homil. 21. ad populum, qua dicit: Si commune generis nostri nomen cogitaueris, maximam ad virtutem capies disciplinam & exhortationem: hoc enim nomen, homo, nos non secundùm externa definimus, sed vt diuina iussit Scriptura: nam homo non est quicumque simpliciter manus habet, & pedes humanos, nec quicumque tantùm rationalis est, sed quicumque pietatem ac virtutem cum fiducia exercet. Quòd si ipsum nomen hominis, nos officij humani interpellat, multo magis nos Christiani nomen ad Christianæ vitæ studia & actus astringit. Vnde idem Chrysostomus homil. 18. in Ioannem, docet, hac ipsa Christiani appellatione ceteris omnibus vehementiùs excitari & promptiores ad virtutem complectendam debere fieri, nec ea quicquam indignum facere conari nos oportet, cùm eodem quo Christus nomine vocemur, vt Paulus testatur: cuius excellentiam nos conuenit intelligere. Quòd si is qui principis cuiusdam aut alterius viri clari nomen sortitus est, cùm id audit, tumet atque superbit, & magnæ id sibi gloriæ arbitratur,

eiúsque auctoritatem pro viribus seruare nititur: quid nobis faciendum est, qui non principis, non terrenæ alicuius potestatis, non Angeli, non Archangeli, *sed ipsius omnium regis nomine appellari dignati sumus.* Et id verò generali ac appellatiuo nomine; sed vrgemur insuper ad cultum iustitiæ & pietatis nomine proprio, quod quasi speciale, & perpetuum ad signiferæ alicuius virtutis studium & exemplum, monimentum est: Nomen siquidem pium & præclarum, non sine onere generosæ æmulationis, ad nos pertransit.

Lamprid. in Alexand. De Alexandro, Mammeæ filio, refert Lampridius, quòd post insignes victorias multis triumphis decoratus, Romam repetens, oblatum Antonini nomen fortiter recusauit, *Nequid illo indignum faceret. Ne quæsò* (ait) *Patres conscripti ad hanc nominis necessitatem me vocetis, vt ego tanto nomini cogar satisfacere: Hæc nomina insignia onerosa sunt: Quis enim Ciceronem, diceret mutum? quis indoctum Varronem? quis impium Metellum? Si Antonini nomen accipio, possum & Traiani, possum Titi, Vespasiani. Sicque triumphauit recusato illustriori nomine.*

Præclarè ad hæc S. Ambrosius lib. 6. Hexameron cap. 9. *Vt imago quadam animi* (inquit) *loquatur in vultu, sic efficiendum est, vt imago illius, quem nomine referimus, in vita & moribus refulgeat.* Qui igitur Petrus dicitur; memor sit Petri in fide firmitudinem, & feruentem amorem aduersus Christum Dominum æmulari; qui Pauli, zelum animarum & ardentem affectum diuinæ gloriæ; qui Ioannis, carnis & spiritus eximiam puritatem imitetur; qui Andreæ, decorem omnimodæ virtutis & excelsam mentis fortitudinem. Nihil enim indecentius quàm nutantem in fide, Petrum vocari; frigidum spiritu, & diuino zelo vacuum, Paulum nuncupari; appellari Ioannem, qui fœdis libidinibus inhiaret: Andream denique, qui decorum ac virilem sonat, eum qui honesti & decori Christianæ vitæ oblitus, in omnem vitæ inhonestæ spurcitiam difflueret, & fœmineam in mollitiem degeneraret. Respiciunt Sancti ex alto eos qui sua ferunt nomina, & si quidem eos viderint suarum virtutum feruidos imitatores, peculiari eos sua amicitia ac protectione prosequuntur: Desides verò abhorrent, vt à se prorsus degeneres & suo indignos nomine. Patroni dicuntur nostri illi Beati, quorum nomina à Christiana regeneratione

tione ſortiti ſumus, non quia ſolùm inito quodam cum eis pacto & fœdere, eorum in clientelam ſumus adſcripti, ſed quia viciſſim obnoxij euadimus, eo ipſo, eorum perenni æmulationis ſtudio, atque officio: Gallicè etenim, *Patron*, dicitur non tantùm protector, ſed etiam exemplar ad quod aliquid operis exigitur & efformatur. Sanè quod de feſtis Sanctorum ſcripſit pridem contra Fauſtum magnus Auguſtinus lib. 20. cap. 21.* de eorum nominibus, quæ nobis impoſita gerimus, conſimiliter dici poteſt: nos ſcilicet eorum memorias celebrare, vt Deo grates de eorum victoriis & coronis rependamus, vt nos ad eorum imitationem excitemus, vtque meritis eorum aſſociemur, & ſanctis interceſſionibus adiuuemur. Non immeritò conqueritur S. Ambroſius ſerm. 6. de margarita Euangelica, de quibuſdam, negligentibus ſanctorum Apoſtolorum ſacras memorias: *Dolendum eſt* (inquit) *ſic vos ſalutis veſtræ immemores fuiſſe, vt beatiſſimis Apoſtolis Petro & Paulo, honorificentiam minimè reddideritis.* Eiuſdem ſunt reatus participes, qui Apoſtolorum ſe iactant ſacris nominibus inſigniri, & interim nullam eorum virtutem & ſancta exempla imitari curam habent: Præcipua enim honorificentia, quam ambiunt & expetunt à nobis, ſeria eſt ipſorum imitatio; ipſo enim ſuo nomine quod gerimus, nos quaſi perenni monimento cum B. Paulo ad ſuam æmulationem impellunt & hortantur. *Eſtote* (aiunt ſinguli eorum) *imitatores mei, ſicut & ego Chriſti.* *1. Cor. 11. 1.* Nullus Sanctorum eſt, cuius ſacta non cedant nobis in exemplum: Verumtamen eorum quorum nomina perferimus, arctiùs ad imitationem ſpecialium virtutum, obſtringimur: *Adeo gloriam illam percipio*, (ait S. Gregorius Nazianzenus orat. de S. Cypriano) *adeóque recta facta, mihi domeſtica facio.*

**Vide & S. Baſilij hom. in Gordium martyrem: Chryſoſt. in orat. de Iuuento & Maximo: Nazianz. orat. de SS. Athanaſio & Cypriano, diſcipulis S. Polycarpi, apud Euſebium l. 4. cap. 14. S. Dionyſ. lib. de Eccleſ. Hierarchia.*

Ceterùm cùm ne vnus quidem capillus cadat de capite noſtro ſine Dei permiſſu: ita neque ſine diuino nutu factum eſt, quòd Sancti illius, potiùs quàm alterius, ſortiti ſimus appellationem. Deus ad noſtram vtilitatem & Sanctorum in terris glorificationem, ita contingere voluit: Dato enim Sancti huius nobis nomine, ſpeculum nobis expoſuit, quo quid faciendum, quid fugiendum conſpiceremus. Et ſi ſtudioſos nos Patronorum noſtrorum imitatores exhibemus, eorum per aſſimilationem, & conformitatem morum cum ipſis, memoriam illuſtramus ac condecoramus: tunc enim in nobis *Matth. 10. 30.*

quaſi rediuiui apparent, & in vnoquoque noſtrûm, quaſi parentes in docili ac ſapienti filio, gloriantur: quaſi ſol mittit radios, quaſi roſa ſuauitates odoris ſui, quaſi ignis ſcintillas ſuas diſpergit, ſic Sancti quorum nomina gerimus, & præclaras actiones referimus, nos producunt, vt ſicut ſol in radiis apparet, ſicut roſa in odoribus ſuis ſentitur, ſicut ignis in ſcintillis ſuis aſpicitur, ſic in nobis illorum virtutes & varia gratiæ Chriſti munera agnoſcantur.

CAPVT IV.

Multos extitiſſe Sanctos, qui Andreæ ſortiti nomen, illud auctiùs, præclaris ſuis meritis condecorarunt.

ARTICVLVS I.

Complectens Sanctos illuſtriores. Quo ſub titulo ſancti Martyres, breui indiculo recenſentur.

§. I. *Sanctus Andreas Tribunus, & ſocij Milites 2593. anno 290. coronati.*

GRÆCI ſuo in Menologio, eius ſic notant natalem: *die 19. Auguſti, Andreas exercitus ductor, Martyr.* Subinde verò addunt duo millia quingentos & nonaginta tres ſocios, quos tradunt cum eo paſſos ipſa die. Horum Acta ex antiquis codicibus excerpta edidit Metaphraſtes, quæ refert Surius menſe Auguſto. Satis fuſa ſunt, ſed hoc breui elogio quod extat in Martyrologio Romano, eleganter exprimuntur; *In Cilicia S. Andreæ, Tribuni, & ſociorum militum, qui victoriâ de Perſis diuinitùs adeptâ, ad fidem Chriſti conuerſi, & hoc nomine accuſati ſub Maximiano Imperatore in anguſtiis Tauri montis, ab exercitu Seleuci Præſidis trucidati ſunt.* Vbi Baronius animaduertendum monet, perperàm ab Adone, & qui eum ſequitur Molano, Beatum hunc Andream cum S. Magno confundi. Verùm qui expenderit verba Adonis, facilè ab eo errore eum vindicabit; ſic ſcribit enim, 14. Kal. Septembris, *Natalis S. Magni, ſeu S. Andreæ Martyris cum ſociis ſuis duobus millibus quingentis nonaginta ſeptem.* Vbi mihi videtur mendum illud non Adonis, ſed exceptoris eſſe, qui maiuſculum litteram pro mi-

nima posuit, & sic de nomine adiectiuo fecit proprium, quod non erat; sic enim scribere debuerat, Natalis sancti & magni Martyris Andreæ : nam in eius Actis à Metaphraste collectis, & à Lipomane, & Surio relatis, *magnus & celeberrimus Martyr* appellatur; vt fuit reuerà qui tam inclytæ turmæ non tantùm dux, sed & in Christo parens extitit: & sicut magnus & regalis fluuius qui plerosque minores amnes secum in mare trahit & deuoluit, sic illustrem & copiosam hanc Christi pugilum phalangem ad eum vt omnis bonitatis & felicitatis profundissimum Oceanum perduxit. Exscriptor etiam Adonis impegit in numeros, nam 2597. pro 2593. (vt patet ex Græcorum Menologio) oscitanter transcripsit, quod Baronius non notauit. Ceterùm siquis vtrumque mendum nihilominus Adoni ipsi referendum contenderit, hunc monitum velim potiùs Vsuardo esse tribuendum, qui prior Adone scribens, sic ad verbum posuit: Natalis sancti Magni, seu S. Andreæ Martyris cum sociis 2597. Nec Molanus in culpam trahendus, nisi quòd Vsuardum eo loci non correxit, nam vt edidit exemplaria Vsuardi MSC. constanter habent. Verùm Vsuardus ipse eadem ratione qua Ado excusari potest, scilicet ex amanuensis seu exscriptoris minimè attenti oscitantia. Ceterum B. Andreæ Militis cum S. Andrea Apostolo, à quo traxit nomen, duplex insuper conuenientia intercedit: altera, quòd sicut Ægeas Proconsul exprobrauit S. Andreæ Apostolo Christi crucem, ita ipso in primordio litis intentatæ, à iudice impio contra B. Andream ducem exercitus, obiectum ei fuerit quòd Deum confiteretur & celebraret, qui in cruce suffixus fuerat. Altera, quòd S. Andreas Apostolus in cruce pendens & prædicans, innumeram hominum multitudinem ad Christum conuertit : sic verò Andreas exercitus ductor iam martyrij candidatus, agmen illud copiosum commilitum suorum ad fidem perduxit, & efficere promeruit suæ pugnæ ac victoriæ participes. Addi & hæc tertia potest conuenientia, quòd sicut ac B. Andreas Apostolus sepulchro illatus est, hinc confestim fons olei medicinalis ad curandas infirmitates scaturiit, qui huc vsque exundat: sic Andrea Milite cum sociis martyrio affecto, *Loco illo in quem sanguis illorum defluxerat, fons exortus est, omnigenarum ægrotationum sanitatem afferens, qui*, vt Metaphrastes asserit, vsque in eum quo scribebat diem *gratiis redundat, &*

curationem ſingulis accommodatam impendit. Atque hactenùs ſatis pro inſtituto de ſancto Andrea Tribuno & Martyre.

§. II. *S. Andreas, cum Beatis Petro, Paulo, ac Dionyſia & Chriſtina Virgine, martyrio coronatus.*

PASSI in Helleſponto, & quidem Lampſaci, Romanis in Tabulis conſignantur Idibus Maij, ſine generis mortis & temporis indicio. Mendosè tamen apud Bedam functi martyrio apud Damaſcum commemorantur, ſed Damaſcus Syriæ eſt ciuitas longè clariſſima: Lampſacus autem eſt vrbs in Myſia ad Helleſpontum, quo loco paſſi hi Martyres ab ipſis Græcis in Menologio, die ſignata, recoluntur. Vſuardus & Ado eodem illos loco conſignant præclarum pro Chriſto conſummâſſe agonem. De geſtis nihil præterea habemus. In Romanis Tabulis Andreæ, Petro, Paulóque, Dionyſia nectitur. In Græcis Chriſtina virgo adiungitur, ſed ſine propriis prædicamentis: Annotâſſe hîc iuuat, ſanctorum Apoſtolorum nomina paſſim affectata olim fuiſſe à fidelibus, non ſolùm Ioannis, & Petri, ac Pauli, vt obſeruat Euſebius Cæſarienſis notato loco: ſed etiam Andreæ, qui illis vnus ex Apoſtolis præcipuis fuit, quos Paulus ſcribit *ſupra modum*, id eſt eminenter, fuiſſe Apoſtolos. Vix capio quomodo Ferrarius, qui Andream ipſum cum Paulo eoſdem eſſe, quos cum Petro & Dionyſia coronatos, die præcedenti apud Lampſacum notauerat (quæ ciuitas eſt Myſiæ vt diximus), & nihilominùs die ſequenti in Meſopotamia, quæ Aſiæ regio eſt Euphratæ & Tigri contermina, ſcribat?

§. III. *Andreas, Ioannes, Petrus, & Antonius, Martyres.*

PASSOS in Africa Romanum Martyrologium perhibet die 23. Septembris: Sed Breuiarium Syracuſanum Syracuſis notat palmam martyrij aſſecutos, quæ vrbs eſt antiquiſſima Siciliæ, olim ampliſſima totius inſulæ, nunc vſque Epiſcopali ſede decorata. Græci ibi coronatos hos Martyres ſuo in Menologio teſtantur.

§. IV. *Andreas, Petrus, & Laurentius.*

IN nouo Catalogo Sanctorum, qui in Romano Marty-

rologio non sunt, Epidauri martyrium pilo passi suum memorantur Nonis Iulij ex Tabulis Ecclesiæ Ragusinæ, vbi eorum corpora possidentur, illic reposita anno 1249. Est autem Epidaurus vrbs Archiepiscopalis Illyrici in ora Dalmatiæ à Venetiis in Cæciam ad 500. millia passuum recedens, quæ nunc Ragusium, vulgò Ragusi dicitur, vbi corpus in honore habetur iusti Simeonis.

§. V. *Andreas Presbyter cum Hypatio Episcopo Asiano.*

CONSTANTINOPOLIS fuit eorum palæstra certaminis, cuius dies contigit 4. Kal. Septembris, id est 29. Augusti iuxta Martyrologium Romanum, vbi sic legitur: « Constantinopoli sanctorum Martyrum Hypatij Episcopi Asiani, « & Andreæ Presbyteri, qui ob cultum sanctarum imagi- « num sub Leone Isaurico, barba pice illita & incensa, & cu- « te capitis extracta iugulati sunt. Fusiùs Græci in Meno- « logio 10. Kal. Octobris eorum describunt illustrem agonem.

§. VI. *Andreas Asceta Cretensis.*

HIC ob cultum sacrarum imaginum sub Constantio Copronymo sæpiùs verberatus, tandem amputato pede reddidit spiritum; ex Martyrolog. Romano die 17. Octobris. Acta eius extant præclara desumpta ex Græcis monimentis apud Surium ipso die: De quo Zonaras tom. 3. Annalium; eiusdémque fit honorifica mentio à Theophane & Cedreno. Auspicatò monet Baronius in suis aureis notationibus, alium hunc esse ab Andrea Cretensi, celebri inter Ecclesiasticos Scriptores, de quo infrà proprio loco.

§. VII. *Andreas Monachus, qui cum S. Stephano iuniore, aliisque sacris athletis, martyrium consummauit.*

CONSTANTINOPOLI (sic habet Martyrologium Romanum die 28. Nouembris) sanctorum Martyrum Stepha- « ni iunioris, Basilij, Petri, Andreæ, & sociorum trecento- « rum triginta nouem Monachorum, qui sub Constantino « Copronymo, pro sanctarum imaginum cultu, variis excru- « ciati suppliciis, veritatem Catholicam effuso sanguine con- « firmarunt. De quibus copiosè Græci in suo Menologio: Acta quorum extant apud Surium die 28. eiusdem mensis.

§. VIII. *Andreas cum aliis quatuor.*

NIVERNIS in Æduis (ſic notatum in noſtro Martyrologio Gallicano octauo Idus Iunij) Natalis ſanctorum Martyrum, Amantij & Alexandri, Lucij, Andreæ & Peregrini, qui Chriſti præconia libera voce expromentes, tandem poſt egregium certamen datis gladio ceruicibus præclarè triumpharunt. De quibus pluribus agimus, in notis ſuper hunc diem.

§. IX. *Andreas, & Benedictus, Eremitæ.*

APVD Nitriam ſanctorum Andreæ & Benedicti, quorum alter, ſcilicet Benedictus, à latronibus interfectus, alter nempe Andreas catena ferrea ſuper nudo corpore conſtrictus, longum duxit martyrium ; quo titulo & honore in Hungaria etiamnum coluntur, vt patet ex Breuiario Strigonienſi 3. Nonas Maij, & Eccleſiæ Nitrienſis tabulis, eadem die. Eſt autem Nitria vrbs Hungariæ Tranſdanubianæ, à Nitria flumine nomen habens. Ferrarius tamen in noua ſua Topographia, ambos ab idololatris occiſos fuiſſe, tempore S. Stephani Hungariæ Regis 5. die Maij aſſerit, fuiſſéque Monachos Monaſterij Zobarenſis, deinde Eremitas.

§. X. *Andreas à Turcis interemptus.*

CONSTANTINOPOLI martyrium perpeſſus eſt propter Chriſti fidem, à Turcis occiſus die 29. Maij anno 1406. cuius paſſionis totam ſeriem eleganter deſcripſit Georgius Trapeſuntius. ex qua hiſtoria conſtat ipſum ex Inſula Chio oriundum fuiſſe.

IN Ordine S. Franciſci, cuius fœtu nouæ prolis, Deus Eccleſiam ſuam perpetuò multiplicat, aureola Martyrij decorari meruerunt.

XI. Andreas ab Arala paſſus Gainamotæ, 4. Auguſti.
XII. Andreas Diich Dixmundæ ipſo feſto S. Andreę Apoſt.
XIII. Andreas Hungarus Bidinij, 12. Februarij.
XIV. Andreas Guars Bearnij, 10. Martij.
XV. Andreas Mediolanenſis Arzengæ, 12. Martij.
XVI. Andreas Montanus in D. Bajocenſi, 4. Ianuarij.
XVII. Andreas Roberti Monpeſſulani, 12. Octobris.
XVIII. Andreas à Spoleto Feſſæ, 10. Ianuarij.

Vide Martyrolog. Franciſc.

ARTICVLVS II.

SS. Confessores qui hoc ipsô sacro Andreæ nomine claruerunt.

§. I. *S. Andreas Cæsareæ Cappadociæ Episcopus.*

HVIVS celebre nomen est, tam in Orientali, quàm Occidentali Ecclesia: Nec minùs eius scripta clara sunt. quorum meminerunt passim virorum illustrium, seu Ecclesiasticorum Scriptorum nomenclatores. Quo tempore autem floruerit, eorum nemo hactenus fuit, qui valuerit certo indicio definire. Hoc Cardinalis Bellarminus obseruandum censuit aureo illo suo libro, de Scriptoribus Ecclesiasticis : *Quando* (inquit) *vixerit non est omnino certum, sed hoc loco eum posuimus, quia post sanctum Basilium Episcopus Cæsariensis fuit, eúmque sapè citat, & omnium consensu antiquus scriptor habetur. Ex quo Arethas Cæsariensis* (Episcopus) *compendium suum decerpsit in Apocalypsim.* Diuinitùs afflatum Andream Episcopum Cæsariensem, hos commentarios in Apocalypsim concinnasse idem Arethas asseuerat, qui Latinè versi à Theodoro Peltano inserti sunt tom. 1. Bibliothecæ sanctorum Patrum.

§. II. *S. Andreas Hierosolymitanus, Episcopus Cretensis.*

ERAT Hierosolymitanus origine, sed dignitate Episcopus Cretensis : Falluntur etenim qui duos ex vno faciunt, cùm sit vnus idémque. Menologium Græcorum inter Sanctos in Oriente celebres illum recenset colendum, pridie Nonas Iunij, quo die etiam signatur in nouo Sanctorum Catalogo, qui Romano in Martyrologio non sunt: sed sine alio, quàm notæ sanctitatis elogio. Pugnat secum Ferrarius auctor prædicti Catalogi : in hoc enim cum assignat Hierosolymis 4. Iunij ; Hierosolymis (inquit) S. Andreæ Episcopi. At in noua Topographia in Martyrologium Romanum ponit in Creta die 23. Decembris, ipsum Andream Archiepiscopum ex Metaphraste. Sagaciùs Posseuinus dum in suo Apparatu sacro sic ait: Andreæ Hierosolymitani, « quem credo eundem fuisse, qui Cretensis Episcopus. à Mar- « tino Hoppero versum habemus vberem sermonem in An- « nunciationem Beatissimæ Virginis ac salutationem , &c. « Is verò claruit Iustino II. Imper. anno 550. De quo infrà « iterum.

§. III. *S. Andreas Fundanus in Latio Episcopus.*

CLARVIT paulò ante S. Gregorij tempora, qui de eo in Dialogis lib. 3. cap. 7. honorificè meminit: Enarrata enim eius ereptione, facta superno beneficio, ab imminenti periculo grauis admodùm tentationis, in templo Apollinis, (quo dæmones aduersus ipsum tenuerant malignum conuenticulum) Beati Andreæ Apostoli repentè oratorium fecit: atque omni illa tentatione funditùs caruit: Iudæum verò cuius visione atque increpatione saluatus est, ad æternam traxit salutem: Nam Sacramentis fidei imbutum, atque aqua baptismatis emundatum, ad sanctæ Ecclesiæ gremium perduxit: sicque factum est, vt Hebræus idem dum saluti Episcopi consulit, perueniret ad suam: & omnipotens Deus, inde alterum ad bonam vitam perduceret, inde in bona vita alterum custodiret. In exordio huius historiæ S. Gregorius memoriæ prodit hunc Andream Fundanum Episcopum, virum fuisse venerabilem, & vitam multis plenam virtutibus duxisse, continentiæque sacerdotalis fuisse obseruantissimum. Videtur autem patrocinio S. Andreæ Apostoli, cuius nomen gerebat, fuisse ab imminenti illo periculo lapsus carnis seruatus; cuius memor opitulationis templum pseudonuminis, in ipsius Beati Apostoli Patroni sui oratorium conuertit. Fuit enim hæc consecratio iustæ gratitudinis monimentum. Colitur autem sanctus hic Confessor & Pontifex annuis sacris, 8. Idus Nouembris; quo die adscribitur nouo Sanctorum Catalogo, & recensetur à Paulo Regio, lib. de Sanctis Regni Neapolitani.

§. IV. *S. Andreas Episcopus Florentinus.*

EXPLORATÆ eius sanctitatis fulget titulus in Martyrologio Romano 4. Kal. Martij, hac sub epigraphe: *Florentiæ sancti Andreæ Episcopi & Confessoris;* vbi hæc breuis est Baronij notatio; *De eodem tabulæ Florentinæ.* Plura de ipso in vita sancti Zenobij (quinti Episcopi Florentini) cui in Episcopatu successit. quæ extat apud Surium tom. 3. die 25. Maij. Certè mihi hæret aqua in illo verbo, *successit*, an mediatè scilicet sit intelligendum, vel immediatè? Constat hunc S. Andream curasse transferendum corpus sancti Zenobij in Ecclesiam Cathedralem; sed quo tempore hoc factum sit nihil liquet. Non statim à morte S. Zenobij

facta

facta est illa translatio, nam Laurentius Archiepiscopus Amalphitanus qui vitam eius scripsit, in fine illius dicit, corpus eius fuisse, ipso eius obitus die, reconditum in arca marmorea, & positum in Ecclesia S. Laurentij iuxta altare: Quod cùm fuisset (subiungit) aliquot annorum curriculis elapsis ob infestationem quarundam gentium translatum fuit in sanctæ Reparatæ Basilicam, vbi multis fulsit miraculis, quorum præfatus Laurentius aliqua enarrat, quæ nihil confert ad rem præsentem retexere. Hanc S. Zenobij vitam Ferdinandus Vghellus Florentinus, Abbas Sanctorum Vincentij & Anastasij, (qui nuper Italiam sacram, nobili opere delineauit) tomo suo 3. in Catalogo Archiepiscoporum Florentinorum intexuit numero 5. Sed meum fouet scrupulum, cùm scribit S. Andream successisse B. Zenobio, anno 407. quomodo enim hoc cohæret cum obseruatione Claudij Roberti, qui in serie Florentinorum Præsulum, sic notat. Quatuor interiectis Episcopis inter Zenobium & Andream, videlicet Mauritio, Reparato, Specioso, & Ardingo, vel Rodingo, circa annum Christi 853. *Sanctus Andreas 26. Februarij in Synodo Ticinensi* 876. Hæc enim fictitia non potest dici epocha, quæ Synodali auctoritate, propriáque ipsius Andreæ syngrapha munita est. Fuit porrò alius Andreas & ipse Florentinus Antistes, cognominatus Madius, seu Mozius, aut de Mozzis, vt legitur in eius Epitaphio, qui electus 1287. obiit 1294. quem perperàm aliqui confundunt cum sancto Andrea antiquiore, sicut idem Vghellus animaduertit & causam verosimilem assignat. Ceterùm ex sancti Andreæ actibus (inquit) « nihil certi iam reperitur, interciderunt siquidem siue ex « vetustate temporum, siue ex mortalium incuria, ita vt etiam « hic cum altero Andrea confundatur plerumque, qui post « pleraque sæcula eandem Florentinam Ecclesiam guberna- « uit. Concludit tandem probabilius esse duos fuisse Andreas, húncque in Sanctorum numerum fuisse relatum. At probabilius adhuc erat asserere, tres fuisse Andreas Florentinæ Ecclesiæ præsides: Hunc quem ipse Vghellus signat successisse S. Zenobio (vt & Baronius loquitur) anno 407. Alium qui interfuerit & subscripserit Concilio Ticinensi anno 876. Et rursus alium qui anno 1287. electus migrarit, vt notat Robertus, anno 1294. Verùm Vghellus rem accuratiùs explicat. Annuit reuerà Andream hunc iuniorem, anno

1287. electum, sed subiungit anno 1295. non quidem mortuum, sed fuisse translatum ad Vicentinam Cathedram Idibus Septembris, vbi demum decessit; Licèt conspiciatur eius sepulchrum Florentiæ, quia moriens præcepit suum cadauer deferri Florentiam, ad paternum tumulum.

§. V. *S. Andreas Corsinus Episcopus Fesulanus.*

FVIT hic in solium assumptus renitens & inuitus, ex Ordine Carmelitarum anno 1349. 3. Idus Octobris, abiit verò ad cælos die 6. Februarij anno 1373. Tamen à Ferrario in nouo Sanctorum Catalogo, qui in Romano Martyrologio non sunt, colendus scribitur die 14. Ianuarij: apud Carmelitas verò 30. eiusdem mensis. Porrò in notatiuncula, sic idem Ferrarius ait: *De quo in Sanctos referendo, Romæ agitur: interim ex Gregorij XIII. concessu, officio colitur Ecclesiastico, hac die* (14. Ianuarij) *licèt in die Epiphaniæ obierit.* At hoc cum accuratiore Vghello non concordat, qui in Catalogo Epi-
" scoporum Fesulanorum ita scribit: Ad multum autem tem-
" pus Fesulanam administrauit Ecclesiam, eo autem studio
" ac feruore, vt planè sanctus, tam viuens quàm mortuus
" multa illustriáque patrârit miracula. Euolauit ad cælos die
" 6. Februarij anno 1373. Sepultúsque est in Cathedrali, repe-
" tentibúsque Carmelitanis, deinde in Carmelitanum tem-
" plum illatus, ibidem conditus honorificè iacet: fulsítque mi-
" ris, quæ per eum Deus operatus est, adeo claris, vt priùs in al-
" bum Beatorum relatus, ab Vrbano deinde octauo Pontifice
" Max. iusta sanctificandi pompa, sanctus sit declaratus. Hoc verò corollarium Ferrarius non vidit, quamobrem nec mirum quòd tacuerit. Ceterùm hoc Epitaphium incisum eius sepulchro Vghellus acceptum à suo fratre Christiano Vghello, illius Monasterij (vbi conditus quiescit ipse sanctus Andreas, Fesulanus Antistes) quod præconia eius potiora continet, hîc operæ pretium censui expressum ire.

Montis Carmeli de Religione vetusta,
Raptus ad Ecclesiam, Fesulanámque mitram,
Progenie celebris, virtute celebrior omni,
Hoc de Corsinis marmore subtegitur,
Andreas Christi famulus, de iure vocatus
Numinis æterni totus in obsequio.
Virtutis cultor, pater, auxiliator egenis

Exemplo vitæ, mirus & eloquio.
Qui qualis fuerit, miracula multa fatentur,
Quæ Deus ostendit, corporis ad tumulum.

ARTICVLVS III.

Beati & Pij, eodem illustri Andreæ nomine insignes.

§. I. *Beatus Andreas Abbas Elnonensis Monasterij in Hannonia.*

BEATVS iste Andreas, Abbas Elnonensis Monasterij in Hannonia Ordinis sancti Benedicti, discipulus S. Amandi, ab eóque in præfecturam huius loci substitutus; ipsum in Basilica Apostolorum recenter dedicata, honorificè sepeliuit, duobúsque exinde lustris in humanis agens, cùm monasterium mirabili gratiæ decore illustrâsset, coruscus miraculis è carne excessit, atque ad B. Amandi vestigia tumulatus est. Quo cum posteà translatus fuit ad grandiorem Ecclesiam S. Stephani, vbi ad eius sepulchrum, diuina clementia multa prodigia edidit: Signatur in nouo Catalogo Sanctorum die 6. Februarij: Eius Epitaphium recitatur à Molano hoc tenore,

Hunc tumulum quique non irreuerenter adite,
Andreæ Sancti loculum quia claudit & artus.
Qui pius & prudens, humilis fuit, & venerandi
Discipulus Patris simul, & successor Amandi.
Hunc pastor caulæ, præsentis conditor aulæ,
Hugo leuans, lymphâque luens, thecáque recondens,
Mundato tumulo solenniter hîc relocauit;
Febre tabescentes hîc conualuêre frequenter.

Eum in appendice ad Martyrologium Gallicanum consignauimus, inter Beatos, qui certos Natales non habent. At Ferrarius eum indicato die adscribit.

§. II. *B. Andreas Monachus Ordinis Cisterciensis.*

BEATVS Andreas frater fuit S. Bernardi, & tanta germanitate dignus in cælum euolauit die 5. Aprilis, quo felicem eius transitum annotauimus in Martyrologio Gallicano, eiusmodi verborum breui serie; *Claraeuallis, obitus sanctæ memoriæ Andreæ Monachi, fratris, ac præcipui assecla, S. Bernardi.* Sed Chrysostomus Henriquez in Menologio Cisterciensi

ſignata die hoc fuſius ei elogium appendit : *In Claraualle B. Andreas, ſanctiſſimi Abbatis Bernardi frater, qui ab ineunte ætate ſtudiis deditus, adoleſcens togam ſago militari commutauit ; vtrumque tamen abdicauit, vt nomen daret Ciſtercienſi inſtituto. Fuit S. Bernardi comes indiuiduus, & Claraualleńſis Monaſterij ianitor, atque in vita variis virtutibus eluxit, donec vitam cum morte commutauit.* Quem Deus in terra diuerſis decorauit miraculis, & in cælo gloriæ corona donauit. Veriſimile eſt quòd is fuerit, qui erga S. Andream Apoſtolum (cuius nomen ſortitus fuerat) impensè deuotus ipſum S. Bernardum eadem deuotione accenderit: cuius affectu feruens, tot ipſi Sancto Apoſtolo præconia dictauit mellifluis ſermonibus, quos habuit tam in eius Vigilia, quàm eius Natalis celebritate.

§. III. *B. Andreas primus Abbas Caroli-Loci.*

VIR puritate & integritate eximius, Deo & hominibus dilectus & paternarum traditionum exactiſſimus obſeruator: qui poſt multa virtutum inſignia, & innumeros pro Ordinis dilatatione ſuſceptos labores, ſancto fine migrauit ad Chriſtum die 20. Nouembris; Quo die ſic de eo mentionem feci in Martyrologio Gallicano : *Molem carnis depoſuit piæ memoriæ Andreas primus Abbas Caroli-loci, vitæ regularis obſeruantia, & animæ puritate admodùm coram Deo nobilis.*

§. IV.

PIÆ memoriæ Andreas ex Virdunenſi Archidiacono Claræuallenſis Monachus. cuius hunc in modum memini « in Martyrologio Gallicano, 4. Kal. Martij : Hic cùm ora- « tionum ſuffragia petiturus Claræuallenſium Monachorum, « eorum Eccleſiam intraſſet, ſanctæ illius multitudinis ordine, « quaſi Angelica præſentia concuſſus, habitum religionis à B. « Roberto Abbate, S. Bernardi ſucceſſore, petiit & accepit: in « quo inſtituto, cæleſti deinde ſubſidio (patenti ſcilicet mi- « raculo) confirmatus, vitam ſanctiſſimè tranſegit, beatóque « fine conſummatus ex hoc ſtadio mortalitatis, ad deſideratæ « immortalitatis fruitionem pertranſiuit.

§. V.

BEATVS Andreas Bonæuallis Viennenſis Monachus

nobilis genere, nobilior vitâ, admirabilis sanctitate, multos in ægritudinem delapsos, & à dæmone possessos precibus suis liberauit; ait Philippus Seguinus in compendio Sanctorum Ordinis Cisterciensis, sub titulo, *Abbates & Monachi, qui nomen Sancti meruerunt.* Henriquez tamen in suo Menologio Cisterciensi sub inscriptione tantùm beatitatis recenset die 16. Nouembris, in hæc verba loquens, *In Bonaualle Beatus Andreas Monachus, qui in ea solitudine sanctissimam vitam instituit, & gratia miraculorum celeberrimus obdormiuit in Domino.*

§. VI.

ANDREAS Monachus Hispanus in Riuosicco, aqua sapientiæ salutaris inundatus, omni virtutum exemplo effloruit; proptérque carnis & mentis integritatem à beatissima Virgine raris fauoribus insignitus, abiit in cælum, à turba candidatorum qui in eius funere apparuerunt, honorificè susceptus & deductus, die 2. Martij. Cuius narrat merita Cæsarius in suis Dialogis lib. 7. cap. 51.

§. VII.

BEATVS Andreas Monachus Bonæuallis, sancti Petri Tarentasiensis meritissimus frater: vitæ in terra cælestis feliciter emenso cursu, sanctitatis eximiæ radiis coruscans migrauit ad Dominum, die 22. Iulij, quo eius memoria in religiosa obseruatione habetur.

§. VIII.

ANDREAS, pater Alberti Monachi Cluniacensis, S. Hugonis discipulus, fastidiens mundi honores & delicias, cum ipso Cluniacum venit, & ambo (scilicet pater & filius) sancto Spiritu cooperante, & corda illorum illustrante, à sancto Hugone habitum religionis susceperunt, vbi Andreas pater Alberti, sanctissimè ex hac vita discessit.

§. IX.

B. ANDREAS Ordinis S. Francisci Religiosus; de quo sanctus Antoninus Chronic. 3. p. Tit. 24. cap. 9. §. 4. In „ Conuentu (inquit) Anagniæ obiit frater Andreas, ne- „ pos domini Alexandri IV. Papæ: qui pronunciatus „ Cardinalis renuit, & miraculis claruit. Quapropter meri- „

rò ab Arturo Monaſterienſi, eiuſdem Ordinis clariſſimo profeſſore, amico noſtro, Martyrologio Franciſcano adſcriptus eſt ſub hoc elogio, Kal. Februarij, *Pilei prope Anagniam B. Andreæ Confeſſoris, generis nobilitate & virtute illuſtriſſimi: qui recuſata Cardinalitia dignitate ſibi oblata, in humilitate & ſimplicitate meruit Chriſto famulari, & copia miraculorum cælitùs exornari;* Maximè opitulatione contra dæmones, vt ex Bartholomæo Piſano idem Arturus notat ſubinde his eius verbis: Hic inter alios Sanctos poteſtatem accepit ſuper dæmones: vnde in loco vbi iacet adducti dæmoniaci, ſtatim à diabolo eius precibus liberantur.

§. X.

B. ANDREAS de Adria eiuſdem Ordinis Confeſſor, qui orationis & contemplationis dono præcellens ſæpe à dæmone tentatus, at fruſtra impetitus eſt: alias autem horribiles vexationes perpeſſus, his omnibus diuino auxilio ſuperatis, cùm diem mortis meruiſſet ſibi à Domino reuelari, feliciter migrauit in cælum (circa an. 1300.) die 14. Martij: quo die ſignatur recolendus in prædicto Martyrologio Franciſcano.

§. XI.

B. ANDREAS ab Aragonia eiuſdem Ordinis alumnus, vir raræ ſanctitatis & miræ, in operibus gratiæ, virtutis; qui dono miraculorum tam viuus quàm mortuus emicuit. Hic Camari in Sicilia carnem exuit Nonis Februarij, ibi in Conuentu ſanctæ Mariæ de Ieſu honorificè ſepultus, vbi eius memoria in benedictione manet.

§. XII.

BEATVS Andreas Vallis vmbroſæ in Thuſcia Monachus, S. Ioannis Gualberti diſcipulus, qui eius vitam non tantùm verè ac eleganter ſcripſit, ſed inſuper ſanctis moribus excellenter expreſſit; in dicto Monaſterio ſancto fine diem clauſit ſupremum: in cuius Cœnobij tabulis honorificè adſcriptus eſt. ſignatur etiam venerandus in nouo Sanctorum Catalogo, 6. Idus Martij.

§. XIII.

B. ANDREAS genere Scotus, S. Donati Feſulani Epi-

ſcopi Diaconus, inter Sanctos huius Eccleſiæ recenſetur, vt ex huius Eccleſiæ tabulis conſtat, in quibus ſignatus eſt venerandus 22. Auguſti. Ferrarius in noua ſua Topographia in Romanum Martyrologium, ſub voce Feſulæ, & Feſula, illum breui hoc indiculo colendum innuit 22. Auguſti, *Andreas Diaconus S. Donati Epiſcopi diſcipulus.* Ex lib. Sanctorum Eccleſiæ Feſulanæ.

§. XIV.

B. ANDREAS Auelinus Congregationis Theatinæ Preſbyter, dotibus illis præeminens, quas Paulus Apoſtolus in Chriſti ſacerdote exigit: poſt mortem beatam magnis radiauit miraculis, ob quorum perennem ſplendorem Vrbanus VIII. ex voto ſacræ Congregationis Rituum, conceſſit officium eius, in Eccleſia in qua quieſcit & coruſcat celebrari proprium, die 14. Nouembris, quo ad Chriſtum felici morte profectus eſt.

§. XV.

B. ANDREAS Ordinis S. Dominici alumnus, poſt vitam ſanctitatis fulgoribus coruſcantem, Syracuſis curſum mortalitatis expleuit die ipſo Natalis Domini, ſcilicet 25. Decembris, quo Martyrologio Siculo inſcriptus eſt, vnde illum Ferrarius in nouum ſuum Catalogum Sanctorum tranſcripſit. Vita huius beati viri extat MSC. vt ibidem ipſe Ferrarius aſſerit.

§. XVI.

B. ANDREAS Ordinis S. Franciſci, cum Ioanne venerandæ quoque memoriæ, B. Martini à Valentia Indiarum dicti Apoſtoli, diſcipulus: Apoſtolici eius laboris ac gloriæ particeps fieri promeruit, iis rationibus quas præfatus P. Arturus breui hoc indice ſuo in Martyrologio deſignat die 21. quo duorum illorum Beatorum Andreæ & Ioannis felicem recolit depoſitionem. *Hi duo* (inquit) *Laici profeſſione, vltimum quidem tenent locum; At in eo Apoſtolico munere obeundo non infimi extiterunt. Erant quippe ingenti charitate, oratione, ac humilitate exornati, miraculis ac ſignis illuſtres, tantúmque in propaganda fide laborarunt, vt ſuis manibus ad centum millia Indorum aqua baptiſmatis abluerint, idola propè infinita confregerint, ædes idolorum non pau-*

cas diruerint, &c. Hactenùs de duobus coniunctim Arturus Martyrologus huius Ordinis, ex grauibus auctoribus, quos in notis indicat.

CETERVM me tempus deficeret singulos Beatos enarrantem, quos feracissimus Ordo S. Francisci cælestium germinum protulit, quósque præfatus P. Arturus propriis diebus, quibus singuli ad æternitatem transierunt, suis in fastis speciali cum elogio consignat. Quamobrem à fusiore illa recensione, ne tædium ingeram Lectori, lubens abstineo, eorum nomina contentus indicâsse, iis notis quibus eos præsignatus P. Arturus expressit.

XVII. Andreas Burgundus Confessor in Italia, 24. Dec.

XVIII. Andreas Cacciolus, Hispali, 3. Iulij.

XIX. Andreas Camarinus, 25. Martij.

XX. Andreas à Castro Tulluræ, 14. Decembris.

XXI. Andreas Laicus, apud Castellonensem saltum, 6. Septembris.

XXII. Andreas de Collo, Florentiæ, 10. Maij.

XXIII. Andreas Cordubensis, Laicus, in India Occidentali, 21. Maij.

XXIV. Andreas à Cortonio, Cortonæ, 8. Decembris.

XXV. Andreas à Costa, Guadalfagraræ, 19. Decembris.

XXVI. Andreas Dulcis, Arimini, 28. Iunij.

XXVII. Andreas de Groseta, Nauis, Laicus, 10. Aug.

XXVIII. Andreas à Guirola, Moroni, 16. Aprilis.

XXIX. Andreas Hybernon, Gandiæ, 18. Aprilis.

XXX. Andreas de Leubs, in Austria, 13. Octobris.

XXXI. Andreas de Locoza, Guadalfagraræ, 11. Octob.

XXXII. Andreas de Olmos, Tamprici, 8. Aprilis.

XXXIII. Andreas de Plano, in Thuscia, 20. Martij.

XXXIV. Andreas Rodericus, Laicus frater, in Hispania, 14. Nouembris.

XXXV. Andreas à Sardinia, Stamni, 9. Aprilis.

XXXVI. Andreas Senensis, in Vmbria, Laicus, 27. Ap.

XXXVII. Andreas de Tuderto, Tertiarius, Florentiæ, 6. Martij.

XXXVIII. Andreas à Valconeta Laicus, in Castella, 21. Aprilis.

XXXIX. Andreas de Vera Cadafalsi, 12. Decembris.

XL. Andreas de Bandinis virgo, in Thuscia: siquidem

Vola-

Volaterræ in monasterio Clarissarum claruit Angelicis virtutibus, vbi & oculos in mortem clausit, vt eosdem æternis Sanctorum splendoribus aperiret, 22. Iulij.

ARTICVLVS IV.

Cardinales sanctæ Romanæ Ecclesiæ ipso sacro Andreæ nomine fulgentes.

§. I.

ANDREAS Ghini Malpigli, natus genere nobili Florentiæ, Thusciæ metropoli, prima ferè ab ætate operam dedit litteris in Gallia, vbi factus Canonicus Tornacensis, deinde Thesaurarius Rhemensis, posteà præstanti virtute & doctrina florens, fuit Eleemosynarius Caroli Speciosi Francorum & Nauarræ Regis: Hinc Petro Rogerio Episcopo Attrebatensi, translato ad Archiepiscopatum Rothomagensem successor in ipsa Attrebatensi sede datus, & ipse Attrebato post biennium Tornacum Neruiorum, vbi Canonicus primùm extiterat, translatus, demùm à Clemente VI. die 20. Septembris, instante Philippo Valesio Galliarum Rege anno 1342. in Cardinalium S.R.E. Senatum cooptatus: anno vix elapso à promotione sua cùm in Hispaniam proficisceretur, Legatus Apostolicæ Sedis renunciatus diem clausit extremum; cuius cadauer pro voto eius relatum Florentiam, in monasterio Ordinis S. Benedicti, quod fundauerat, sepultum est. Cùm esset Episcopus Attrebatensis, in gentis suæ gratiam Gymnasium in Parisiensi Vniuersitate fundauit; Et in Carthusia Parisiensi Capellam in honorem S. Andreæ Apostoli, necnon S. Stephani Protomartyris. Arbiter fuerat & conciliator pacis inter Comitem Flandriæ & Gandauenses, quos in eius obsequium flexit. Vir pietatis & iustitiæ studiosissimus, totúsque diffusus in charitatis & misericordiæ officia, quem veris lachrymis, præmatura morte abreptum, pij & boni omnes fleuerunt.

§. II.

ANDREAS à Bono Tempore cognominatus, è ciuitate Perusina nobili familia procreatus, fulgentibus meritis electus Episcopus Perusinus, propriæ scilicet patriæ pater & antistes, cùm laudabiliter eo præsulatu fungeretur, ab Vrbano VI. creatus est Presbyter Cardinalis tituli SS. Marcellini & Pe-

tri, die 18. Septembris, anno 1378. poſt cuius obitum, electioni Bonifacij IX. interfuit, à quo in munere Præfecturæ Marchiæ Anconitanæ confirmatus, cùm ibi partes viri probi ageret, demortuus, Recanati in templo Cathedratico ſepultus eſt, non ſine multiplicis virtutis elogio.

§. III.

ANDREAS d'Eſpinay, illuſtri huius nominis gente apud Armoricos ortus, ex Priore S. Martini Campeſtris Pariſiis, factus Burdegalenſis Archiepiſcopus, hinc Lugdunenſis Primas, denique ſupplicante Carolo VIII. Galliarum Rege, (cui charus & affinis erat) creatus ab Innocentio VIII. Presbyter Cardinalis tituli SS. Syluestri & Martini, regno & Eccleſiæ ingenti fuit ornamento, vtriuſque gloriæ & honoris amantiſſimus, in loca ſacra munificus, obiit Pariſiis cùm ipſius vrbis regiæ gubernacula gereret, atque in Eccleſia monaſterij Cæleſtinorum ſepultus die 10. Nouembris anno 1500. vbi Epitaphium eius legitur breue & ab omni faſtu alienum; ipſe verò conſpicitur in vitrea feneſtra, quæ ad dexteram ingreſſûs partem ſita eſt, in pontificali apparatu genuflexus & orans, prope S. Andreæ Apoſtoli, eius patroni imaginem.

§. IV.

ANDREAS de Valle, Cardinalis Epiſcopus Præneſtinus à Leone X. creatus, ſub titulo Presbyteri Cardinalis ſanctæ Agnetis in Agone; in obſequio Apoſtolicæ Sedis conſenuit, & Romæ mortuus eſt anno 1534. 3. Nonas Auguſti ſeptuagenarius; in Eccleſia ſanctæ Mariæ de Ara cæli ſepultus eſt.

§. V.

ANDREAS Matthæus Palmerius, Neapolitanus, tituli S. Clementis Cardinalis Presbyter à Clemente Papa VII. inter nubila Eccleſiæ Romanæ tempora, ſacrum in Senatum cooptatus, quo Sedes Apoſtolica, & ipſe Pontifex afflicti, aliquo opportuno ſolatio recrearentur: vir æquè pio ac conſtanti animo, quo non minùs aduerſam quàm blandientem fortunam docuit ſuperare, obiit Romæ 20. Ianuarij 1553. in Eccleſia ſanctæ Mariæ de populo ſepultus, deinde tranſlatus Neapolim, ad paternum mauſoleum.

§. VI.

ANDREAS Cornarius, Venetus, à Paulo III. creatus Diaconus Cardinalis tituli S. Theodori 19. Decembris anno 1544. deinde Spalatensis Archiepiscopatûs administrator, & Patrimonij sacri Legatus; Mortuus est Romæ penultima Ianuarij anno 1551. Iulio III. sedente, cuius electioni suffragium suum contulerat: post Romanum funus, reuectus Venetias, apud S. Georgium cognominatum Maiorem, auitam repetiit ac reperit sepulturam.

§. VII.

ANDREAS Austriacus, filius Ferdinandi Archiducis, ex Philippina Weltsera, inclytæ vt stirpis sic altæ & præclaræ indolis adolescens, anno ætatis 18. Christi verò 1576. Feria 2. quæ dies erat 19. Nouembris, singulari promotione, creatus à Gregorio XIII. sanctæ Romanæ Ecclesiæ Diaconus Cardinalis tituli sanctæ Mariæ nouæ; nec diu pòst renunciatus sanctæ Apostolicæ Sedis in Germania Legatus, mortuo Gregorio, Romam festinè regressus comitiorum causâ, in designando Sixto V. Pontifice suffragator fuit; Pòst Belgij factus Gubernator, arcem tuendo limiti aduersus Hollandos perduelles, ac Caluini sectarios, extruxit, cui in honorem sancti Andreæ Apostoli, à quo nomen tulerat, arcis Andreanæ indidit nuncupationem. Deinde administratione in gratiam Alberti & Elizabethæ eius coniugis Belgij Principum resignata, Romam rediit, Iubilæi quod celebrabatur consequendi voto. Stationes fecit incognito habitu, pedes & sine fastu: Quo deuotæ mentis munere confecto, vir pius iam maturus cælestis gloriæ familiaribus frequenter dictitabat, se iam omnis desiderij fore compotem, si Deo adlubesceret ipsum ab hoc sæculo nequam eruere, solutúmque carnis vinculis ad diuini eius conspectus tamdiu exoptati vocare fruitionem. Nec frustratus pia sua cupiditate, nam Deus animæ desiderium tribuit ei, vt poneret in capite eius coronam de lapide pretioso: graui enim morbo correptus (cùm iam agnitus, in Palatium Vaticanum à Clemente VIII. sanctæ memoriæ Pontifice optimo maximo euocatus fuisset) cùm propè sibi impendere diem supremum præsagiret, Christiana solatia piè ac deuotè postulauit. Curam eius obitus vltrò suscepit ipse

Clemens Pontifex, sacrámque synaxim eius in cubiculo celebrauit, diuinóque eum munere, quod vitæ æternæ pignus est, impertiuit: Exhibuit morienti Redemptoris crucifixi imaginem, sanctísque monitis hortatus est, vt oblatum à Domino secundùm desiderium suum nuntium mortis, imò vitæ calicem gratanter susciperet & ebiberet. Totus in amorem Christi & spiritualem lætitiam liquefactus, vt alter Simeon iustus, tametsi non senex, saluatorem suum, vlnis animæ apertis suscepit, inque eius amplexu & osculo expirauit, sacra quoque vnctione & Apostolica benedictione munitus ex terrena peregrinatione, ad cælestem patriam migrauit anno ætatis 41. Christi 1600. pridie Idus Nouembris, incredibili de se relicto vrbi & orbi desiderio. Flagrabat vir tot titulis magnus, ardenti deuotionis affectu aduersus S. Andream Apostolum, cuius nomen in sacro lauacro consecutus fuerat, quíque Gentis Austriacæ peculiaris est patronus. qua pia impulsus propensione, magnificum templum Hannouiæ in ipsius sanctissimi Apostoli venerandam memoriam extruxit, cui fabricæ erigendæ immensam vim auri impendit: altare summum sumptuoso & eleganti opere construxit, cui solidam ex argento imaginem ipsius S. Andreæ, imposuit, in cuius dextro brachio inclusit ipsius S. Apostoli brachium, sibi à Sixto V. summo Pontifice, inæstimabili munere donatum. quod huc vsque ibidem vt summo honore obseruatur, sic pietatis eximiæ magni huius Cardinalis perenne est monimentum.

ARTICVLVS V.

Scriptores Ecclesiastici illustriores, eodem sancto Andreæ nomine nuncupati.

§. I.

ANDREAS Cæsareæ sanctissimus Cappadociæ Episcopus, de quo suprà inter Confessores obiter diximus. Venit hic censendus etiam inter Scriptores Ecclesiæ celebres. Cardinalis Bellarminus hoc nomine illum inter Scriptores Ecclesiasticos numerauit, & ei breue elogium adscripsit. Breuius Miræus in suo eiusdem tituli auctario, cap. 28. Sed fusum & certè præclarum Theodorus Piltanus Societ. Iesu Theologus, & Commentarij ipsius Andreæ Cæsariensis in Apocalypsim interpres, (quem Martino de Schaumberg

Eiſtadienſi Epiſcopo dedicauit) in præliminari allocutione ad Lectorem, quam quiſque cum ipſo Commentario legere poteſt, in fine Tom. 1. Bibliothecæ Sanctorum Patrum poſtremæ editionis.

§. II.

ANDREAS æquè ſanctus Archiepiſcopus Cretæ, cognomento Hieroſolymitanus, non quidem origine, ſed conuerſatione & monaſtica profeſſione; ortu autem reuerà Damaſcenus. Hic 14. ætatis ſuæ anno Grammaticæ ſtudia aggreſſus, & in omni diſciplinarum genere eleganter ſenſim excultus Hieroſolymam ſanctitatis arcem peruenit, vitámque monaſticam inibi profeſſus eſt. Præter exempla omnis pietatis & virtutis, multa Dei Eccleſiæ fructuoſa ingenij ſui monimenta reliquit, in his verò varias orationes & canones. Inter canones porrò magnum canonem, infinita animi compunctione refertum, pro quinta feria quintæ hebdomadis elaborauit. Fecit autem hunc canonem eo tempore quo Sophronius Patriarcha Hieroſolymitanus vitam Mariæ Ægyptiacæ litteris mandauit, quæ & ipſa compunctionis pleniſſima eſt. Hunc præclariſſimum canonem & orationem in Mariam Ægyptiacam ipſemet Andreas primus Conſtantinopolim tulit, quando ab Hieroſolymorum Patriarcha Theodoro, ad ſextam Synodum ſubſidio miſſus eſt. Tunc enim monaſticam vitam adhuc profitens, cùm aduerſus Monothelitas fortiter decertaſſet, Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ Clero adſcriptus eſt, deinceps in eadem Diaconus, & pupillorum curator atque altor conſtitutus. Non longo pòſt tempore Archiepiſcopus Cretæ ordinatus eſt: poſteà proximè, apud locum qui Heriſus dicitur cùm Metylenem perueniſſet, migrauit ad Dominum, cùm Sedis ſuæ fructum copioſum percepiſſet. Hæc ex Rituali Græcorum libro qui Triodium inſcribitur, expreſſit, & in ſuum auctarium retulit Miræus c. 182. Extant duæ orationes eiuſdem Andreæ Cretenſis in exaltationem viuificæ crucis, apud Gretſerum tom. 2. de cruce, necnon ſermo eiuſdem in ſalutationem Angelicam Latinè redditus à Marco Hoppero. Ceterùm colitur à Græcis ipſe Andreas Cretenſis Archiepiſcopus 4. Iulij feſto anniuerſario, vt ex Menologio Typici S. Sabæ conſtat, ait ſubiunctim ipſe Miræus, qui omiſit tamen, extare inſuper eiuſdem Andreæ Cretenſis Epiſcopi ſermonem in Lazarum

quatriduanum, item in Resurrectionem Domini, & homiliam in Annunciationem Mariæ, εἰς τὸν εὐαγγελισμόν MSC. in Bibliotheca Augustana, vt Posseuinus obseruat tom. 1. Apparatûs sacri.

§. III.

ANDREAS Chartophylax Ecclesiæ Constantinopolitanæ, claruisse etiam insigni pietate & doctrina memoratur, cuius supersunt excelsi ingenij fœtus, encomium in Sanctum Martyrem Phocam, & eiusdem Iambi in Annuntiationem, εἰς εὐαγγελισμόν, & quædam epistolæ.

§. IV.

ANDREAS Monachus Vallis vmbrosæ, discipulus S. Ioannis Gualberti, librum vnum scripsit de eius gestis; sed magis factis quàm dictis aut scriptis vitam eius expressit; fuit enim eius imitator sanctitatis studiosissimus & accuratissimus.

§. V.

ANDREAS Megariensis Episcopus librum eximium scripsit, de Græcis errantibus & eorum erroribus. Item Gubernaculum Conciliorum, ad Concilium Basileense.

§. VI.

ANDREAS Abbas S. Michaëlis Bambergensis, magnum opus scripsit Canonizatorum Ordinis Benedictini, Pontificum, Archiepiscoporum, Antistitum, Abbatum, & Abbatissarum, cum compendio rerum à singulis gestarum; Vitam insuper S. Othonis Episcopi Bambergensis, à Gretsero typis mandatam: denique succi pietatis plenum libellum de Conceptione Virginali B. Mariæ Deiparæ. florebat circa annum 1483.

§. VII.

ANDREAS Rhodi Archiepiscopus, scripsit secundùm doctrinam S. Thomæ librum Theologicum de diuina essentia & operatione; Item de processione Spiritus sancti aduersus Græcos. Interfuit cum Bessarione Concilio Florentino, stetitque pro vnione, & in ea perstitit.

§. VIII.

ANDREAS Schouarez circa eadem tempora claruit, ſcripsítque aduerſus Græcos, itidem de proceſſione Spiritus " ſancti, de animabus fidelium defunctorum, de azymo & " fermentato, denique de obedientia Romanæ Eccleſiæ. "

§. IX.

ANDREAS de Traiecto Monachus Cœnobij Spanheimenſis Ordinis S. Benedicti, clarus pietate & doctrina, ſcripſit librum Soliloquiorum hominis ad Deum, de profectu " virtutum, de abſtinentia carnium, de flocorum vſu, epiſto- " las ad diuerſos, collationes varias, & Poëſeos cùm eſſet peritus, " carmina & richmos pleroſque, deſiítque & ſcribere & vi- " uere anno 1466. vt Trithemius aſſerit.

§. X.

ANDREAS Leucander aliàs Witteman, Abbas Rameſienſis in Anglia, Congregationis Cluniacenſis, ſcripſit librum inſignem de vita & actibus S. Iuonis Perſarum Epiſcopi, in Anglia ſepulti, vt teſtatur Arnoldus Wion lib. 2. ligni vitæ cap. 62.

§. XI.

ANDREAS Mediolanenſis Ordinis Auguſtiniani, ſcripſit plurima opera copioſæ eruditionis & pietatis ſpirantia: quorum inſigniora & memoratū digniora hîc tantùm deſigno, ſcilicet Expoſitiones in quatuor Euangelia, An- " notationes in Euangelia Quadrageſimæ, Sermones Do- " minicales & feſtiuos, alióſque diuerſarum materiarum, " Commentarium hiſtoricum de detrimento fidei in Oriente: " item librum inſignem de amore & magnitudine crucis, cu- " ius eſt initium, *vbi te inueniam Deus meus?* Hunc autem pium affectum hauſiſſe videtur ex S. Andreæ Apoſtoli ſpiritu, cuius ſacrum dignè nomen ferebat. obiit autem Senis in Hetruria valde ſenex, beato fine, & in æde S. Auguſtini, ſub cuius vexillo militabat, ſepultus eſt.

§. XII.

ANDREAS de Olmos Hiſpanus Ordinis Minorum, ad Indiam Occidentalem miſſus, ibi tres & quadraginta annos

Euangelium prædicauit, dono linguarum Apostolico præditus; scripsit variis populorum illorum idiomatibus, libros
" plerosque pios & vtiles, v. g. Tractatum de doctrina Chri-
" stiana, alium de septem peccatis mortalibus, alium de sacri-
" legiis, alium de Sacramentis, alium perutilem de extremo
" iudicio. Floruit sub Carolo V. Imperatore, ac sanctitate & Prophetico spiritu insignis diem obiit extremum in Tamprico, Indiæ oppido, 6. Idus Augusti; qua die sub titulo Confessoris censetur in Martyrologio Franciscano; in cuius notis lectione digna sunt quæ R.P. Arturus à Monasterio de illo memoriæ consignat.

Bellarm. præfat. ad lectorem lib. de Eccles. Script. circa medium.

Ceterùm calamum vltrà euolantem hîc sisto, memor huius præclari moniti Cardinalis Bellarmini, ad sui operis de Ecclesiasticis Scriptoribus lectorem; *Omisi scriptores nostri seculi, non quòd nulli, aut pauci, aut obscuri sint, sed quòd pæne innumerabiles & satis noti hominibus doctis*, &c. *si quis tamen cupiat hos auctores cognoscere, habet* (inquit) *Antonium Possevinum nostrum, qui in suo Apparatu sacro*, &c. *Scriptores pæne omnes veteres & recentiores per Alphabeti ordinem enumerauit.* Hic igitur & auctores illos, qui post annum Domini 1500. aut circiter præclaro nomine Andreæ insigniti, dono scientiæ, sapientiæ & intellectus in Ecclesia claruerunt, nobísque sui ingenij & laboris pia monimenta reliquerunt, poterit, designatos propriis titulis, quisque indagare volet, in promptu reperire. Item apud Pitseum, Wionium, aliósque propriæ gentis vel ordinis nomenclatores virorum doctrina & pietate illustrium; segreges enim qui sacrum nomen B. Andreæ profanarunt hæreticis suis scriptitationibus, aut factis impiis vel improbis, non dignos puto, quos vllus Catholicus perquirat, aut ego hîc vel nomine tenùs recenseam, iuxta illud Prophetæ Psal. 15. 4. *Non congregabo conuenticula eorum de sanguinibus, nec memor ero nominum eorum per labia mea.*

FINIS.

SOLI DEO HONOR ET GLORIA. AMEN.

SECVN-



SECVNDÆ PARTIS DE GLORIA S. ANDREÆ APOSTOLI, CIRCA BEATAM EIVS MEMORIAM

LIBER III.

PIGNORVM EIVS SACRORVM cultus & gloria.

CAPVT I.

S. Andreas post triumphum passionis, statim è sepulchro miraculis coruscat.

VOD dudum de Elisæo, Iesus filius Syrach in Ecclesiastico scripsit, B. Andreæ optimè conuenire non abs re existimo; *In Elisæo completus est spiritus Eliæ, in diebus suis non pertimuit principem, & potentia nemo vicit illum, nec superauit illum verbum aliquod, & mortuum prophetauit corpus eius: in vita sua fecit monstra, & in morte mirabilia operatus est.* Eccles. 48.

Sanè alter Elias fuit Ioannes Baptista, *quia venit in spiritu & virtute Eliæ:* & sicut Elisæus fuit Eliæ discipulus, & eius spiritus ac virtutis hæres: sic Andreas Ioannis Baptistæ, generosus magnæ huius aquilæ pullus, nam & in Christo filius, proinde & hæres, omnem eius hausit virtutem, atque tam in vita quàm in morte, altum eius animum spirauit, & sanctitatem actibus & affectibus genuinè expressit: Alter

igitur Elisæus etiam fuit Andreas, quoniam noui Eliæ Ioannis proles & idea fuit, duplicíque eius spiritu, diuino munere donatus est. Hinc similis Elisæo sic ipsemet euasit, vt quæ dicuntur de illo, æquipariter de Andrea possint nec immeritò prædicari.

I. *In Elisæo completus est spiritus Eliæ;* In Andrea Ioannis spiritus consummatus est: nam sicut in Elisæo Elias raptus refulsit, sic Ioannes occisus in Andrea reuixit. similis Eliæ apparuit Elisæus in verbo & opere, hoc est duplex Eliæ spiritus transfusus in Elisæum: similis Ioanni factus est Andreas in castitate, innocentia, in fide, in Christi dilectione, in zelo eius gloriæ, in prædicatione, in feruore spiritus ad saluandas animas, in labore, in patientia, in constantia & fortitudine, denique in passionis honore ac beatæ memoriæ splendore & gloria. Passus est ab Herode Ioannes propter iustitiam & castitatem: passus est Andreas ab Ægea propter veritatem & sanctitatem: At Ioannes occubuit gladio, quia illum minui, vt Christus cresceret, oportebat: Andreas occubuit in cruce crescens cum Domino, qui eum pro se patientem, secum singulari amoris priuilegio in cruce exaltauit.

II. *In diebus suis non pertimuit principem.* Sicut Elias Achab non timuit, & ita Elisæus Ioram: sic nec Herodem timuit Ioannes, nec Andreas Ægeam, cui dira quæque comminanti, spiritu planè intrepido respondit: Si crucis patibulum expauescerem, crucis gloriam non prædicarem. putásne me minas tuas posse formidare? quicquid tibi videtur in suppliciis maius, excogita? Tanto enim meo regi ero acceptior, quanto pro eius nomine fuero permanens in tormentis eius nominis Cónfessor.

III. *Et potentia nemo vicit illum.* Neque enim reges & populi vnquam potuerunt aduersus Elisæum præualere: sic nec Ægeas, nec alij tyranni, nec barbaræ gentes, ipsíque Scythæ omnium truculentissimi quibus Andreas prædicauit, ipsum vnquam exterruerunt, nec ei resistere potuerunt, at deuicti ab ipso succubuerunt, illud Propheticum de Christo verissimum experti, Psal. 41. 7. *Sagittæ tuæ acutæ, populi sub te cadent.* Transfixi enim Apostolicis sagittis, sub vexillo crucis ceciderunt, fortiter debellati, nec minùs feliciter subiugati.

IV. *Nec superauit illum verbum aliquod.* Imò verbo suo

Elisæus omnes aduersarios superauit, sic planè Andreas, de quo idcirco præclarè cecinit Paulinus,

———— Hic qui piscator ad Argos
Missus, vaniloquas docuit mutescere linguas.

Nec minùs scitè quam verè Chrysostomus, *ipsum* (ait) *prædicantem in Græcia, mundi sapientiam correxisse.*

V. *Et mortuum prophetauit corpus eius.* Quia mortuum ipsius Prophetæ viuentis opera, adhuc eliciebat corpus, nam pellebat morbos, & mortuis vitæ spiritum refundebat: Statim ac è cruce depositum fuit B. Andreæ corpus & sepulchro illatum, miracula cœpit benefica operari. Testantur hoc oculati testes, Presbyteri scilicet & Diaconi Achaiæ, qui gloriosum eius agonem, & honorificam sepulturam conspexerunt, & perenni monimento suæ ad vniuersas orbis Ecclesias historicæ relationis tradiderunt. *Hæc* (scribunt in fine suæ epistolæ) *gesta sunt apud Achaiam prouinciam, ciuitate Patras, pridie Kalendas Decembris, vbi etiam præstantur gloriosa eius beneficia* (id est opitulationis solatia) *vsque in præsentem diem.* Sic igitur mortuum prophetauit corpus eius.

VI. *In vita sua fecit monstra, & in morte mirabilia operatus est.* Nam viuens Elisæus miracula maxima perpetrauit, & moriens prophetauit, & post mortem, mortuum hominem, suorum contactu ossium, vitæ restituit. Quis diuina opera, quæ in vita sua fecit S. Andreas, prædicando inter tot gentes & populos Christi Euangelium, dignè enarrare & exactè enumerare potest? Tempus deficeret enarrantem. Porrò in morte mirabilia operatus est, dum biduo pendens in cruce, sine intermissione, Christi fidem prædicauit, refulsit ingenti lumine, flagrauit suauissimo odore, & inenarrabili perfusus gaudio, in cælum euolauit. Post mortem verò mirabilia operatus est, dum totam in qua passus est ciuitatem traxit ad fidem, occultâ suæ apud Christum intercessionis virtute. Hoc testantur prædicti Sacerdotes & Leuitæ eius discipuli, in suæ epistolæ toties laudatæ extrema clausula. *Tantus autem tremor* (aiunt) *inuasit omnes, vt nullus remaneret qui non crederet Saluatori nostro Deo,* &c. *ipsi gloria in sæcula sæculorum, Amen.* Alia autem Acta sic habent: Tanto timore omnes concussi sunt, vt nemo non esset, qui idolorum cultum detestaretur, & supplex ad Christi nomen accederet. Accesserunt sanitatum beneficia, quæ

de eius ſepulchro mox, vt è fonte limpidiſſimo riuuli, longè latéque eruperunt. Sed de oleo ex eius ſepulchro ab hinc huc vſque manante, dicturi ſumus infrà Deo dante, vbi glorioſi ipſius Apoſtoli recenſitum ire ſtatuimus, inſigniora miracula.

CAPVT II.

De S. Andreæ crucis religioſa cuſtodia, ac pia veneratione, & tranſlatione demum in Galliam.

ARTICVLVS I.

S. Andreæ crucem, ad ſacras eius reliquias pertinere.

RELIQVIÆ vulgò dicuntur res, quæ ex maiori vel meliori parte relictæ ſunt; ſiue quicquid reſtat vel reliquum eſt de maiori vel meliori; ídque apud profanos & diuinos ſcriptores. Mitto quod legimus, apud Tullium reliquias cibi & cœnæ, apud Liuium exercitus, apud Virgilium Danaum, apud Celſum febrium: ſed præteriri non debet quòd in libro Numerorum legimus reliquias ciuitatis, in libro Ruth reliquias orbis, in 3. lib. Regum reliquias effæminatorum, apud Hieremiam reliquias populi, apud Matthæum reliquias fragmentorum, & apud Iſaiam & Paulum reliquias Iacob & Iſraël.

Verùm ſicut homo ceteris rebus antecellit, ita & hominis reliquiæ præcipuæ dicuntur, ait S. Ambroſius, ideo reliquiæ quia poſt mortem hominis, ſupereſſe videntur: Idem porro dicit, *ſuperſunt enim quæ reſeruantur ad reſurrectionem.* ſed vſus Eccleſiæ inoleuit, vt non ſolùm corpora, oſſa, & cineres, reliquiæ Sanctorum defunctorum dicerentur, ſed etiam veſtes, & quicquid ad corporis vſum aut muneris exercitium quod geſſerunt ſpectat: Quo ſenſu ſancti Patres eo vocabulo paſſim vſi ſunt, vt videre licet apud Origenem homil. in Pſal. 36. S. Ambroſium ep. 85. S. Hieronymum ep. ad Riparium, & lib. aduerſus Vigilantium, S. Auguſtinum ep. 103. ad Quintianum, & lib. 22. de Ciuitate Dei cap. 8. Prudentium in paſſione Hippolyti: & Concilium Conſtantinopolitanum in libello Synodico, qui extat apud

Theodoretum lib. 5. Historiæ Ecclesiasticæ c. 9. nec quidem abs re, siquidem cùm Eliæ rapti in cælum nec corpus posset possideri, nec ossa colligi, aut cineres: Elisæus eius discipulus demissum ex alto pallium, in pignus amoris, & adminiculum diuinæ virtutis suscepit ac retinuit, eóque scidit Iordanem, aliáque miracula operatus est. Sic Pauli sudaria & semicinctia primi fideles super infirmos ponebant, & morbos eorum attactu pellebant, experti vim diuinam iis inesse: sic catenas beatorum Petri & Pauli religiosè conseruatas, magnáque hinc fideles percepisse solatia, planè constat. De catena Pauli nuper contra Caluinum disputaui in Panoplia Sacerdotali parte 1. lib. 3. cap. 5. §. 5. eiúsque asserui veritatem. De Petri catena hunc in modum magnus Augustinus loquitur serm. 18. de Sanctis: *Si tunc opem ferre poterat vmbra corporis, quanto magis nunc plenitudo virtutis?* &c. *Si inanis quædam species vacuæ imaginis* (scilicet vmbra corporis Petri) *habere potuit in se vim salutis, quanto plus de corpore meruerunt attrahere salubritatis, ferreo pondere, sacris impressa membris vincula passionis? Si ad præsidia supplicantium tam potens fuit antè martyrium, quanto magis efficax post triumphum? Felices illi nexus, qui de manicis & compedibus in coronam mutandi, Apostolum contingentes martyrem reddiderunt? felicia vincula, quæ reum suum vsque ad Christi crucem, non tam condemnatura quàm consecratura miserunt.* Nec tantùm catenas & vincula Apostolorum protochristiani, pio deuotionis conseruarunt affectu, sed ipsas cathedras, vbi Euangelium prædicarunt. Asseruatur adhuc Romæ in Basilica Vaticana, cathedra lignea, in qua S. Petrus docendo sedisse perhibetur: Sic Hierosolymis præter stolam S. Iacobi Apostoli, legimus eius cathedram magna cum reuerentia custoditam, quam suo adhuc tempore conseruatam testis ocularis Eusebius lib. 7. de vita Constantini c. 19. asseuerat, & lib. 7. Histor. Eccles. vbi ait,
« Etenim sedem Iacobi Apostoli, qui primus ab ipso Ser-
« uatore & Apostolis Hierosolymitanæ Ecclesiæ Episcopa-
« tum accepit, quem & diuinæ Scripturæ fratrem Domini
« nominari tradunt, ad hoc vsque temporis seruatam, fratres
« isthic, qui successione ordinaria subsecuti sunt, omnibus
« manifestè monstrant, sicut circa sanctos viros pietatis gra-
« tia cùm veteres tum præsentes competentem honorem ser-
« uauerunt, & hodie quoque seruant. Sanè cathedra S. An-

dreæ fuit crux illa, in qua biduo pendens Christi fidem sine intermissione prædicauit, suámque prædicationem suo pretioso sanguine, & beata morte obsignauit; *Crux patientis,* (vt de Christo cuius imago fuit Andreas, scitè dixit Augustinus) *cathedra fuit docentis.* Non minore igitur honoris obseruantia, debuit à fidelibus qui funeris eius curam gesserunt asseruari, vt reuerà fuit piè ac reuerenter conseruata, sicut mox indicabitur.

Periit gladius ille quo vas electionis Paulus decollatus est: Crucis in qua crucifixus fuit Petrus ne minima quidem particula superest; sed diuina non permisit prouidentia, crucem Andreæ aboleri, quæ abhinc religiosè asseruata etiamnum extat, & non sine reuerentia conseruatur, eò quòd amator ardentissimus & paranymphus eximius crucis beatissimus hic Apostolus extiterit, qui crucem insuper conuertit in cathedram, in qua biduo, sine vlla intermissione Christi gloriam prædicauit, suíque sanguinis purpura, ipsam simul crucem ac cathedram decorauit.

ARTICVLVS II.

Translatio crucis S. Andreæ Apostoli in Galliam, eiúsque apud Massiliam repositio ac veneratio, necnon ablatio, reconditio, reuelatio, inuentio, iterata surreptio, restitutio, & eius continuatio cultus. vbi etiam de inito martyrio (illius occasione) Veaunensium virginum.

SVPRA vbi actum est de ligno, ex quo crux S. Andreæ confecta fuit, déque eius figura, illam translationem attigimus; quam eius in elogio pridie Kalendas Decembris breui hac nota consignauimus, *Crux sancti huius Apostoli à Stephano Burgundiæ Rege, ex Achaia in Galliam deportata, apúdque Veaunenses virgines* (nam virgo & Andreas fuit ac perstitit) *in agro Massiliensi deposita, inde paulo ante annum salutis 1250. ad S. Victoris famosum cœnobium, translata est, vbi etiamnùm asseruatur.* At fusiùs de hac mentionem feci in ipsius Martyrologij Supplemento, sexto Idus Nouembris, hoc verborum tenore: *Massiliæ ad S. Victorem S. Hugonis Confessoris, cui diuinam rem facienti reuelatum est, vbinam esset crux S. Andreæ Apostoli, quæ amissa fuerat: Hanc ex Achaia in Galliam delatam Stephanus Burgundiæ Rex, apud Veaunenses virgines in agro Massiliensi*

Inuentio crucis S. Andreæ diuinitùs facta.

depoſuerat. At hinc ne tam nobile pignus raptui pateret, Maſſiliam ad ſecuriorem ſitum deportata, in S. Victoris templo monaſtico, perpetuo cultu conſeruanda repoſita fuit, vbi etiamnùm oſtenditur. Enucleatiùs res geſta narratur in libro nuper edito, cui titulus eſt, *Sanctus Joannes Caßianus illuſtratus, ſeu Chronologia eius vitæ & monaſterij ab eo Maßiliæ conditi:* ſic enim ibi legitur lib. 2. c. 22. §. 2. num. 9. *Vlteriùs procedentibus, in eadem inferiori æde, marmoreum ſepulchrum obiicitur, in quo Beati Hugonis corpus aſſeruatur. Is in eodem monaſterio, æditui quondam obiit munus, eóque inſcio* CRVX S. ANDREÆ, *non procul ab eodem Virginum monaſterio ab aliis quibuſdam religioſis delata eſt, ibique defoſſa, ne à Wandalis aliiſque Barbaris, Maßiliam tum occupantibus, aliò ſubduceretur. Nec ita multo poſt cùm eiuſdem monaſterij religioſi conueniſſent, vt ſacras reliquias ſuis locis ac ſedibus reſtituerent, támque viro illi ſancto pœnam aliquam imponere decreuiſſent, quod eo ſacrarium procurante, crux illa ſacra aut deperdita, aut aliò traducta eſſet, diuino afflatus Spiritu vir ſanctißimus, impetratâ diuinam opem implorandi gratiâ, diuinitùs accepit, crucem illam non procul à monaſterio Beatæ Virginis de Veaune fuiſſe defoſſam: quod miraculum cum ſequenti epitaphio marmoreo, eiuſdem ſepulchro inſcriptum eſt,*

Hugo ſacriſta Dei, quem petra tegit breuis iſta,
Congaudet cæli ſanctis Socius Michaëlis,
Vniuerſorum flos, & decus hic Monachorum,
Cultor Sanctorum meritò ſepelitur, eorum
Templo, quod primò, quaſi totum fecit ab imo:
Depoſitis membris, octaua luce Nouembris
Milleno ....
Si iungatur bis, poſt quinquaginta ſequatur,
Annus monſtratur, in quo ſuper aſtra locatur.

Ab eo aliud ſacellum ſubire licet, vbi crux S. Andreæ Apoſtoli, integra religioſè colitur, lignea illam ferreáque inſuper lamina obtegit, eiuſdemque Apoſtoli nomen & effigiem præfert inſculptam. Achaiæ ex ciuitate, (Patras ſcilicet) *ad nos Stephani Burgundionum Regis beneficio allata eſt, vt ex maiorum traditionibus accepimus.*

Verùm in hac relatione non capio, quomodo tempore B. Hugonis Monachi S. Victoris Maſſilienſis Sacriſtæ, qui mortalis eſſe deſiit anno 1250. contingere potuerit, vt metu Wandalorum, aliorúmque Barbarorum, qui Maſſiliam occupa-

rent, crux S. Andreæ fuerit inde ſublata & extra vrbem defoſſa, quo magis raptui obnoxia fuiſſet? Sanè Wandalorum in Gallias incurſio non vna fuit; ſed poſterior annos æræ Chriſtianæ 1200. longè antecedit. quòd verò Barbari alij Maſſiliam tempore ipſius B. Hugonis occuparent, prorſus friuolum eſt, nam Maſſilienſes incolæ tum alta pace fruebantur, & Chriſtiana religio multis antè ſæculis ibi fundata, tunc maximè inibi florebat. Vnde cùm S. Ludouicus eo tempore Maſſiliam veniſſet, in Orientem ad vindicias terræ ſanctæ cum exercitu ſuo profecturus, Maſſilia ſoluit die 25. Auguſti anno 1248. & in Cyprum appulit 20. Septembris. Porrò nec mihi arridet quod ibidem dicitur Stephanus Burgundiæ Rex, crucem S. Andreæ dediſſe Monachis Victorinis. Certiora enim monimenta, quæ in Martyrologio Gallicano, eiuſque Supplemento ſecutus ſum, perhibent ipſum Regem Veaunenſis Parthenones Virginibus ſacris, hoc pretioſum munus contuliſſe; Subinde verò ſecurioris cuſtodiæ causâ, hoc ſacrum B. Andreæ pignus Maſſiliam ad cœnobium S. Victoris tranſlatum, vbi huc vſque multa cum reuerentia aſſeruatur.

At bene cedit, quod Chiffletius grauis certè & eruditus auctor, noſtram ſententiam ſuo confirmat ſuffragio part. 1. ſuæ Veſuntionis c. 48. quo ſic diſſerit: Verum Chriſtianæ fidei lumine illuſtrati Burgundiones, ex Draconariis facti ſunt cruciferi, extant enim permulti apud noſtrates rerum Burgundicarum commentarij, Gallicè conſcripti, in quibus Stephanus quidem Burgundiæ Rex dicitur crucem S. Andreæ pro vexillo militari ſibi ac ſuis primus accepiſſe, eámque ex Achaia deportatam, Maſſiliæ collocaſſe: Stephanum hunc (quia nullus huius nominis extat in probatis Burgundiæ Chronicis) non alium eſſe ſuſpicor à Gundiocho Burgundionum Rege, qui quoniam cecidiſſe in pugna dicitur, cùm iam Catholicus aduerſus Attilam pro Romano imperio dimicaret, opinor eum Stephanum in Baptiſmo vocatum, qui tamen ab illius æui Scriptoribus Gundiochus ſemper dictus ſit. Eam verò crucem Paradinus de antiq. Statu Burgundiæ ad annum 401. dicit à Stephano Rege, in S. Victoris Maſſilienſis Baſilicam (in qua nunc habetur) illatam; Nos ex certioribus monumentis collocatam cenſemus, in agri Maſſilienſis monaſterio ſanctimonialium de Weaune ad littus maris, altero circiter à Maſſilia milliario: Quo verò pacto

pacto ad S. Victorem deuenerit, habe sic ex Massiliensium Commentariis. Cùm Saraceni Catalauniæ incolæ Prouinciam deuastarent, Moniales dicti monasterij de Weaune B. Andreæ cruci, quam religiosè asseruabant, à flammis aliáve iniuria cautum esse voluerunt; igitur excauata humo crucem sepeliunt, ratæ nimirum ita Barbarorum oculósque manúsque euasuram. Barbaris deinde in monasterium irrumpentibus, veritæ ne pudori suo vim inferrent, nasum sibi, aures, & labia pia crudelitate præsciderunt. Et sanè omnes interfectæ sunt, quarum corpora aliquo pòst tempore disquisita, in monasterium S. Victoris translata sunt, & in sacello Ecclesiæ inferioris reposita, cuius ingressu, Pontificia auctoritate, sub pœna excommunicationis mulieribus interdictum est. Sollicitè deinde disquisita est à Monachis S. Victoris crux Andreana: cúmque nusquam occurreret, credita est aut sublata à Saracenis aut concremata. Hugoni postmodùm cuidam ex eodem monasterio inter Missarum solennia, Angelus tertiò apparuit, crucémque in terra abditam in monasterio de Weaune, reuelauit; quod cùm Superiori manifestasset, ad eum locum à Monachis piè processum est: qui crucem inibi effossam, in S. Victoris, vbi nunc cernitur, monasterium importârunt. Bono huic Hugoni, qui Sanctus vulgò habebatur, positus est præter morem tumulus, è marmore candido vermiculato, in quo expressus est, quasi sacris operans ad altare, è quo B. Andreæ crux se illi offerat, atque hoc adscriptum epitaphium, quod expressum est suprà. Sed quod refertur à Chiffletio dissonat in fine, ab eo quod Guaineus superiùs exhibuit, meliúsque tempus mortis, ipsius Hugonis beati, designat: ita enim habet,

Depositis membris octaua luce Nouembris,
M si iungatur C bis, post L que sequatur,
Annus monstratur, in quo super astra locatur.

Qua ex epocha annus quidem obitus ipsius B. Hugonis certus elicitur, non verò tempus absconditæ crucis Andreanæ, sed tantùm eius reuelationis. Vnde præfatus Chiffletius sagaciter obseruat ac admonet: Hinc vides non multo ante annum 1250. illatam in S. Victoris monasterium B. Andreæ crucem. At subnotat rem insignem, cuius Guaineus non meminit: Anno verò (inquit Chiffletius) 1494. prima Ianuarij quidam Lazarus Barbany, eius monasterij Religiosus

" ac Prior in prioratu S. Petri, dictam crucem furto sustulit"
" extántque eius pœnitentiæ ac restitutionis tabulæ anni 1494.
" 29. Augusti in scriptis Ioannis Massately Notarij fol. 420. Hactenùs Chiffletius, qui alia subnectit de ligno ipsius crucis, eiusdémque forma & figura, quæ quia superiùs exscripta sunt, hoc loco non censui reiteranda.

Verùm hîc prætermitti non debet, numerus virginum illarum Weaunensium, & earum situs sepulchri, peculiarísque
" tumuli sanctæ Eusebiæ illarum primiceriæ: E regione autem
" (inquit Guainæus) illius speluncæ (vbi corpora SS. Hadriani
" & Hermetis in sepulchris marmoreis reposita sunt) amplius
" quoddam & patentius sacellum, cui nomen B. Virginis à con-
" fessione, summa frequentia celebratum, tum ob elegantem B.
" Virginis propositam in eo effigiem, tum quia in ea nouem &
" triginta dicatarum Deo Virginum, à Saracenis* Wandalísque
" interfectarum corpora sepulta sunt, eóque fit vt & puellæ ce-
" teræque mulierculæ ab illius aditu, & iam nunc hodie, vt à
" maioribus religiosè obseruatum vidimus prohibeantur; ideò
" enim ferreis cancellis, ex munificentia & liberalitate Regi-
" næ cuiusdam & Saliorum Comitis septum est. Ad huius
" sacelli dexteram marmoreum sepulchrum constitutum est,
" in eóque sanctæ Eusebiæ, earumdem nouem & triginta Mo-
" nialium quondam Abbatissæ, ossa recondita: Hæ autem
" omnes cùm vitam agerent in monasterio ad mare olim à
" B. Cassiano excitato, duobus tantùm tribúsve à Massilia
" milliaribus dissito, quod etiamnùm vulgari appellatione B.
" Virginis de Weaune dicitur, ne à Saracenis violarentur mor-
" tem oppetere, quàm virginitatem Deo dicatam sibi depe-
" rire maluerunt. Hæc ille.

* Recurre ad superiùs obseruata.

Ceterùm aduertat hic pius & prudens Lector in tota hac historia mirabile Dei consilium;

1. Voluit honorare Apostolum suum B. Andream, hac eius crucis gloriosa Translatione, quæ nisi Orientis clades antecessisset, iamdiu in ruinis Achaiæ fuisset consepulta, aut flammis abolita. Voluit in Andrea crucifixo Dominus genuinam sui imaginem exprimere, vt iam sæpiùs hoc in opere multis argumentis demonstratum est: ideo eius crucem vt suam huc vsque post tot orbis concussiones & terræ motus ac euersiones illæsam conseruare, vt esset triumphalis eius agonis perenne monimentum. Voluit in sacrarum virginum custodiam deponi, ne ab impiis diri-

peretur, auſpicatò abſcondi, diu latere, poſteà ab Angelo ſemel, iterum, ac tertiò apparente ſancto ſacerdoti ſacris operanti, & gemmam hanc perditam cum orationum inſtantia & fidei viuæ lumine perquirenti, eandem reuelari, deinde inueniri, vt è tenebris educta coruſcaret, & in inſigni templo, quaſi tuto in aſylo repoſita, celebriori obſeruantia aſſeruaretur: iterum verò ſublata reſtitueretur, tam proprio loco quàm debito ſplendori & honori.

II. Sicut virga Moyſis, & Eliſæi baculus edebant miracula, ſic Andreæ dilecti ſui Dominus voluit crucem miras res operari. Quid, quæſo, mirabilius quàm virginum Weaunenſium martyrium, & trophæum ipſius crucis Andreanæ occaſione peractum? Dicit Dominus: quicumque *receperit Prophetam in nomine Prophetæ, mercedem Prophetæ accipiet*: ſuſcepe- *Matth. 10. 41.*
runt virgines illæ, pignoris S. Andreæ depoſitum, quod amore tanti Apoſtoli cum fideli cuſtodia conſeruarunt. Et ne diſperderetur ſub impiorum incurſu, illarum furentium beſtiarum à falcatis vnguibus auerterunt maturè, vtque theſaurum inæſtimabilem in terræ viſceribus altè reconditum abdiderunt, magis de huius conſeruatione, quàm de propriæ vitæ cuſtodia ſollicitæ: ſiquidem ſi hoc ſpatium, quod quærendo crucis ipſius opportuno ſecuróque latibulo effodiendæ humo, inferendo Apoſtolico pignori & recondendo inſumpſerunt, ſibimet proſpiciendo impendiſſent: facilè potuiſſent inuaſionem barbarorum anteuertere, ſéque in locum tutum recipere, priuſquàm illi impij monaſterium Weaunenſe adorirentur. Periiſſet crux quidem, ſed illæ euaſiſſent, promptè fugiendo incolumes. Verùm poſtpoſuerunt vitam S. Andreæ honori, & pio ſtudio conſeruandi glorioſæ eius paſſionis monimenti, & beatæ eius memoriæ pretioſi pignoris. Pium hoc facinus gratiſſimum Chriſtus habuit, & tanti fecit momenti, vt id corona martyrij & perennis venerationis honore compenſaret. Floruit virga Aaron in ſanctuario, coram Domino expoſita, hanc enim *Num. 17.*
reperit Moyſes germinaſſe, & turgentibus gemmis ex ea erupiſſe flores, qui foliis dilatatis in amygdalas conuerſi erant. Floruit ſic crux S. Andreæ Apoſtoli, nam gemmas illas produxit purpureas, Virgines quadraginta, quæ ob fidelem eius cuſtodiam ſertis florum cæleſtium, inclyti ſcilicet martyrij aureolis, coronari à Rege gloriæ meruerunt.

CAPVT III.

De Capillis & Barba S. Andreæ, à fidelibus pio deuotionis affectu conseruatis.

NTER funerales ritus hunc fuisse antiquissimum, vt defuncti ab eius propinquis vel amicis capilli tonderentur, qui in pignus amicitiæ & memoriæ illius asseruarentur. Rabbi Moses Ægyptius, & ex eo Rabbi Iacob, in Thurim hora Degha, litteris prodidêre, quemadmodùm magnus Ecclesiæ Annalista insinuat tom.1.sub annum Domini 34. hoc ex ritu effectum, vt passorum Apostolorum & Martyrum crines, à fidelibus detonsi, statim ab eorum morte, & priusquàm sepulturæ eorum corpora mandarentur, priuatim seruarentur. res est satis supérque explorata. In Aquitaniæ Annalibus me legisse memini S. Hilarium reducem ab exilio, Romam, ad Apostolorum Petri & Pauli visenda limina adiisse, vbi adoratis eorum sepulchris, cùm reditum maturaret suum in Gallias, aliqua Apostolica pignora pro benedictione petierit, Petri autem cùm ossa non distraherentur, barbam & capillos quosdam summo beneficio acceperit in piæ suæ peregrinationis præmium. Caluinus infrà refellendus, in suo pestilentissimo libello *de reliquiis Sanctorum*, qui extat inter exitiosa eius opuscula; licèt grunniendo, barbam S. Petri seruari in maiori Ecclesia Pictauiensi agnoscit. Verisimile est illi post mortem fuisse decisam à fidelibus, qui corpus eius sepelierunt; quamuis rasum fuisse ludibrij causa ab infidelibus Beda, aliíque memorentur. Porrò in nostra Panoplia Clericali, qua tractatur de Clericorum Tonsura & habitu, vbi de Christi Domini agimus decaluatione, morem fuisse tunc eos qui cruci affigendi erant postquàm cæsi essent flagellis, detondere ad contemptum & turpitudinem, speciali lemmate demonstraui. Andream igitur Apostolum, qui Christi crucifixi rediuiuam tulit imaginem, non solùm flagellatum fuisse antequam in crucem tolleretur (sicut eius passionis acta ferunt) sed etiam pro more decaluatum, nihil obstat existimare: vel certè cùm à Maximilla cum aromatibus sepultus est, æquum est opinari caluariam eius detonsam, & barbæ crines decisos, qui in eius beatæ memoriæ

patrociniique pignus asseruarentur. Quicquid sit, abhinc eius capilli & barba pro parte conseruati sunt, & cum eius cruce ex Achaia in Galliam translati, Massiliæque ibidem repositi, vbi etiamnùm ostenduntur. Id ex Massiliensis Ecclesiæ monimentis sacris didicimus, quæ secuti consignauimus in Supplemento ipsius Martyrologij pridie Kal. Decembris hac verborum serie: Cuius egregij Apostoli & athletæ barba longa vt minimum vno palmo, & niuis instar candida, circumspersis tamen capillis nigris, Massiliæ in Prædicatorum Ecclesia hodie ostenditur & magna reuerentia conspicitur. Idipsum recenset & asserit Chiffletius Vesontionis suæ part. 1. c. 48. pag. 103. Ex cuius dictis & nostra notatione, non est quòd quispiam B. Andreæ detractum aliquid commendationis putet, quòd nigro capillitio barbáque extiterit. Non me fugit Poëtarum figmentum, nigra displicere amori, nec etiam quòd Maria & Aaron Moysi fratri suo probro verterint, quòd vxorem Æthiopissam duxisset, hoc est piceam & denigratam, vt nonnulli intèrpretantur: scimus enim ex opposito nigrum colorem in oculis & superciliis, etiam apud veteres, nonnihil habuisse commendationis; Hinc Plautus in Pronubo, *Num. 12.*

Atque ipsa est specie venusta, ore paruo, atque oculis pernigris.

Et Cornelius Gallus in Elegiis,

Nigra supercilia & frons libera, lumina nigra.

Hinc illud Tertulliani de fuco oculorum, lib. de habitu muliebri cap. 2. *Et illum ipsum nigrum puluerem, quo oculorum exordia producuntur:* quem magistrum secutus Cyprianus de disciplina & habitu virginum: illi & oculos circumducto nigrore fucare docuerunt. Veruntamen fusco colori inesse suam gratiam, si in facie adsit quoque formositas, plerique veterum censuerunt: quin & sponsa in Canticis ait, *Nolite me contemnere quòd fusca sim; Nigra enim sum, sed formosa:* quæ ideo dilectum suum dilaudat, quòd nigro esset capillamento, *coma eius sicut elatæ palmarum, nigra sicut coruus.* Nihil igitur laudis decidit Andreæ, quòd sponso similis, fusco fuerit colore & nigris capillis. Ceterùm hîc mihi excidere non patior insigne illud Domini ad suos Apostolos effatum, *Nolite timere! Capilli vestri omnes numerati sunt. Capillus de capite vestro non peribit.* Tum vt spem resurrectionis eorum in mente erigeret, tum vt amorem aduersus eos suum ostenderet; tum etiam vt quàm *Cant. 5. 11.* *Matth. 10. 30.*

pretiosa foret mors eorum coram se innueret; tum denique vt quanti vel minimum crinem eorum capitis pij quique facere debeant edoceret: cùm ipse tantam de iis curam gerat, vt tanquam pretiosas margaritas illos sigillatim enumeret, nec vel minimum eorum vspiam perire patiatur.

CAPVT IV.

De prima pretiosi corporis S. Andreæ translatione; voto & iussu Constantini Magni Imperatoris facta: Qua sacrum ipsum corpus, cum ossibus S. Lucæ Euangelistæ, ex Achaia in Græciam transuectum, insigni pompa Constantinopolim delatum, & in Basilica quam eo fine præfatus Augustus extruxerat, honorificentissimè collocatum est. Vnde ipsi B. Andreæ accessit Apostolici templi in vrbe Regia titulus, ac patrocinium.

ARTICVLVS I.

Quo ostenditur non à Constantio, sed à Constantino Magno eius patre, factam fuisse illam translationem.

MAGNA est inter sacros Chronologos & Historicos, de tempore huius Translationis controuersia, quæ tantam in anxietatem Cardinalem Baronium coniecit, vt omnibus perpensis, tandem in hanc sententiam descenderit, rem adeo ambiguam & implicatam à se definiri non posse: *In re autem ambigua* (inquit) *ita animo affectus sum, vt definire controuersiam, certámque de ea re ferre sententiam non præsumam.* Tanti viri auctoritas magni apud me semper fuit momenti: quamobrem vereor me aggredi determinandum quod ipse inextricabilem habere difficultatem censuit. Verùm exercitationis gratia tantùm, eandem quæstionem excutiendam suscipio, non tamen eius mihi arrogo iudicium, sed Lectoris prudentis arbitrio integrum illud volo relictum.

Propositionem in apice huius capituli præfixam, probatum ire quidem aggredior, vtriusque partis adductis ratio-

nibus & argumentis, quibus æquo libramine perpensis meam quidem sententiam, eo tamen pacto, vt si ab eruditorum senatu minùs probabilis iudicetur: iam rescisam meritò censendam esse, vnusquisque, me ipso annuente, statim intelligat.

Qui volunt igitur Translationem illam factam sub Constantio Constantini filio, in Oriente imperij clauum moderante, testem maximæ auctoritatis proferunt.

I. S. Hieronymum, qui sic in Chronico scribit sub annum Domini 360. *Constantio Romam ingresso ossa Andreæ Apostoli & Lucæ Euangelistæ, à Constantinopolitanis miro fauore suscepta*, &c. Porrò in libro suo de Scriptoribus Ecclesiasticis, idipsum repetit, in Luca dicens, *Sepultus est Constantinopoli, ad quam vrbem 20. Constantij anno ossa eius, cum reliquiis Andreæ Apostoli, translata sunt de Achaia.*

II. Ado Archiepiscopus Viennensis in libello suo de festiuitatibus SS. Apostolorum & discipulorum, &c. S. Hieronymo adstipulatur in B. ipsius Apostoli Andreæ elogio, 2. Kal. Decembris, in fine, vbi ait, *Emergentibus annis sacratissima eius ossa, vicesimo Constantij Imperatoris anno, ab Achaia Constantinopolim translata sunt.* Hócque iterat adhuc in Luca, 18. Octobris. *Septuaginta & trium annorum obiit* (inquit) *in Bithynia, plenus Spiritu sancto, sepultus autem nunc Constantinopoli, ad quam vrbem, vicesimo Constantij anno, ossa eius cum reliquiis Andreæ Apostoli translata sunt.*

III. Beda venerabilis in suo Martyrologio die 15. Kal. Nouembris, qui natalis est sancti Lucæ, *Sepultus est* (inquit) *nunc Constantinopolim**, *ad quam vrbem, vicesimo Constantij anno, ossa eius cum Andreæ Apostoli reliquiis, translata sunt.*

* *Constantinopoli*

IV. Acta S. Artemij Ducis Augustalis, qui sub Iuliano Christi Domini eiuratore, illustre martyrium peregit, anno 330. prædictis testimoniis sunt consona: sic enim habent, *Sanctarum reliquiarum Christi Apostolorum, Andreæ, Lucæ, & Timothei, ipse est, qui à Constantio iussus, exportationem fecit.*

V. Theodorus Lector in fine lib. 2. Collectaneorum idem testatur, *Constantius filius Constantini Magni imperauit annis 24. dies 5. Et sub illo, Constantinopolim venerunt reliquiæ sanctorum Apostolorum, Timothei 8. Kal. Julij, Andreæ &*

To. 7. Biblioth. SS. PP postremæ editionis ann. 1624. p. 634. littera B.

Lucæ 5. Nonas Martij, collocataque sunt in consecrato magno SS. Apostolorum templo.

VI. Mænea Græcorum à Constantio quoque, hanc translationem factam referunt, 30. Nouembris in Andrea, & 18. Octobris in Luca.

Nihil igitur constantius, eo calculo videri potest, qui tot testium auctoritate firmatur; Dominus in Euangelio siquidem edicit, *in ore duorum, vel trium testium stabit omne verbum.* Atqui hæc sex testimonia, inuicem sibi consona manifestè, concurrunt. Proinde quòd hæc certa sit sententia, videtur non posse in vllum dubium reuocari.

Verumtamen eam erroneam esse non dubito: ídque planum facere manifesta prorsus demonstratione, impræsentiarùm aggredior. Si igitur res auctoritate testium est definienda, validis sanè testimoniis assertionem nostram (scilicet quòd illa Translatio facta sit non à Constantio Constantini Magni filio, sed ab ipso Constantino) possumus ire firmatum, siquidem id expresè testantur.

I. Sanctus ipse Hieronymus scribens aduersus Vigilantium, vbi argumento ducto ab ipsius Constantini auctoritate, ipsum Vigilantium hæresiarcham perstringit, & ad absurdum compellit. *Sacrilegus* (ait) *fuit Constantinus Imperator, qui sanctas reliquias Andreæ, & Lucæ, ac Timothei transtulit Constantinopolim, apud quas dæmones rugiunt, & inhabitatores Vigilantij illorum se sentire præsentiam confitentur.* Et rursus in libro de Ecclesiasticis Scriptoribus, in Luca: *Vixit octoginta & quatuor annos,* (inquit) *vxorem non habens. sepultus est Constantinopoli, ad quam vrbem vicesimo Constantini anno, ossa eius cum reliquiis Andreæ Apostoli translata sunt ex Achaia,* sic enim habetur in expurgatiori editione, facta ex recensione accuratissima Mariani Victorij Reatini, Episcopi Amerini. Sed de testimonio sancti Hieronymi iterum infrà.

II. Socrates continuator historiæ Eusebij Cæsariensis, ab eius morte vsque ad tempora Theodosij Iunioris lib. 1. cap. 26. loquens de obitu & funere Constantini Magni sic ait, Ἀποτεθεὶς ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ τῇ ἐπωνύμῳ τῶν Ἀποστόλων, ἣν δι' αὐτὸ τοῦτο πεποιήκει, ὅπως ἂν οἱ βασιλεῖς τε καὶ ἱερεῖς τῶν Ἀποστολικῶν λειψάνων μὴ ἀπολιμπάνοιντο. *In Ecclesia Apostolorum reponitur Constantinus: quam quidem Ecclesiam Constantinus ædificauerat, ne Imperatores*

&

& sacerdotes Apostolorum reliquiis aliquando destituerentur. Reposuit igitur in hac Ecclesia ipsana prædictorum Apostolorum, vt eorum patrocinio tam ipse quam sacerdotes quos huic Ecclesiæ addixerat fruerentur. Hoc probabitur euidentiùs paulò infra.

III. S. Paulinus Episcopus Nolanus sancti Hieronymi synchronus, eiusdémque & Beati Augustini amicus eximius, factam hanc translationem à Constantino Magno explicitè asserit & prædicat inter Natalis XI. fragmenta apud Dungalum, vbi etiam causam indicat cur id Constantinus consilij susceperit, & rem actam, vt infra referetur enarrat.

IV. Sophronius Patriarcha Hierosolymitanus, qui anno 630. claruit, & librum S. Hieronymi de Ecclesiasticis Scriptoribus Græcam in phrasim traduxit, additis quibusdam Apostolorum elogiis, in Luca, expressè vertit, *vicesimo Constantini anno.*

V. Vsuardus in Martyrologio, quod iussu Caroli Magni conscripsit, septimo Idus Maij sic habet. Festiuitas Beati " Andreæ Apostoli, quando sacratissimum eius corpus, vnà " cum ossibus (apud quæ dæmones rugiunt) Sanctorum Lu- " cæ Euangelistæ, & Timothei discipuli S Pauli, sub Constan- " tino Imperatore Constantinopolim translatum est. "

VI. Martyrologium Romanum Gregorio XIII. dicatum à Petro Galesinio sic etiam refert, at die præcedenti: *Constantinopoli Translatio sanctorum Andreæ Apostoli, Lucæ Euangelistæ, & Timothei discipuli B. Pauli Apostoli: quæ translatio Constantino Imperatore celebrata est.*

Iam verò cùm testes pari numero concurrant, dispiciendum venit quorumnam sit maior hanc circa rem, de qua testimonium ferunt, præsenti hac in lite, auctoritas.

I. Certè S. Hieronymus vtriusque partis antesignanus seipso maior esse non potest. Negari verò non debet quin primùm in ea fuerit opinione, de qua agitur, quæ translationem hanc factam asserit non sub Constantino Magno, sed à Constantio eius filio, & in Imperio Orientis successore: hoc enim manifestum est ex eius Chronico, vbi notato Constantini Magni obitu anno Domini 340. ita signat sub annum ipsius Christi Domini 360. Constantio eius filio Ro- " mam ingresso, ossa Andreæ Apostoli, & Lucæ Euangelistæ " à Constantinopolitanis miro fauore suscepta. Verùm sub- "

inde pensiculatiùs re librata, sanctus ipse Hieronymus (propter rationes quæ mox afferentur) mutauit priorem sententiam, & alteram amplexus, duobus insignibus scriptorum suorum locis, eam vt certam & sinceram consignauit, in eiúsque professione perstitit, vsque ad vitæ suæ finem.

Sanè ex operum eius quem ipse texuit indiculo, patet illum Chronicon suum diu ante alia multa opera scripsisse, quæ posteriùs recenset, & alia quæ quoniam nec enumerat, post ipsa quæ consignat scripta fuisse, satis euidenter insinuat. Finit Chronicon suum anno Christi 381. & vixit vsque ad annum 422. vt S. Prosper suo in Chronico scribit. Porrò librum suum de Ecclesiasticis Scriptoribus non scripsit S. Hieronymus, nisi post tres libros, quos in eius fine recenset aduersus Iouinianum; qui hæreses suas spargere non cœpit, nisi sub finem Pontificatus Syricij Papæ, à quo damnatus fuit: Obiit verò Syricius anno 398. Denique in Catalogo suo non meminit scriptorum suorum aduersus Vigilantium, quia nondum composita erant; nec enim Hæresiarcha ille apparuit, nisi anno 406. quo S. Hieronymus eum confutare cœpit, nec destitit eum impugnare, donec nouum hoc monstrum planè prosterneret & extingueret. Patet igitur hac ex inductione, Chronicon S. Hieronymi, in quo translationem S. Andreæ Constantio tribuit, editum esse 20. circiter annos antequàm scriberet aduersus Vigilantium cultus sacrarum reliquiarum hostem; & diu antequàm Catalogum suum exararet de Ecclesiasticis Scriptoribus, in quo ipsius à se confutati Vigilantij nequidem meminit. Ceterùm in vtroque libro diu post Chronicum edito, firmiter asserit translationem illam factam fuisse à Constantino Magno, nam in suo Catalogo sic disertè scribit: *Sepultus est Constantinopoli, ad quam vrbem vicesimo Constantini anno ossa eius cum reliquiis Andreæ Apostoli translata sunt de Achaia.* Nec opponi potest aliquos Codices habere à Constantio, mendosos enim esse hac in re, & recenter scriptos bene obseruat in scholiis suis eruditis Marianus Victorius, vbi asserit antiquos Codices nomen Constantini, non autem Constantij perferre; Denique Sophronium, qui ante mille annos vertit Catalogum S. Hieronymi, expresè Constantinum transtulisse. Ceterùm in polemicis suis scriptis aduersus Vigilantium, vt omnes tam antiqui quàm noui Codices constanter perhibent, S. Hieronymus sæpedictam

translationem factam fuisse auctore Constantino Magno insinuat, cuius etiam auctoritate Hagiomachum illum Vigilantium refellit; Sacrilegus (ergóne) fuit Constantinus " Imperator, qui sanctas reliquias Andreæ & Lucæ & Timo- " thei transtulit Constantinopolim, apud quas dæmones ru- " giunt, & inhabitatores Vigilantij illorum se sentire præ- " sentiam confitentur? Expungendus igitur omninò est S. " Hieronymus ab eorum testium nomenclatura, quæ translationem illam Constantio adiudicat, quoniam hunc errorem postea ipse S. Hieronymus à se animaduersum correxit, & antesignanum se constituit eorum, qui iuxta rei gestæ veritatem illam peractam fuisse à Constantino Magno fatentur & affirmant.

Sequentes adstipulatores sunt aliqua excusatione digni, qui post S. Hieronymum in eundem scopulum impegerunt: vnus enim post alium, in hoc incidit offendiculum, quamuis ab omni culpa non sint immunes: si enim opera sancti huius Doctoris accuratiùs perlegissent, emendationem erroris incautiùs ab eo admissi, facilè potuissent animaduertere. Culpatur Tertullianus à Vincentio Lirinensi, *quòd posterioribus scriptis detraxerit prioribus auctoritatem*: At laude dignus est sanctus Hieronymus, qui per vltima sua scripta priorum errorem correxit, bisque emendauit quod semel per inaduertentiam peccauerat; sed testes illi referendarij aliquam insuper exceptionem patiuntur.

II. Ado Viennensis, qui Chronographum agebat, vix alios S. Hieronymi tractatus, quàm eius Chronicon perlegit, qui liber breuior erat, studiis suis affinior, & rei quam tractabat accommodatior. Adde quòd nominum Constantini & Constantij promiscua ferè expressio, & ætatis vtriusque vicinitas ipsum fefellit.

III. Bedæ, vt omnes docti norunt, nec purum nec accuratum est Martyrologium: siquidem præter propria eius errata, à plerisque posterioribus & longè minùs doctis interpolatum, & variis additamentis & mutilationibus alteratum est. Vnde dubium manet, num Constantium, vel Constantinum scripserit? affinitate prætereà nominum, & temporum propinquitate, etiam videtur deceptus.

IV. Acta S. Artemij non sunt solidæ auctoritatis, sunt enim plena infinitis parergis & paradoxis, quæ fluxæ fidei illa efficiunt; Vnde in dubium vocat magnus Cardinalis

Baronius, si fides ipsis adhibenda sit, quæ alioquin nullum auctorem authenticum habent : à solo enim Metaphraste originali scriptore enarrantur, qui nec vetus nec authenticus est ; Non vetus, quia anno dumtaxat 850. vel circiter primùm eluxit : nec magnæ adeo auctoritatis, iudice doctissimo Cardinale Bellarmino, qui sic de eo censuit lib. de
« Scriptoribus Ecclesiasticis. Illud autem est obseruandum, à
« Metaphraste scriptas fuisse Sanctorum historias, multis addi-
« tis ex proprio ingenio, non vt res gestæ fuerunt, sed vt ge-
« ri potuerunt : Addit enim Metaphrastes multa colloquia siue
« dialogos Martyrum cum persecutoribus; aliquas etiam con-
« uersiones astantium paganorum, in tanto numero, vt incre-
« dibiles videantur : denique miracula plurima & maxima in
« euersione templorum & idolorum, & in occisione perse-
« cutorum, quorum nulla est mentio apud veteres historicos.
Idem censuit Cardinalis Baronius tom. 10. Annal. ad ann. 859. Sed præter hos næuos accedit circa hunc locum Metaphrastis & illa obseruatio, quòd eo ipso loco de quo agitur, manifestissimum habet errorem, non tantùm enim dicit translationem S. Andreæ actam fuisse à Constantio vtente
« opera ipsius S. Artemij Ducis: sed Constantinopolim, ab ipso
« fundatam & effectam caput Imperij. Constantius autem
« secundus ex filiis Constantini, qui tunc rebus præerat O-
« rientis, decertans aduersus Persas, partem Orientis accepit
« & Byzantium nomine mutato in Constantinopolim, & no-
« uam Romam fecit regiam, &c. Hoc autem quàm procul sit à vero, quámque repugnans rei gestæ à Constantino Magno notorietati : & non solùm Eusebio Cæsariensi, qui res eius gestas ex visu litteris prodidit, librósque quatuor de vita eius edidit, sed expresso aliorum historicorum non tantùm Christianorum, sed etiam ethnicorum testimonio, orbísque vniuersi vnanimi consensui : nemo est tantisper rerum sciens, qui ignorat. Sicut igitur hic auctor in fundamentali principio patenter errat, non dubium est quin etiam hallucinetur in accessorio ; quamobrem eius narratio fide minimè est digna.

V. Theodori Lectoris auctoritas multùm me non premit ; quàm enim oscitanter multa scripserit, & parum feliciter exscripserit, nolim impræsentiarùm edicere. Opusculum eius extat tom. 7. Bibliothecæ SS. Patrum edit. Paris. ann. 1624. Precor Lectorem vt censuram ad calcem pag.

...... appositam attentiùs inspiciat, & pro sua solertia seriem vtriusque libelli, quo constat totum eiusmodi opusculum consideret, hincque non præcipiti libramine diiudicet, an ea fides ei sit adhibenda, quæ controuersiam magni ponderis determinare possit. quamuis ipsi auctori hoc erratum non sine æquitate aliqua possit condonari, iis de causis quæ suprà indicatæ sunt, in iis quæ pertinent ad testimonium Adonis, & Venerabilis Bedæ.

VI. Menæis Græcorum, opponimus Martyrologiorum Romanæ Ecclesiæ auctoritatem, quæ quantum illis præponderent grauitate, sinceritate, auctoritate, nemo eruditorum nescit. Sanè vnum Vsuardi Martyrologium, quod Cardinalis Bellarminus in libro de Scriptoribus Ecclesiasticis non immeritò vocat *accuratum & celebre, multarúmque Ecclesiarum vsu receptum*, magno pondere Græcorum tabulis, quæ plerisque locis mendis scatent, profectò antecellit. Porrò illud authenticum Martyrologium, cuius auctor sequitur hac in re, constantissimam demum S. Hieronymi sententiam; non Constantio, sed Constantino rem gestam de qua agitur absolutè assignat.

Ceterùm expressa S. Paulini & Socratis post S. Hieronymi supremum iudicium testimonia, tanti sunt ponderis, vt vel sola sufficiant ad controuersiam illam penitùs definiendum: maximè cùm Socrates Græcus sit scriptor, qui Constantinopoli scripserit, quin & ipse fuerit scholasticus Constantinopolitanus, ex cuius Ecclesiæ Patriarchalis scriniis suæ historiæ deprompsit adminicula, ipsiúsque Ecclesiæ res proprias tanquam ex natiuo fonte delibauit. Paulinus verò sanctitate & doctrina admirabilis: prudentia & solertia sua ætate præcellens, sanctorum Hieronymi & Augustini amicitia & æstimatione præcipuus, non inconsideratè scripsisse quæ ea de re gesta à Constantino Magno commemorat, existimandus est: sed scienter & oculatè, maximè cùm hoc non obiter referat, sed à quo facta sit, quando, cur & quomodo, enucleatè & luculenter consignet, vt infrà, expressione accurata eius testimonij apparebit. Sat esse meritò possent hæc ad quæstionis huius absolutam decisionem, sententiæque quam tuemur solidam confirmationem, cùm in quæstionibus facti, testimoniis certis magis quàm argumentis ingeniosis, res de qua controuertitur soleat, quin & debeat expendi ac definiri. Verùm ne quid desit plenæ inda-

gini & accurato examini, rationes insuper efficaces ad clariorem veritatis demonstrationem vltrò, subiiciam.

ARTICVLVS II.

Persuasiones vrgentiores, quòd Constantius, Translationis huius auctor ipse non fuerit, nec actor.

HERIBERTVS Rosweydus è Societate Iesu Presbyter & scriptor celebris, qui sancti Paulini opera cum eruditis Frontonis Ducæi obseruationibus, suisque notis, Antuerpiæ Plantinianis typis edidit anno 1622. suis in scholiis in carmen 26. postquam auctorum varias hac de quæstione sententias obiter indicasset, perplexus in hac lite dirimenda, vtramque vt conciliaret sententiam hæsitanter & timidè, viam hanc pacis ineundæ aperuit. *An Constantinus destinârat facere, quod posteà filius eius Constantius perfecit?* Nec definit rem, sed arbitrio Lectoris, cui hoc suggerit temperamentum, diiudicandam relinquit. Verùm cum bona venia tanti viri dixerim, trepidauit timore, vbi non erat timor: quicquid sit enim de Constantini Magni vel voto vel facto (de quo mox acturi sumus) certum esse reor, & ostensum ire aggredior, nihil Constantium curæ aut operæ huic translationi impendisse.

Domini Euangelica sententia est, malam arborem bonos fructus non facere, nec vuas expectandas esse de spinis, aut de tribulis ficus. Quo ex oraculo promptum est elicere apertum huius litis præiudicium: scilicet opus tam pium ab impio Constantio, degenere circa fidem Constantini Magni filio, & iurato Ecclesiæ Catholicæ hoste, piorum & bonorum omnium acerrimo persecutore, diuinitatísque Verbi incarnati capitali aduersario & oppugnatore ferocissimo, haud expectari potuisse, nedum iniri & peragi.

Breui indiculo hominis tam dirè perditi mores hîc referam, non ad eius nomini vel memoriæ, dedecus aliquod inferendum, sèd pio tuendæ veritatis affectu, & tam funesto Catholicæ fidei inimico, quod iustitia postulat & religionis zelus sanctissimæ à me exigit, tam opportuno loco rependendum. Hæc igitur breuis est, sed sincera vitæ & gestorum eius series.

Constantius secundus erat Constantini Magni filius, à quo Cæsar creatus, duxit mox Eusebiam vxorem, magni

quidem ingenij fœminam, ſed Arianam, vnde orta eius circa fidem deprauatio. Mortuo patri in Imperio Orientali ſucceſſit, & pro funeſti exordio principatus, patruos ſuos fictum ob crimen interfecit; Delmatium Cæſarem patruelem, alióſque viros clariſſimos occidit. Mox planè deſciuit ad Arianos, & multos præſtantiſſimos Epiſcopos Catholicos pepulit ob aſſertionem veræ fidei in exilium, Magnúmque Athanaſium deturbatum Alexandrinæ Eccleſiæ Sede, acriter vbique perſecutus eſt: Paulum deinde Conſtantinopolitanum Antiſtitem orthodoxum expulit Conſtantinopoli, & Macedonium hæreſiarcham diuinitatis Spiritus ſancti æquè ac Filij abnutorem iuratum, eius in locum intruſit. Proſperis ſubinde aliquot elatus, eò proſiliit ſuperbiæ & impietatis, vt ſe æternum nominaret in Reſcriptis. Quo nefario auſu excitus Lucifer Calaritanus ſanctiſſimus Epiſcopus aculeatum ad eum ſcripſit, miſitque librum *de Regibus Apoſtatis*. Non reſipuit tamen, ſed ex quo Valentem Epiſcopum Arianum, in amicitiam admiſit ſuam, magis ſua in hæreſi obduratus eſt, ſicque magis efferatus in Catholicos, indixit exilium omnibus Epiſcopis, qui Athanaſium fortiſſimum Nicænæ fidei aſſertorem damnare nollent: eóque euaſit inſaniæ, vt in Conciliabulo Mediolanenſi ſeipſum accuſatorem ipſius Athanaſij non erubuerit profiteri, & hinc omnes eius fautores eiecit in exilium, vel diris pœnis ſubiecit. Exprobrant illi Patres, in ſe expreſſiſſe Antichriſti imaginem, quòd tanto furore pios vbique perſequeretur, & de rebus Eccleſiaſticis arrogare ſibi præſumeret iudicium. Romanam Eccleſiam, quæ flecti ad impietatem non poterat, quòd ſuper petram fundata ſit, aduerſus quam nec portæ inferi vnquam præualebunt, tum demum immani auſu aggreſſus, Liberium Papam communionis Catholicæ apicem, & rectæ fidei defenſorem imperterritum, quòd ſummo ſuo iudicio Athanaſium Chriſti gloriæ ſtrenuum vindicem, & eximiæ ſanctitatis virum damnare nollet, Cathedra Petri eiectum, in exilium relegauit, & Felicem Arianum vi intruſum ei ſubſtituit: quem mox, ac conſcendit ſedem hæreſis omnis inimicam, diuina mutauit prouidentia, & de hoſte veritatis, domeſticum fidei effecit, feruidúmque zelatorem, pro qua cùm ipſum Conſtantium hæreſis damnaſſet, ab Arianis ſede Apoſtolica deiectus, ac crudeliter necatus, inclytum peregit martyrium. Conſtan-

tius verò quasi hactenùs nihil flagitij admisisset, ita infelix fuit, vt vno actu iugulum Christianæ religionis petierit: Iulianum suum patruelem, qui fidei pòst fuit Christianæ desertor & orbis teterrima pestis Cæsarem crearit, & Galliæ præfecerit, vnde pòst inuasit Imperium, & rem Christianam prope extremum adduxit exitium. Non satis adhuc Constantio ad impietatem actum, Synodum apud Ariminum indixit, *qua Patrum fides* (ait S. Hieronymus in Chronico, anno 363.) *damnata est*. Demum Constantius ipse in expeditione Persica cùm ageret, audita Iuliani rebellione, dum aduersus eum regreditur, in morbum incidens, apud Mopsuestiam Ciliciæ baptismum petiit & suscepit ab Euzoio Ariano Episcopo, & in impietate sua mortuus est. Hæc est vera & genuina vitæ & mortis illius epitome.

Porrò non nescio quosdam ipsum Constantium excusare, eo quòd bona quædam fecerit, & proinde quantumuis fuerit malus, nihil tamen implicare quominùs inter tot scelera pium hoc opus translationis Beati Andreæ peregerit: cùm Ariani, quibus vsque ad mortem & in ipsa morte pertinaciter adhæsit, Sanctorum cineribus iniuriosi non essent, sed eorum memoriam haberent in honore. Ad singula respondeo.

I. Annuendo neminem ita dirè perditum esse, qui aliquando non bene agat: sic fecit ipse Constantius cùm Magis & idolorum cultoribus pœnam capitis constituit, & quando rescripsit aduersus maleficos, & gladiatorios ludos. Sed plerumque leges principum etsi eorum auctoritate sanciuntur, non eorum fiunt iussu, aut proprio motu, sed sapientum Ministrorum suggestione & impulsu. Non inficior tamen ipsum laudis aliquid promeruisse in iis condendis legibus, etiamsi nudum iis ferendis assensum præbuisset. Verùm de iis editis legibus planè constat; at de honorifica translatione S. Andreæ, &c. non liquet, vt suprà demonstrauimus, imò contrarium est perspicuum. Adde quòd si aliquid simile huius pij operis actioni, circa Sanctorum venerationem, in gestis Constantij inueniretur, ex illa factorum affinitate, elici posset equidem aliqua probabilitas, non tamen vlla certitudo, sed mera coniectura, quæ ad assertionem rei gestæ constantem non sufficit.

II. Certò dici non posse quovsque Arianorum impietas prosilierit, qui hostes Christi diuinitatis, & gloriæ eius sacrilo-

crilegi detractores, non æstimandi sunt erga seruos fuisse obseruantiores, quàm erga Dominum eorum extiterunt procaces, impij, & blasphemi. Neminem ignorare puto celebrem S. Antonij visionem de imminente illorum hæreticorum ortu ac grassatione, aduersus sacra quæcumque & diuina; his siquidem verbis recenset S. Athanasius ipsum B. Antonium inquirentibus discipulis, de causa frequentis eius gemitus, enarrâsse; *Magnum* (inquit Antonius) *quoddam & vniuersis sæculis inauditum imminet nefas: Magno fides Catholica turbine subuertetur, & homines iumentis similes Christi sancta diripient. Vidi enim altare Domini mulorum circumdatum multitudine, qui crebris calcium ictibus, omnia dissipabant. Hæc est causa gemituum meorum quos audistis. Et facta est vox Domini dicens, Abominabitur* (scilicet Arius sectæ huius teterrimæ funestus parens) *altare meum. Nec mora visionem sequitur effectus, nam post annos duos, sæuè Arianorum irrupit insania. Tunc Ecclesiarum fuerunt rapinæ, tunc diuinorum temeratio vasorum, tunc pollutis ethnicorum manibus, sacra polluta sunt monasteria.* Porrò eos qui altaria diuina abominabantur, & ea calcibus suis euertebant, quis credat Sanctorum pignora quæ subtus altaria condita erant, reuerenter & religiosè obseruasse? Ex Arianorum colluuie, sub ipso Constantio, exortus est alius hæresiarcha Eunomius qui Spiritui sancto bellum indixit, eius diuinitatis oppugnator acerrimus: is etiam Sanctorum defunctorum ossa, vlla digna esse veneratione inficiatus est, & quò sæuire potuit, non tantùm priuauit debito ac solito honore, sed vt putida cadauera proculcauit, facem præbens infelici Vigilantio, qui capitalis huius hæresis feruentem sese constituit assertorem. Is est aduersus quem sanctus Hieronymus stylum strinxit, pro venerationis sacrarum reliquiarum defensione, victórque hoc in conflictu ac triumphator, gloriam immortalem de exitiali hac prostrata perfidia, vniuersalis Ecclesiæ iudicio ac gratulatione reportauit. Porrò Eunomius assecla fuit Aëtij hæresiarchæ, seu potiùs Athei, Symmysta verò & fautor præcipuus Eudoxij, dicti hæreseωn omnium fæcis, quem in Ecclesiam Constantinopolitanam intrusit Constantius Imperator. Hinc iam colligere licet quo pacto sit credibile, hoc ipso tempore, quo monstrum illud Constantinopoli, auctore Constantio, Sedem Pontificiam occupabat & sacris præerat, ipsum Con-

ſtantium tantæ erga Chriſti Apoſtolos & Martyres fuiſſe deuotionis, eis vt triumphos in ipſa regia appararet; & aduecta omni cum honore pretioſa eorum oſſa, ad venerationem in templo magnificentiſſimo, à ſe hunc in finem extructo collocaret. Apage has fabulas? *Num colligunt homines,* (ait Dominus) *de ſpinis vuas, nec de tribulis ficus?* Tantæ pietatis opus ab impio principe, & eius miniſtris ipſi conſimilibus hæreticis, & ſacrilegis ſub Epiſcopis, quos eiectis piis & probis intruſerat, neutiquam credibile eſt peragi potuiſſe. Denique ad plenam euictionem accedit, quòd ipſo tempore quo citati Scriptores, ſed repulſi, notant ſacratiſſima S. Andreæ, beatorúmque Lucæ & Timothei oſſa à Conſtantio Imperatore inuecta Conſtantinopolim illuſtriſſimo apparatu, ipſe in Oriente non erat. Aiunt enim anno 20. eius principatus hoc factum, qui Chriſti erat 356. & quidem poſt Conſtantij triumphantis de Magnentio tyranno extincto, in vrbem Romam ingreſſum, qui hoc ipſo anno factus eſt 3. Kal. Maij. Subſtitit verò Romæ Imperator cum ſuo copioſo comitatu diebus tantùm 30. aſſiduis enim nunciis percitus indicantibus Sueuos Rhetiam incurſare, Quadóſque Valeriam, & Sarmatas ſuperiorem Mæſiam & ſecundam Pannoniam populari, 4. Kal. Iulij vrbe egreſſus per Tridentum iter in Illyricum arripuit: Vnde poſt aliquot moras diſcedens, Syrmium conceſſit, vbi Conciliabulum tenuit Syrmienſe, à loco eius celebrationis appellatum, quod in annum ipſum labentem protraxit. Diu autem ibidem hæſit poſt infelix hoc conuenticulum diſſolutum, nam huc euocatis ad ſe Orientalibus Epiſcopis, tam Arianis, quàm Semiarianis, inibi perſtitit vſque dum ipſo agente, inita eſt inter eos profana prorſus & impia Concordia, quæ promulgata fuit Syrmij ſummo mane ſacri diei Pentecoſtes anni ſequentis, quin alij vlteriùs prorogant; Hæc enim multáque alia funeſta Eccleſiæ Catholicæ, facta ibi fuiſſe à Conſtantio anno 358. alij proximè ſequenti: vnde liquet luce meridiana clariùs, illo tempore quo illi Scriptores conſignant Conſtantium, aliis longè negotiis implicitum procul à Conſtantinopoli egiſſe, nec de illa tranſlatione S. Andreæ & B. Lucæ, quam factam Theodorus Lector ait 5. Nonas Martij tum curaſſe, hoc enim tempore in Occidente agebat, & triumphans de Magnentio proſtrato, Romam ingreſſus eſt Aprili finiente, die ſcilicet ipſius

mensis 28. Nec nisi diu pòst rediit in Orientem, vt ex hac patet inductione: Nec valet effugium, quo quis dixerit, Constantium, quod per seipsum non fecit, aliorum curâ & operâ peregisse: quinam enim quæso sunt isti, qui rem tam insignem eius mandato peregerunt? Sanè vt ossa Apostolica in Basilicam Constantinopolitanam decenter importarentur, & ritè ac ordine à Clero & populo exciperentur: hoc sub ductu & moderamine Archiepiscopi regiæ Vrbis transigi oportebat, nec mandata alij æquiùs sua hac de re Imperator dirigere poterat. Verùm regiæ vrbis Antistes tum erat Eudoxius, ab ipso Constantio intrusus: vir impius, & non solùm Arij ardentissimus sectator, sed fautor præcipuus & impulsor Eunomij, diuinæ Trinitatis hostis: Filij & Spiritus sancti diuinitatis impugnatoris acerrimi, & sacrarum reliquiarum Sanctorum beatorum, execratoris exitiosissimi. Non igitur vlla scintilla probabilitatis superest, quòd hæc à Constantio præsente, vel mandante facta sit religiosa ac celebris illa Translatio.

ARTICVLVS III.

A Constantino Magno Imperatore ossa sacratissima B. Andreæ, & SS. Lucæ & Timothei, Constantinopolim de Achaia traducta fuisse, & in Templo Apostolorum, ab ipso, ea de causa constructo, honorificentissimè collocata.

§. I. *In Sanctorum insignium amplificandam venerationem fuisse Constantinum, eximia deuotione, propensum.*

MAGNITVDO Constantini tanta fuit, siue religionem spectes, siue regiminis mundi politiam respicias, vt oleum & operam sit perdere, sic huius accuratæ demonstrationi incumbere. Quod de Cypriano scripsit in eius elogio Hieronymus, non ineptè de Constantino dici potest: *Huius ingenij superfluum est indicem texere, cùm sole clariora sint eius scripta;* Opera enim Constantini tam pia quàm heroica, adeo præclara sunt, adeo toto orbe illustria, vt superuacaneum sit acturus, quisquis in humani generis prospectum ea contenderit sigillatim expromere. stringam me igitur, & paucula ex multis exempla proferam, quæ ad scopum conferunt nostræ assertioni præfixum.

Sanè Constantinus fuit suo tempore, illustre operum Dei miraculum, & illa columba, quæ eiecto coruo ex arca attulit

nouo Noë Petro, poſt triſte perſecutionis diluuium, ramum vireſcentem oliuæ pacis. Res eſt ita nota, vt non egeat vlla demonſtratione. Hoc igitur argumenti genus iterum prætermitto: ſat dicere fuerit Conſtantinum alterum Abraham, patrem fidelium extitiſſe, alterum Ioſue, nouum Eliam, ſtrenuum gloriæ Dei vindicem, & Sanctorum qui teſtamentum Dei ſuo ſanguine tutati ſunt, eximium obſeruantiæ & piæ venerationis zelatorem: peruium eſt per exempla inſignia ſanctum hunc eius ardorem oſtendere.

A Chriſti Regis gloria, & Sancti Sanctorum feruentiſſimo cultu vt exordiar: pius ille Auguſtus extinctis tyrannis, compreſsíſque Chriſtiani nominis vbique hoſtibus, nihil tam ægrè tulit, quàm ſanctam ciuitatem Hieruſalem, natali mutato nomine, obrutam ruinis, conſpurcatam ethnicorum ſordibus ac immunditiis iacere, profaníſque delubris & pſeudonuminum idolis, Chriſti incunabula, & paſſionis ac ſepulturæ monimenta, trophæáque reſurrectionis, & glorioſi eius in cælum aſcenſus, infidelium abominationibus inquinari. Nouam igitur ciuitatem extruxit ad ſepulchrum Saluatoris, Palæſtinámque vniuerſam (vbi ſupererant peractæ à Chriſto Redemptionis veſtigia:) illuſtribus extructis paſſim Eccleſiis nobilitauit, ac quantum potuit euulſit radicitùs ſemina ſuperſtitionis antiquæ. Animum tamen, maximè illuſtrando Chriſti paſſi ac rediuiui mauſoleo ac trophæo, defixit: etenim inibi extruxit (vt teſtis oculatus refert Euſebius Cæſarienſis lib. 3. de vita Conſtantini) nobiliſſimum templum ingentibus ſumptibus, diruto funditùs impuræ Veneris fano, quod ſuper ſepulchrum Domini ad abolendam tanti myſterij memoriam, fuerat à Gentilibus conſtructum. Inuenta deinde diuinitùs à ſua matre Helena pientiſſima Auguſta, cruce cum clauis Domini, auidè tam pretioſa pignora appetiit: tranſmiſsáque à matre illorum parte, hanc ſumma reuerentia ſuſcepit. Et quaſi non ſatis eſſet crucem in ſuſceptis fragmentis Hieroſolymis, & Conſtantinopoli, incredibili cum honore ac gloria exaltâſſe: Romam inſignem eius tranſmiſit portionem, cui cum eximio cultu obſeruandæ, templum extruxit ſplendidum in ædibus Seſſorianis, abhinc ſanctæ Crucis in Hieruſalem titulo vocitatum.

Cultor inde præcipuus ſanctiſſimæ virginis Deiparæ, inſignem illam eius imaginem, cuius aſpectu Maria Ægyptia-

ca deinde flexa ad pœnitentiam, prodigium effecta est sanctitatis, Hierosolymam ad ornatum & tutelam magni illius templi quod ibidem extruxerat pretioso munere transmisit: Helena deinde eius mater super præsepium, in quo beatissima ipsa Virgo Deigenitrix, natum Christum filium suum reclinauerat, templum magnificum, quod etiamnum extat, marmoreis subnixum columnis, in honorem gloriosissimæ eiusdem Deiparæ ædificauit. Constantinus autem ipse Romæ fundauit eximiam Basilicam sanctæ Mariæ Maioris.

Deinde ad primores Sanctos pios conuertens affectus, Patriarchalem Ecclesiam Lateranensem, in honorem S. Ioannis Baptistæ erexit, in qua posuit baptisterium magnificum cum imagine Agni, ex auro purissimo, aquam fundentis: Ad cuius dexteram constituit imaginem Saluatoris; in læua verò effigiem S. Ioannis stantis, & ipsum Dominum indigitantis, cum hac quam tenebat epigraphe: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.*

Suggerente dehinc Syluestro Papa, excitauit magnificam Ecclesiam Beato Petro Apostolorum principi, in loco templi Apollinis: inclusúmque ipsius Beati Petri corpus pretioso loculo extulit super columnas porphyreticas, auróque & gemmis ambitum ipsius Apostolici sepulchri decorauit, aurea cruce superposita, hácque supposita inscriptione: CONSTANTINVS AVGVSTVS, ET HELENA AVGVSTA *hanc domum: regali simili fulgore coruscans, aula circumdat.*

Eodem tempore (ait Damasus* in libro Pontificali) fecit " Augustus Constantinus, Basilicam B. Paulo Apostolo, ex suggestione Syluestri Episcopi. Cuius corpus sanctum ita recondidit in ære & conclusit, sicut & B. Petri. Cui Basilicæ donum hoc obtulit, sub Tarso Ciliciæ (vnde Paulus ipse oriundus erat) &c. Omnia autem vasa sacra aurea, argentea aut ærea ita posuit, sicut & in Basilica S. Petri, &c. Sed & crucem auream super locum B. Pauli Apostoli posuit, pensantem libras centum & quinquaginta. "

* *seu Anastasius in Syluestro.*

Multa alia condidit Romæ pius ille Augustus, Martyria ingenti sumptu eximióque ornatu: maximè in honorem S. Laurentij, B. Agnetis, sanctorúmque Petri & Marcellini, quorum enarrat citatus auctor Pontificalis libri, situm & ornatum, quos nimis prolixum foret hîc accuratim recensere.

§. II. *Constantinum ipsum piè affectum fuisse, in venerabilem S. Andreæ Apostoli memoriam.*

EX forma crucis, quæ Constantino diuinitùs apparuit, Christique monogrammatis figura, quam labaro huic indidit, piæ huius propensionis principium licet aduertere. describit hanc Eusebius lib. 1. de vita Constantini cap. 25. his verbis: *Simul atque dies illuxit, surgens Constantinus, primò arcanum illud visum amicis exponit:* (illud videlicet quod in quiete viderat, quódque priùs etiam interdiu conspexerat) *deinde artificibus, qui aurum & lapides pretiosos affabrè sculpere nouerant, accersitis, medio inter illos loco aßidet, verbis signi describit effigiem, eam auro & lapidibus pretiosis imitatione adumbrare mandat. Erat autem tali figura fabricata: Hastile oblongum erectúmque, auro vndique obductum fuit, quod cornu habuit transuersum, ad formam crucis constructum: suprà in fastigio eius operis, corona affixa lapidibus pretiosis & auro politè circumtexta; in ea salutaris appellationis saluatoris, nota inscripta duobus expressa solùm elementis,* (id est duabus primis litteris Græcis nominis Christi,) *erat enim P in medio litteræ X curiosè & subtiliter inserta, quæ totum Christi nomen apertè ac perspicuè significant; quas quidem litteras deinceps semper in galea Jmperator gestare consueuit.*

Ad cornu igitur illius particulæ quæ in transuerso erat per hastile traiecta, velamen quoddam pertenue appensum adhæsit, regali scilicet & magnifica textura, mirabili varietate lapidum pretiosorum, curiose coniunctorum, lucísque suæ claritate pulchrè resplendescentium depicta, & multo auro intexta: quæ dici non potest, quantam suis spectatoribus ob suam pulchritudinem excitaret admirationem. Istud igitur velamen ad cornu affixum, longitudinis latitudinísque crucis mensuram penitùs exæquauit; oblongum verò & erectum hastile in sublimi appensum, cuius pars inferior, versus basim, longiùs deducta fuit sub ipsum crucis insigne, ad texturæ discurrentis fimbrias, auream pij Jmperatoris ac liberorum suorum effigiem, ad pectus vsque concinnè descriptam continuit. Ipso igitur salutari signo Imperator, tanquam hostilis cuiusque & infestæ violentiæ propugnaculo semper vsus est: cuius expressæ similitudines, mandauit vt vniuersum exercitum continuò antecederent. Hactenùs Eusebius contemporaneus scriptor, de vexillo illo militari, quod labarum deinde passim vocitatum est. cuius figura in Con-

ſtantini numiſmatibus, quæ multa adhuc ſuperſunt cernitur impreſſa cum diuerſis circumſcriptionibus: in quibuſdam enim legitur, FELICITAS REIPVBLICÆ, in aliis GLORIA ROMANORVM, in aliis GLORIA EXERCITVS; quia ſcilicet præuio hoc ſigno victorias & triumphos Conſtantinus conſecutus fuerat, iuxta hoc diuinum oraculum, quod crucis ſigno in cælo apparenti ſubiectum erat, ἐν τούτῳ νίκα, *in hoc vince!*

Igitur in labaro cum figura crucis Domini, quam tranſuerſa haſtilis linea, vnde pendebat velamen, efformabat: in ipſo Chriſti nominis charactere, crucis decuſſatæ figura elucebat. Crux ſiquidem decuſſata ea eſt, in qua duo ligna directa inter ſe obliquantur, cuius formam refert littera X, quæ vt ſcitè ait Iſidorus in figura crucem, & in numero decem demonſtrat. hæc vulgò eſt quæ Andreana appellatur, quòd vetus Eccleſiæ traditio ſit, in hac ipſum ſanctiſſimum fuiſſe Apoſtolum, glorioſo martyrio affectum.

Non poterat ergo in labaro diuinitùs ſibi oſtenſo, & tradito, figura crucis Domini oculis Conſtantini obiici, quin etiam in ſubiuncto Chriſti nominis charactere, ☧ ſancti Andreæ crucis appareret figura, proindéque quin ipſe Conſtantinus, ſancti huius Apoſtoli, quem in curru ſuo triumphali comitem ſibi aſſumpſit Chriſtus, reminiſceretur, pióque affectu in eius beatam memoriam excitaretur. Nata hinc non temerè cenſeri poteſt, ſingularis illa quam tandem tot teſtimoniis prodidit Conſtantinus, aduerſus beatum illum Apoſtolum deuotio.

§. III. *Quænam fuerit cauſa, cur Magnus Imperator Conſtantinus templum Apoſtolorum Conſtantinopoli ædificauerit, adeo ſumptuoſa fabrica & ſpecioſo ornatu? Cuius rei cauſa ſignatur triplex.*

APOSTOLIS Chriſti duodecim ipſe Conſtantinus ſummum ferè detulit venerationis cultum, per quos ſcilicet non neſciebat Eccleſiam toto orbe diffuſam religionis exordium ſuſcepiſſe. Magni Chryſoſtomi egregia eſt ſententia ſup. Matth. ad illa verba *Ecce ego mitto vos*, &c. Miſiſſe Chriſtum Apoſtolos, quaſi ſol radios, quaſi roſa ſuauitates odoris ſui, quaſi ignis ſcintillas ſuas diſpergit: vt ſicut ſol in radiis ſuis apparet, ſicut roſa in odoribus ſuis ſentitur, ſicut ignis in ſcintillis ſuis aſpicitur: ſic in illorum vir-

tutibus & doctrinis, Christi ipsius potentia agnoscatur. Præclarè ait S. Hieronymus: *Christi triumphus est Apostolorum victoria, honórque eis delatus redundat in Dominum.* His imbutus pietatis principiis Constantinus Augustus, alta iam fruens pace, Constantinopoli magnificentissimum templum extruxit in honorem sanctorum Apostolorum, cuius fabricam admirabilem & splendissimum ornatum hac graphica expressione Eusebius ipse describit: *Templum autem totum, quod indicibili sublimitate erexit, variorum lapidum variegationibus splendidum, & ex fundamento ad ipsum vsque tectum incrustatum reddidit; sublimibus autem laquearis tectum complexus, totum auro cooperuit. Æs tegulæ loco positum, operi munimentum contra pluuias præstitit, & illud quoque multum auri circumfulsit, ita vt refractis in eo solaribus radiis, fulgorem à longè aspicientibus obiecerit. Reticulatâ verò sculpturâ, ex ære & auro fabrefactâ, ædem vndique circumdedit. Et hoc quidem templum, multa est hactenùs Imperatoris magnificentia ac diligentia dignum habitum. Circa illud verò atrium erat illustre & maximum, in aërem serenum apertum: hæc autem in quadrangulo porticus pertingebant, subdiale quod templo medium erat complexa. Deinde & domus Basilicæ, balneáque & deambulatorij reflexus, & alia plurima hospitia, loci custodibus commodè adstructa, ad porticus vsque extendebantur.* Hactenùs Eusebius de structura & decore huius Ecclesiæ, quæ templi Salomonis splendorem, si non in quibusdam superauit, saltem quoad amplitudinem & ornatum adæquauit. Quid causæ autem fuerit cur Constantinus Imperator, iam ætate prouectus, hoc templum sumptuosissimum extruxerit, Eusebius insinuat, nec vnam fuisse causam huius ædificationis arbitratur.

I. Quam assignat hæc est, vt memoriam Apostolorum Seruatoris, passim apud omnes perennem redderet.

II. Vt ibi corpus ipsius sepeliretur; *Struxit autem ista* (ait præfatus auctor) *aliud quoddam animo spectans, quod primùm erat occultum, circa finem verò cunctis factum est perspicuum. Igitur ad competens obitûs sui tempus, hinc sibi ipse locum condidit*, &c.

III. Non solùm, vt corpus quidem suum, sub Apostolorum patrocinio conderetur, sed & anima sua corpore exuta precationum, quæ ibidem essent ad Apostolorum gloriam offerendæ, efficeretur particeps: *Post mortem* (ait Eusebius) *excellen-*

cellenti fidei alacritate futurum prouidens, ita vt post obitum etiam precibus illis quæ eo loci ad honorem Apostolorum futura essent dignus haberetur.

§. IV. *Proferuntur duæ aliæ causæ; quarum prior erat peculiaris erga S. Andream Apostolum & B. Lucam Euangelistam, ac S. Timotheum, discipulum B. Pauli (quorum sacras exuuias eò transtulit) specialis deuotio. Altera, desiderium aliquâ ratione æquiparandi Constantinopolim, (quam nuper constituerat Sedem Imperij) magnæ Romæ in Sanctorum Protectorum numero ac meritis, necnon celebritate, & gloria.*

QVEMADMODVM Romæ magnus Constantinus memoriam duorum principum Apostolorum Petri & Pauli, necnon beati Ioannis Christi Præcursoris & Baptistæ sumptuosis templis & donariis exornauerat, ita & B. Andreæ Apostoli, qui primus fuerat ipsius Ioannis Baptistæ discipulus, quique Petrum germanum suum ad Christum (quem primus indicante Ioanne secutus fuerat) feliciter adduxerat, & qui tam gloriosa passione Orientalem Ecclesiam Christo consecrauerat, venerabilem memoriam insigni aliquo mausoleo statuit illustrare. Eo enim fine sumptuosum illud templum Constantinopoli erexit, quod dicatum Apostolicis auspiciis, Apostolicis quoque pignoribus voluit communiri & decorari. Honoris autem causâ tanto Apostolo duos addidit comites, vt sicut Petrus Andreæ frater sociatus Paulo & Ioanni antiquæ Romæ patrocinium gerebat, sic ipse Andreas nouæ Romæ tutelam susciperet, adiunctis duobus sociis, Luca scilicet Euangelista, & Timotheo Pauli primario discipulo: quorum triade sacratissima non tantùm vrbs regia, sed ipsum Orientale Imperium fulciretur, & decus immortale reciperet.

Hanc fuisse mentem magni Constantini altè prædicat & testatur S. Paulinus Natali XI. inter fragmenta apud Dungalum, vbi rem adeo memorabilem his aureis planè versibus exprimit & prædicat: quamuis binario hæret in Regiæ vrbis recensendis Encæniis, siquidem Andreæ Apostoli & Timothei discipuli Pauli tantùm facit mentionem, sed Lucæ Euangelistæ expresè non meminit, quòd scilicet res esset notior quàm vt speciali indigeret expressione. Quis enim non nescit vnà cum corpore B. Andreæ ossa fuisse simul B. Lucæ Constantinopolim aduecta, cùm Timothei

exuuiæ translatæ fuerint seorsim. Ait igitur pulchro modulamine S. Paulinus,

Nam Constantinus proprij dum conderet vrbem
Nominis, & primus Romano in nomine Regum
Christicolam gereret, diuinum mente recepit
Consilium: vt quoniam Romana mœnibus vrbis
Æmula magnificis strueret tunc mœnia cœptis;
His quoque Romuleam sequeretur dotibus vrbem,
Vt sua Apostolicis muniret mœnia latus
Corporibus; tunc Andream deuexit Achiuis
Timotheúmque Asiâ, geminis ita turribus extat
Constantinopolis, magna caput æmula Roma
Veriùs hoc similis Romanis culmine muris,
Quod Petrum Paulúmque, pari Deus ambitione
Compensauit ei, meruit quia sumere Pauli
Discipulum, cum fratre Petri, &c.

Hîc tamen notare iuuat quod obiici posse videtur, scilicet Constantinum non plus coluisse Andream, quàm reliquos Apostolos, quorum communi memoriæ & venerationi templum hoc Constantinopoli pariter dedicauit: in cuius rei indicium fecerit quod citatus non semel scribit Eusebius; « Duodecim igitur thecis illic tanquam sacris columnis ad ho-« norem & memoriam Apostolici chori erectis, capsam suam « ipse in medio illarum locauit, cuius vtroque latere sex po-« sitæ sunt Apostolicæ thecæ. Et hoc itaque, sicut dixi, pru-« denti ratione, vbi tabernaculum corporis ipsius post exi-« tum vitæ honestè quieturum esset, considerauit. Verùm « his ipse quidem antea in animo dispositis, templum hoc « Apostolis dedicauit, credens, hanc se memoriam animæ « suæ salutarem & vtilem facere.

§. V. *Demonstratio perspicua, quòd iam ante mortem Constantini Magni, corpus S. Andreæ fuerit Constantinopolim translatum & repositum in templo Apostolico; cùm ipse Constantinus à filio suo Constantio, fuerit ad sepulchri ipsius B. Andreæ vestibulum sepultum.*

AT hoc nostris non obstat intentis, nec enim inficias ire velim Constantinum Magnum piam habuisse in omnium Apostolorum venerandam memoriam, propensionem: & exoptasse quidem eorum omnium sacratissima corpora suum hoc in sumptuosissimum templum inferre, iis-

que pretiosis vrnis includere, quas super columnas duodecim sex & sex hinc inde imposuerat, suum tumulum ponens medium, vt collegij totius Apostolici optabili tutela ac felici patrocinio potiretur; destinâsse igitur eximiam hanc Basilicam memoriæ duodecim Apostolorum venerationi: sed quia duodecim Apostolorum sacras exuuias nancisci, & vndique coaceruatas eò inferre non poterat, has duodecim thecas & columnas in pij sui desiderij signum illic equidem collocauit. Verùm cùm B. Andreæ, in quem præcipuo amore ferebatur, (nam aliàs è Cypro facilè potuisset corpus S. Barnabæ Constantinopolim importare, & Iacobi fratris Domini ex Hierosolymis, necnon Philippi è Phrygia, aliorúmque sacra spolia, aliunde huc ire transuectum) sacratissimum corpus ab initio eò transferre statuisset, qui Euangelicum lumen Thraciæ, adeóque Byzantio intulerat, (cuius loco nuper superstructa fuerat ab eo Constantinopolis) & de facto mox ac augustum illud templum Apostolicum absolutum est, in hoc transferendum ex Achaia corpus ipsum sancti Andreæ curauerat, cum ossibus S. Lucæ è Bithynia, & Timothei ex Asia deductis: Tunc compos voti effectus, titulum patrocinij & vrbis, sacræque huius ædis, in ipsum Andream & beatos eius duos socios transcripsit, quos suos itidem proprios constituit defensores; nam sub alarum eorum vmbra voluit sepeliri, humiliúmque clientum more, qui ad valuas principum gratiam supplices expetunt & expectant, in vestibulo sepulchri illorum deponi; neque enim in Ecclesia illa, sed in eius atrio tantùm voluit magnus ipse Constantinus sepeliri; cuius pium exemplum secuti deinde Imperatores, ibidem tumulari voluerunt; Quæ causa fuit cur S. Ioannes Chrysostomus in celebri illo tractatu, *Quòd Christus sit Deus*, gloriando de hoc Christi super mundi potestates triumpho, signanter ait, *Imperatores magnam gratiam putare, non si prope Christi seruos, sanctos vtique Apostolos, sed si extra eorum vestibula, corpora sua sepelirentur, & sic fierent piscatorum* (qualis fuit Andreas) *ostiarij Reges.* Quod argumentum Christi maiestatis & Apostolorum gloriæ, luculentiùs tractat & accuratiùs persequitur homil. 26. in ep. 2. ad Corinthios, in morali post medium, vbi hunc in modum disserit. *At Christi seruorum tam splendida sunt sepulchra, vt quæ vrbem omnium præstantissimam maximéque regiam occuparint, & dies noti atque perspecti, vt qui festi à toto*

orbe agitentur: atque illius quidem (Alexandri Magni videlicet) *tumulum familiares quoque ignorant: horum autem Barbari quoque exploratum habent: ſepulchra enim eorum qui crucifixo ſeruierunt, regias aulas ſplendore vincunt, non tam magnitudinis aut pulchritudinis ædificiorum ratione,* (nam hac etiam ratione ſuperant) *quàm, quod multò maius eſt, coëuntium ſtudio, atque alacritate. Nam & ille qui purpuram geſtat, ad ſepulchra illa ſe confert vt ea exoſculetur, abiectóque faſtu ſupplex ſtat, ſanctoſque obſecrat, vt ipſi apud Deum ſibi præſidio ſint, atque vt textoriorum opificem, & piſcatorem, & quidem fato functos, patronos habeat, precibus id contendit qui diademate cinctus eſt. Ergóne dic quæſo, horum Dominum mortuum dicere audebis? cuius ſerui etiam defuncti, eorum qui vniuerſo orbi imperant patroni ac defenſores ſunt. Atque id non Romæ ſolùm fieri quiſpiam viderit, ſed etiam in vrbe Conſtantinopolitana, nam & hic quoque Conſtantinum Magnum eius filius ita demùm ingenti honore ſe affecturum exiſtimauit, ſi eum in piſcatoris* (Andreæ ſcilicet) *veſtibulo conderet. Quod igitur ſunt Imperialibus in aulis Ianitores, hoc in ſepulchro piſcatoribus ſunt Imperatores.* Hæc S. Chryſoſtomus, qui ſanè in hoc eius feſto, quo hæc ſcribimus, litem de tempore tranſlationis S. Andreæ ex Achaia Conſtantinopolim, num ſub Conſtantino Magno, vel Conſtantio eius filio, planè dirimit, dum pronunciat ex patenti ratione facti quod ignorare non poterat: cùm Conſtantinopoli hoc ſcriberet, cuius vrbis erat Epiſcopus, iam ante mortem Conſtantini corpus S. Andreæ de Achaia tranſlatum fuiſſe, hácque in Baſilica, (quam eo fine Conſtantinus ipſe extruxerat) collocatum: quomodo enim Conſtantius eius filius ad veſtibulum ſepulchri piſcatoris ſepeliiſſet patrem, niſi corpus ipſum S. Andreæ ibi iam fuiſſet, & conditum, & ſacro cultu honoratum? Argumentum iſtud ita eſt conuincens & ineluctabile, vt nemo ſit, (niſi qui datâ operâ diem eſſe in meridie inficietur) id quæſtionem prorſus dirimere qui abnutum ire audeat.



§. VI. *Ecclesiam Apostolorum, à Constantino Magno in vrbe Regia fundatam; sancti Andreæ & sociorum eius insignitam fuisse speciali patrocinio (ex quo ipsorum reliquiæ eò inductæ fuerant), & hoc titulo nuncupatam.*

CVNCTI *Martyres* (ait S. Ambrosius serm. 77.) *deuotissimè percolendi sunt, sed specialiter ij venerandi sunt à nobis, quorum reliquias possidemus*, &c. *Cum his enim familiaritas est, semper etenim nobiscum sunt, nobiscum morantur.* Hinc factum vt vbicumque corpora Sanctorum requiescunt, loci patrocinium & incolarum protectio passim eis deferatur; pignoribus suis non modò edita in eorum honorem templa sanctificant & illustrant, sed hoc ipso sese obstringunt ad eorum tutelam, & supplicum qui eò recurrunt ad ipsorum suffragia, solatium & defensionem: quin Deus ipse, qui Sanctos suos non solùm in cælis coronat, sed in terra etiam honorificat, eorum in gratiam, vbi quiescunt, sua passim operatur mirabilia, diuersáque beneficia iis impartitur, qui ad ipsorum patrocinia confugiunt, atque quæuis solatia, per ipsorum interuentum efflagitant. Nec enim casu contigit, quòd ipsorum sanctorum beatorum exuuiæ, hoc aut illo loco, debito cum honore seruentur: sed superno Dei nutu & speciali beneficio, qui hac ratione cuique regno vel vrbi, locóque, proprios distribuit tutelares & patronos, quales summæ suæ bonitati complacuit. Hac ex diuina dispositione effectum est, vt S. Andreas Apostolus patrocinium Regiæ vrbis Constantinopolitanæ sibi vindicaret, templíque illius sumptuosi, quod ad decus Apostolicum celebrandum, Constantinus Magnus ibi construxerat, titulum & tutelam susciperet. Condidisse illud ad Apostolicas reliquias venerandas in eo collocandum, testes sunt Eusebius & Socrates Historiographi Ecclesiæ primarij: afflatu autem diuino sic eum fecisse hoc ipsimet testantur. Quocirca statim ac corpus S. Andreæ, illic cum sacris ossibus Beatorum Lucæ & Timothei repositum fuit, templum ipsum eius, illorúmque nuncupationem accepit; quin ipse Constantinus ei ipsorum indidit gloriosam denominationem. nam iam hæc sacra Basilica dici cœperat Beati Andreæ, Lucæque Euangelistæ, ac Timothei propria Ecclesia, cùm Constantinus ipse in ipsius templi vestibulo, seu atrio à filio Constantio, insigni pompa funebri, sepultus fuit. Ita

enim expreſsè habet Chronicon Alexandrinum CCLXXIX. Olympiade, Ind. X. Conſt. XXXI. Feliciano, & Taliano Coſſ. conſignata ipſius Magni Conſtantini morte, quæ contigit 22. Maij, XI. Kal. Iunij, C ſo ſacro die Pentecoſtes:
" Et filij eius Conſtantij, ad funus eius curandum & hone-
" ſtandum in vrbem Regiam veloci reditu, ἢ κατετέθη ἐν τῷ ναῷ
" τῶν ἁγίων Ἀποστόλων Ἀνδρέου, καὶ Λουκᾶ τοῦ εὐαγγελιστοῦ, ἢ Τιμοθέου μαθητοῦ
" Παύλου τοῦ Ἀποστόλου. Humatus eſt in æde Sanctorum Apoſto-
" lorum Andreæ, Lucæ Euangeliſtæ, & Timothei Pauli di-
" ſcipuli.

§. VII. *Conſtantinus veſtibulum huius Eccleſiæ deſignauit, vt ibi Imperatores & Regia vrbis Epiſcopi ſepelirentur, ac virtutis Apoſtolicorum pignorum, quæ in hoc ipſo templo religioſe condita erant fruerentur opitulatione: Nec id modo optauit voto, ſed opere & exemplo etiam præmonſtrauit.*

SOCRATES lib. 1. hiſtor. ſuæ Eccleſ. cap. vlt. quo de ſepultura agit ipſius Conſtantini Magni, *Regiam* (inquit) *ſepulturam conſecutus eſt, depoſitúſque in Eccleſia Apoſtolorum, quam ob eam ipſe cauſam ſtruxerat, ne Imperatores & ſacerdotes reliquiis Apoſtolorum deſtituerentur.*

S. Ambroſius pium hunc ambitum ſepulturam appetendi ad Sanctorum veſtigia, ſeu prope eorum veſtibula, non ſolùm probat, ſed etiam plurimùm, à noſtra propria commendat vtilitate, ſerm. 77. *Sancti* (inquit) *& nos viuentes cuſtodiunt, & de corpore recedentes excipiunt, hîc ne peccatorum labes abſumat, ibi ne inferni horror inuadat: Nam hoc ideo à Maioribus prouiſum eſt, vt Sanctorum oſsibus noſtra corpora ſociemus, vt dum illos tartarus metuit, nos pœna non tangat, dum illos Chriſtus illuminat, à nobis tenebrarum caligo diffugiat.*

Ceterùm duo hîc operæ pretium cenſeo obſeruanda.

Primùm Conſtantini Magni erga Chriſtianum ſacerdotium eximiam reuerentiam, quam illuſtri hoc facto teſtatus eſt, dum idem ſepulchrum ad valuas S. Andreæ & Beatorum Lucæ ac Timothei, ſibi & ſucceſſoribus Auguſtis, commune eſſe cum Epiſcopis voluit. Sozomenus hoc piè & ſolerter notauit lib. 2. ſuæ hiſt. Eccleſ. cap. vlt. in fine his verbis: *Conſtantius verò in Oriente agens, vbi mortem patris velociſsimè ſignificatam reſciuit, properè Conſtantinopolim*

uenit, ac regio eum funere in Ecclesia cognomento Apostolorum dicta sepeliuit, in qua Constantinus aliquando circuiens monumentum sibi ipse construxerat: Et ab eo tempore, velut ab initio quodam, orta consuetudine etiam posteri Imperatores Christiani mortui Constantinopoli sepeliuntur: Quin & Episcopi propterea quòd sacerdotium parem imò maiorem cum regno sortitur honorem. Alia versio sic habet: *Quippe cùm dignitas sacerdotalis Imperij dignitati par sit, imò verò in locis sacris primas partes obtineat.* Verùm quod ait Constantinum sepultum fuisse in illa Ecclesia, intellige in illius appendiciis, nam suprà ex S. Chrysostomi testimonio didicimus, fuisse tantùm in vestibulo templi inhumatum (dubio procul ex eius voto). Quod verò addit Sozomenus, non solùm exinde ibidem fuisse sepultos Imperatores, sed & Episcopos; ab eo initio facto deinde more, accipiendum est ex ipsius Constantini instituto, qui hoc templum ædificauit excipiendis & colendis Apostolicis Andreæ, Lucæ, & Timothei sacris pignoribus, ne, vt ait Socrates, Imperatores & Episcopi reliquiis (id est pignoribus, & subsidiis, ac solatiis) Apostolorum destituerentur.

Alterum, est altum Dei consilium, in honorificanda S. Andreæ Apostoli sui secundi, & filij Christi primogeniti sanctissima memoria. Attentè quæso consideremus quisnam Imperatorum impensiùs nomen & merita ipsius S. Andreæ honorauerit? Certè Constantinus Magnus, qui primus Romanorum Principum, repudiatis profanarum Religionum erroribus, verum Dei cultum apertè professus, Christi nomine, Imperij coronam splendidiorem & augustiorem reddidit, ac Ecclesiam trepidam, debitæ libertati restituens, in excelso maiestatis throno collocauit: ex ipsa ratione & naturali indole, animis ac visceribus omnium hominum impressa: probè gnarus pretij & æstimationis sepulturæ Christianæ, & Apostolicæ virtutis ac gloriæ, beatíque ipsius Apostoli Andreæ prærogatiuæ singularis: certè non casu, sed spontanea voluntate, seu potiùs exquisito delectu, & afflatu diuino, ad eius pedes, imò sacrata vestigia, ac eiusdem mausolei vestibula, sibi ac filiis & succedaneis Imperatoribus, itidémque Episcopis vrbis Regiæ sepulturam elegit. Sanè hoc in eius consilio mirum, adorandum venit diuinæ prouidentiæ, & magnum prorsus eiusdem dispositionis arcanum, quod rudi penicillo quæso,

vt mihi (quia aliàs non poſſum exprimere) non nefas ſit adumbrare. Certè Petro Apoſtolorum Coryphæo Andream eius fratrem (ſolo excepto Apoſtolatus primatu) voluit Dominus ire adæquatum, quemadmodum pleriſque parallelarum titulis ſuperiùs inſinuatum fuit. Hoc igitur voluit vt ſub Petri auſpiciis Conſtantinus ad fidem accederet, ac primitias Spiritus gratiæ, Romæ in arce religionis reciperet; indéque pacis Eccleſiæ & vniuerſi orbis auctor effectus de tyrannis & impietate per Chriſtum, pro Chriſto, & in Chriſto triumpharet; Porrò nonniſi ſub Andreæ patrocinio moreretur, & aditum æternitatis inueniret; ad eius pedes ſepeliretur, & ſic eo duce, qui animas ad ipſum Chriſtum adducit, ad Chriſti conſpectum & regnum perueniret. Galliæ Reges Chriſtianiſſimi templum auguſtum S. Dionyſio Areopagitæ, Galliæ Apoſtolo & Patrono, non procul ab vrbe regia conſtruxerunt, apud quod ſuas mortales exuuias voluerunt ſepeliri, vt à quo receperunt fidem, coram Deo etiam commendationem, ad conſequendum in cæleſte regnum ingreſſum promererentur. Nouerat Conſtantinus Magnus Imperator, S. Andream Chriſti Apoſtolum, Achaiæ ac Thraciæ, vbi nouam Romam condiderat primum fidei lumen & ſalutis nuntium attuliſſe, háſque & alias Græciæ prouincias ſuo fuſo ſanguine Domino conſecrâſſe. Ambiuit igitur eius patrocinium, nec ſatis habuit ſanctiſſimæ eius memoriæ venerandæ, templum illuſtriſſimum in ipſo Regiæ vrbis meditullio dedicaſſe, ad eius fores ſacratiſſimas, ſibi & ſucceſſoribus ſepulturam elegit, & conſtituit, quò ſub tanto protectore depoſita mortalia ſua & illorum ſpolia, intemeratè ſeruarentur, vt ſpei Chriſtianæ ſemina; ipſorum autem ſpiritus, æternam in requiem, adiuti illius apud Dominum ſuffragiis, interim admitterentur.

Mos erat fidelium, ponere oleum ad ſepulchra Martyrum, vt hinc benedictionem haurirent, teſte S. Paulino lib. 5. vitæ S. Martini, vbi ita canit,

Namque vt ſæpè ſolent præcauto corde fideles
Vaſa oleo opplere, & ſeruandæ adducta ſaluti,
Vel iuſtis offerre viris, vel condere ſanctis
Religione locis, quibus aut operatio præſens
Martyrij emeritos probat virtute patronos.

Sed ſciebat Conſtantinus oleum Sancto Andreæ Apoſtolo non offerendum eſſe, qui ex oſſibus merum medicinale oleum

oleum iugiter profundebat, adeovt etiam cùm de Achaia pignora eius ſacratiſſima ipſius Conſtantini pio ſtudio adueherentur Conſtantinopolim, in ipſo itinere illa riuos effunderent ſacri liquoris, quo beneficia ſanitatum ægris conferebantur; vnde certatim fideles ſacræ occurrebant ſarcinæ, & magno fidei ardore liquorem eiuſmodi reuerenter collectum in domos ſuas afferebant, vt expetita inde ſolatia ſuis in infirmitatibus conſequerentur, quemadmodum ipſe S. Paulinus Natali XI. inter fragmenta apud Dungalum deprædicat,

Nam diuina manus medica virtute per omnes
Eſt illic operata vias........
Inde igitur ſuadente fide, data copia fidis
Tunc comitum ſtudiis, quadam vt ſibi pignora vellent
Oſsibus è ſanctis meritum decerpere fructum:
Vt quaſi mercedem officij, pretiúmque laboris,
Præſidia ad priuata domum ſibi quiſque referret.

Conſtantinus dum Andreæ ſacrum corpus deuexit Achiuis, & ſuo in templo tanta honorificentia, quanta pietate & deuotione collocauit, fontem huius medicinalis olei, eo loco ſiſtit, propéque ipſum fontem ſalutiferi liquoris voluit ſepeliri, vt hinc benedictionem & ſanctificationem, in ipſo ſuo tumulo conditus perpetim exciperet; & quia oleum ſymbolum eſt miſericordiæ, ſancti ipſius Apoſtoli, cuius decus nobili mauſoleo adauxerat, gratiſſimo ac efficaciſſimo apud Deum interuentu, anima ſua gratiam & miſericordiam, in die iræ obtineret; qualem Paulus memor obſequij Oneſiphoro exoptabat, ſcribens ad dilectum ſuum Timotheum; *Det illi Dominus inuenire miſericordiam à Domino in die illa*, qua ſcilicet iuſtitia igneo furore exardeſcet. Timebat diem illum Magnus Conſtantinus, quapropter prope Andream Apoſtolum ſcatentem vnguento gratiæ, optabili ſolatio, ac refrigerio frueretur, & oleum miſericordiæ (quod ignem iræ diuinæ non alit, ſed extinguit) in tempore opportuno inueniret. 2. Timoth. 1. 16.

CAPVT V.

Translatio venerandi capitis sancti Andreæ Apostoli, ex Achaia in Italiam, & eiusdem solemnis Romæ susceptio, & collocatio in Basilica S. Petri.

Ex lib 8. Commentariorum Pij II. Pont. Max. eo tractatu, cui titulus est : S. Andreæ caput Romam delatum, deuotissimè à Pio exceptum; eiúsque Apostoli historia breuis & collecta.



NDREAS Apostolus Iesu Christi, B. Petri germanus, post passionem Domini, cui interfuit, & resurrectionem, atque ascensionem eius in cælum, quam vidit, accepto cum reliquis discipulis Spiritu sancto, ex Asia migrauit in Græciam, & in Achaiam ipse se contulit Peloponnesi prouinciam, quæ sibi in sortem prædicationis obuenit, Moræam nostra ætas vocat: Et quoniam promissionem acceperat à Domino quando relictâ naui & retibus posthabitis ad eum transierat, quòd fieret piscator hominum, haudquaquam fraudatus est; prædicator enim effectus, & doctor veritatis eximius, infinitos homines linguæ suæ hamo piscatus est, quos Christo lucrifecit, atque ab eo instructa prouincia, religionis nostræ sacra suscepit, cognouítque Christum Dei Filium, cum Patre & Spiritu sancto vnum esse Deum, ac sanctæ Trinitatis fidem venerata est. Ipse autem sanctus Apostolus iam senio confectus, sub Ægea Proconsule, in ciuitate Patracensi cruce suspensus interiit, eóque martyrio coronatus, quo frater suus Petrus, & quo magister Iesus Christus. Propterea cùm accessisset ad crucem, cámque suauissimis verbis salutasset, Accipe, inquit, discipulum eius qui pependit in te Iesus Christus. Claruit autem multis miraculis & in vita & post obitum, quæ in eius historia referuntur. Corpus eius Maximilla religiosa mulier, conditum aromatibus sepeliuit, longóque deinde pòst tempore in Italiam translatum, & in Amalphitana vrbe reconditum fuit, quæ ob reuerentiam eius Metropolis effecta; sepulchrum habet gloriosum & operis magnificentia & concursu populi: Caput verò apud Patracenses in summa reuerentia & grandi custodia seruatum, vsque ad annum salutis 1460. Tunc autem translatio eius hoc modo est facta. Irrumpentibus in Peloponnesum Turcis, duo Despoti id regni obtinebant, Thomas & Demetrius fratres

Constantini Græcorum Imperatoris, qui apud Constantinopolim paulò antè in eius excidio fuerat interfectus: Horum maior Demetrius postquam parum opis afferri à Christianis animaduertit, acceptis alibi possessionibus, ex quibus ageret vitam, ad Turcas defecit. Thomas verò natu minor nullo pacto induci potuit vt his seruiret, qui germanum suum occiderant, atque Imperium Græcis ademerant, & Christiana sacra polluerant, cúmque imparem sese Turcarum viribus, neque spem vllam auxilij cerneret, migrare ex Peloponneso statuit, cuius iam partem magnam tradente Demetrio Turcæ occupauerant; priùs tamen quàm inde abiret, Patras perrexit, quæ ciuitas in eius manu erat, & accepto inde sancti Andreæ Apostoli pretiosissimo capite ex sacrario, cuius ipse custodiam gerebat, cum coniuge & liberis, multis Græciæ nobilibus comitantibus, ad Arte Despotum se contulit in insulam quam vocant sanctæ Mauræ Epyro vicinam: neque enim tantum thesaurum hostibus relinquendum existimauit, quamuis illi vt rem sordidam conculcassent: curauit ne Sanctum Domini canibus relinqueretur, & iter suum prosperius comitante Apostolo iudicauit. Profectus est igitur incolumis ad cognatum Despotum, & cum eo aliquandiu commoratus, non minori diligentia sacrum verticem quàm coniugem ac liberos custodiuit. Intereà multi Principes Christiani, & qui sunt in Italia, & qui trans Alpes habitant, Apostolici capitis auditâ transuectione, Legatos ad Thomam misêre, multum auri promittentes: si sacras reliquias impetrarent. Id vbi cognouit Pius Pontifex Maximus, exilium tam sacri capitis admodum ægrè tulit. At postquàm sua sede expulsum non facilè restitui poterat, nusquam dignius sibi refugium censuit, quàm Romæ apud ossa germani sui B. Petri Apostolorum principis, & apud Sedem Apostolicam arcem fidei, ad quam confugere omnibus tutum est, qui suis Ecclesiis eiiciuntur. Misit igitur & ipse suos nuncios ad Thomam, qui piè factum dicerent, quòd ex vrbe ruitura & in manus infidelium hostium ventura, pretiosissimum Apostoli caput abduxisset, nec siuisset perire; facturum verò impiè atque crudeliter, si alteri quàm Romano Pontifici traderet, cuius est de Sanctorum honoribus iudicare, aut si alibi esse vellet, quàm Romæ cum fratre suo & cognatis ossibus, adduceret id Romam; futurum aliquando volente Deo, quòd

in ſuum ſolium ope germani reſtitueretur, caueret ne rem ſacram iniuſſu Papæ cuipiam crederet, niſi Apoſtolorum indignationem vellet incurrere; nec inopiam cauſaretur, venturo enim ad vrbem, ibique manſuro, hi ſumptus fierent qui principi conuenirent. Victus his Deſpotus nauigaturum ſe Anconam promiſit, ſacrúmque pignus adducturum, nec mentitus eſt, ſiquidem ad annum 1461. poſt Chriſti Saluatoris ortum, Anconæ appulit incolumis (vt credibile eſt) Apoſtoli auxilio, & validis ac horrendis ereptus procellis, quæ illo anno Adriaticum pelagus plus ſolito vexauerunt, & innumerabiles naues ſorbuerunt. At Pius aduentu cognito, Alexandrum ſanctæ Suſannæ Preſbyterum Cardinalem, vitæ ſanctimoniâ & litterarum doctrinâ celebrem, eò Legatum de latere miſit, qui recognitis S. Apoſtoli reliquiis, eas de manu Deſpoti aſſumeret, atque cum apparatu & reuerentia, quæ tam ſacræ rei deberetur, Narniam vſque deferret, & ibi collocaret in arce à Præfecto ſeruandas; donec vehi ad vrbem poſſent his honoribus atque cæremoniis, quæ conuenirent, quod tunc fieri non poterat ſæuiente bello, quod tyranni circa Romam Pontifici intulerant. Alexander profectus Anconam, diligenter inſpecto capite, & ſignis recognitis, vbi verè verticem Apoſtoli eſſe iudicauit, veneratus eſt eum, & acceptum à Deſpoto (auro ei pro commeatu ad Curiam donato) cum egregio comitatu, ſolemníque pompa, & multis luminaribus tranſtulit in arcem Narnienſem, & obſignatum commendauit Præfecto, atque aliquandiu decenter ardentibus perpetuò coram eo lampadibus ſeruatum eſt. Elapſis deinde pluribus menſibus, cùm res bellicæ Pontifici proſperè ſucceſſiſſent, & Iacobus Picininus infeſtus Eccleſiæ hoſtis ex agro Romano pulſus abiiſſet, tyranníque amiſſis pluribus oppidis fracti animo, ad veniam Pontificis recurriſſent: ceteríque perculſi metu aut ſeſe dediſſent aut procul effugiſſent, & iam pax in agro Romano reſtituta eſſet, & ſecurâ per circuitum quiete populi potirentur, nec audiretur ampliùs fragor armorum: ſtatuit Pontifex honoratum caput in vrbem aduocare, vtque eò magnificentiùs exciperetur aduenienѕ, quò maior adeſſet populus, omnibus qui in eius introitu vrbem accederent, aut receptioni intereſſent, remiſſionem omnium peccatorum plenariam eſt pollicitus; ac decretum in eam rem factum ad præcipuas Italiæ vrbes

transmisit, præscripta die aduentûs; quæ cùm propè instaret, tres Cardinales elegit, Bessarionem Episcopum Tusculanum natione Græcum, vtriusque linguæ peritissimum, virúmque magni nominis, & Alexandrum, cuius antè meminimus, ac Franciscum Administratorem Ecclesiæ Senensis, atque hos iussit Narniam petere, depositúmque sanctum pignus inde afferre. Intereà Romæ omnia parabantur quæ ad solemnem ac magnificam receptionem sancti Apostoli digna videbantur, verebatúrque Pontifex ne in honore tanti Apostoli diminutè agere videretur, nec quicquam satis arbitrabatur; fuitque illi animus Apostolorum Petri & Pauli gloriosissima capita, quæ in Æde B. Ioannis apud Lateranum condita sunt, obuiam ducere, atque cum illis extra vrbem aduenienti sacro Andreæ vertici occurrere: quod ne fieret argenti moles impediuit, quo ipsa capita sunt inclusa, nam supra quatuor millia pondo feruntur, éstque præatereà multùm ferri, quod neque frangi sine graui incommodo neque portari poterat: omissa est igitur ea capitum delatio, mandatúmque, vt quibus diebus, ante meridiem, B. Andreæ caput per vrbem eueheretur, post meridiem Apostolorum capita in Laterano publicè omnibus ostenderentur; quod non sine maxima populorum frequentia factum est. Cardinales Narniam missi cùm eò venissent, recognitis signis sanctissima venerati sunt ossa, eaque cum tremore & summa reuerentia suscipientes ad Pontem Miluium detulerunt ipsa die Palmarum, quæ fuit prid. Id. April. an. sal. 1462. occurrentibus per omnem viam innumerabilibus populis, laudantibus Deum, & sese Apostolo Andreæ commendantibus; secundóque ab vrbe milliario, in ipsa Pontis turri, venerandas reliquias per noctem seruandas collocarunt, duobus Archiepiscopis Perocto Sipontino, & Alexio Beneuentano, qui excubias agerent, ibi relictis. Pontifex autem ea die celebrata in Apostolico palatio apud S. Petrum, pro veteri consuetudine, Palmarum solemnitate: post meridiem cum sacro Senatu Cardinalium & omni Clero statuit Ecclesiam sanctæ Mariæ in populo petere, ibique noctem agere, vt sequenti die sacro capiti inde occurreret: hæret enim ea Ecclesia portæ Flaminiæ quæ ducit ad Pontem Miluium Tiberi iniectum: Sed angebatur metu pluuiæ, quæ impendere videbatur; nubes cælum obduxerant, fulgura & coruscationes vbique visebantur, exaudiebantúrque passim tonitrua, nec spes erat serenitatis,

& quamuis multi dies nebulosi humectique præcessissent, tunc tamen præcipuè minari videbatur æther & horrida tempestas instare, ventis omnibus vrbem versus nubes impellentibus, ita vt crederet nemo absque maximo imbre iter fieri posse: sed mirabile dictu! seruauit sibi suum tempus magnus Andreas, nec iter Cleri sese honoratum euntis, interuertere pluuiam passus est: nam etsi dies noctésque mensis eius madidæ fuerunt, eo tamen tempore quo sacrum caput vehebatur, & quo Pontifex illi obuiam perrexit, numquam aquæ gutta cecidit super terram, qua parte eundum fuit, & omnis illa imbrium congregatio, quæ transitum Pontificis occupatura videbatur, vsque in noctem se continuit, ita vt sicco vestigio iter fieret. Nox verò humida spem ademit posse in crastinum optata solemnia celebrari, & in aliud tempus transferenda existimabantur: at mane exorto cessauit pluuia, & sol splendens super terram inuitare ad eundum videbatur. Mox tres Cardinales qui sacrum caput in Ponte Miluio reposuerant, eò profecti id acceperunt, & vrbem versus cum pompa eduxerunt.

Ponti Miluio vicina sunt prata latissima, quæ Romam petenti viâ Flaminiâ ad sinistram iacent, ea tum herbida erant & florida, atque adeo læta vt ridere viderentur. In horum medio iusserat Pontifex suggestum erigi ex materia ita amplum & solidum, vt omnem Clerum qui aderat continere posset, atque altum adeo, vt quæ ibi fierent, ab omnibus qui essent in pratis perspicuè cernerentur, sublimi ara in medio constituta. Præmissis igitur tribus Cardinalibus, vt memoratum est, paulò pòst Pontifex ipse cum reliquo Senatu, cúmque omni Clero, cum Legatis Principum & proceribus vrbis, atque ingenti populi multitudine Flaminiam portam exiit, palmæ ramum in manu gestans; & pariter Cardinales & reliqui Prælati palmas portauerunt, quibus præcedenti die ab ipso Pontifice donati fuerant ob Saluatoris memoriam. Plena erat omnis via populo, nec vel agri, vel vineæ præ multitudine hominum videri poterant, adeo vulgus obtexerat omnia. Vt primùm in prata ventum est, quæ diximus, iussit Pontifex Cardinales ac Prælatos ab equis descendere, & sacerdotalibus acceptis ornamentis, sacrísque vestibus quantum arcus iacere potest, iter pedibus agere, secúmque suggestum conscendere. Erant omnium sacerdotum paludamenta alba, albæ mitræ, & omnis ornatus

albus, & in viridi prato candidior videbatur, tenebat ora cunctorum attonita mirabilis ordo & dignitas ac pompa tot ſacerdotum, qui bini palmas gerentes in manibus, & Deo preces porrigentes cum Pontifice Maximo, aſtante populi corona per prata lento paſſu & grauibus incedebant vultibus. Erant duo aditus in ſuggeſtum per gradus clementes, alter erat Ponti Miluio oppoſitus, alter vrbi; & dum Pontifex hunc aſcendit, præ gaudio & deuotione illachrymans, ſequente Collegio, Cleróque omni: Beſſarion cum aliis duobus Cardinalibus alterum ſcandit, arculam ferens in qua ſacrum caput clauſum continebatur, eámque depoſuit in altaris medio, Cantoribus ſacra carmina intonantibus. Exin facto ſilentio præſentatis clauibus, & obſignaculis recognitis, aperta eſt arcula, & Beſſarion accipiens ſacrum Apoſtoli verticem, flens flenti Pontifici tradidit; ipſe autem Pontifex priuſquam ſacra oſſa contingeret, genibus flexis ante aram proſtratus, vultu demiſſo & pallenti, madidis oculis, ac tremula voce in hunc modum locutus eſt:

Adueniſti tandem, ô ſacratiſſimum & odoratiſſimum ſancti Apoſtoli caput! Turcarum te tua ſede furor expulit? ad fratrem tuum Apoſtolorum principem confugiſti exulans, non deerit germanus tuus tibi, reſtitueris in ſolio tuo cum gloria, volente Domino: licebítque aliquando dicere, ô felix exilium, quod tale reperit auxilium! intereà temporis cum tuo germano aliquandiù commoraberis, & pari honore cum eo potieris. Hæc eſt alma Roma, quam propè cernis pretioſo tui germani ſanguine dedicata: hanc plebem, quæ circumſtat, Beatus Petrus Apoſtolus frater tuus pientiſſimus, & cum eo vas electionis S. Paulus Chriſto Domino regenerauit. Nepotes tui ex fratre, Romani omnes te veluti patruum, patrémque ſuum venerantur, colunt, obſeruant, & tuo ſe vti patrocinio in conſpectu magni Dei non dubitant. O Beatiſſime Apoſtole Andrea, veritatis prædicator, & aſſertor Trinitatis eximie, quanto nos hodie gaudio reples, dum verticem hunc tuum ſacrum & venerandum coram aſpicimus, qui dignus fuit, in quo viſibiliter ſub ignis ſpecie, in die Pentecoſtes ſanctus reſideret Paracletus? O vos qui Hieroſolymam petitis ob reuerentiam Saluatoris, viſuri locum, vbi pedes eius ſteterunt! ecce ſedem ſancti Spiritus, ecce diuinitatis ſolium? hîc hîc conſedit Spiritus Domini, hîc tertia in Trinitate

persona visa est, hîc oculi fuerunt, qui sæpe Dominum in carne viderunt; Hoc os sæpe Christum est allocutum; has genas non est dubium, quin sæpe Iesus fuerit osculatus; en magnum sacrarium, en charitatis, en pietatis, en animæ dulcedo, en consolatio spiritûs. Et quis est, cuius viscera non commoueantur? cuius non ardeant intima cordis? cui non excidant præ lætitia lachrymæ, in conspectu tam pretiosarum Apostoli reliquiarum? Gaudemus, exultamus, iubilamus aduentu tuo diuinissime Apostole Andrea! Neque enim dubitamus, quin tui capitis comes adsis, & cum eo vrbem ingrediaris. Odimus Turcas Christianæ religionis hostes: in hoc non odimus, quòd tui aduentus causa fuerunt; nam quid nobis optatius contingere potuit, quàm tuum hoc honoratissimum intueri caput, eius fragrantissimo perfundi odore? Id molestum est, quod aduentanti tibi non eos honores impendimus quos mereris, nec te possumus pro tuâ excellenti sanctimoniâ dignè suscipere: sed accipe voluntatem nostram, atque æquo animo patere, quòd pollutis manibus, ossa tua contrectemus, & te, peccatores, intra mœnia comitemur vrbis. Ingredere sanctam ciuitatem, & esto propitius Romano populo? sit omnibus Christianis salutaris tuus aduentus, sit pacificus ingressus tuus, sit felix faustáque tua nobiscum mora. Esto noster aduocatus in cælo, & vnà cum Beatis Apostolis Petro & Paulo hanc vrbem conserua, & vniuerso Christiano piè consule! Vt vestris patrociniis fiat misericordia Dei super nos, & siqua est indignatio eius propter peccata nostra, quæ multa sunt, transeat ad impios Turcas, & nationes barbaras, quæ Christum Dominum contemnunt?

Prouocauit oratio Præsulis omnium lachrymas, nec quisquam in suggesto fuit vel Clericus vel Laicus, qui non ploraret & sua non tunderet pectora, beati Apostoli patrocinium implorans. Fuerunt qui verba Pontificis adeo menti suæ impresserunt, vt domum reuersi orationem ipsam quasi ad verbum rescripserint, Pontificíque tradiderint, inter quos fuit Theodorus Episcopus Feltrensis, ingenio & doctrina mira præditus; eam cùm Pontifex oblatam legisset, admiratus est hominis memoriam & vim ingenij laudauit. Tenebatur loquente Præsule mirum silentium, quamuis singultus nonnullorum exaudiebantur, qui peccata sua plangentes, ploratum retinere nequibant. Ardebant luminaria cir-

circum, & omnis in pratis populus finem tacitùs expectabat. Postquàm verò Pontifex dicendi finem fecit, exosculatus est sacrum caput, & omnes pariter, qui erant in suggesto, flentes exosculati sunt; & rursus Pontifex,

Omnipotens (inquit) *sempiterne Deus, qui caleste simul & terrenum moderaris Imperium; quique nos hodie Beati Andrea Apostoli tui pretiosi capitis accessione consolari dignatus es, tribue quasumus, vt eius meritis & intercessione perfida Turcarum gentis attrita superbia, & omnium infidelium sublata molestia, Christianus populus secura tibi seruiat libertate; Per Christum Dominum nostrum.* Et cùm omnes respondissent, *Amen*; accepit Pontifex venerandas Apostoli reliquias in manus suas, & eleuans in altum circuiens vndique suggestum, ostendit populo desideratum donum: nec quisquam fuit qui eius visione priuaretur, móxque voces altissimæ auditæ sunt, multitudinis Dei misericordiam implorantis, ita vt omnes circum valles redderent sonum. Post hæc alta voce intonatum est canticum, cuius initium, *Te Deum laudamus*: Quod fama est Ambrosium & Augustinum viros in Ecclesia celebres condidisse, & eo finito Hymnum Cantores cecinerunt in hunc modum:

Primus hic Iesum sequitur vocantem,
Et crucem primus similem subiuit
Martyr, Argiuis veneratus oris
Omne per auum.
Hinc Pius, Graios populante Turca,
Prada ne fiat canibus cruentis,
Tollit & sancta profugum secundus
Excipit vrbe.
Séque cum sacro comitem Senatu
Obuium prabet, redolente Roma
Floribus festis, resonante Clero
Cantica laudum.
Sacra fert dextra nitidus Sacerdos,
Splendidi carmen referunt Quirites
Alma sis nostra columen precamur
Et pater vrbis.
O Pugil sancta fidei supremus
Primus agnoscens Dominum vocantem,
Primus & letho simili triumphans
Protege Romam.

Fac diem faustum, Deus alme, nobis;
Fulmen in Turcas acuens trisulcum:
Audit Andreas populum precantem,
Talia reddens:
Te precor cæli sator atque terræ
Tolle iam clades, scelerúmque pœnas,
Et tui tandem populi misertus,
Contere Turcas.
Hoc Pius pastor, meritíque tanti
Pronus exorat; miserere fessis,
Da manum mundo, propè iam labenti
Maxime Rector.
Hos duces vrbis Petrus atque Paulus
Supplices poscunt, paritérque Roma,
His velut nitens geminis columnis
Strata precatur.
Da Pio vitam rogitamus omnes,
Solus in Turcas animo perenni,
Ausus Alpinos superare montes
Arma vocauit.
Et caput præbet proprium libenter
Nomen vt Christi veneretur orbis,
Et viam nostræ videat salutis
Perfidus hostis.

Hunc hymnum iubente Pio ediderat Agapytus Episcopus Anconitanus, ciuis Romanus, incertum, iuris interpres, an orator, vel poëta præclarior. Descendit exin Pontifex ex suggesto luminaribus vndique circumdatus, & venerabile pignus in suis manibus tenens portauit in vrbem, Cardinalibus & Episcopis, cæterísque Prælatis, suum seruantibus ordinem & palmas præ se ferentibus. In via præ multitudine plebis & equorum non pauci comprimebantur, víxque aditus in tanta populi frequentia patebat. Ad vrbis portam Cleri pars adfuit cum sacris, occurrens Apostolo venienti; quo salutato rediit cum eo in vrbem. Et Pontifex Ecclesiam B. Mariæ ingressus, caput Apostoli altari deposuit, apud imaginem gloriosæ Virginis matris Domini, quam tradunt B. Lucam Euangelistam effinxisse, & benedicto populo Episcopos ordinauit ex numero Referendariorum, qui vigilias illic per noctem agerent, & ípse in cubiculo apud eandem Ecclesiam præparato pernoctauit. Nec dum sol

conditus erat, & ecce mutato aëre nouas auster pluuias adduxit, quæ noctem totam vsque ad auroram tenuerunt, adeóque ingentes ceciderunt imbres, vt nulla spes esset in crastinum efferendi per vrbem capitis ad Basilicam B. Petri, vt institutum erat. Communis omnium mentes occuparat mœror, tantam solemnitatem quæ præparata erat impediri dolentium, & tantam populi expectationem frustrari. Confluxerant infiniti aduenæ ex Germania, Gallia, Hungaria & reliquis transalpinis regionibus, tum verò ex Italia innumerabiles aduentauerant plebes, & viri multi nobiles, studio visendi sacratissimum verticem, adeovt in Iubilæo qui sub Nicolao V. Pontifice Romano celebratus est (quem constat fuisse maximum) numquam vna die maior hominum multitudo visa fuerit; & omnes tristes erant, ij præsertim qui non fuerant in pratis, nam multi posteà introierant: Nec Pium Pontificem minor affligebat mœstitia, timentem super populo, cuius desideria frustrari animaduertebat, & hinc ciuibus, inde aduenis condolebat, qui pariter angebantur. Rogabant autem vniuersi Deum vt serenitatem in crastinum elargiretur. Quos non audire noluit diuina miseratio: at verosimile est impetrâsse B. Andream suo capiti placidum tempus, qui exauditus est pro sua dignitate: subitò enim paulò ante solis exortum, siue Aquilo fuit, siue Boreas, aut alius ventus, nubes omnes pepulit, & cælum nitidum serenúmque reddidit, & sol ipse splendidus ac supra modum fulgidus apparuit in Oriente, ita vt multi meminerint, & præcipuè Pontifex, illius distichi,

Nocte pluit totâ, redeunt spectacula mane.
Diuisum Imperium, cum Ioue, Cæsar habet.

Sed mutauit Campanus carmen, dixítque circumstantibus:

Nocte pluit totâ, redierunt tempora nostra,
Nox fuit acta hostis, lux erit ista Dei.

Et subiunxit,

Humida præteriit tempestas; sicca reuersa est:
Nox inimica abiit, luxit amica dies.

Iussítque Pontifex accersiri Cardinales, & parari quæ essent ad educendam pompam necessaria; ipse verò in cubiculo suo celebrauit, & passionem Dominicalem legit eius diei secundùm Lucam, & finito sacrificio cùm iam frequens

adesset Senatus & omnis Clerus, accersitis Cardinalibus percontatus est, quid facto opus esset? Nam ducere in pompa caput Apostoli decretum erat: verùm pedibus, an equis iter agendum, nondum certum; etsi enim mundauerat hesterna die populus omnem viam qua erat eundum, nox tamen pluuiosa multum superinduxerat luti, & transitus in lubrico solo sacerdotibus sacra ferentibus, & sacris indutis vestimentis difficillimus videbatur: tum longitudo itineris grauis apparebat senibus, nam circiter duo millia passuum conficienda erant, ab Æde sanctæ Mariæ Popularis, ad Basilicam sancti Petri per mediam vrbem. Itaque multorum sententia fuit, indulgendum esse Cardinalibus, Episcopis & Abbatibus, vt in equis incederent, reliqui pedibus ambularent. At id Pontifici minimè placuit, ne vel diuisa Processionis pompa videretur, vel parua sacerdotum deuotio, & minor impensa diuino Apostolo reuerentia: iussítque vt omnes pedibus irent, honoraréntque suo labore sacrum verticem, dignique fierent indulgentiis: siqui verò senes aut valetudinarij id laboris subire non possent, irent alio itinere equitantes ad S. Petrum, & ibi in gradibus expectarent ante fores aduentum pompæ; Et nihilominùs qui non possent totum iter pedibus agere, possent autem partem, tantum irent, quantum suo ex arbitrio valerent, selecto loco ex quo possent ad sanctum Petrum pedibus peruenire. Quo audito perpauci fuerunt qui non totum iter ambulare decreuerint. Ex Cardinalibus quidem Ioannes Prænestinus, excellens Theologus, extremo confectus senio, & Prosper Columnensis, doctrina & nobilitate illustris, verùm podagra vexatus, ad Vaticanum occultis aditibus se contulerunt; Ludouicus Cardinalis S. Laurentij in Damaso, domi se continuit; Nicolaus S. Petri ad Vincula natione Germanus, & Ioannes sanctæ Priscæ Hispanus, viri docti & religiosi detenti valetudine, cùm interesse non possent, petierunt vt domi manentes indulgentiarum participes fierent, quod Pontifex indulsit. Nec Philippum Cardinalem Bononiensem Nicolai Papæ V. germanum, morbus recens interesse permisit: Bessarion Episcopus Tusculanus, parum validus, in campo florum pompæ sese immiscuit, & in ædem Principis Apostolorum non sine graui labore peruenit, homo non tam annis quàm morbis confractus. Reliqui omnes Cardinales, excepto Ruthe-

no, de quo pòst dicemus, iter totum pedibus exegerunt: Paucissimi quoque ex Episcopis abfuere, quamuis multi ægrotarent, fuitque grande spectaculum deuotione plenum & reuerentia, grandæuos videre senes suis pedibus per lubricum ambulantes, palmas in manu gestantes, & in canis capitibus albas portantes mitras, vestimentis sacerdotalibus indutos, & ipsis candidis luminibus in terram defixis, nusquam flectentes oculos, sed orantes & diuinam misericordiam super populo implorantes: & nonnulli qui priùs in deliciis enutriti vix centum passus ire poterant, non equis vecti, hac die duo millia passuum, onusti sacris vestibus in luto & aqua facilè perrexerunt. Wilhelmus Episcopus Ostiensis, onus suæ carnis, nam pinguis erat & ætate prouectus, non sine labore tulit, homo nobilis & regio sanguine natus: nec non Alano sanctæ Praxedis Cardinali, difficile fuit molem sui corporis ferre; ambo tamen alacres viam peregêre. At Ioannes Episcopus Portuensis natione Hispanus, vir ciuili doctrina excellens, qui paulò antè ex Legatione Hungarica redierat, non parum admirationis præbuit, qui etsi senex erat & valetudinarius, læto tamen & vultu & animo, iter totum orando confecit, fascem portabat amor, & nihil erat amanti difficile. Laborarunt in via non parum Alexander S. Susannæ, & Iacobus S. Anastasiæ, Cardinales, quorum alterum valetudo non bona, alterum sextus & sexagesimus annus prægrauabat: vicit tamen deuotio, & nulla in parte pompæ defuerunt. Latinus, Vrsina gente natus laboris aliàs impatiens, & imbecillo corpore, ea die fortior effectus, nihil intereundum laborâsse visus est. Reliqui omnes ætate & robore valebant, vt Petrus S. Marci, Eugenij IV. Ludouicus Sanctorum quatuor Coronatorum Calisti III. nepotes. Richardus Constantiensis, qui olim Caroli Regis Franciæ Consiliarius fuerat, Nicolaus Theanensis, qui pridem exercitibus Ecclesiæ præfuerat, Marsósque domuerat, Ioannes Attrebatensis qui paulò antè abrogatâ Pragmaticâ sanctione redierat ex Galliis, Iacobus Papiensis litteris humanitatis apprimè præditus; Rodericus Vicecancellarius & ipse Calisti nepos, ingenio præstans; Franciscus Senensis, cuius antè meminimus; Franciscus Mantuanus nobilissimis Italiæ atque Germaniæ familiis sanguine iunctus: fuítque in omnium vultibus & grauitas, & religio, & deuotio, neque vllus affuit gestus indecorus, a-

deóque incessit Cardinalium ordo, vt supra modùm astantis turbæ commouerentur ad religionem animi; nec dissimilis visus est Episcoporum, & aliorum Prælatorum incessus, & in omni Clero apparuit admirabilis cordium compunctio. Aderant Ecclesiarum totius vrbis sacerdotes, Sanctorum reliquias præ se ferentes; Aderant splendidè vestiti Romani ciues, conseruatores Cameræ, Principes regionum, & reliqui Magistratus, Legati quoque Regum & Principum, & vrbis Barones, ferebantque in manibus ardentes cereos, & suum quique ex ordine locum tenebant. Pars Legatorum ac nobilium circa Pontificem collocata est, auratum ferens supra caput Apostoli pannum, qui solis radios auerteret, quasi vmbraculum (Baldachinum nostra ætas vocat), reliqui antecedebant Clerum. Sunt qui asserunt triginta millia candelarum ardentium in processu Cleri & populi ea die supputata esse ad Pontem Hadriani, dum illac bini & bini transirent homines, tantúsque inuentus est sacerdotum numerus sacra ferentium, vt qui priores incesserant, anteà ad S. Petrum peruenirent, quàm Papa è loco suo se moueret, & nihilominus alter instabat alteri, & præcedentis vestigium mox qui sequebatur occupabat. Vt ergo cuncta fuerunt apparata, & pompa iamdiu cœperat incedere, descendit Pontifex humeris hominum, vt consueuerat, sella vectus aurea, nam pedum vsum iampridem vt diximus abstulerat podagra, misítque Ostiensem Episcopum, qui duobus Cardinalibus comitatus, ex Æde sanctæ Mariæ, Apostoli caput ad se afferret, nam illi præ multitudine plebis non patebat in Ecclesiam aditus, receptum est ex altari nobile pignus, & manibus Pontificis datum, vidente omni populo, & Dei misericordiam implorante: Pontifex illud exosculatus accipiens & ante se ferens, & circumfusæ multitudini benedicens cœpit procedere hora iam decima tertia, tantáque vbique hominum turba viam obsederat, vt vix milites Papam stipantes, iter fustibus aperire possent, quamuis extra vrbis ædificia aliquamdiu eundum esset, qua latiores inueniuntur semitæ; flexit enim Pontifex ad dextram, Tiberim versus, & secundùm fluminis ripam incedens, reliquit ad sinistram Augusti tumulum; quibus in locis, etsi latè aliàs patent, nihil eo die vacuum erat, adeóque densæ inter se hominum turbæ cohærebant, vt iactum tritici semen vix posset in terram cadere, & pari modo vici omnes vsque ad

S. Petrum obſeſſi reperiebantur, nec turba eadem erat, quæ dimiſſo vno loco alterum occuparet, ſed noua vbique hominum facies offendebatur. Itum eſt prope Tiberis curſum, donec ventum eſt ad frequentia vrbis ædificia dextro itinere: Exin pompa ad ſiniſtram flexit, & per arctos ciuitatis vicos & altas ædes venit ad templum Pantheon, quod Gentiles diis omnibus (id eſt dæmonibus): Maiores noſtri glorioſæ Virgini matri Domini, & Sanctis omnibus conſecrarunt, atque illac per plateam magni templi vertit ſe ad dextram manum quouſque præterijt Diui Euſtachij Sacellum, ibique rurſus ſiniſtrorsùm itum eſt ad ædes vſque Eberardi Cardinalis ſanctæ Sabinæ, ſcientia iuris eminentiſſimi & exemplaris viri: Túmque tertium ad dexteram inclinatum eſt, & via itum quam Papæ vocant, vſque ad ædes Maximi recèns editas; illinc denuò ſiniſtrum iter acceptum vſque in Campum florum, quo ad dexteram pertranſito, platea S. Laurentij in Damaſo occurrit, quo in loco ſiniſtro itum eſt vico, vſquequo rurſus quoque adeſſet ripa Tiberis, & poſtremò dextra via ad molem vſque Hadriani peruentum, vbi ponte tranſmiſſo per viam ſacram ad S. Petrum iter habitum, quod vbique floribus & odoriferis herbis ſtratum fuit. Qua verò frequentes ciuium ædes inuentæ ſunt, vrbe tota, tecta erat pannis ac ramis arborum via, ne ſol offenderet, & omnes domorum parietes ornati, quos aulæa, pictique tapetes operuerant. Ingentem Romani lætitiam & deuotionem oſtendêre, & pariter curiales & aduenæ inuicem certantes, quo alter alterum in honore Apoſtoli ſuperaret; quicquid ornamentorum in domibus fuit, id totum effuſum eſt ad decorandas ſacro capiti vias; nulla pretioſa veſtis ea die non eſt oſtenſa. Matronæ ac Virgines in oſtiis & in feneſtris domorum cum luminaribus & ornatu, qui tempori conueniebat, orantes pompæ tranſitum intuebantur, ſacrúmque caput venerabantur: fumabant per triuia & vniuerſas vias altaria, ardebant thura paſſim & thymiamata, ac odoratæ arboris ramuſculi; pictas tabulas, egregias ſtatuas, & quæ viuos exprimerent vultus quiſque domui habuit, in porticu, ante fores, in propatulo, collocata. Multis in locis perſonatus varij viſebantur, pueri Angelos cæli repræſentantes, alij dulce canebant, alij organis pſallebant, nullum muſicæ artis inſtrumentum non audiebatur, & ſimul Apoſtoli laus æthera im-

plebat. Tum viri fortes, & diuersa passim suspensa miracula transeuntium oculos detinebant; superauit inferiorum & æqualium omnium studia Melchior Equitum Rhodiensium procurator, homo frugi & doctus, qui pro foribus domus suæ erecto altari multa incendit thura & ornatus varios adhibuit, & cantores, & tibicines, ac diuerso & delectabili concentu, transeuntes Apostoli reliquias honorauit. Cardinales qui eo in itinere habitabant, cuncti suas domos apparârunt: Spoletanus quamuis abesset, petierat enim Ecclesiam suam, per sacram hebdomadam plebeculæ suæ & suis ouibus satisfacturus: ministros tamen domi reliquit qui & plateam adiacentem pannis operuerunt, & parietes perpulchrè ornauerunt: sed victus est ab Alano sanctæ Praxedis Cardinali, quem vocant Auenionensem; is ædes habitauit in Campo Florum, quo in loco magni Pompeij Theatrum fuisse commemorant, nunc Vrsinorum palatia sunt, quæ nepos Eugenij Papæ, Cardinalis Portuensis in alieno solo maximo sumptu ædificauit; Alanus altari in foro erecto, tectóque pannis aureis & multis odoramentis incensis, præaltos quoque palatij muros pretiosis vestiuit ornamentis, quæ ab Attrebato ciuitate Galliæ in Italiam feruntur. At omnium sumptus atque conatus, & omnium ingenia longè superauit Rodericus Vicecancellarius, qui ædes suas quas in solo veteris monetæ altissimas & amplissimas construxit, diuitibus & admirabilibus pannis operuit, tum cælum sublime erexit, in quo multa & varia suspendit mirabilia, nec suas tantùm domos sed vicinas etiam adornauit, ita vt platea circumducta paradisus quidam videretur, suauibus plena sonis & cantibus, seu plurimo fulgens auro domus, sicut Neronis fuisse perhibetur, tum carmina plurima appensa parietibus legebantur, ab electis ingeniis recèns edita, quæ grandioribus conscripta litteris, & Diui Apostoli laudes, & Pij Pontificis præconia continebant. Nec Thusci negotiatores, mensariíque, qui prope Hadriani Pontem habitant, suas domos inornatas reliquêre; quippe qui alterutrum & sumptu & nouarum rerum studio superare certabant. Nulla fuit platea, nullus vicus, qui aliquid admiratione dignum præ se non ferret. Pontifex igitur per tot mirabilia vectus, vehénsque sacrum verticem, denique in eam plateam peruenit, quæ ante principis Apostolorum basilicam latissimè patet: Hanc externus impleuerat populus,

lus; nam Romani (præter eos qui pompam duxêre) in suis vicis mansêre, præsertim fœminæ. hîc maxima exorta est vociferatio, & quasi murmur aquarum multarùm, cùm viso Apostoli capite, cuncti sese ei, tundentes pectora cum gemitu & vlulatu, commendarent. Ascendit Pontifex scalam marmoream multorum graduum, quam ipse magno sumptu paulò antè construxerat pro foribus atrij, nam vetus illa (opus Constantini, vt relatum est) iam defecerat: superatóque summo gradu, vertit se ad multitudinem & benedixit ei sacrum ostendens verticem. Ingressus verò atrium, contemplatus effigiem B. Petri, quæ sedet ante vestibulum templi, & tanquam statua illa germani aduentu lætabunda fleret, collachrymatus est, duorum fratrum, qui se iampridem non vidissent, concursum atque complexum mente reuoluens. Processítque inde in Ecclesiam, quæ tota luminibus ardere visa est, nam & ipsa erat plena viris ac mulieribus, & pauci aderant non habentes aut candelas aut cereos in manibus accensos; tum lampades innumerabiles & candelabra lucebant, quæ omnia modulantibus organis & canente Clero admirabiliora reddebantur. Ventum est tandem ad aram maximam non sine magno labore inter confertissimas turbas, quæ vix gladiis dabant locum. Sub ara corpora iacent Diuorum Apostolorum Petri & Pauli orbe toto veneranda; hîc pretiosum B. Andreæ caput repositum est, quod Prælati & viri qui aderant excellentissimi, omnes exosculati sunt. Anno qui præcesserat proximus, percusserat apoplexis Isidorum Episcopum Sabinensem sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalem, natione Græcum, ex Peloponneso, qui olim Roxanis Boreali Genti præfuerat, cui etsi sermonem ademit, intellectum tamen non abstulit; manebat hic domi languens, qui vbi transeuntem ante suas ædes sacrum verticem conspicatus est, nullo pacto retineri potuit quin sequeretur sanctas reliquias. Venit igitur suis pedibus in B. Petri Basilicam, & ingressus ferreas craticulas, quæ Sancta Sanctorum cingunt, & maius altare custodiunt, accedens Pontificem signis ac nutibus indicauit se cupere diuinum Apostoli verticem osculari, impetrata venia, flexis genibus, cum multis singultibus & lachrymis, & maxima reuerentia, desiderio suo fecit satis, & tanquam voti compos exultauit, domúmque lætus rediit, nam quasi patriæ suæ conditorem vidisset, ita sibi ipsi complacuit, vt longè iu-

cundior visus est venerandus senex abire. Tum Bessarion Cardinalis dextrum apprehendens cornu, & hinc sacrum Apostoli caput, illinc Pontificem intuens, sermonem habuit in hunc modum.

Ecce frater tuus, Beatissime Petre, Apostolorum princeps, & tu vas electionis & Doctor Gentium Paule, qui vltimò in Apostolatum vocatus pari dignitate principatum cum Petro obtinuisti? En, inquam, vester Andreas, qui primus vocatus ceteris viam ad Saluatorem ostendit, adest. Ecce vester Andreas, vt qui in cælo vobis coniunctus ac conditori Saluatoríque humani generis assistens, gloria contemplationéque perfruitur, etiam in terris corpore hoc tempore coniungatur, resideátque aliquandiu vobiscum is qui suprà 1428. annos ab assumptione Domini, corpore à vobis disiunctus extiterat. Hunc enim Achaia, vt nouistis, quam olim suo sanguine Deo consecrauerat, retinens procul à vobis, vrbéque Romana, quæ vos conditores, quæ vos magistros fidei, quæ vos sanctos verósque pastores adepta est, positum fidelissimè custodiuit: huius verò aduentus sui causam non ignoratis, qui non modò cuncta præterita, verùm etiam pleraque futura in Verbo contemplamini. Ceterùm vt non ad vestram, sed ad Christianorum, siqui sunt qui ignorant, id notitiam perueniat. En ego, inquit, tuus Andreas, Petre frater; postquàm à Saluatore primò, deinde tuo iussu ad prædicationem Euangelij missus, post multas diuersásque nationes, quas fidei rectæ Christianóque nomini dedicaueram, tandem in Achaiam Peloponnesi prouinciam multitudine hominum tum nobilitate tum doctrina præditorum refertam, ita longè latéque Euangelij veritatem disseminaui, vt omnem prouinciam ab idolorum cultu ad veri Dei religionem conuerterim: ob quam rem ab Ægea Proconsule, cuius vxorem etiam gladio igníque spiritus ab eo ereptam, Christo obtuleram, sacratissimæ eius cruci eo mortis genere quo tu & Magister noster Dominus Iesus, ipse quoque finem finiui. Vbi à Maximilla Proconsulis coniuge sepultus, ad hæc vsque tempora quieui à Christi cultoribus honoratus, magnísque sublatus præconiis. Sed cùm Mahumetica gens, heu rem miseram atque funebrem! quendam diaboli filium Antichristum Mahumet sequens, occupatis primò ceteris Græciæ atque Orientis partibus, tandem nouissimis his tempo-

ribus Achaiam quoque impiiſſimè ſubiugaſſet ac nefario cultu ſubuertiſſet, inde ego nutu diuino ex impiorum manibus profugiens, ad te vniuerſalem Chriſtiani gregis paſtorem à Deo conſtitutum, tanquam ad tutiſſimum portum, me recipio, vt quemadmodum Paulus ipſe tuus, imò noſter, à fratribus in Sporta per muros ciuitatis demiſſus, eius qui in Damaſco præerat crudeliſſimas manus, vt curſum ſuum conſummaret & Euangelij prædicationem finiret, euaſit; Ita ego quoque ad te confugiens, filios quos mihi, vel potiùs tibi, imò verò Chriſto Domino noſtro genueram, impiis nunc & truculentiſſimis hoſtibus ſubditos, & non modò libertate corporum priuatos, ſed etiam de fidei integritate periclitantes, ope atque auxilio tuo, ad priſtinam dignitatem reducam, ad veri Dei cultum reſtituam, & ab omni gentilium ſpurcitia purgatos, Chriſto Deo noſtro incolumes reddam, rem tibi profectò gratam atque omnium acceptiſſimam deſiderans. Nónne tu ille es, zelantiſſime Petre, qui Malcho Pontificis ſeruo, in Chriſtum noctu cum ceteris irruenti, auriculam gladio amputaſti? ad grauiora quoque proceſſurus, niſi clementiſſimi Magiſtri noſtri voce perculſus abſtinuiſſes? Num tu ille es, qui ſi proditorem nouiſſes, extemplò in eum irruens, cruciatibus affeciſſes, & vel dentibus eum diſcerpſiſſes? Non tu ille es qui Ananiam & Saphiram, quòd Spiritui ſancto mentiti fuiſſent, morte mulctaſti? Quid modò ages? an verò in impios Turcas ſalutiferæ ac ſacratiſſimæ crucis acerrimos hoſtes, per quam te méque recepit, qui per eam nos redemit, in barbaros, membra Chriſti crudeliter dilaniantes, & Chriſtum ipſum contumeliis ac blaſphemiis continuè afficientes, ſegnis eris aut piger? Itáne eos patieris? Itáne eos impunè debacchari permittes? Non decet hoc integritatem tuam, non decet tuum illum feruentiſſimum & incomparabilem zelum? Si talia pro rebus minoribus egiſti, maiora certè pro multo maioribus facies, cùm tibi præſertim Chriſtiani Reges, Principes, ac populi colla ſubiiciant, tibi obediant, tuis iuſſis vt Dominicis mandatis obtemperent, &, quod omnium præcipuum eſt, talem hac tempeſtate ſucceſſorem habeas, cui inter alias virtutes hæc potiſſimùm cura, hoc deſiderium animo inſidet, vt innocentem ſanguinem Chriſtianum crudeliſſimè effuſum, iuſta animaduerſione vlciſcatur: Romani tui, quorum vrbem magiſtram antè erroris inue-

niens, veritatis discipulam atque reginam & sacerdotalem ciuitatem per sacram tuam sedem effecisti, capútque totius orbis religione diuina, quàm terrena dominatione latiùs præsidentem instituisti: Illi inquam Romani tui, cùm adhuc gentiles essent, nec dum tui, non fratres & filios, sed socios & amicos regnis suis ab hostibus eiectos, vt Massinissam à Syphace, vt Ariobarzanem à Mithridate, vt alios ab aliis pulsos, ad se profugientes suámque poscentes opem suis sumptibus, laboribus & periculis iuuerunt, ac cum magna & illorum & sua gloria restituerunt. Quanto magis tu, Petre sanctissime frater, germano tuo & in passione socio propriis pulso sedibus, & filiis tuis, ac tuo gregi, cui pascendo pastorem te præfecit Dominus, inter tot tormentorum ac calamitatum genera subuenies, oppressos subleuabis, & ex iniquorum manibus eripies? Nunc illo, quem contra Malchum euaginaueras vtendum est gladio, contra seruos iniquitatis, contra seruos peccati, contra mancipia omnis spurcitiæ; nunc manibus, nunc dentibus, nunc omni cruciatus genere, non contra Christi proditores dumtaxat, sed contra eius vexatores atque oppressores irruendum; nunc in eos qui Spiritum sanctum blasphemant & irremissibiliter peccant, Christum Dei filium esse negantes, nutu, verbo, dextra Dei animaduertendum est: nunc vomeres in gladios vertendi, nunc vendenda tunica & gladius emendus; nunc tuus zelus exardeat? nunc Pauli tui gladius acuatur, vt tua ope atque auxilio, per potentissimos Occidentis principes fide quam prædicâsti, quam approbâsti, qua pater vniuersorum factus es, super petram Christi ædificata Ecclesia contra portas inferi præualeat, auctore & teste ipsa veritate, Domino nostro Iesu Christo. At vt hæc ad te dicta sufficiant, nunc successorem tuum dignissimum, & verum Christi Vicarium, Pontificem summum appello, qui me summis excepit honoribus, qui me tanta fide & deuotione, hesterno die salutauit, qui tali me oratione affatus est, vt & ipse lachrymatus sit, & omnes ferè ad lachrymas commouerit; quippe qui etiam lapidea corda ad fletum facillimè conuertisset. Te, inquam, Pie Pontifex summe, oro, te precor, te obtestor, vt quæ à fratre petij, tu qui sedem eius meritò tenes, qui ei in Pontificatu dignè succedis, exequaris atque perficias? Auge in dies animum, quem ad vindictam Christiani sanguinis hactenus habuisti, ne desi-

ſtas hortari Principes Chriſtianos, & quòd toties à te interpellati ſunt, minimè deſperes; Verebuntur aliquando Chriſtum? Verebuntur Petrum, téque méque rogantes induent Chriſtianum regiúmque animum; digna tandem ſe facient, & crudeliſſimos hoſtes aggreſſi, gloriam ſempiternam cum magna tui nominis celebritate, & populi Chriſtiani ſalute adipiſcentur, cui te Deus incolumem cum felicitate diutiſſimè conſeruet, ſedis Petri gubernacula cum ſummo decore & moderatione tenentem, & tibi pro ſua pietate præſtet gratiam, vt qui cum magna me gloria in hac vrbe impræſentiarùm accepiſti, cum maiori in patriam aliquando reducas, quemadmodum magno cum affectu tua ſponte heri pollicitus fuiſti. Auditus eſt Beſſarion non abſque attentione & gratia, quamuis feſſi Patres ex itinere quietem cuperent, & iam ſextadecima eſſet hora, nec tamen illo finiente grauati ſunt, audire Pontificis reſponſum.

Si loqui poſſent beatorum Apoſtolorum ſacratiſſima corpora, quæ ſub altari iacent, aduentu profectò tui venerandiſſimi capitis, diue Andrea! magnoperè congratularentur, & verbis ampliſſimis ſuam lætitiam explicarent, & quæ per te petita ſunt auxilia vltro promitterent; ſed requieſcunt illa ſine voce vſque in diem reſurrectionis: ſentiunt tamen hodie, ſicut verè credimus, ob præſentiam tam chari & tam cognati capitis, miram ſuauitatem & internam quandam dulcedinem, maximè B. Petri germani tui oſſa, quibus fraterna charitas plus aliquid affert: Spiritus autem eorum in cælo ſunt in regno Chriſti; nec dubium eſt quin de te cogitent & opem diuinam implorent, qua tuus hic vertex in ſuum ſolium reſtituatur. Agit Petrus, agit Paulus tuam cauſam, digni ſunt ambo qui exaudiantur à Domino: nec dubita: exaudiet Ieſus Chriſtus vocem fratris tui, cuius eſt non fratrem tantùm, ſed fratres omnes confirmare, dicente Domino ad eum, *& tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos*, quod non ineptè ad confirmationem ſedium trahi poteſt. Reſtitueris volente Altiſſimo fratris auxilio & B. Pauli precibus, & confirmaberis in eo vt ſperamus, vſque in finem ſæculi? Quantum verò ad nos attinet, quia noſtri quoque facta eſt mentio, qui locum germani indignè tenemus, ne multis moremur, tibi, Andrea digniſſime Chriſti Apoſtole! quem ab ineunte ætate vſque in hoc æui præcipuo cultu venerati ſumus, & intra

Luc 22.

cæli cultores cum plerisque aliis nobis aduocatum & protectorem elegimus, omnes suppetias, quæ sunt in nostra potestate, ad recuperandas tuas oues, tuámque domum hîc in terra volenti & cupido animo pollicemur: Nihil est enim quod nobis magis cordi sit, quàm Christianæ Religionis & orthodoxæ fidei defensio, quam tui nostríque hostes Turcæ conculcare nituntur. Quòd si Christiani Principes nostram vocem audire voluerint, & suum pastorem sequi: videbit & lætabitur omnis Ecclesia, nec nos, quæ sunt officij nostri neglexisse, nec te frustra huc impetratum fratris auxilia venisse.

Atque his dictis, & collecta decantata, surgens dimisit Pontifex in altari nobile pignus, vt omnibus ea die videndum pateret: auditoribúsque sacri palatij custodia demandata. Indéque abiens cantantibus Cardinalibus & Episcopis & alta voce Deum laudantibus, iuit ad locum ex quo videri poterat, & multitudini benedixit, ac nepos eius secundùm carnem Senensis Cardinalis plenarias indulgentias annunciauit; Atque in palatium reditum est. Et sequentes maioris hebdomadæ dies, diuinis officiis pro veteri obseruantia sunt attributi, & passionis Dominicæ sacra peracta, non absque plebis ingenti deuotione.

In quinta verò feria, in loco ad id electo, Pontifex cum Cardinalibus & omni Clero consuetum promulgauit anathema, & homines quatuor perditionis filios nominatim excommunicauit, atque extra Ecclesiam Christi fecit, videlicet Sigismundum ex Austriæ principibus, qui violentas manus in Cardinalem sancti Petri Episcopum suum Brixinensem iniecerat, ipsa die sacra & magna Dominicæ Resurrectionis, ac Gregorium Hauburgensem cognomento Errorium, qui paulò antè velut hæreticus fuerat condemnatus, vt qui auctoritatem Ecclesiæ parui faceret, contemnerétque censuras, & damnatos dogmatizâret errores. Tertio loco excommunicati sunt duo fratres tyranni, alter Arimini, alter Cæsanæ: Sigismundus & Malatesta filij Pandulphi ex genere Malatestarum extra matrimonium nati, qui sæpius requisiti debitum Ecclesiæ Romanæ censum soluere contempserunt: & Sigismundus quidem totius malitiæ caput, & venenata mens sine religione, sine fide, sine Deo, nullius peccati non reus, paulò pòst, quod tamen ante dictum est, de hæresi conuictus condemnatúsque est.

Die Sabbathi, quæ fuit Aprilis decima septima, celebrato grandi officio, cùm benediceret omni populo Pontifex Maximus, promisit in crastinum ob reuerentiam Resurrectionis in Ecclesia Principis Apostolorum sese rem diuinam facturum, portaturúmque eò sacrum Andreæ caput, vt iterum atque iterum videretur, quod ex altari B. Petri abductum in palatio clauserat. Res noua & insperata fuit: nam propter ægritudines & absentiam Pontificis, ante quatuor annos non viderant Romani suum Pontificem diuinam hostiam offerentem: cúmque suis pedibus stare Pius Præsul nequiret, excogitata ingenia sunt, vt quasi sedens celebraret: ab eo tempore quo sacrum caput ex Narnia portatum est vsque id Sabbathi, singulis diebus noctibúsque pluit, tantúmque pluuia cessauit quantùm id fuit in itinere, quod in religionem piæ mentes verterunt tanquam Apostolo suo in publicum exeunti eam serenitatem condonaret Deus, auxítque eam religionem ipsa dies Paschæ, in qua serenitas læta fuit. Descendit itaque in Ecclesiam Apostolicam Pontifex, sacrum præ se gestans verticem, & diuinam rem agens hostiam obtulit Deo acceptissimam, Filium * suum; tradiditque compluribus sacratissimum Christi corpus & Clericis & Laicis sua manu, inter quos fuerunt Oratores Venetorum Nicolaus Sagundinus, & Senensium Augustinus Dathus, ambo insignes Rhetores & Philosophi elegantes, Græcis & Latinis litteris imbuti; nec minor his Polycarpus Regis Hungariæ Legatus, & alij præstantes viri. Expleto sacrificio Pontifex venerabile caput accepit, & pergens in pompa cum Cardinalibus & Clero venit in eam templi partem qua sancta seruatur Veronica, (sic enim appellant admirabilem Iesu Christi faciem impressam sudario, quod Veronica insignis mulier illi obtulit) stetítque procul, & iussit ostendi sudarium: Petrus Cardinalis sancti Marci nobili loco apud Venetos natus, Eugenij, vt diximus, nepos & Archipresbyter, eius Ecclesiæ scala conscensa, venerabilem sacrámque Domini figuram ostendit, ter pro suo more *misericordiam* implorante populo. Fuit res veneratu & admiratione dignissima, illinc sanctum intueri Saluatoris vultum; hinc eius Apostoli pretiosas reliquias: tum Pontificem Maximum, cum Cardinalibus & omni Clero flexis genibus, nudatis capitibus orantem cernere. Exin ventum est ad locum benedi-

* *eius*

ctionis, in quo non minor turba hominum fuit, quàm nuper in priori pompa. Viderunt & qui nouiter aduenerant nobile Apoſtoli caput, & benedictionem Pij Præſulis acceperunt, ac remiſſionem plenariam delictorum, qui per contritionem atque confeſſionem capaces fuere. Abiit deinde in ædes ſuas Pontifex Maximus, & ſacras Apoſtoli reliquias ſecum ferens ſeruandas in Arce ſancti Angeli recondidit, donec eis loculus idoneus apparari poſſet.

DE SACRARVM RELIQVIARVM sancti Andreæ Apostoli varia dispersione, & diuersis in locis earumdem cultu, ac veneratione.

PRÆCLARE, vt cætera assolet S. Basilius Magnus disserens de sanctis Martyrum meritis, & gloria, déque illorum corpore exutorum, sacrarum reliquiarum cultu ac virtute, dixit homil. de 40. Martyribus; *Hi sunt qui nostram obtinentes regionem quasi quadam turres contra aduersariorum incursum, refugium exhibent: Nec vno loco se clauserunt, sed in multis locis hospitio recepti, multorum patrias ornauerunt.*

Sanè in S. Andrea Apostolo, quantum hoc verum sit, inde patet, quòd vix vllus sit Sanctorum, cuius feruentiori deuotionis affectu populi Christiani reliquias, vel minimas, & quantumuis tenues ossium eius vel pilorum aut vestium particulas, & crucis fragmenta, vel olei stillantes ex eius sepulchro guttulas habere concupierint: vnde factum vt eius venerandæ reliquiæ, longè latéque per vniuersum orbem disseminatæ, varias patrias (vt ait S. Basilius) exornauerint, & magnam vbique vt benedictionem intulerint, sic & susceperint eximiam omnium passim fidelium reuerentiam & venerationem.

De translatione celeberrima eius sacrati corporis de Achaia Constantinopolim facta, egregia Constantini Magni pietate, suprà abundè satis disseruimus. At tunc non fuit totum corpus eius deductum in Græciam, ex Patras Achaiæ, vbi fortiter decertans pro Christi fide & gloria inclyto martyrio occubuerât, & victor magnanimus, *in curru similitudinis gloriæ ipsius Domini* triumphauerat, tam certum est quàm quod certissimum; siquidem venerabile eius caput, ne locus eius Martyrij præcipuis ipsius pignoribus destitueretur, pro sua æquitate ac modestia vltrò passus est Constantinus, vt caput, inquam, illud pretiosum, à trunco corporis diuulsum, in monumentum eius agonis & coronæ, vrbísque quam suo sanguine Christo consecrauerat, tutelam & patrocinium remaneret: vbi summo cum honore Ezechiel. 1.

Fuit ſanè Gregorius Magnus ſingulari deuotione affectus in Beatum Andream, quemadmodum multis argumentis prodidit, quorum illuſtriora inferiùs recenſebo, vbi ſpeciali libello proferemus ſanctorum Patrum inſigniora de ſanctiſſimo hoc Apoſtolo encomia.

DIGRESSIVNCVLA.

Aduerſus Caluinum, pro piis ſacrarum Beati Andreæ reliquiarum vindiciis.

VIGILANTIVS funeſtus ille hagiomachus, aduerſus quem victrice manu maximus Eccleſiæ Doctor Hieronymus, duodecim ante ſæcula, pro veneratione Sanctorum & ipſorum reliquiarum decertauit, virus ſuæ perfidiæ ab Eunomio hauſerat: Eunomio, inquam, illo Verbi Incarnati, & Spiritus ſancti diuinitatis teterrimo hoſte, baptiſmi in nomine ſanctæ Trinitatis diſpenſati ſacrilego abrogatore, & aliarum impietatum auctore ſceleratiſſimo. Caluinus qui ab Eunomio de ſufficientia ſolius fidei, (nam hoc addebat impius ille hæreſiarcha) dogma peſtiferum non erubuit mutuari: ab eodem & eius Sectatore Vigilantio, etiam odium imbibit aduerſus Sanctos eorúmque reliquias, quas poſt tam fœda impietatis portenta, non tantùm omni honorificatione priuare, ſed etiam penitùs abolere, iiſdem quibus illi vſi fuerant armis inſtructus, multíſque additis inſuper machinis, tota vita contendit. In Martyrologio noſtro Gallicano pleriſque locis conſignauimus, quibus probris & contumeliis Sanctorum ſacratiſſimas reliquias eius emiſſarij & ſectatores affecerunt, quorum pretioſa corpora vel oſſa flammis execrabilibus exuſſerunt, combuſtorúmque cineres exſufflarunt, ne vel minima fauilla ex horum oſſibus crematis remaneret, aut vlla memoriæ ipſorum venerabilis ſcintilla intilla ſupereſſet. Tam horrendos auſus ipſe Caluinus excitauerat, qui peſtilentiſſimo illo libello quem *Indicem reliquiarum* inſcripſit, virulenter & impiè tractauerat de Sanctorum exuuiis, quas in deriſum & abominationem traduxerat, diabolicis ironiis, ingenioſis argutiis, & putidis mendaciis (quorum non minimam partem, paſſim iam in pleriſque noſtris libris confutauimus) reliquámque pro occaſione data, aliis quæ in manibus ſunt

edendis opuſculis, diligenter ac perſpicuè refellemus.

Caluinus igitur nouus Eunomius, Vigilantius rediuiuus, in exitioſo illo libro de Sanctorum reliquiis, poſtquàm multa de Chriſto Domino, eiúſque ſanctiſſima Genitrice, & B. Ioanne Baptiſta, ſanctiſque Apoſtolis Petro, & Paulo, (prætextu diſputandi aduerſus ipſorum reuerendas reliquias) impiè prorſus effutierat, reliquos Domini Apoſtolos aggreſſus; venenatam linguam acuit aduerſus S. Andreæ glorioſiſſimi Apoſtoli memoriam, & reliquiarum eius varia per loca diſperſarum venerationem.

Dicit igitur 1. *A Papiſtis duo corpora Beato huic Apoſtolo mendaciter attribui, quorum alterum Toloſæ, alterum Amalphi extat ac colitur.*

Reſpondeo Caluinum mentiri in caput ſuum: Toloſæ etenim corpus Sancti Andreæ non habetur. Cùm ordiri vellem Martyrologium Gallicanum, encyclicas litteras ad vniuerſas Galliarum Eccleſias ſupplices ſcripſi, quibus inter cetera, earum Eccleſiarum proceres obſecrabam, vt non ſolùm localium Sanctorum catalogos, Epiſcoporum ſeries, ſed & ſacrorum pignorum indiculos mihi in ſubſidium tanti operis tranſmittere dignarentur. Venerabile Eccleſiæ Toloſanæ Capitulum ad me, gratulando labori pio quem aggrediebar, ſuppetias quas quærebam tranſcripſit, inter quas libellus erat editus ſacrarum reliquiarum, quæ ea in baſilica Pontificia aſſeruantur & coluntur: Ita & Capitulum inſignis Eccleſiæ S. Saturnini, ſacris Sanctorum Apoſtolorum & Martyrum pignoribus (ſi quæ alia, poſt Romanam omnium matrem, ſub cælo eſt) locupletiſſimæ, mihi ſacrarum ſui ſanctuarij reliquiarum exactam & accuratam tranſmiſit recenſionem, quæ quàm fœdè mentitus ſit Caluinus, ipſa ſerie & figura quæ ſequitur palam oſtendit.

SACRO-SANCTÆ D. SATVRNINI ECCLESIÆ Tholosanæ, Corporúmque Sanctorum, ac reliquiarum in ea quiescentium triumphus.

EX tabula ænea, in qua singulorum SS. quorum illic sacra lipsana coluntur, imagines expressæ sunt in duplici latere, & parte superiori ac inferiori, in quarum meditullio refertur Missio Spiritus sancti super Apostolos: quam quidem figuram cum singulis epigraphis, propter eius amplitudinem, hîc non potuimus exhibere; singulas tamen reliquiarum inscriptiones accuratè notauimus.

In partis superioris medio. *Vna è spinis Coronæ spineæ D. Saluatoris nostri Iesu Christi, inter corpora S. Iacobi Maioris & S. Iacobi Minoris Apostol. S. Simonis & S. Iudæ Apost. S. Philippi & S. Barnabæ Apost.*

In latere dextro.	In latere sinistro.
S. Georgij Mart. & militis corpus.	*S. Bartholomæi Apostoli caput.*
S. Claudij Martyris corpus.	*S. Nicostrati M. corpus.*
S. Simphoriani Martyris corpus.	*S. Castorij M. corpus.*
S. Simplicij Martyris corpus.	*S. Eadmundi Martyris Regis Angliæ corpus.*
S. Cirici Martyris corpus.	*S. Iulittæ Martyris corpus.*
S. Asciscli M. corpus.	*S. Victoriæ Martyris corpus.*

Primus ordo partis inferioris habet in medio *imaginem B. Mariæ Virginis & de veste eiusdem, inter corpora S. Honorati, S. Hilarij, S. Siluij Episcoporum Tholosanorum: S. Papuli Mart. & socij S. Saturnini: S. Ægidij & S. Gilberti Abbatum.*

Secundus ordo refert in medio *miraculum imaginum lignearum* 12. *Apost.* 14. *Martij an.* 1518. *in eadem Ecclesia patratum, inter scrinium eburneum* 27. *minutarum reliqq. variorum Sanctorum refertum, & lapidem quo impetitus est B. Proto-martyr Stephanus eiusdem sanguine tinctum, nec non corpora S. Saturnini Protomartyris & Proto-præsulis, ac patroni Ecclesiæ Tholosanæ: S. Susannæ filiæ Helchiæ ex veteri testamento: S. Exuperij Episc. Tholosani: & caput S. Honesti Confess. discipuli S. Saturnini.*

Ex qua tam fideli relatione & collatione reliquiarum Ecclesiæ Tholosanæ, inter quas ne minima quidem habetur mentio S. Andreæ Apostoli, facilè patet quàm ineptè imponat de duplici capite S. Andreæ Caluinus; verùm ceteras eius excutiamus ineptias.

Hîc de Amalphitana S. Andreæ translatione ex Caluinianæ calumniæ occasione, tractandum esset: sed ne prolixior cuiquam videatur hæc digressio, eam ad calcem remittimus.

Dicit 2. Caluinus, *Matthias inter Apostolos, apud Papistas in hoc præcellit, quòd non duo tantùm sed tria habet corpora: vix tamen illi Andreas ea in re cedit, eius enim frusta seu fragmenta corporis* (*Gallicè sic ait Caluinus*, Il est vray que les loppins qui sont de S. André çà & là, recompensent à demy) *aliquatenùs compensant eiusmodi minutionis defectum. Nam Romæ apud S. Petrum vnum habet caput, in Ecclesia S. Chrysogoni spatulam, in Ecclesia S. Eustachij costam, in Ecclesia sancti Spiritus, brachium; apud S. Blasium nescio quam oßium portionem: apud Aquas Sextias in prouincia Phocensi, pedem. Quæ partes si colligerentur, dimidium absque dubio corporis vnius, facilè efficerent, dummodò debita proportio seruaretur.*

Respondeo ad singula hæc Caluini acumina, seu potiùs ironicas argutationes, quibus tota eius obiectio constat;

I. Quòd S. Andreæ caput Romæ apud S. Petrum existit & reuerenter seruatur, in hoc verum dicit, siquidem certæ eius susceptionis ex Achaia, & solennis repositionis in basilica Romana S. Petri, acta authentica adhuc extant, & infrà seriatim proferentur. Sed quia Caluinus, pruritu calumniandi semper feruens, ex insita malignitate dicit, vnum Romæ in basilica Vaticana caput S. Andreæ custodiri & ostendi; supponit aliud alibi existere & honorari: Respondeat quæso, cur non indicârit locum, vbi aliud quod supponit caput S. Andreæ Apostoli, non sine veneratione publica asseruetur? hîc tacet impostor; quia calumniari Ecclesiam Catholicam & suum fallere lectorem tantùm volebat.

II. Obiicit spatulam S. Andreæ ostentari in Ecclesia S. Chrysogoni. Quid hoc habet absurdi? Annon habuit S. Andreas vnam & alteram scapulam? vel hæc & illa possunt esse nullibi? quòd si alicubi sunt, cur saltem altera Romæ in Ecclesia S. Chrysogoni nequit esse? Oblitus éstne Caluinus huius regulæ Iuris, (nam Grammaticam, Rhetoricam, & Iurisperitiam aliquando didicit, Theologiæ scholam nec à longè vsquam salutauit) *Melior est conditio poßi-*

dentis quàm petentis. Ecclesia S. Chrysogoni possidet hoc S. Andreæ pignus ab antiquo, bona fide: sine iniuria non potest possessione sua ab impetitore nupero deturbari, nisi ordine iuris causâ cognitâ, & prolato legitimo titulo, quo euincatur, manifesto defectu rei contentiosæ proprietatis. Eadem est ratio vnius costæ eiusdem Apostoli, quam extare inquit, in Martyrio S. Eustachij; & brachij vnius in Ecclesia sancti Spiritus, itidem Romana.

Porrò de pede sanctissimi ipsius Apostoli, quem ait seruari in Sacrario Ecclesiæ Aquensis, verum quidem dicit, sed nequiter prætermisit, ibi sacrum hoc pignus consistere, testimonio diuino ingenuæ germanitatis approbatum: Etenim adhuc integrum & illibatum ostenditur, tantæque spirans sanctitatis, vt qui accedunt ad eius venerationem, interno motu pij horroris & sinceræ reuerentiæ, afficiantur: qua concuti se non sentiunt, dum alias Sanctorum reliquias, tametsi minimè dubias, exosculando venerantur.

Hagiomachi nuperi Caluinistæ, magis erga Sanctos Dei amicos sunt impij, quàm vel vmquam fuerit Apostata Iulianus: ipse enim etsi eorum memoriam exosam haberet, nullo vnquam opprobrio illorum affecit reliquias, vel vim intulit eorum sepulchris. At Caluinistæ, ea ingenti furore effoderunt, innumerísque contumeliis affectas ipsas eorum sacras reliquias, scelerate cremârunt, & in auras eorum cineres dissipârunt. Iusta ac præclara est S. Gregorij Nazianzeni aduersus Iulianum expostulatio: quòd qui figmentorum poëticorum adorabat mendacia, & sepultæ iam per diuinæ veritatis euidentiam, ethnicæ superstitionis ridiculas reliquias; veri Dei Martyrum venerabilia pignora contemptui haberet, & radiantia tanto splendore, toto orbe, Christi seruorum, quin & amicorum, pretiosas exuuias non exhorreret aspernari. Sic enim impium illum Apostatam, quamuis typho imperij inflatum, & sua in potestate gloriantem compellat & retundit. Tu post Pilatum Christicida, post Iudæos Dei hostis, non victimas pro Christo cæsas veritus es; Ioannem illum, Petrum, Paulum, Iacobum, Stephanum; Lucam, Andream, Theclam, eos & qui post illos, & ante illos, periculis se obiecerunt! qui cum igni & ferro, ac belluis, & tyrannis, & præsentibus malis & denunciatis alacri animo velut in alienis corporibus, imò quasi corporum expertes dimicarunt! (verùm ne pietatem vel verbotenùs

" proderent) quibus præclari honores & festa constituta sunt:
" à quibus dæmones propelluntur, & morbi curantur; quo-
" rum apparitiones & prædictiones, quorum corpora idem
" possunt quod animæ sanctæ: quorum vel solæ sanguinis gut-
" tæ, atque exigua passionis signa, idem possunt quod cor-
" pora? Hæc non colis sed contemnis, qui Herculis rogum
" ex calamitate, iniuriisque muliebribus illatis irrogatum ad-
" miraris? Et Pelopis laniationem, &c. Et in Militiæ sacris
" adhibitos cruciatus, &c. Et hospitum apud Tauros cædem,
" &c. Illúdque apud Troiam puellæ regiæ sacrificium, & Mi-
" necij pro Thebanis fusum sanguinem, &c. qui Socratis ci-
" cutem extollis, & Epicteti crus, & Anaxarchi vtrem. quo-
" rum patientia, coacta potiùs ac necessaria, quàm libera & vo-
" luntaria erat, &c. Quòd si tu illa superiora nomina non
" miraris, at certè præsentia mirare?

Laborabat feruentissimo odio Christiani nominis Iulianus. Non tantùm eò ipsum furor vnquam arripuit, vt quæ contemnebat Sanctorum Martyrum fulgentia tanta luce gloriæ corpora, ossáque à Christianis digna veneratione honorata, loco quo cum pio cultu condita erant, deturbaret, flammis iniiceret, corúmque cineres dispergeret, vel eorum sepulchris vim inferret, & aliqua illorum vel tenues reliquias afficeret contumelia.

Exemplum huius in impio illo Cæsare hac in re moderationis, commemorat Theodoretus lib. 3. hist. Eccles. c. 9. & 10.
" Cùm agitaret (inquit, animo Iulianus) expeditionem in Per-
" sas, ad omnia oracula quæ in Imperio essent, fidelissimos suo-
" rum misit; ipse verò Pythium Daphnæum orauit, vt futu-
" ra sibi aperire vellet. Sed ille obstare vaticiniis suis vicinos
" mortuos respondit, quibus in alium locum translatis, prædi-
" ctiones se editurum, &c. Erant autem illic positæ reliquiæ clarissimi victoris Martyris Babylæ (Antiocheni olim Episcopi) & qui cum illo vnà decertarant, adolescentum quorumdam: Apparebátque fallacis vatis consueto mendacio obsistere, gratia Martyris; idem & Iulianus intelligens (tenebat hoc enim adhuc ex antiqua pietate) Martyrum potentiam: ipse per se quidem inde corpus mortuum transtulit nullum: reliquias autem victoriæ compotum Martyrum, tradidit deportandas Christi cultoribus, qui cupidè in lucum venerunt, & arcam plaustro imposuerunt, præeuntibus & choreis & cantibus Dauidicam melodiam insonantibus.

De-

Demus iam quæso igitur aliquid Iuliano Christi eiuratori & capitali Religionis Christianæ inimico, plus aliquid modestiæ, &, si dicere liceat, erga Christi Martyres pietatis ac obseruantiæ, quàm Caluino & eius sectatoribus, qui non contenti, Sanctorum fidem abiurasse, eò vsque insaniæ ac impietatis prorumpere non exhorruerunt, vt Sanctorum Beatorum reliquias, non modò dignas honore vllo contenderint, sed effractis eorum sepulchris inde extractas & innumeris affectas contumeliis, incendio tradiderint, & sacrilegis manibus cineres hinc conflatos, diabolico impulsi furore in aquarum fluenta dispersérint, vel in aërem exsufflarint. Qua specie rationis tantum nefas aggredi ausi fuerint non video. Nec enim sufficiebat contraria religionis persuasio antiquæ pietati, ad tam atrox facinus audendum: si enim ad calculos exactiores cum eis descendimus, factum illud omnibus qui vel aliquid humanitatis habent, aut tenui religionis specie obducuntur, execrabile potest defendi: omnium positis, etiam ipsorum Nouatorum principiis, ipsius impietatis manifestum scelus est. At de hac controuersia, de Sanctorum reliquiarum veneratione & cultu, aliàs ex professo disseruimus satis accuratè & copiosè.

Index reliquiarum S. Andreæ Apostoli; quæ in Galliis, & Belgio, vel olim extabant, vel adhuc ibi existunt, & sacris honoribus coluntur.

§. I. *Lutetiæ Parisiorum in Ecclesia Metropolitana B. Virginis Deigenitricis Mariæ.*

BRACHIVM *S. Andreæ Apostoli* honorificè asseruatur, ibi pridem susceptum & illatum, cum aliis sacratissimis reliquiis, quemadmodum notatur in antiquo ipsius insignis Ecclesiæ Parisiensis Martyrologio, quod ex vetustis Codicibus membraneis, Parisiis editum fuit, anno 1536. vbi sic habetur:

Pridie Nonas Decembris, Parisiis susceptæ sunt in Ecclesia B. Mariæ Reliquiæ: scilicet pars capillorum B. Mariæ, tres dentes B. Ioannis Baptistæ; brachium S. Andreæ Apostoli; lapides quibus lapidatus est S. Stephanus; Caput pretiosissimum B. Dionysij Martyris. Hæ autem reliquiæ in Ecclesia B. Stephani Protomartyris inuentæ sunt, scilicet in Ecclesia S. Stephani de Græcis, *quæ* (sicut in charta Capituli data anno

1331. legitur) *est Ecclesia antiquissima, in qua fuit prima Episcopalis Sedes.*

Festum hinc ortum Parisiis, in tota vrbe & diœcesi celebre susceptionis sanctarum reliquiarum, agitur in ipso Aduentu Domini die 4. Decembris. Cuius officium ita ordinatur, vt de sanctissima Virgine Maria, B. Ioanne Baptista, S. Andrea Apostolo, B. Stephano Protomartyre, sanctóque Dionysio, tam lectiones propriæ, quàm responsoria contexantur in MSC. libris mysticis, pariter ac in editis, quos Breuiaria appellamus.

§. II. *Aureliis quondam.*

ANNO Domini 1562. Gallicis Ecclesiis maximè luctuoso, Caluiniani hæretici præclaram vrbem Aureliam fraude interceptam, miseranda clade cùm vastarent, atque pietatis auitæ monimenta quæque insignia diriperent ac demolirentur: sacrilegis ausibus in Sanctuarium maioris Ecclesiæ, quæ Gallicarum omnium sumptuosissima ac magnificentissima, Christo Redemptori crucifixo dicata erat, irruperunt die 2. Maij, sacrásque eius reliquias & pretiosa cymelia raptas in nouam turrim intulerunt: confecto priùs inuentario, quo sacras ipsas reliquias & mystica vasa ac vtensilia (Deo sic disponente, vt sceleris tam impij labes sempiterna, sacrilegæ huic sectæ inureretur, & Sanctorum qui odio Catholicæ fidei hæc probra in suis pignoribus passi essent, memoria non periret, at cresceret ex hoc ludibrio, imposterùm illorum gloria) descripserunt, inter quæ speciatim recensetur Brachium vnum argenteum, auro obrizo, deauratum *cum reliquiis Beati Andreæ*, & reliquiarium sanctorum Petri & Pauli, cum cruce argentea, auro quoque obrizo inaurata, &c. Ceterùm ex harum reliquiarum (nam tam multæ erant, vt prolixa illarum series fastidium quibusdam incitatioris animi lectoribus parere possit) thecis, ossa Sanctorum demum extracta fuerunt die 15. Maij, aurum verò ex illis lipsanodochiis conflatum tantum erat, vt 49. marcarum pondus efficeret: argentum verò purissimum 8033. & eo ampliùs, quod in prædam suam verterunt impij illi hagiomachi. Nec his stetit eorum furor, dirutis enim deinde Ecclesiis, sacras reliquias cremauerunt; Ex sola Ecclesia S. Aniani, quæ illustre mnemosynon erat pietatis Roberti Regis Christianissimi, arrepta pretiosa eiusdem S.

Aniani veneranda ſpolia cum ſanctis pignoribus S. Mamerti Archiepiſcopi Viennenſis; necnon Sanctorum Baudelij, Scubilij & Dorothei Martyrum, ſancti Reſtituti Epiſcopi, Sanctorum Euurtij, Floſculi, Monitoris, Samſonis, Confeſſorum, itidémque Pontificum corporibus: capite inſuper ſancti Quiriaci Epiſcopi & Martyris, reliquiis Sanctorum Petri & Pauli, *Brachio S. Andreæ Apoſtoli*, Crucis Domini fragminibus, reliquiis S. Mauritij, &c. corpore S. Agiæ matris S. Lupi Archiepiſcopi Senonenſis, aliiſque innumeris Beatorum exuuiis, chariſſimis in nos charitatis eorum pignoribus, Dei gloriæ organis, & futuræ immortalitatis ſeminibus: Hæc omnia tragicè habita & impiè tractata, demum flammis ſacrilegis abſumpſerunt, cineréſque in profluentem Ligeris alueum, horrendo auſu proiecerunt. Sic igitur periit ſacratiſſimum S. Andreæ pignus, nempe os ex brachio, à Roberto Rege, cum aliis Sanctorum reliquiis pretioſo olim munere donatum.

Vide Martyrolog. Gallican. die 17. Nouemb. in S. Aniano.

§. III.

ECCLESIA Cathedratica Abrincenſis, in ſecunda Lugdunenſi, ſeu Prouincia Rothomagenſi, in honorem S. Andreæ Apoſtoli fundata, brachio ſanctiſſimi ipſius Apoſtoli, quo hæſit pro Chriſto fixus in cruce, iamdudum ditata: vt eius venerabili nomine & patrocinio, ſic tam eximio pignore, hactenùs mirum in modum gloriatur.

§. IV.

DVROCORTI Rhemorum, quæ nobilis eſt ſecundæ Belgicæ Metropolis, in Archimonaſterio S. Remigij, à S. Leone IX. nomine, Pontifice Romano, ex Epiſcopo Tullenſi nuper creato, religioſè aſſeruatur os aliud ex brachio ipſius Beatiſſimi Apoſtoli: Quæ cauſa eſt cur in illa celebri Eccleſia, non tantùm feſto, ſed etiam octaua honoretur.

§. V.

IN Monaſterio Caſæ Dei Ordinis S. Benedicti, Claromontenſis diœceſis die 30. Nouembris, ſolennis eſt veneratio Brachij S. Andreæ, cuius hac die natalis celebratur; quemadmodum notaui illa die, in Supplemento Martyrologij Gallicani.

§. VI.

CLAROMONTE Aruernorum, reliquiæ S. Andreæ non tantùm in eius proprio altari, in Ecclesia S. Petri conditæ sunt, sed præcipuè in antiqua eius tituli Ecclesia asseruantur: quam æui senio collapsam Wilelmus Comes & Delphinus Aruerniæ restaurauit, anno 1149. Ibique Religiosos Ordinis Præmonstratensis, tum primùm efflorentis, instituit. Huius basilicæ meminit Gregorius, ortu & ipse Aruernensis, à sede Episcopatûs dictus vulgò Turonensis, lib. 4. hist. Francorum cap. 31. vbi mentionem facit Lychnorum ibi lucentium, quæ auis quædam extinxit in signum præmonitorium proximæ calamitatis. Extat adhuc Ecclesia cum decore: ad quam Clerus Claromontanus, quotannis feria 4. Rogationum ex veteri more procedebat; hodie verò (vt ordo Claromontij iam habet) *Transeuntes ante Ecclesiam S. Andreæ, & facta commemoratione de eo, per antiphonam, Andreas Christi famulus, & versum Dilexit Andream, & orationem, Maiestatem tuam; cum processionibus S. Andreæ, & Camalariensi, quas ibi obuiam inuenimus, vadimus ad Ecclesiam Camalariæ.* Ritualis liber S. Illidij eiusdem Processionis, ipsa die, his verbis meminit, *Inchoatur Litania, & cantando eam reuertimur, & intramus apud S. Andream.*

§. VII.

BVRDIGALENSIS Ecclesia, quæ Aquitaniæ secundæ sacra, ciuilisque Metropolis est, S. Andream Apostolum à sua fundatione (quæ auctorem habet S. Martialem totius huius prouinciæ in Christo parentem) summo honore veneratur, insigniáque eius pignora religiosè conseruat.

§. VIII.

AQVIS SEXTIIS, (teste ipso Caluino*, sacrarum Reliquiarum diro insectatore, & amicorum Dei inimico) S. Andreæ Apostoli pes vnus, quem stupenda prorsus humilitate ipse Christus Dominus in institutione magni suæ pietatis Sacramenti, abluere, & linteo quo erat præcinctus extergere dignatus est, eo quo dignus est cultu ostenditur & obseruatur. Integer est adhuc & immunis ab omni corruptione, ex diuino Verbi Incarnati contactu. De hoc egimus suprà, quamobrem hîc non hæremus diutiori eius recensioni.

* *In indiculo sanctarum reliquiarum.*

§. IX.

NAMVRCI in S. Albani Cathedrali Ecclesia, magna cum veneratione exosculanda profertur, iunctura brachij S. Andreæ Apostoli.

§. X.

IN Elnonensi Monasterio Ordinis S. Benedicti tertio milliari à Tornaco Neruiorum, antiqua portione veteris Episcopatus Nouiomensis, honorificentissimè reclusus exhibetur dens è capite S. Andreæ Apostoli.

§. XI.

DVACI in insigni Ecclesia Collegiata S. Amati, pars egregia habetur multo cum honore sancti ipsius Andreæ Apostoli, vnà cum spectatis particulis aliorum Sanctorum Domini Apostolorum: item cum aliquo puluere S. Ioannis Baptistæ, ossicula quædam seruantur sanctissimi eius discipuli, subinde verò Christi Apostoli B. Andreæ.

§. XII.

IN Aquæcurtensi Monasterio Canonicorum Regularium Ordinis S. Augustini, haud procul à Bapalma Artesiæ oppido, Beati ipsius Andreæ ossa quædam iustæ magnitudinis visuntur.

§. XIII.

BELLOPRATI Cœnobio Ordinis Cisterciensis, ad Scarpam fluuium, in vrbe Duacena, cum reliquiis Sanctorum Petri & Pauli, aliqua sunt pignora S. Andreæ Apostoli. sub vniuscuiusque imaginis pedibus, apparent quædam sacrarum eorumdem exuuiarum particulæ.

§. XIV.

S. BERTINI in Sithiu Monasterio, Ordinis S. Benedicti, iuxta muros Audomaropolitanæ in Artesia ciuitatis, pulchræ admodùm seruantur portiones sanctorum Christi Apostolorum, inter quas vna est S. Andreæ valde conspicua.

§. XV.

DVACI oleum medicum & odoriferum manans ex S. An-

dreæ ossibus asseruatur. Sanctus hic enim Apostolus primus inter Sanctos odoriferos celebratur. Ratio hæc est, quæ partim ex Gregorio Turonensi, partim ex ipsa quæ hodiéque viget rei experientia, à Cardinale Baronio insinuatur, in notis ad Martyrologium Romanum, 7. Idus Maij; *De perenni* (inquit) *miraculo scaturientis inde*, (scilicet ex sacro eius corpore quod Amalphi seruatur) *liquoris medici, ad curandos morbos, totus pæne Christianus orbis est testis, in omnes enim regiones ex hoc fonte fluxere riui.* Ditantur Patres Societatis Iesu Collegij Duaceni hoc sacro liquore, qui à nonnullis de vita periclitantibus gustatus, repentinam illis sanitatem attulit, vt Buzelinus testatur in Annalibus Gallo-Flandriæ lib. 12. ad annum Domini M IↃ. LXXXIV. ex historia MSC. eiusdem Collegij his verbis, *Quem Româ Collegij Societatis Rector profusum, è Diui Andreæ Apostoli ossibus liquorem, Duacum attulerat: is primùm Hasnoniensi Archimandritæ, ac postea Pratensis intra muros Duacensis Parthenonis Antistitæ, ob morbos de vita periclitantibus, repentinam leuiter gustatus sanitatem attulit: vnique tandem de socijs, quem pestiferum vlcus ad extrema vitæ deduxerat, corporis valetudinem ilicò reddidit.*

§. XVI.

IN Floreffiensi Cœnobiô, secundo ab vrbe Namurco milliari, ad Sabim fluuium, Ordinis Præmonstratensis inter plerasque Sanctorum reliquias pretiosas, dens vnus habetur in Cimeliarchio S. Andreæ Apostoli, cum dente molari S. Ioannis Baptistæ, &c.

§. XVII.

DENS quoque vnus eiusdem sanctissimi Apostoli ostenditur cum honore in Iardinetensi Monasterio, Ordinis Cisterciensis, iactu lapidis distante à Walcuriæ oppido, cum dente S. Thomæ Apostoli, & dente S. Lucæ Euangelistæ reconditus, in theca satis affabrè facta.

§. XVIII.

IN Lætiensi Cœnobio, quod vno milliari ab Auenna Hannoniæ oppido situm est ad fluuium Helpram, honorificè seruatur medietas brachij eiusdem beatissimi Apostoli Andreæ, cum iunctura integra manus ipsius germani S. Petri, carne adhuc vestita.

§. XIX.

PROPE Landresium Hannoniæ oppidum, in Maricolensi Conuentu Ordinis S. Benedicti, particula profertur veneranda de brachio ipsius S. Andreæ, cum vna de costis S. Matthæi Apostoli & Euangelistæ.

§. XX.

SESQVIMILLIARI ab Insula, celebri Flandriæ oppido in Parthenone Marketensi, pars non minima exhibetur de cruce ipsius S. Andreæ Apostoli, in qua biduò viuens pependit, in crucicula efformata auro, lapillis pretiosis argentóque quaquauersum insigniter conspicua. *De cruce S. Andreæ.*

§. XXI.

TORNACI Neruiorum in Cathedrali Ecclesia extat fragmentum crucis eiusdem S. Andreæ, cum diuersis ipsius sacris ossibus. Item habentur religiosè ibidem tria ossa B. Lucæ Euangelistæ, vnum grande, duo altera paruula, allata è sacrario Constantinopolitano; vbi cùm corpus B. Andreæ cum corpore S. Lucæ quiesceret, ante sacratissimas eorum reliquias dæmones (teste S. Hieronymo) rugiebant, & sic Vigilantij hæresiarchæ honorem Sanctorum ossibus detrahentis, conuincebant perfidiam.

§. XXII.

TVNGRIS ad Iecoram fluuium, tertio ab vrbe Leodio milliari, in Collegiata B. Mariæ Ecclesia, quæ fuit olim Cathedratica, antequàm Episcopalis sedes Leodium transferretur: sanctæ aliquot reliquiæ Sancti ipsius Apostoli, cum quibusdam pignoribus sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, ac Bartholomæi, & mandibula S. Matthiæ itidem Apostoli, aliisque pretiosis admodum reliquiis solemniter exhibentur singulis septenniis quarto Idus Quintileis, & proximè insequentibus diebus, populis vndique confluentibus, qui certatim sacra ipsa pignora osculantur.

§. XXIII.

OGNIACI ad Sabim in S. Nicolai Cœnobio Ordinis Canonicorum Regularium S. Augustini, dens vnus visitur S. Andreæ conditus reuerenter, cum parte pedis S. Iacobi

Maioris, & mandibula inferiore S. Barnabæ Apostoli, & aliquid de concreto sanguine gloriosissimi Protomartyris Stephani. Ibidem in altari portatili, quod fuit olim Iacobi à Vitriaco S. R. E. Cardinalis & Episcopi Tusculani, sedis Apostolicæ in Oriente Legati, conditæ sunt quædam sacræ particulæ de ossibus S. Andreæ Apostoli, eiusque germani S. Petri: necnon SS. Apostolorum Matthæi & Bartholomæi, cum fragmentis aliquot pretiosissimis ligni crucis Domini, eiusdémque stipitis, ac quædam portiuncula de lancea, qua latus Domini transfixum fuit, & quibusdam reliquiis S. Ioseph ab Arimathia, fortunatissimi funeratoris ipsius Domini nostri Iesu Christi.

§. XXIV.

BRVXELLIS in Archiducali oratorio, serenissimæ quod fuit Infantissæ Elizabethæ Claræ Eugeniæ, sacris reliquiis optimæ notæ refertissimo; in magno lipsanodochio argenteo ad formam brachij confecto, inclusæ sunt quædam S. Andreæ reliquiæ, & B. Mariæ Magdalenæ, necnon B. Aurelij Augustini eximij sanctæ Ecclesiæ Doctoris. Excedit illud reliquiarium naturalis brachij mensuram, & opulentissimè argenteis floribus & tesserulis argenteis inauratis decoratur, in stylobate ex ebeno defixum.

§. XXV.

IBIDEM pars non minima pretiosissimi capitis eiusdem beatissimi Apostoli veneranter habetur inclusa, cum insigni parte ligni crucis, in qua suspensus, hostia viua, sancta, & Deo placens effectus est: Quæ sacra eius pignora commonstrat argenteum quoddam prospectorium obductum auro, turris figuram referens, miro artificio constructam. Nec hoc repugnat translationi capitis eiusdem Beati Apostoli suprà ex Actis & Commentariis Pij II. Papæ descriptæ: quamuis etenim hodiéque extet Romæ in Basilica S. Petri & ostendatur solemni more caput integrum sanctissimi ipsius Apostoli, tamen aliqua pars ossium è collo, pro parte capitis eiusdem, non incongruè prorsus, sumi potest. Certè scimus Domum Austriacam, quæ S. Andream Apostolum peculiarem Patronum suum veneratur, corpus eius sacratissimum Amalphi, quæ Archiepiscopalis est ciuitas in regno Neapolitano, possidere & custodire. Facile igitur fuit

Hispa-

Hiſpaniæ Regi Catholico, qui ibi dominatur, aliquam ex oſſibus ſancti ipſius Apoſtoli elici curare portionem, quam in Belgium, cuius quoque dominus eſt, ad ornatum oratorij principalis tranſmiſit, piâ inſtantiâ ſollicitatus præfatæ ſuæ ſororis ſereniſſimæ Infantiſſæ, fœminæ piiſſimæ, & ſacrorum eiuſmodi pignorum cupidiſſimæ, cui principatus hic ex dono patris Philippi II. Regis Catholici teſtamentariis tabulis acceſſerat. Quòd ſiquis pertinaciter contendat oſſa illa ſancta quæ Bruxellis aſſeruantur in tam magnifico conditorio, ſint partes quædam ipſius capitis magni huius Apoſtoli; non ita efflictim refragabor: nam integra facie, & ſuperiori parte capitis integra permanente in ſanctuario Vaticano, pars aliqua ſincipitis ſine vlla ſpecie detrimenti vultus, & formæ anterioris ac collateralis decidi potuit, quam ſummos Pontifices pro ſua in Domum Auſtriacam beneuolentia, Regi Catholico enixè petenti, veriſimile eſt conceſſiſſe. Porrò quoad crucem S. Andreæ, quam ſuprà integram oſtendi, Maſſiliæ apud S. Victorem, adſtipulantibus fide dignis referendariis aſſeruimus, non difficilè poteſt nobis cum Flandris iniri concordia. Licèt etenim integra crux maneat in ſe Maſſiliæ: pars tamen Bruxellas transferri potuit, non de robore ipſius crucis & ligno tranſuerſo, ſed de lignis quibus ſtipes infixus humo firmabatur, ne hac illac à parte ſuperiori vacillaret.

Ceterùm nec poſſum hîc prætermittere; Bruxellis quoque in oratorio principali, tredecim ex argento puriſſimo exiſtere non mediocris altitudinis imagines, Beatiſſimæ, & ſuper omnes Sanctos & Angelos adorandæ Virginis Mariæ Deigenitricis, & duodecim Apoſtolorum, omnes in opulentiſſimis eiuſdem artis & materiæ ſtylobatis erectas; in quarum meditullio, ſubtiliſſima chryſtalla inhæreſcunt, quæ ipſorum ſanctorum Apoſtolorum reliquias venerandas, intuentibus exhibent, qui ex hoc intuitu & obſeruantia, multa deuotione ſuccenduntur.

§. XXVI.

IN Parco Ordinis Præmonſtratenſis iuxta Louanium cum non exili reuerentia monſtratur pars quædam crucis S. Andreæ Apoſtoli, cum aliquot reliquiis S. Agnetis Virginis & Martyris, Apoſtolico beati ipſius Andreæ Apoſto-

li, & Virginis ac Martyris sodalitio ac patrocinio, necnon & gloria, siquæ alia inter athletas & Christi sponsas esse possit, profectò dignissimæ.

§. XXVII.

DVACI in S. Petri Collegiata non incelebri Ecclesia, multas inter Sanctorum insigniorum venerabiles reliquias censetur aliquantula portio sanctorum pignorum B. Andreæ Apostoli; quæ cum aliis Beatorum exuuiis inclusæ sunt in theca argentea turrita, extructa ad campanilis modum: sed notare iuuat has sanctas primoris classis reliquias asseruari in ipsius Ecclesiæ cimelarchio; alias verò minoris gradus dignitatis in naui eiusdem Ecclesiæ.

§. XXVIII.

IN Rutilensi Carthusia ad ripam Mosæ, quæ Sirck est oppido proxima, inter præclariores Sanctorum reliquias exhibetur fidelibus quædam portio reliquiarum S. Andreæ Apostoli.

§ XXIX.

TRAIECTI ad Mosam in illustri vetustáque Ecclesia Collegiata sancti Seruatij, eiusdem olim Episcopi, (nam Pontificia primùm fuit sedes) inter innumera sanctorum Beatorum pignora pars habetur vestimentorum S. Andreæ Apostoli.

§. XXX.

INSVLÆ in Flandria Wallonica, non exiles habentur & coluntur reliquiæ sæpedicti B. Andreæ Apostoli, ac B. Catharinæ Alexandrinæ Virginis & Martyris, necnon Thebæorum Martyrum, &c.





PARTIS SECVNDÆ DE GLORIA S. ANDREÆ APOSTOLI, LIBER IV.

QVO EIVS INSIGNIORA miracula recensentur.

CAPVT I.

Sanctus Andreas statim ac martyrio coronatus est, miraculis è sepulchro radiauit.

VM Scapula prouinciæ Africæ Præses, Carthagini ceteris crudeliùs in Christianos grassaretur, libellum ad eum scripsit Paræneticum Tertullianus, qui nuper Apologeticum admirabili eruditione refertum, pro Christianæ religionis veritate, & Christianorum innocentia scripserat, aduersus gentes. Hâc igitur admonitione dirum hunc Præsidem delinire satagit, & ad aliquam moderationem aduersus assertores Christianæ fidei inflectere. Quamobrem principio & sub finem paucis inculcat fidelium innocentiam, quam latè in dicto Apologetico fuerat persecutus à c.28.ad vsque 46.Deinde dolere se ait, quòd neque ipse Scapula, neque vlla ciuitas impunè latura sit Christiani sanguinis effusionem; maximè cùm suprà imminentis iræ Dei portenta aliquot præcessissent: tum messis nulla, & imber nimius, tum ignes qui super mœnia Carthaginis proximè pependerant, & Solis

pæne lumen extinctum in Conuentu Vticensi, insuper etiam quorumdam Præsidum qui Christianos vexassent exitus, id attestarentur. Subiungit deinde benefica quædam miracula, quæ in solatium ipsorum infidelium Christiani ediderunt. Nominatim verò insinuat Seuerum Imperatorem patrem Antonini, à Proculo Christiano per oleum à morbo periculoso curatum. Multísque aliis interiectis rationibus ac exemplis, sæuum illum iudicem hortatur, vt temperatiùs agat, & non solùm humanitatis memor sit, seipsi parcat, parcat Carthagini, quæ alioqui proximè peritura foret.

Sic, & secus tamen, contigit Patrarum Achaiæ primariæ ciuitati, Christo triumphatori, Andreæ eius gloriosi Apostoli pretioso sanguine consecratæ. Nam innocentis eius sanguinis, non serus sed seuerus vltor esse voluit: Ægea impio Proconsule stupendâ morte confestim sublato. Nec enim ei pepercit tam atrocis reo criminis, & voluntario scelere, cum desperata malitia peccanti. Sed pepercit Patracensi ciuitati, sicut olim Niniuæ conuersæ ad prædicationem Ionæ Prophetæ pepercerat. *Sanguis Martyrum*, vt scitè dixit præfatus Tertullianus, *semen est Christianorum.* Nam maximè crescit fidelium seges, cùm cædi videtur. Præclarè de Laurentio illustrissimo Martyre cecinit olim Prudentius, in libro suo de coronis, hymno secundo:

Mors illa sancti Martyris
Mors vera templorum fuit.

Etenim

Refrixit ex illo die
Cultus Deorum turpium.

Meliori iure hoc de cito effectu passionis sancti Andreæ dici potest, vt testantur etenim Presbyteri & Diaconi Achaiæ in epistola sua de eius glorioso martyrio ad omnes Ecclesias: *Tantus autem timor inuasit omnes, vt nullus remaneret, qui non crederet Saluatori nostro Deo.* Hic igitur illud Isaiæ prognosticon iterum impletum est. *Quis audiuit vnquam tale, & quis vidit huic simile? Numquid parturiet terra in* Isa. 66 7. 8. *die vna? aut parietur gens simul.* Patras Achaiæ præcipua ciuitas, vna die gloriosæ mortis inclyti Apostoli Andreæ, ad Christi fidem & cultum conuersa est. Hominum viginti millia, qui ad spectaculum eius passionis tota ex hac prouincia accurrerant, & cum biduò pendentem in cruce vide-

rant, prædicantem verbum vitæ audierant, morientem plenum ineffabili lætitia, & immensa circumfusum luce conspexerant: mox tanto prodigio concussi, Christo, cuius gratiam & gloriam prædicauerat, continuò crediderunt, eius Euangelium susceperunt: tótque præcones eius facti, doctrina illa cælesti, vniuersam prouinciam imbuerunt. Sed sanctus Apostolus perfecit ipso in tumulo opus Dei, dum se viuere adhuc in sepulchro prodidit, & miraculis beneficis totam ad se regionem allexit. Ibi de naui sua adhuc pisces eosdem hamo capiens: statim enim (aiunt præfati testes oculati) præstari cœperunt *gloriosa beneficia*, perpetuo fluxu, vt riui è fonte limpidissimo, decurrentia, oleúmque de saxo durissimo copiosè effundentia. Hinc ortus ad eius tumulum perennis populorum concursus, vt hîc iterum cum Prudentio non abs re fas sit dicere:

Cui propter aduolui licet,
Qui fletibus spargit locum,
Qui pectus in terram premit,
Qui vota fundit murmure.
Quæ sit potestas credita
Et muneris quantum datum,
Probant Quiritum gaudia,
Quibus rogatus annuis.
Quod quisque supplex postulat
Fert impetratum properè,
Poscunt, litantur, indicant,
Et tristis haud vllus redit.

CAPVT II.

De miraculis S. Andreæ in eius translatione, de Achaia in Græciam, factis.


SANCTVS Clemens Apostolorum discipulus & meritissimus successor lib. 8. constitutionum Apostolicarum cap. 1. de miraculorum quæ passim edebant operatione, sic eos differentes inducit. *Charismata, seu virtus operandi miracula, primum nobis Apostolis concessa sunt, cùm Euangelium omni creaturæ prædicaturi essemus: deinde iis qui*

per nos crediderunt, sunt collata necessariò, non ad eorum qui ea exercent vtilitatem, sed ad infidelium persuasionem, vt quos oratio flectere non potuit, commoueat prodigiorum potentia. Signa enim non nobis fidelibus dantur, sed iis, qui de Iudæorum & Græcorum gente infideles sunt. Nulla enim nobis vtilitas arridet, quum dæmones impelluntur, sed iis qui ope Domini purgantur. Quemadmodum quodam in loco, ipse Dominus erudiens nos ostendit: Nolite gaudere quòd spiritus vobis obediunt: sed gaudete quòd nomina vestra scripta sunt in cælis. Quoniam illud eius virtute fit, vt nostra beneuolentia & studio, scilicet accedente ipsius auxilio.

Et verò miracula quæ sancti Apostoli, & alij subinde Sancti viuentes adhuc in carne patrarunt, fiebant solùm ad fidei confirmationem quam prædicabant, & infidelium qui mira hæc opera ab iis fieri videbant, in doctrinæ illius cælestis supernum testimonium, duplicem vtilitatem, scilicet illuminationem animæ, & corporis infirmitate laborantis curationem. Verùm postquam beati ipsi Apostoli & eorum discipuli, ac sancti subsequentes Martyres, consummato certamine, in cælum ad coronas & triumphos euolarunt: miracula nihilominùs adhuc maiora, quam quum hîc viuerent, munere diuino peregerunt: quæ maximè circa eorum sepulchra, vel vbicumque sacræ eorum reliquiæ conditæ erant, eluxerunt: non solùm ad confirmationem Euangelicæ veritatis, & infidelium conuersionem: sed insuper ad Sanctorum cum Christo in cælis regnantium honorificationem. Promiserat siquidem eis ipse Dominus, sui honoris & gloriæ consortium. *Si quis honorificauerit me* (ait) *honorificabit eum pater meus qui in cælis est.* *Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo: sicut ego vici & sedi cum Patre meo in throno eius. Qui vicerit & custodierit mandata mea, dabo illi potestatem super gentes.* Potestas hæc regia Sanctorum corpore exutorum, super nos, in eo sita est non solùm, quòd orent in cælo Deum pro nobis: sed etiam in eo quòd gratissima sua apud Deum intercessione, nobis impetrent optata gratiæ munera, & varia tam animæ quàm corporis solatia. Nobis perpetim opitulentur, nam *in iis in quibus tentati fuerunt, potentes facti sunt nobis auxiliari.* Insuper quia cum Christo regnant, participésque eius regiæ potestatis ipsius ineffabili dono effecti: idcirco non solùm nobis sunt suffragio, sed etiam præsidio. Cùm enim sint sicut

Ioan, 12. 26.

Apoc. 3. 21.

Angeli Dei in cælo, ſic nobis ſuccurrunt in neceſſitatibus, nos vbique regunt, illuſtrant, adiuuant & tuentur. Ceterum Sanctorum corpore exutorum duplex decus eſt, in cælo enim eos Deus coronat, & in terris glorificat. Nam non ſolùm beatos ipſorum ſpiritus præmiis cumulat ſempiternæ felicitatis & gloriæ: ſed & corpora diuinæ ſuæ illuſtrat radiis poteſtatis, dum per ea paſſim miracula, non ſolùm propter ſuam gloriam & conuerſionem infidelium, ac fidelium ipſorum ſolatium: ſed etiam in teſtimonium illorum ſanctitatis & beatitatis, pro ſua infinita bonitate multipliciter operatur.

Sic ſanctiſſimum ſuum Apoſtolum Andream in terra Deus mirificauit: ſtatim ac per aſcenſum crucis purpureum, in ſupernam gloriam illum aſſumpſerat: miris virtutum coruſcationibus & opitulationum ſignis eius illuſtrauit ſepulchrum, & glorioſam honorauit memoriam. Id palam fit ex ſæpe laudatæ epiſtolæ ſacerdotum Achaiæ, ad vniuerſas Eccleſias de eius paſſione, vltima hac clauſula. *Hæc autem geſta ſunt apud Achaiam prouinciam, ciuitatem Patras prid. Kal. Decemb. vbi & iam præſtantur glorioſa eius beneficia, vſque ad præſentem diem.* Experti ſiquidem quod dicunt hoc teſtantur.

Splendor ille perennis haud dubito, Magnum Conſtantinum allexit, vt radiantes plus Sole S. Andreæ reliquias, de Achaia in Thraciam, vbi nouam Romam ſuo ſub nomine conſtruxerat, inſigni cum honore & gloria: in templum Apoſtolicum quod ſumptuoſiſſimè cum in finem ædificauerat, transferret; ſcilicet vt oleo ſalutifero, quod indeſinenter ex ſacris oſſibus ipſius ſanctiſſimi Apoſtoli fluebat, nouam ſuam Romam irrigaret, tutelâque tanti cælitis eam communiret. Non fuit fruſtratus à deſiderio ſuo, adiunctis enim pretioſis S. Lucæ & beati Timothei exuuiis; quanta Deus toto in itinere edidit ſuæ ſummæ bonitatis & omnipotentiæ inſignia, certè ſum impar edicere. Sanctus Paulinus qui à rei geſtæ tempore & conſpectu, vt ita dicam, procul non erat: ſublimi prorſus mentis acumine, & elegantiſſimo calamo, illam expreſſit, ac deſcripſit his dictis.

Natali XI. ſeu eius ſupplemento, apud Dungalum non nuperum exſcriptorem.

..... Iam quanta per iſtam
Sanctorum per longa viam duritia terræ
Creuerit vtilitas, ad noſtræ munia vitæ:
Ipſa docent hodiéque loca, in quibus illa beati

Rheda capax oneris, posita statione resedit:
Omnibus in spatiis, quacumque aut mansio sanctis
Corporibus, requiésque fuit, vectantibus illos
Sacratos cineres, miris clamantia signis.
Nam diuina manus medica virtute per omnes
Est illic operata vias, qua corpora sancta
Impressere sacro vestigia sacra meatu.
Inde igitur suadente fide data copia fidis
Tunc comitum studiis, quadam vt sibi pignora vellent
Oßibus è sanctis meritum decerpere fructum:
Vt quasi mercedem officij, pretiúmque laboris
Præsidia ad priuata domum, sibi quisque referret.
Ex illo sacri cineres, quasi semina vitæ,
Diuersis sunt sparsa locis: quaque osse minuto
De modica sacri stipe corporis exiguus ros
Decidit, ingentes illic pia gratia fontes,
Et fluuios vitæ generarunt ossa fauillæ.

Hinc sanè patet quàm Deus in Sanctis suis mirabilis sit, & quàm impius erat Vigilantius, qui sanctorum Beatorum sacras reliquias, peroptabat altè defossas iri, velut ei exprobrat sanctus Hieronymus, & proiici in sterquilinium, vt rem vilissimam, ossa semicorrosa & dissolutos cineres. Sic enim ipso teste sancto Hieronymo corpora Sanctorum, monstrum istud appellare non horrebat. Quamobrem ei iure inclamat sanctus Pater: *O linguam à medicis præcidendam!*

Epist. 53. ad Riparium Presbyterum aduersus Vigilantium.

Certè sancti Patres à Spiritu sancto edocti, longè aliter de Sanctorum pretiosis exuuiis censuerunt & vnanimi consensu docuerunt. Siquidem Sanctorum reliquias asserunt esse sanctas, sacras, nobiles, sacrosanctas & beatas: dicunt reliquias esse hostiarum pro Christo & eius fide immolatarum: ideo cum omni honore suscipiendas & venerandas, ac omni obseruantia & reuerentia prosequendas, veluti athletarum & certatorum pro Christo, pignora pretiosa, ac quasi ipsius membra Domini, pro cuius fide & gloria occubuerunt: quæ qui ornant, custodiunt & venerantur, eo ipso ciues sanctorum, fratres, propinqui, & amici esse demonstrantur. Reliquias enim sanctorum Beatorum, Deus, qua est in hominum genus benignitate, nobis reliquit, quasi idoneum ad virtutem capessendam stimulum. Quasi præsens aduersus improspera quæque auxilium. Pretiosa enim hæc pignora, arma sunt quibus defendimur, præsidia quibus

bus protegimur, propugnacula quibus muniuntur ciuitates. Fontes salutares è quibus beneficiorum Dei in nos fluenta decurrunt. Sunt pharmaca, quibus infirmi & debiles sanitatum solatia percipiunt. Arces apud quas dæmones intercepti ac constricti rugiunt. Ingentes thesauri, è quibus nobis inopibus, eximia Dei dona in dies erogantur. Testantur denique Patres ex Sanctorum sacris pignoribus, eos qui cum reuerentia & fide accedunt, secum referre sancta animæ corporísque remedia. Idcirco gaudere omnes, vel extremas oras ornatûs quo teguntur Sanctorum thecæ, contingere, vel à longè ipsarum eleuatione benedici, vel tantillum puluerem de eorum sepulchris accipere, patere enim iugi experientia, magnam hinc cuique opem impartiri. Ideo fideles super eas certatim iactare flores, siquidem vim medicabilem, ex ipso attactu loculi sanctarum reliquiarum, pro fidei præmio assequuntur. Ceterùm de ipso corpore cuiusque Sanctorum, ipsi Patres aiunt, quod videmus aut habemus corpus, cum rebus aliis nulla ratione esse conferendum: Esse etenim sacrosanctum, sacerrimum, venerabile, honorandum, quod ipsi loco cui insidet confert sanctitatem: quin & eos ipsos sanctificat, qui in ipsum locum deuotionis ergô conueniunt. Corpus enim quod Spiritus sancti habitaculum fuit, & gloriæ Dei instrumentum, ostendere nobis, vt nos oporteat Deum diligere, quódque propter Domini mortem, oporteat non timere. Maiestatis Dei per mirabilia, quæ per hoc fiunt, magnificari gloriam; Christi Saluatoris ostendi diuinitatem, eius Euangelij confirmari veritatem, frangi impiorum hominum duritiem, piorum corda in sanctos affectus liquefieri, exterreri dæmones, torqueri, proteri ac in infernum retrudi. Nam vt audaces latronum duces, si fortè prædas agunt, aut spolia rapienda conquirunt, in arma vel ornamenta Imperatoris inciderint: quamlibet prædarum cupidi, tamen ita agnitis regiis insignibus deterrentur, vt fugiant, neque cominus accedere vel attingere audeant: ita verè dæmones qui verè latronum principes sunt, vbi coronatorum Sanctorum, coram posita viderint corpora, stigmata Domini perferentia, longè illico à conspectu eorum pauidi fugiunt: non enim ad naturam eorum intendunt, sed in arcanam dignitatem, & in Christi ipsius gloriam, qui in agone certantium induta corpora Martyrum suorum, sicut arma portauit.

Hæc omnia quæ de Sanctorum corporibus & reliquiis sancti Patres ambitioso, quasi enixu laudationis, enuntiant: in S. Andreæ Apostoli, quasi vnicè cadunt,& adæquatè conueniunt pretiosa pignora. Ille sanè triumphus, quem suprà S. Paulinus tanta cum harmonia veritatis cecinit: de ipsius beatissimi Apostoli translatione, apertissimè id quàm sit verum demonstrat. Ad mirificandum Sanctum suum, quid Deus, ad glorificandum primogenitum suum Christus, quidnam gloriæ & honoris prætermisit? Quid Constantinus hominum apex, operæ non præstitit? Quid populi reuerentiæ, deuotionis, & pij affectus non contulerunt? Constantinus excipiendis tanti Apostoli, cum condigno cultu, ossibus & cineribus, templum extruxit magnificum. Populus Græciæ ardorem desiderij & studium venerationis suæ testificandæ, quàm maximum exhibuit. Chronicon Alexandrinum sic insinuat Ind. XV. *Constantinopolim allata sunt reliquiæ (3. Martij) Sanctorum Lucæ & Andreæ Apostolorum cum veneratione & cultu, psalmis & hymnis, depositaque sunt in æde sanctorum Apostolorum.* S. Hieronymus in Chronico. *Ossa Andreæ Apostoli & Lucæ Euangelistæ, à Constantinopolitanis miro fauore suscepta.* Nec modò à Constantinopolitanis sacerdotibus & ciuibus, illa est profusis reuerentiæ testimoniis honorata susceptio: ab Achaia vsque Constantinopolim, deductio sacratissimæ huius sarcinæ populorum vndique confluentium, qui certatim vt eam contingerent, vel saltem propiùs possent conspicere, & vel guttulam defluentis ex sacris ossibus liquoris in pignus suæ fidei & deuotionis recipere, ac solatia in necessitatibus promereri, concurrebant. Deus hunc etiam triumphum patentibus suæ beneuolentiæ indiciis honorauit, mirabilia toto itinere operatus est, indidit sacris ossibus vim medicam, oleum & rorem instillauit, quibus, confluentibus populis immensa beneficia in gratiam sui dilectissimi Apostoli impertitus est. Nam vt suprà ait Paulinus,

Ex illo sacri cineres quasi semina vitæ
Diuersis sunt sparsa locis: quasi osse minuto
De modica sacri stipe corporis, exiguus ros
Decidit: ingentes illic pia gratia fontes,
Et fluuios vitæ generauit gutta fauillæ.

CAPVT III.

Dæmones stupendis clamoribus, se torqueri in præsentia sacrarum reliquiarum B. Andreæ Apostoli, & S. Lucæ Euangelistæ Constantinopoli vociferantur.

MARTINVS Kemnitius Lutheri sectarius & Catholicæ pietatis feruens ac artificiosus impugnator: cùm negare non audeat factum hoc illustrissimum & suffragio venerandæ antiquitatis testatissimum Constantini Magni, quo reliquias sacratissimas B. Andreæ, & sanctorum Lucæ & Timothei Constantinopolim tanta cum honorificentia transtulit, atque in nouo templo, eo fine à se condito, insigni cum reuerentia collocauit: vt tam euidens eludat venerationis sanctarum reliquiarum argumentum; finem aliò detorquet, excipit enim Constantinum ita quidem transtulisse sanctas illas reliquias, vt ex sepulchris obscurioribus eas inferret in monumenta celebriora: non verò causa percipiendi ex eis vlla beneficia, nec eis cultum aliquem religiosum deferendi. Sed fallit nequiter, vel turpiter fallitur iste Sanctorum hostis. Nam Eusebius Cæsariensis, Constantini Magni synchronus, & admodum familiaris, qui scripsit accuratim ipsius vitam Constantini, in qua & libris suis de Ecclesiastica historia, nonnulla se ex eius ore refert didicisse, atque adeo ipsius iussu litteris mandasse; longè aliter quàm Kemnitius nuperus è schola Lutheri Hagiomachus, de Constantini intentione scripsit. Ait enim Constantinum Imperatorem sumptuosa struxisse ædificia, vt corpora Sanctorum, honorabili sepulchro recondita quiescerent. Sed insuper credidisse loca illa depositione Sanctorum corporum facta fuisse honorabilia & sacra, potiúsque decus ac ornamentum ex sacris illis pignoribus accepisse. Lib. 3. de vita Constantini. Sub principium autem libri 3. ita piè in Sanctorum venerationem fuisse affectum, vt monumenta in quibus reconditæ erant ipsorum sacræ exuuiæ, honorare non cessarit. Ceterum de fine multiplici agens, cur magnificum adeo templum, vbi sepultum iri disponebat, Constantinopoli construxerit, vt memoriam (ait) Apostolorum, Ser-

Tit. 18. sui Examinis sect. 10. & seqq.

uatoris passim apud omnes illustrem redderet ac perennem. Sed alias etiam causas & potiores quidem subiungit. Nimirum vt ibi ipse sepeliretur, & sanctorum Apostolorum patrocinio frueretur, precationúmque quæ ibi in Apostolorum laudem erant offerendæ, fieret ipse particeps. Templum hoc Apostolis dedicauit, credens hanc memoriam animæ suæ salutarem, & vtilem fore. Socrates & Sozomenus addunt etiam in posterum prospexisse, eò dum tam honorificè inferret S. Andreæ Apostoli, Lucæque ac Timothei sacras exuuias: ne scilicet Imperatores & Sacerdotes pignoribus Apostolorum destituerentur. Sanctus Paulinus aliam assignat rationem, dicens hoc ab illo factum, vt noua quam condiderat Roma, sicut antiqua patrociniis sanctorum Petri & Pauli fulta erat, pariter tutela & præsidio B. Andreæ communiretur.

His quoque Romuleam sequeretur dotibus vrbem
Vt sua Apostolicis muniret mœnia latus
Corporibus: tunc Andream deuexit Achiuis.

Et paulò infrà,

. . . . . Geminis ita turribus extat
Constantinopolis, magnæ caput æmula Romæ
. . . .
. . . . . . Iam quanta per istam
Sanctorum per longa viam diuortia terræ
Creuerit vtilitas ad nostra munia vitæ.

Sanè non tantùm in transitu de Achaia in Thraciam, hæc vtilitas per infinita sanitatum beneficia, quæ diuina maiestas contulit iis qui, cum sacro ardore fidei & præ reuerentiæ studio, ad Apostolica pignora osculanda venerandáque accedebant, Sole fulgentior apparuit: sed ex quo pretiosa illa spolia Constantinopolim inuecta sunt, maior splendor illorum gloriæ ac virtutis effulsit. S. Hieronymus qui non semel Constantinopolim adierat, vbi & Gregorium Nazianzenum, dictum propter eminentiam diuinæ doctrinæ Theologum, & os Christi, audierat: ibidem sepulchrum illud venerabile sancti Andreæ & sociorum eius viderat, & quæ ibi fierent signa diuinæ virtutis conspexerat: à dæmonibus vexatos consueuisse hîc adduci asserit, & ope Sanctorum quorum sacræ reliquiæ hîc conditæ erant, ipsos cacodæmones profligari. In scriptis suis polemicis pro vindiciis venerationis sacrarum reliquiarum aduersus Vigilantium Hæresiarcham,

aduersus Vigilantium c. 2. 3. & 4. tom. 1.

cuius hæresim iam diu sepultam ab inferis Nouatores reuocarunt, id testatur ac inculcat. *Dolet*, inquit, *Martyrum reliquias pretioso operiri velamine, & non vel pannis vel serico colligari, vel proiici in sterquilinium. Ergo sacrilegi sumus, quando Apostolorum basilicas ingredimur. Sacrilegus fuit Constantinus Imperator, qui sanctas reliquias Andreæ, Lucæ & Timothei transtulit Constantinopolim, apud quas dæmones rugiunt, & inhabitatores Vigilantij, illorum se sentire præsentiam confitentur.*

Causam autem cur Diaboli sanctarum reliquiarum vim metuunt, & in earum præsentia tormenta patiuntur, quibus coguntur diuinam agnoscere virtutem & gloriam, & è corporibus exire quæ possident, iam sub egregia similitudine in fine superioris capitis protulimus, quam qui fusiùs explicatam videre velit, legat sanctum Ioannem Chrysostomum in homilia de Natali septem Machabæorum, vnde illam deprompsi.

Sanè veneranda Sanctorum ossa, in suis loculis requiescunt non puluere mortis obsita, sed arcano prædita semine vitæ: quæ qui piè contingit, quandam sanctificationis societatem assumit ex gratia sanctis reliquiis insidendo. Etenim viuificum spirant animæ victricis & beatæ odorem, quo medicina potens datur exorantibus ægris. Sunt enim hæc ossa beatæ immortalitatis semina, & organa sancta diuinæ virtutis & gloriæ: ossa inquam iam in tumulo germinantia, diuina virtute plena, gratia Spiritus sancti amicta, & diuini luminis claritate radiantia. Hinc est quòd morbos fugant, infirmis medicantur, cæcis visum impertiunt, lepras emundant, tentationes & mœrores soluunt. Atque id per Christum qui in ipsis habitat. Quocirca multo maiorem potestate Imperatoria, habent potestatem. Vis enim regia terret & fugat latrones, sed suprema virtus qua Sancti præditi sunt, qua ipsorum reliquiæ repletæ sunt, dæmones sistunt & torquent, & vinctos ab illis sæuissimis vinculis soluunt, ac iugo ipsorum tyrannico liberant. Sic sancti Patres Sanctorum tuendo gloriam, & asserendo ipsorum reliquiarum venerationem, disserebant, vt videre est apud sanctum Basilium in Psal. 115. & concione in Iulittam Martyrem: Chrysostomum in tractatu *Quòd Christus sit Deus*, & citata homilia de 7. Machabæis, & homilia 66. ad populum Antiochenum, necnon homilia 26. Sancti Felicis:

S. Ambrosium epist. 85. ad sororem, & sermone 39. Augustinum lib. 22. de Ciuitate Dei, & epist. 137. & alios plerosque vel antiquiores, vel nomine ac merito his non inferiores, qui in margine capitis 2. huius libri signantur.

CAPVT IV.

Sanctus Gregorius Magnus scribens ad Rusticianam Patriciam, enarrat ei miracula sancti Andreæ, quæ Romæ fiebant in eius monasterio, quod ipse B. Gregorius ad cliuum Scauri fundauerat.

Lib. 9. regist. ind. 4. ep. 38.

BEATO Andreæ Apostolo fuit S. Gregorius Papa summa pietate deuotus: in cuius sancti affectus testimonium, paternam domum in cliuo Scauri, non longè à circo maximo, in monasterium eius nomini consecratum redegit, ac in eo seculi pompis abdicatis, sub Abbate Valentio monachus effectus: nihil de sua prima in eum deuotione remittens, integrum eius officium de nouo composuit, quo etiamnum sancta vtitur Ecclesia. Porrò cùm esset Constantinopoli Apocrisiarius Pelagij secundi summi Pontificis apud Tiberium II. Imperatorem, in discessu, cùm suo munere rectè ac feliciter functus fuisset, petiit ab ipso Principe pro ingenti munere, sacras reliquias S. Andreæ. Accepit igitur brachium sancti illius Apostoli, quod reuersus Romam in eius monasterio reposuit, quod adhuc in eo monasterio argentea theca ornatum, certísque diebus, super altare primarium, populo inuisendum ac venerandum exhibetur.

Vide Baron. t. 7. anno 586. n. 25.

Ex quo hoc monasterium tanto pignore ditatum est, S. Apostolus mira cœpit pleraque hîc operari, eiúsque patrocinium patentibus signis exercere; quæ Sanctus ipse Pontifex Gregorius, præfatæ Patriciæ consanguineæ suæ Constantinopoli degenti, his verbis significat, gratias agens de eleemosynis huic monasterio ab ea factis. *De eleemosyna,* inquit, *quam beati Andreæ Apostoli monasterio fecistis, quid necesse est me aliquid dicere, cùm scriptum sit: Absconde eleemosynam in sinu pauperis, & ter pro te exorabit. Si ergo apud secretas aures Dei, habet ipsa bona operatio vocem suam: siue*

nos clamemus, siue taceamus, hoc ipsum quod bene egistis, clamat. Indico autem quia ob tanta miracula, tanta custodia monachorum in eodem monasterio eiusdem Apostoli est, ac si specialiter Abbas monasterij ipse sit: Nam vt pauca de multis loquar, quæ Abbate ac Præposito monasterij narrantibus agnoui, edicam. Quadam die duo exinde fratres transmissi sunt, qui aliquid emere pro monasterij vtilitate debuissent: vnus iunior, qui prudentior videbatur, alter senior qui custos iunioris esset. Perrexerunt vtrique & de pretio quod acceperint, ipse qui custos missus fuerat, nesciente altero, de eodem pretio furtum fecit. Qui mox ad monasterium sunt reuersi, atque ante oratorij limen venerunt, arreptus à dæmonio, is qui furtum fecerat, cecidit, & vexari cœpit. Dimissus autem a dæmonio, concurrentibus monachis requisitus est, num forsitan de eo quod acceperat furtum fecisset? negauit; iterum vexatus est. Dimissus, atque iterum requisitus, negauit: atque iterum vexatus est. Octo itaque vicibus negauit, octo vicibus est vexatus. Post octauam verò negationem, necnon vexationem, confessus est, quantos nummos furto abstulerat, & agens pœnitentiam, prostratus se peccasse testatus est. Vlteriùs verò ad eum dæmonium non accessit. Alio quoque tempore dùm in die natalitio eiusdem Apostoli, iam meridianis horis fratres quiescerent, subitò quidam frater apertis oculis cæcatus cœpit tremere, voces ingentes emittere, quibus vocibus testabatur, ferre se non posse quod patiebatur. Concurrentes fratres viderunt cæcum apertis oculis trementem, & clamantem, & à præsentibus alienum, nihilque, quod foris agi poterat, sentientem. Eúmque in manibus leuauerunt, atque ante altare sancti Andreæ Apostoli proiecerunt, ipsíque pro eo in oratione prostrati sunt. Qui statim ad se reuersus, quid passus fuerat confessus est: quia senex quidam ei apparuit & canem nigrum ad eum dilaniandum dimisit, dicens: Quare fugere voluisti de monasterio isto? cúmque euadere de canis morsibus nullo modo potuissem, venerunt quidam monachi, & eundem senem pro me rogauerunt. Qui statim iussit canem abscedere, & ipse ad me reuersus sum. Qui etiam confessus est, quia eo die quo ista pertuli consilium habueram, de eo monasterio fugere. Alius quoque monachus discedere ex eodem monasterio latenter voluit. Cúmque hoc mente tractâsset, voluit oratorium ingredi, sed statim dæmonio traditus, vehementissimè vexatus est. Relinquebatur verò à dæmonio, & si extra oratorium stetisset, nihil patiebatur aduersi. Si verò conatus fuisset ingredi, statim ma-

ligno spiritui traditus vexabatur. Cúmque hoc sæpius fieret, culpam suam confessus est, quia de monasterio egredi cogitabat. Tunc collecti pro eo fratres, sese per triduum in precibus astrinxerunt, atque ita curatus est, vt ad eum postmodum nunquam spiritus malignus accederet. Dicebat autem se eundem beatum Apostolum, dum vexaretur, vidisse, seque ab eo increpatum esse cur de monasterio voluisset abscedere. Alij quoque duo fratres de eodem monasterio fugerunt, atque aliqua priùs colloquendo fratribus signa dederunt, quòd per viam Appiam descendentes, Hierosolymam tenderent. Qui exeuntes diuerterunt ab itinere. Et vt à sequentibus inueniri minimè potuissent, retrusas cryptas iuxta Flamineam portam inuenientes, in eis sese occultauerunt. Cúmque vespertinis horis requisiti, minimè in congregatione inuenti essent, ascensis caballis, eos quidam fratres secuti sunt, pérque Metroni portam exeuntes, vt eos in Latinam vel Appiam viam sequerentur. Subitò autem eis consilium ortum est, vt eos in Salaria via requirerent. Extra ciuitatem igitur pergentes deflexerunt iter in Salariam. Eos verò minimè inuenientes, per portam Flamineam decreuerunt reuerti. Cúmque reuerterentur, mox vt equi eorum ante cryptas illas venerunt, in quibus se absconderant, fixerunt gradum, pulsati & compulsi passum mouere non potuerunt. Considerauerunt monachi rem talem sine mysterio esse non posse. Attenderunt ad cryptas, viderunt earum aditus missâ maceriâ damnatos, sed caballis eorum nusquam euntibus descenderunt. Deposuerunt lapides, qui ore cryptarum positi fuerant: ingressi sunt, eósque in eisdem tenebrosis latibulis terra consternatos inuenerunt. Qui ad monasterium reducti, ex eodem miraculo ita sunt meliorati, vt eis multum profuerit, ad parum temporis de monasterio fugisse. Hæc dixi, vt excellentia vestra innotesceret, cuius oratorio eleemosynam fecistis.

CAPVT V.

Miracula sancti Andreæ Apostoli per beatum Gregorium Turonensem scripta, libro de gloria Martyrum cap. 30.

ANDREAS Apostolus magnum miraculum in die solemnitatis suæ profert, hoc est, manna in modum farinæ, vel oleum cum odore nectaris, quod de tumulo eius exundat. Per id etiam quæ sit fertilitas anni sequentis ostenditur, si exiguum profluxerit, exiguum terra profert fructum: si verò fuerit copiosum, magnum arua prouentum fructuum habere signat. Nam ferunt in aliquibus annis in tantum è tumulo oleum exundare, vt vsque medium basilicæ profluat riuus ille. Hæc autem aguntur apud Prouinciam Achaiam, in ciuitate Patras, in qua beatus Apostolus siue Martyr, pro Redemptoris nomine crucifixus præsentem vitam gloriosa morte finiuit: tamen cùm oleum defluxerit, tantum odorem naribus præstat, vt putes ibi multorum aromatum sparsam esse congeriem, quod non sine miraculo ac beneficio habetur in populis. Nam ex hoc, seu inunctiones factæ, seu potiones datæ, plerumque languentibus commodum præstant. Post cuius gloriosam assumptionem multæ virtutes, vel ad hoc sepulchrum, vel per loca diuersa, in qua eius reliquiæ collocatæ sunt, feruntur ostensæ: de quibus pauca memorari non putaui absurdum, quia ædificatio est Ecclesiæ, gloria Martyrum, virtúsque Sanctorum. Tempore quo interfecto Clodomire rege Francorum, se exercitus reparās Burgundiam deuastabat, in quadam basilica reliquiæ iam dicti Apostoli, cum Saturnini Martyris tenebantur, accensáque basilica, cùm iam tignorum moles dirueret, pauperes ac senes quos barbaries reliquerat, flebant dicentes: Væ nobis qui tantorum pignorum hodie caremus auxilio, nec nobis vltrà spes præsentis vitæ manebit, si hæc deperierint. His ita flentibus nutu Dei adueniens Turonicus homo, condolens iis lamentis, & discens virtutem Martyrum, non minùs fide quàm parma, protectus per medias ingreditur flammas, apprehensásqne ab altari sancto reliquias, nihil ab igne nocitus extulit foras, sed continuò ita

" constrictus est, vt gressum inantea, agere non valeret: Tunc " indignum se iudicans qui ea ferret, vnam puellam paruu- " lam impollutámque elegit à præda, cui capsulam collo " imposuit, & sic in patriam prosperè accessit. Tunc collocatis " in altari Nouiciensis Ecclesiæ, vbi nulla adhuc Sanctorum " pignora habebantur, annis singulis deuotissimè eorum so- " lemnia celebrabat. Cuius filius, cùm hæc post patris obi- " tum non impleret, à febre quartana per integrum annum " laborans vouit, vt nouam basilicam in eorum honorem con- " strueret. Quo facto amota febre sanatus est. Sed ne hoc si- " ne diuinitatis prouidentia actum reor, quod eadem die qua " beatæ reliquiæ in aliam sunt translatæ basilicam, errantes ho- " mines à via, qui beati Vincentij reliquias deferebant, ad vi- " cum ipsum delati sunt. Tunc rogante Presbytero diuiserunt " ei particulam pignorum, quam in sancto altari, vnde alias abs- " tulerat collocarunt. Mummolus autem cùm Theodeberti " regis tempore ad Iustinianum Imperatorem pergens, Con- " stantinopolitani itineris viam nauali euectu sulcaret, ad vr- " bem Patras, in qua idem habetur Apostolus, est appulsus, " ac dum ibi cum satellitibus moraretur, infirmatâ vesicâ cal- " culosus efficitur. Dehinc diuersis doloribus arctatus, fe- " bre consumitur, ablatáque delectatione comedendi atque bi- " bendi, aduentum mortis solus præstolatur. Igitur dum se ita " fessum, & sine spe vitæ decernit, testamentum suum petit " scribi, munitúmque subscriptionibus ac sigillis, inquiri " præcepit si forsitan aliquis in ciuitate reperiretur, qui peri- " tus in arte medicinæ possit perituro succurrere. Sed cùm " Episcopo qui tunc præerat suggeritur, ait: Quousque vos " dilectissimi casso fatigatis labore, & inter homines requiri- " tis medicinam, cùm habeatur hîc cælestis medicus, qui " sæpe infirmorum valetudines, sine herbarum adminiculo " virtutis propriæ depellat effectu? Et quis, inquiunt, est il- " le? Andreas (ait) Apostolus Christi. Hæc nuntiantes in- " firmo, rogat se portari ad beati sepulchrum. Cúmque pa- " uimento prostratus, quæ necessitas exigebat fideliter pre- " caretur, medium ferè noctis omnes qui aderant sopor ob- " tinuit. Statímque infirmus conatur eiicere vrinam, vni in- " nuit, tangénsque vnum puerorum, voce tenui vasculum " postulat exhiberi, illatúmque, dum vrinam nititur eiicere, " lapidem magnum emittit, qui tam validus fuit, vt cadens " sonum in ea quæ parata fuerat concha proferret. Tunc

ablata febre cum omni dolore, naui reſtauratur incolumis. Eccleſia quoque Agathenſis quæ ſancti Andreæ Apoſtoli reliquiis plaudit, plerumque glorioſis illuſtratur miraculis, peruerſores rerum ſuarum ſæpius arguit. Dúmque Comatharius Comes, agrum Eccleſiæ ipſius peruadit: tunc Leo Epiſcopus huius Eccleſiæ valde mœſtus concurrit ad eum dicens: Relinque ô fili res pauperum, quas ordinationi noſtræ Dominus commendauit. Ne tibi ſit noxium, & à lachrymis egentium, qui de fructibus eius ali conſueuerant, eneceris. Ille verò qui erat hæreticus, paruipendens ea quæ ab Epiſcopo dicebantur, rem in ſua dominatione retinuit. Interim procedente die, arripitur à febre. Cúmque non modò ardore corporeo, verùm etiam animæ vexaretur incommodo, miſit ad Epiſcopum nuncios, dicens: Dignetur pro me ſacerdos orationem fundere ad Dominum, & ego dimittam agrum eius. Quo orante, hic à valetudine qua grauabatur conualuit, factúſque ſanus ait ſuis: Quid putatis quid iſti nunc Romani dicant? Aiunt enim me ob hoc fuiſſe febre grauatum, quia tulerim agrum eorum. Quod mihi iuxta conſuetudinem humani corporis accidit. Verumtamen non habebunt eum, me viuente. Et dicto citiùs miſit qui eum iterum auferret. Quod cùm Epiſcopus comperiſſet, venit ad eum dicens: Num pœnitet te priùs feciſſe bene, quod hoc iterum conaris euertere? Ne facias quæſo, ne vltioni diuinæ ſubiaceas. Qui ait ad Epiſcopum: Sile, ſile decrepite. Nam infrenatum te loris, circuire vrbem ſuper aſinum faciam, vt ſis ridiculo omnibus qui te aſpexerint. At ille ſilens ad nota recurrit præſidia. Proſternitur in oratione, celebrat vigilias, ac noctem totam in lachrymis & Pſalterio ducit. Mane autem facto accedit ad lychnos, qui de camera ad Eccleſiam dependebant, extendénſque virgam quam tenebat in manu, effregit cunctos dicens: Non hîc accendetur lumen, donec vlciſcatur Deus de inimicis, & reſtituat res domus ſuæ. Hæc eo dicente, protinus hæreticus ille in rediuiua febre corruit. Cúmque in extremis ageret, miſit ad Epiſcopum dicens: Oret pro me ſacerdos ad Dominum vt viuam, & reſtituam agrum, ac ſimile eius conferam dominationi. Quibus Pontifex reſpondit: Iam oraui ad Dominum & exaudiuit me. Miſit & alios, ac tertios ad eum nuncios. Sed ſacerdos in vno reſponſo perſiſtens, non mouebatur ad hæc, vt pro eo orationem da-

" ret ad Dominum. Hæc ille hæreticus cernens, iussit se in
" plaustro componi, atque ad eundem euehi, ac per se depre-
" catur Episcopum dicens, quia dupla satisfactione restituo a-
" grum quem iniquè peruasi: tantùm vt oret pro me sancti-
" tas tua. Illo quoque recusante, compulit eum vi, vt abi-
" ret ad Ecclesiam, quo discedente, vt Ecclesiam est ingres-
" sus, spiritum exhalauit, recepítqueconfestim Ecclesia rem
" suam.

CAPVT VI.

Insignis apparitio sanctorum Apostolorum Petri & Andreæ, facta sancto Maximo Episcopo Regiensi, in Phocensi prouincia; cùm ei, ab hac vita, felix exitus immineret.

IN eius elogio, die 27. Nouembris, quo ad perennes Sanctorum splendores perrexit: eiusmodi apparitionem breui hac serie expressimus. " Pleraque alia admiranda diuinè operatus " est: sed piam eius animam nihil ex his satiabat: " cùm præter vitam quæ Christus est, nihil esuriret, nihil sitiret " præter iustitiam. His cùm extabesceret piis affectibus, Chri- " stus tandem ipsum compotem desideriorum effecit. Post- " quam enim vir sanctus diu ad cælestes montes præstolans " solatium suspexisset: vigilias in æde sacra peragens, quam " sancto Albano construxerat, ac preces fundens: Angelico " concentu recreatus est, ac inter beatos Apostolos Petrum " & Andream, mutuo honore se inuicem præuenientes, in " ipsius beati Andreæ (cui impensiùs deditus erat) peruigilio " à Cariattone Subdiacono, visus est hymnos ac laudes diur- " nas alternatim cum ipsis recitare. Tempus (sic) migratio- " nis suæ diuina admonitione cognouit, & prædixit, *ac in eodem cilicio, quo pro interiori tunica perpetuò vsus fuerat, nec vnquam deposuerat, sepeliri voluit.*

Quam visionem ex vita sancti Maximi, scripta à Dinamio Patricio, ad Vrbicum mediatum eius successorem (vt patet ex epistola liminari) quoad sensum deprompsi. Ille enim auctor grauis & illustris, vt florentiori eloquio, sic & succulentiori rem gestam descripsit, hac ad verbum serie.

Apud Surium die 27. Nouemb.

Non diu post (eius obitum) cùm in sancti viri commemoratione multa referrentur à multis: Cariatto Subdiaconus, vita sanctissimus publicè hæc testatus est. Nemo nostrûm dubitet (inquit) Beatissimum Maximum, de cuius virtutibus tam multa suggerente veritate feruntur: cùm in mortali degeret corpore, non minùs cum Angelis, quàm cum hominibus versatum esse. Quem enim nobiscum tenebat humana conditio, eum beatis spiritibus assiduum exhibebat dignitas meritorum. Quadam nocte, imminente celeberrima beati Andreæ solemnitate, cùm deputatus ego essem, qui ad Vigilias excitarem, & primo noctis tempore blandus me sollicitum oppressisset somnus, dulces psallentium audiui melodias, móxque excitatus non sine perturbatione multa, è lecto me proripui, quòd putarem me opportunum excitandi tempus neglexisse. Tum verò longè etiam dulciores quàm humanis possint studiis effici, spiritualium cantionum melodias hausi auribus meis. Continuò igitur ad ipsius arcis vrbis vestibulum, suspenso me gradu contuli, atque illic beatissimos Apostolos Petrum & Andream, ad complendam cum sancto Maximo orationem, alternis honoribus se inuicem prævenientes, ego peccator audiui. Cúmque tandem iugi oblatione compulsus beatus Maximus eos diutiùs differre non posset, his verbis compleuit officium. Sit gloria Dei benedicta in æternum, & in sæcula sæculorum: reliquis respondentibus, Amen. Ego verò perquirendi studio propiùs accedens, neminem illic videre potui, præter sacratissimum Maximum, prono vultu & corpore, in templi pauimento prostratum. Ille autem surgens, meam indigni peccatoris curiositatem, his verbis reprehendit: Arduum est humanæ fragilitati, Sanctorum secreta cognoscere, & temerarium velle rimari. Audi ergo quæ tibi, præscius ego iam dicturus sum. Ea quæ vidisti & audisti, caue ne euulges, quocumque enim die hoc feceris, ex hac luce migrabis. Id vtrum euenturum sit ex Dei pendet arbitrio. Ego quidem excellentis eius virtutis memoriam, & testimonium posteritati relinquo, vt ne quis mortalium ignoret, quemadmodum iusti homines Sanctorum possint commercio & consuetudine frui. Huic autem narrationi abundè multam conciliauit fidem, quòd eodem die Subdiaconus ille, sicut ei à beato Maximo prædictum erat, desiit esse in humanis: Et quia non potuit viuendi producere terminum, nec mysterium celare voluit.

Simile quid contigit paulò pòst alij Subdiacono, quem familiariùs ceteris clericis in societatem & colloquium ad-

hibebat S. Troianus Episcopus Xantonensis: de quo ex probatis monimentis gestorum, hæc litteris consignaui in Martyrologio Gallicano pridie Kalendas Nouembris, qui dies beato Andreæ sacer est, & in quem beata migratio S. Troiani incidit, hoc verborum tenore. *Ita versabat vir Dei inter mortales, vt simul cum cælitibus quorum puritatem redolebat, amicis colloquiis misceretur. Cui sanctus Martinus, cùm nocte de more basilicas visitaret, comite Subdiacono, in lumine apparuit, quo cum multa colloquutus, ab eo didicit; quo loco principalem Ecclesiam suæ vrbis, cuius fabricam meditabatur, constructurus esset: quid ibidem factu opus erat, vt ædificatum in omni iustitia populum, sub diuinæ legis obsequio in posterum contineret. Incessit Subdiaconum cupido, quæ vir Dei in visu conspexerat audierátque resciscendi. Huic vt satisfaceret sanctus Antistes, quæ petebat reserauit, districtè inhibens, ne cui sibi concredita notificaret. Futurum enim, vt si religionem arcani temeraret, protinus in vltionem temeritatis, Dei iudicio moreretur. Haud dubiè euenit. Nam Subdiaconus minimè tenax mysterij, Sacerdotibus præcipuísque ciuibus, illam visionem cùm enarrasset: confestim in ipso audientium conspectu (quod & in dictorum confirmationem, futurum præfatus fuerat) spiritum exhalauit.*

Ceterùm in narratione Dinamij Patricij vitæ sancti Maximi Regiensis Episcopi accurati scriptoris, nonnulla sunt, quæ aliquâ sunt digna reflexione. Primum est, quòd sanctorum Apostolorum Petri & Andreæ facta ipsi sancto Pontifici apparitio acciderit, *imminente celeberrima sancti Andreæ solemnitate:* ex hoc enim habes quantæ sit antiquitatis sancti Andreæ festiuitas: iam enim ab obitu sancti Maximi duodecim circiter sæcula effluxerunt. Habes insuper quòd iam tunc ageretur, insigni cum solemnitatis honore. Vnde hîc dicitur solemnitas celeberrima. Nec ratione vacat quòd ipsa apparitio facta sit iam imminente illa quàm celebri festiuitate. Certè beato Petro sanctus Maximus impensè deuotus erat, in cuius honorem basilicam construxerat, in qua demum sepultus est, cuius & titulum sibi postea fulgentibus signis ad suum tumulum vendicauit. Videtur tamen fuisse in S. Andream propensior, & optâsse circa eius festiuitatem, quam peragere celeberrimè consueuerat, cursum suum consummare, vt tanti protectoris præsidio animam carne exutam consignaret, cuius proprium

fuiſſe munus iam ſæpius oſtendi, animas Chriſto Magiſtro ſuo præſentare. Vnde verſus Hieronymi Vidæ:

Salue biſſenos inter, pater optime, Patres,
Aſpice nos bonus, atque nos tuo iunge Magiſtro.

Hymno de S. Andrea Apoſt. in fine.

Secundò notandum eſt Sanctos ſe inuicem honore præuenire. Quid ſimile narratur in reuelatione facta Stephano Papæ III. apud S. Dionyſium (cùm veniſſet in Galliam, tempore Pipini regis) fugienti Aiſtulphi Longobardorum regis perſecutionem: & ibi grauiſſima infirmitate laboranti: ſicut ipſe teſtatur, in relatione ſua quæ extat ad calcem Areopagiticorum Hilduini apud Surium t. 9. die 9. Octob. Vnde ego (inquit) pro oppreſſione ſanctæ Eccleſiæ à rege atrociſſimo & blaſphemo, & nec dicendo Aiſtulpho, ad optimum & S. Petri fidelem Pipinum Chriſtianiſſimum regem in Franciam veni, vbi ægrotaui vſque ad mortem, & manſi aliquod tempus apud pagum Pariſiacum in venerabili monaſterio beati Martyris Chriſti Dionyſij. Quo cùm iam me medici deſperarent, fui in oratione in Eccleſia eiuſdem B. Martyris, ſubtus campanas, & vidi ante altare bonum Paſtorem dominum Petrum, & Magiſtrum gentium dominum Paulum, & nota mente illos recognoui de illorum ſurcariis, & ter beatum dominum Dionyſium ad dexteram domini Petri ſubtilem & longiorem, pulchra facie, capillis candidis, colobio indutum candidiſſimo, purpura clauato, pallio toto purpureo, auro interſtellato; & ſermocinabantur inter ſe lætantes.

anno 754. vide Baron.

Dixítque bonus paſtor dominus Petrus: Hic frater noſter poſtulat ſanitatem: & dixit beatus dominus Paulus: modò ſanabitur. Et appropinquans miſit manum ſuam ad pectus domini Dionyſij amicabiliter, reſpexítque ad dominum Petrum. Et dixit dominus Petrus ad dominum Dionyſium hilariter: tua gratia, ſanitas eſt eius. Et ſtatim beatus Dionyſius, thuribulum incenſi, & palmam in manu tenens, cum Preſbytero & Diacono, qui in parte ſtabant, venit ad me & dixit mihi: Pax tecum, frater, noli timere: non morieris, donec ad ſedem tuam proſperè reuertaris. Surge ſanus, & hoc altare in honorem Dei & Apoſtolorum eius Petri & Pauli, quos vides, dedica, Miſſas gratiarum agens. Erat enim ibi inæſtimabilis claritas, & ſuauitas. Móxque ſanus gratiâ Dei factus, volebam implere quod mihi præceptum erat: & dicebant, qui ibi aderant, quòd de-

" mentabam. Quapropter retuli ex ordine illis & Regi,
" suísque optimatibus, quæ videram, & quomodo sanus fue-
" rim. Et impleui quæ iussa sunt mihi, omnia. Benedictus
" Deus.

Hîc vides sanctos Apostolos Petrum & Paulum operationem miraculi S. Dionysio detulisse, non quòd maior esset, sed vtroque inferior: vt pote S. Pauli discipulus, qui & ipse beato Petro minor est. Sed quia res agebatur in beati Dionysij propria Ecclesia, vbi & corpore, cum sociis suis ipsi tunc etiam assistentibus quiescebat. At cùm beati Apostoli Petrus & Andreas sancto Maximo apparuerunt, res fiebat in Ecclesia ipsius beati Petri, & imminente S. Andreæ natali. Adde quòd ipse Maximus adhuc mortalis erat. Nulla igitur alia ratio suppetere videtur huius facti beatissimorum duorum fratrum Petri & Andreæ: quàm quia veniebant sanctum hunc Antistitem ad gloriam inuitatum, & honoris causâ fungi illum sacerdotio, pro hac vltima vice voluerunt, nec dedignati sunt inferiorum ministrorum, primas concedendo sacro officio fungenti, subire vicem: humilitatis Domini sui non immemores, qui discipulorum suorum lauare pedes stupendæ humilitatis exemplo non dubitauit. Sed est & alia ratio, & quidem insignis: scilicet quia Sancti glorificati sacerdotio ampliùs non funguntur. Has igitur sacerdotibus qui adhuc in carne sunt, ratione status, & ex Dei ordinatione, deferunt partes.



CAPVT

CAPVT VII.

Alia apparitio sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, ac Andreæ, beato Eugendo Abbati Iurensi facta: qua ipsorum reliquias ei, ex diuino dono afferri, vt in suo Monasterio illas piè asseruandas reponeret, miro modo significarunt.

Ex ipsius S. Eugendi vita, ab eius anonymo discipulo scripta, quam Surius tom. 1. die prima Ianuarij conscripsit: ex quo expressit Bollandus, cum veteribus MSC. Monasterij sanctæ Mariæ Bonifontis, & sanctæ Mariæ de Ripatorio contulit, ac pluribus locis emendauit. *cap.* 9. *n.* 4. & 5.

N tantum mens ipsius, abstrusis vitiis, pura pollebat, vt etiam beatißimorum Apostolorum, Petri & Pauli, sanctique Andreæ, &c. & colloquio fuerit & visu potitus. Quodam namque tempore, antequam ipsi administrationis tempus incumberet, diebus æstiuis, vltra monasterium iuxta semitam qua Gebennam vsque transcenditur, sub arbore solito quiescenti, subitò tres se per soporem aduentantes offerunt viri: Quorum cùm post orationem & pacem, nouitatem vultus habitúsque contemplaretur, interrogat quoque quinam ipsi venerabiles essent? Tum vnus, Ego, ait, Petrus, ast hic germanus meus Andreas, & ipse frater noster est Paulus. At ille confestim in spiritu ad eorum vestigia prouolutus: Et quid est, inquit, Domini, quod vos in hac rara cerno siluestria, quos in magnis vrbibus Romæ ac Patras, post sanctum martyrium, legimus contineri? Verum est, inquiunt, & illic quidem vt asseris sumus: & hîc quoque nunc habitaturi venimus. Et in hac verba visus finiuit & somnus.

Cúmque confricata facie torporem somni depulisset ex vultu, conspicatus eminus duos, qui ante biennium circiter decesserant, fratres, eo aduentare calle, quo sanctos Apostolos per visionem conspexerat aduenisse. Et prosiliens illico in occursum, consalutatósque ex more, consulit, vnde dilectißimi fratres, post tam diuturnum commeatum, ad cœnobium repedarent: Nos, inquiunt, inter alia ad vrbem vsque progreßi, obtentis quoque Sancto-

rum patrociniis, sub trina Martyrum sera quidem, sed fida intercessione, reuertimur. Dominorum namque Apostolorum Petri & Pauli atque Andreæ, ditati reliquiis, ad caulas repedamus antiquas. In loco igitur, vt moris est, illis subsistentibus, currens Eugendus sanctus ad monasterium, ipsi Patri ac fratribus, aduentantium Sanctorum efficitur nuntius, qui fuit paulò antè contemplator in visione. Prosiliunt confestim obuiam, & consalutatis fratribus, deosculatisque reliquiarum vasculis, cum tripudio & exultatione, atque psalmi sono, exhibitis, inclusis quoque sub altari: patrocinantur nunc exorantibus, indefessa virtute, quorum laudes ac merita nequeunt localiter coërceri. Ita vetus ille scriptor. Vixit enim eodem quo sanctus Eugendus tempore: cuius obitui & ipse interfuit, vt testatur cap. 15. & vltimo, n. 27. At verò claruit sanctus Eugendus circa annum Domini 585.

Ceterum hîc obseruandum est, nodum non minimæ difficultatis hîc hærere. Siquidem corpus S. Andreæ translatum fuisse de Achaia Constantinopolim, anno Imperij Constantini Magni 20. suprà fusè demonstraui. Quomodo igitur sanctus Eugendus dicit adhuc apud Patras existere: Et Apostoli confirmant verum esse quod dicit? Idem verò Patrarum Episcopus ait apud Gregorium Turonensem: qui & hoc ipsum indubitanter insinuat. *Mummolus autem*, inquit, *cùm Theodeberti Regis tempore ad Iustinianum Imperatorem pergens, Constantinopolitani itineris viam nauali euectu sulcaret, ad vrbem Patras, in qua idem habetur Apostolus (Andreas) est appulsus, infirmata vesica calculosus efficitur, dehinc diuersis doloribus arctatus febre consumitur*, &c. *cùm aduentum mortis solum præstolaretur*, &c. *inquiri præcepit, si forsitan aliquis reperiretur in ciuitate, qui peritus in arte medicinæ possit perituro succurrere. Sed cùm hoc Episcopo qui tunc præerat suggeritur, ait: Quousque vos dilectissimi casso fatigatis labore, & inter homines requiritis medicinam? cùm habeatur hic cælestis medicus, qui sæpe infirmorum valetudines, sine herbarum adminiculo, virtutis propriæ depellat effectu. Et quis, inquiunt, est ille? Andreas (ait) Apostolus Christi.* Igitur S. Andreas hîc erat. Ergóne fabula est, quod de translatione S. Andreæ ex Achaia Constantinopolim S. Hieronymus tradit, grauissima asseueratione? quod aduersus Vigilantium tanta auctoritate inculcat? quod Ecclesia tam Græca quàm Latina certissimè credit & constanter docet? Minimè

verò. Ergóne falſum quod ſanctus Eugendus tribus Apoſtolis Petro & Paulo ac Andreæ dicit, ipſum Andream apud Patras honorificè ſeruari? Neutiquam, profectò veritas conſtat ab vtraque parte. Patet ex actis translationis capitis ſancti Andreæ ex Achaia Romam, ſub Pio II. facta, atque ab eo celebrata, & geſtis & ſcriptis teſtata, ipſum caput S. Andreæ, adhuc cùm à Mahumeto Turcarum Rege capta eſt Conſtantinopolis, apud Patras ſeruatum, & tunc ne infidelium pateret iniuriis, maturè in Italiam tranſuectum, donóque inæſtimabili datum ipſi Pio II. Papæ, qui illud cum inſigni triumpho ſuſcepit, & in baſilica S. Petri venerandum collocauit. Igitur ſaltem cùm viueret ſanctus Eugendus, & ſcriberet Gregorius Turonenſis: caput ſancti Andreæ apud Patras, vbi illuſtriſſimum peregerat martyrium, exiſtebat. Inſuper teſte ipſo Gregorio, fulgebat inſigni miraculorum gloria eius ſepulchrum. Non vtique vacuum prorſus: nam licèt magnam ipſius corporis partem, hinc Conſtantinus transferri feciſſet Conſtantinopolim, aliquam tamen non modicam portionem, cum ipſo capite, ibi reliquerat: propter ipſius ſanctiſſimi Apoſtoli hîc paſſi & ſepulti perennem memoriam & venerationem, locíque quem præſidio præcipuo prorſus deſtituere noluit, protectionem & decorem. Nec repugnat S. Hieronymi auctoritas, dicit enim reliquias S. Andreæ Conſtantinopolim tranſlatas & ibi ſuſceptas, miro cum omnium regiæ huius vrbis ciuium fauore. Non dicit corpus; neque alij ſcriptores qui hanc tranſuectionem poſterorum memoriæ conſignarunt: ſed ſolùm aiunt reliquias; quæ aſſertio vt vera ſit, ſufficit pars inſignis corporis, non autem totum corpus tranſlatum fuiſſe cenſeatur. Atque ſic conciliatur commodè difficultas præſignata.

Ex vita S. Elphegi Archiepiſcopi Cantuarienſis & Martyris, antea Vinceſtrienſis Epiſcopi.

Videſis 19. Aprilis apud Surium, & apud P. Simonem Martinum Aſcetam Ordinis Minimorum, in libro cui titulus eſt, *Sacræ reliquiæ deſerti.* pag. 307. *De apparitione S. Andreæ Apoſtoli, facta B. Dunſtano Archiepiſcopo Cantuarienſi, cùm ferueret diſsidium inter electores, quorum alteri volebant Clericum ſibi ordinari, alij verò Monachum. Sed præualuit appetentium regularem virum conſecrari poſtulatio, in-*

bente ex Dei nutu S. Andrea ipsi Dunstano Metropolitæ, vt Elphegum Abbatem, spretis secus volentium vociferationibus, quantocyus ordinaret: cui insuper palmam martyrij gloriosi, Deus singulari gratia munere præparauerat. Quod sic factum, Apostolico imperio, ad amussim successit.

CAPVT VIII.

Sanctus Andreas Apostolus apparens Hungo Regi Scotorum & Pictorum, victoriam ei aduersus Anglos pollicitus est: quam præuio signo crucis Andreanæ desuper effulgentis, Rex ipse magna cum gloria consecutus, Deo & eius Apostolo, gratias quas potuit maximas rependit.

NNO Domini 819. feruente bello inter Scotos & Anglos: cùm prælium immineret admodum Scotis & Pictis periculosum: Hungus vtriusque gentis Rex, cùm se viribus Athelstano Anglorum Regi longè imparem conspiceret, frequentibus suspiriis & lachrymis, à Deo vt propitium sibi auxiliatorem de cælo mitteret, precabatur. Extemplo assistens beatus Andreas Apostolus Regi, in somnum soluto, iussit vt alacriori animo esset, nec hostium multitudine terreretur: fore nimirum vt postera die, gloriosam victoriam de Anglis assequeretur. Móxque super Scotorum & Pictorum castra, crux lucida, quam & hostes conspicati sunt, effulgere & radiare cœpit, effîcta ad similitudinem eius, in qua olim sanctus Andreas illustre martyrium pro Christi nomine peregit. Hanc Apostolus Hungo Regi ostendit: addidítque, hoc portentum ante partam victoriam in ipso ardore certaminis, haud cælo defuturum. Experrectus Rex, rem exercitui suo patefecit: quem mira capessendæ pugnæ cupiditas protinus inuasit. Cúmque sub primam lucem pugnæ se darent, altioríque voce sanctum Andream inclamarent, crux decussata X in cælo conspicitur: quod prodigium, sicut Scotis & Pictis animum addidit, ita & Anglis ingentem pauorem incussit: adeo vt illorum impetum sustinere non possent. Vnde primùm Northumbri, mox tota acies impulsa terga dedit: præclaram Scotis & Pictis

relinquens victoriam, cecidit in hoc conflictu inter alios, ipse Rex Anglorum Athelstanus : cuius cædes loco nomen dedit, qui abhinc Athelstani vadum appellatus est. Hungus Rex tanta potitus victoria, vt Deo & eius Apostolo debitas gratias ageret, nudus pedibus in proximam sacram ædem, sese cum omni exercitu contulit. Ipsique S. Andreæ (præter calices, phialas, Seruatoris ac duodecim Apostolorum statuas, ex argento auróque, & capsam pro reliquiis S. Andreæ asseruandis, ex auro purissimo confectam) donauit eius venerandæ memoriæ decimam partem prædiorum Regiorum : hic insuper edens decretum, vt Scoti & Picti vexilla, signo crucis Andreanæ ornarent, hócque insigne, quotiescumque manus conserendæ essent, hostibus ipsis, tamquam partæ iam olim victoriæ perenne monumentum obiicerent. Qui mos excisis Pictis, apud Scotos quibus totum accessit regnum, remansit. Refert prolixiùs hanc historiam Hector Boëtius lib. 10. Historiæ Scotorum. Quin & Bucananus Caluinista, hanc silentio præterire non ausus est: quam etsi frigidè referat : hac tamen clausula concludit, *Hungus Andreæ victoriam acceptam retulit.* Ea enim est vis veritatis, vt vel hostes cogat quam oderunt confiteri. Sed de eadem re iterum dicendum erit lib. 11. quo de Regnorum patrocinio, quorum sanctus Andreas proprius est tutelaris, agere ex instituto proposui.

CAPVT IX.

Insignis reuelatio sanguinis Christi Domini apud Mantuam reconditi, à Beato Andrea Apostolo, facta.

EO *Papa III.* (inquit Platina in eius vita) *cùm seditionibus semper vexaretur, ac vrbe discedens Mantuam proficiscitur, ad visendum Christi sanguinem, qui tum miraculis magno in pretio erat. Is autem à Mantuanis perbenignè susceptus, approbato Christi sanguine, ob frequentia miracula, ad Carolum (Magnum scilicet) proficiscitur, vt hominem rei cognoscendæ cupidum, eius rei certiorem faceret.* *Vide veteres Annales Francorum: Adonem, Aimonium, Reginonem, Abbatem Vrspergensē ad annum 804.*

Disertiùs de hac illustri sanguinis Christi inuentione scri-

bit Cardinalis Baronius, Annal. tom. 9. ſub anno Chriſti 804. hoc verborum tenore. *Perlatum eſt ad Imperatorem Carolum Magnum, æſtate preterita, Chriſti ſanguinem in Mantua ciuitate fuiſſe repertum. Propter hoc miſit ad Papam Leonem III. petens vt ſuper fama veritatem inquireret. Ceterum quod ad ſanguinem Chriſti pertinet, re multum examinata inuentus eſt & comprobatus ille fuiſſe, qui ex Chriſti corpore fluxit tempore paſſionis eius: non autem ille qui Beryti ex ſacra Chriſti imagine fluxerat. De qua veritate extare dicuntur diplomata Romanorum Pontificum, vt de his non ſit ampliùs dubitandum.* Hactenus Baronius.

Carolus Stergegelius lib. 2. de ſanctarum reliquiarum cultu, veneratione, ac miraculis, cap. 38. de ſanguine Chriſti.

Porrò prædicti ſacroſancti cruoris Chriſti veneranda pignora, cùm ob continuos bellicos tumultus, quibus Mantua præcipuè id æui conflictabatur, piorum hominum induſtria fuiſſent ſtudioſè abſcondita, atque iterum terra infoſſa, duobus euolutis ſæculis, in anno à partu Virginis Beatiſſimæ 1048. *ne terra diuinas gaZas diutiùs operiret, ſanctus Andreas Apoſtolus (cui Mantua impensè eſt deuota) Adalberto cæco quidem, ſed ſimplici & recto viro tertiùm commendauit, vt in Xenodochij Mantuani horto, prope ſacellum S. Andreæ terram effodi procuraret: fore enim vt inuento ibi ſacro ſanguine Chriſti, & corpore S. Longini (percuſſoris ſcilicet Chriſti lateris, qui pretioſum inde ſanguinem cum aqua fluentem, primùm collegerat & ſeruauerat) viſum quantocyus recuperaret. Rem omnem ad Bonifacium Mantuæ Dynaſtam perinclytum, & coniugem eius Beatricem (quorum eleemoſynis idem Adalbertus victitabat) protinus defert: terra in deſignato loco effoditur, vt ex ipſius viſceribus, diu quæſitus theſaurus eruatur; capſula inuenitur marmorea, affabrè elaborata, atque vndique probè munita, in cuius operculo ex plumbea lamina inſculptum legebatur:* SANGVIS IESV CHRISTI: *qui in ipſa capſula continebatur, vnà cum parte ſpongiæ, qua idem ſanctiſſimus cruor exceptus fuerat: ſed & S. Longini corpus, prout beatus Apoſtolus prædixerat, tumulatum repertum fuit, honeſtioréque loco depoſitum.*

Continuò ingentia prodigia & miracula, in loco inuentionis cruoris Dominici viſa ac audita: Siquidem terra pondere tam ſacri theſauri exonerata, contremiſcit, & mirificæ ſuauitatis fragrantiam (prout quidam oculatus teſtis Saxo dictus, qui aderat miraculoſæ huic inuentioni, litteris conſignauit) exhalat, cæcus Adalbertus iuxta S. Andreæ promiſſum lucis vſuram

recipit: plurima ægrotantium & languentium turba obtinet sanitatem, vniuersa Mantuana ciuitas collætatur, Deúsque in benedictissimi filij sui sanguinis reuelatione collaudatur.

*Inuenti autem Dominici cruoris fama percrebrescente, Leo IX. Papa, ex Tullensi Cathedra assumptus, Apostolicæ suæ dignitatis anno I. Mantuam se confert, visísque in honorem Sanguinis Christi patratis miraculis, benignitatem supremi numinis mirabundus dilaudat: & quanam ratione cælestem hunc thesaurum Mantuâ exportatum Romam, ad matrem Ecclesiarum illo ditandam deferret, seriò excogitat. Verùm Pontificis sanctissimi machinatione ad ciuium Mantuanorum aures delata, extemplò ad arma conclamant, vi erepturis sibi inuentum cruorem Dominicum (nihil veriti Apostolici culminis apicem) vim inferre parant. Horum igitur pium Zelum & erga sancta pignora Mantuanæ vrbi concessa, feruentem amorem optimus Papa considerans, tempori cedendum ratus, & spe sua illa vice frustratus, Mantuà discessit. Quò tamen non ita multò pòst reuersus est, exoratus precibus Henrici III. Imperatoris Augusti (Italici secundum Henricum indigitant *) Mantuam venientis. Qui Imperator vnà cum Bonifacio Mantuano Dynasta, suis impensis* SANCTI ANDREÆ *templum in augustiorem formam redegit, adiuncto Monachorum ord. S. Benedicti cœnobio, idémque templum à beatissimo Romano Pontifice dedicari, atque ibi sacrosanctas Dominici cruoris reliquias collocari effecit. Mantuanus populus officiis tam sancti Papæ non ingratus, eidem particulam aliquam Christi sanguinis & aquæ condonauit. Quod sacrum munus beatissimus Pontifex exultans suscepit: susceptúmque Romam deferens, Lateranensi basilicæ assignauit, vbi singulis annis etiamnum, secundùm vesperas Paschalis festi, inter plurima alia sacra lipsana, fidelium turmis videndum, honorandúmque exhibetur.*

* sed non rectè, nam Henricus II. sub Siluestro II. obiit, & imperij titulum, nec coronam gessit.

Inter hæc sacra pignora præcipua sunt vultus Domini, sacra effigies velo Veronicæ, diuinitus, ipso die Christi patientis impressa, ferrum lanceæ quo sacratissimum eius latus transfixum fuit, & caput sacratissimum sancti Andreæ Apostoli, qui dudum ipsum ferrum lanceæ Antiochiæ, reuelauit, & sacrum cruorem, qui ex percusso eius latere defluxit cum aqua, Mantuæ reconditum sua sub tutela manifestauit: quem adhuc sua sub custodia proprio in templo conseruat. Sic beatissimus hic Apostolus, qui primus Messiam inuenit, eiúsque mortis in cruce æmulator & imitator esse

meruit : non absque diuino nutu factus est eius pignorum passionis studiosus reserator & vindex, ac custos perpetuus.

CAPVT X.

Petro Massiliensi Clerico, inter Christianos obsessos Antiochiæ ab infidelibus existenti, apparens sanctus Andreas, lanceam quo latus Domini fuerat perforatum reuelauit : qua iidem Christiani fame ac morbo ferè consumpti, animosiores effecti, in hostes irrumpentes, ingenti victoria potiti sunt.

Lib. 6. belli sacri c. 14.

DVM autem sic affligitur Dei populus, (ait coætaneus scriptor Guilelmus Archiepiscopus Tyriensis) respexit eum Dominus, & gemitus eorum exaudiuit, mittens ei consolationem de sede Maiestatis suæ : quidam enim Petrus Clericus, vt dicitur, de regione Prouincia, ad Episcopum Podiensem & dominum Comitem accessit Tolosanum, asserens quòd ei B. Andreas Apostolus, in somnis apparuerit, & eum ter vel quater commouerit * diligentissimè, quatenus ad principes loqueretur, & nuntiaret, vt lanceam, qua Domini nostri Iesu Christi latus fuerat perforatum, in Ecclesia principis Apostolorum* occultè repositam, cum omni studio perquirerent, eique locum certis designauerat indiciis. Qui accedens ad Deo amabiles viros, verbum ei iniunctum fuisse testabatur, ex ordine pandit, asserens se ab eodem Apostolo, multis terroribus ad hoc compulsum. Nam cùm sæpè legationem hanc sibi assumere, quoniam pauper & nullius prudentiæ erat, detrectâsset, vrgentissimam Apostoli visionem,* nisi cum mortis periculo declinare se non posse profitebatur. Hi autem reliquis principibus verbum sæpius communicantes, eumdem Clericum præsentem constituunt, vt ab eodem modum & formam visionis acciperent. Quibus verbis fidem habentes, ad locum quem eis intra septa prædictæ Ecclesiæ designauerat conueniunt : vbi effossa terra in altum aliquatenus, lanceam sicut prædixerat reperiunt. Quod audiens populus, tanquam immissa de supernis consolatione, currunt vnanimes,

*commonuerit

* Nota S. Andreæ iam diu beati humilitatem : Petrum enim fratrem natu *minorem*, quem ad Christum adduxerat, appellat Principem Apostolorum.

* iussionem

&

& donis muneribúsque tam pretiosum multo honore præuenientes inuentum, cœperunt quodammodo à suis anxietatibus respirare, & in obsequiis diuinis reperiri fortiores. Id verò factum affirmat anno Christianæ redemptionis 1098. mensis Iulij die 28. Victorias deinde & triumphos, quos prævio vexillo ipsius sacrosanctæ lanceæ Domini (cuius B. Andreas reserator fuerat) Christiani reportârunt, aliis subinde locis ipsemet enarrat Wilelmus Tyriensis. quæ quia prolixum foret minutim recensere, non inuitus prætermitto, memor insignis illius sententiæ S. Hieronymi, *necessum non esse vbique dicere omnia.*

CAPVT XI.

Alia sancti Andreæ miracula, quæ à Cæsario Heisterbatensi posterorum memoriæ consignantur.

VIXIT, cum nonnulla luce pij nominis, hic auctor, circa annum Christi Domini 1190. & nonnulla reliquit posteris sui ingenij monumenta: inter quæ præcipuum est opus, quod de miraculis & visionibus suo tempore, in Germania potissimum factis, conscripsit, duodecim in libros tributum. Is autem lib. 8. quo tractat de diuersis visionibus, pleraque digna memoratu, de sancto Andrea refert. Nam cap. 56. quod inscriptum est, *visiones de sanctis Apostolis, & primò de S. Andrea*, sic habet:

Consuetudo est maximè prouinciæ nostræ matronis, vt tali sorte specialem sibi Apostolum eligant. In duodecim candelis duodecim Apostolorum nomina, singula in singulis, scribuntur, quæ à sacerdote benedictæ, altari simul imponuntur. Accedens verò fœmina, cuius nomen per candelam extrahit, illi plus cæteris honoris & obsequij impendit. Jn hunc modum cùm quædam matrona, sanctum Andream extraxisset, & non ei placuisset, reposita candela, alium habere voluit. sed iterum idem occurrit. Quid plura? tandem trahit sibi placentem, cui cùm multum exhibuisset obsequij, per omnes dies vitæ, & ad extremum perueniens esset moritura, non illum sed beatum Andream sibi assistere vidit. En, inquit, ego sum, despectus ille Andreas. Ex quo colligitur, quòd Sancti etiam vltro se ingerunt

nostræ deuotioni. Quantum beatus iste Apostolus se inuocantibus succurrere valeat, sequens narratio declarat.

Idem ibid. c. 57.

" Erant duo iuuenes iuxta Ecclesiam beati Andreæ habi-
" tantes, qui pro suis mercatoribus, remotas prouincias re-
" petere solebant. Tempore quodam, cùm profecturi essent
" in Norwegiam, frater Reynerus Monachus noster, tunc
" canonicus sancti Andreæ in Colonia, sicut ipse mihi retu-
" lit, quinque solidos illis dedit, petens vt ex eis compara-
" rent pellem vrsi albam, quales regio illa gignit, ad sub-
" stratorium coram altari sancti Andreæ. Quod cùm fecis-
" sent & reuerterentur, tanta facta est in mari tempestas, vt
" omnes mitteret in desperationem. Hoc ideo factum reor,
" vt Dominus Apostoli sui virtutem ostenderet. Recordati
" autem prædicti iuuenes, pellis sancti Andreæ: contra pro-
" cellas intumescentes, ventósque frementes, illam cum fi-
" de leuauerunt: Et ecce Dominus Apostoli sui meritis,
" quem de mari vocauit suffragantibus, imperauit mari &
" ventis, & facta est in ipsa hora tranquillitas tam magna, vt
" omnes qui in naui erant, mirarentur. Reuertentes autem
" Coloniam denarios reddiderunt, pellem B. Andreæ gratìs
" offerentes, collati non immemores beneficij.

CAPVT XII.

Sancti Andreæ miraculorum collectio, citata à Ioanne Molano Louaniensi Doctore, & sacræ Theologiæ regio Professore celeberrimi nominis, & Sanctorum memoriæ eximij vindicis, in annotatione ad diem 30. Nouembris super Martyrologium Vsuardi, vbi de sancto Andrea.

DE *Andrea* (inquit) *officium fecit Gregorius primus. Idem habuit in eius natali homiliam Euangeliorum quintam. Lib. autem* * *7. registri cap.* * *38. scribit de miraculis sancti Andreæ. Catalogus scriptorum Britanniæ indicat Bedam scripsisse librum, de sancti Andreæ memoria apud Scotos. Citant nonnulli miracula eius, quæ capitibus 38. impressa sunt in rapsodiis Anonymi, Philalæthi Eusebiani.* Hæc ille.

* nono
* epist. 38.

At vix capio quomodo auctor iste seu collector mira-

culorum S. Andreæ ſit anonymus, cùm ab ipſo Molano appelletur Philalæthus Euſebianus. Ceterum iſtas rapſodias non vidi, nec ſollicitè quæſitas vſquam reperire potui. Dolendum quòd Molanus nec locum, nec tempus ſignauerit, quo illæ rapſodiæ (vbi 38. capitulis miracula S. Andreæ enarrantur) lateant indicau rit. Lectorem enim ſuum, & me quoque qui ex inſtituto ſcribo de B. Andrea, non leui labore leuaſſet. Nolui tamen notationem illam tam docti & pij viri ſilentio præterire. Exiſtimaui enim aliquem fore ſi non diligentiorem, ſaltem fortunatiorem, qui collectionem fortaſſis auſpicatiùs quærendo inueniret. Quæ miracula ſancti Andreæ ſic auctiora forent, eiúſque gloria nonnihil amplificaretur. Interim vadem habeo collectionis huius copioſæ miraculorum ſancti Andreæ, in triginta octo capitula digeſtæ, Molanum tantæ eruditionis virum, vt magnus Baronius potiri omnibus eius ſcriptionibus vehementer optaret, & ægrè ſe laturum aſſereret, vel minimam eius lucubrationum & notationum ſcedulam aliqua incuria vel caſu periiſſe. Sic ait enim cap. 9. præfationis ſeu apparatus ad Martyrologium Romanum. *Tanti viri de Eccleſia Dei & veritate Catholica optimè meriti, nec breuem ſchedulam deperire æquanimiter patior. Cui, dicam ingenuè, iſthac omnia, hac ex parte accepta fero.* Obiit Molanus Louanij propè octogenarius, anno Domini 1585.

Ceterùm fertur liber S. Gregorij Turonenſis (quo natum ſe dicit ipſo die feſto S. Andreæ: ideóque ſe in eius cultum factum eſſe propenſiorem) de miraculis ipſius ſancti Apoſtoli. De quo libro (quamuis non ſit omninò contemnendæ notæ) quia viri in eiuſmodi rebus verſatiſſimi, iudicium exploraſſem, reſpondit ſibi non videri germanum: hanc in ſententiam lubens conceſſi, quam & meam propriam eſſe, communi amico, antè ſignaueram. Eapropter nec hîc expromendum, ne lectorem grauarem vel fallerem, exiſtimaui.



CAPVT XIII.

Illuſtre miraculum ſancti Andreæ, Romæ editum, in ſolenni ſuſceptione venerandi eius capitis, auſpiciis Pij II. ſummi Pontificis, facta.

Ex actis eiuſdem ſuſceptionis, ab ipſo Pontifice deſcriptis lib. 8. Commentariorum ad annum 1462.



ARDINALES *Narniam miſsi, cùm eò veniſſent, recognitis ſignis, ſanctiſsima venerati ſunt oſſa, eáque cum tremore & ſumma reuerentia ſuſcipientes, ad pontem Miluium detulerunt, ipſa die Palmarum, quæ fuit pridie Idus Aprilis, anno ſalutis ſecundo & ſexageſimo ſupra milleſimum quadringenteſimum, occurrentibus per omnem viam innumerabilibus populis Deum laudantibus, & ſeſe Apoſtolo Andreæ commendantibus: ſecundóque ab vrbe milliario, in ipſa Pontis turri venerandas reliquias per noctem ſeruandas collocarunt, duobus Archiepiſcopis Perocto Sipontino, & Alexio Beneuentano, qui excubias agerent, ibi relictis. Pontifex autem ea die celebrata in Apoſtolico Palatio, apud ſanctum Petrum pro veteri conſuetudine Palmarum ſolennitate: poſt meridiem cum ſacro ſenatu Cardinalium & omni Clero, ſtatuit Eccleſiam ſanctæ Mariæ in populo petere, ibíque noctem agere, vt ſequenti die ſacro capiti inde occurreret; hæret enim ea Eccleſia portæ Flaminiæ, quæ ducit ad pontem Miluium, Tiberi interiectum. Sed angebatur metu pluuiæ, quæ impendere videbatur. Nubes cælum obduxerant, fulgura & coruſcationes vbique viſebantur exaudiebantúrque, nec ſpes erat ſerenitatis: & quamuis multi dies nebuloſi humectíque præceſsiſſent, tunc tamen præcipuè minari videbatur æther, & horrida tempeſtas inſtare, ventis omnibus vrbem verſus nubes impellentibus: ita vt crederet nemo abſque maximo imbre iter fieri poſſe. Sed (mirabile dictu) ſeruauit ſibi ſuum tempus* MAGNVS ANDREAS, *nec iter Cleri ſeſe honoratum euntis, interuertere pluuiam paſſus eſt. Nam etſi dies noctéſque menſis huius madidæ fuerunt: eo tamen tempore quo ſacrum caput vehebatur, & quo Pontifex illi obuiam perrexit, nunquam aquæ gutta cecidit ſuper terram, qua parte euntdum*

fuit. Et omnis illa imbrium congregatio, quæ transitum Pontificis occupatura videbatur, vsque in noctem se continuit, ita vt sicco vestigio iter fieret. Nox verò humida spem ademit, posse in crastinum optata solennia celebrari, & in aliud tempus transferenda existimabantur. At mane exorto cessauit pluuia, & sol splendens super terram, inuitare ad eundum videbatur. Mox tres Cardinales qui sacrum caput in ponte Miluio reposuerant, eò profecti id acceperunt, & vrbem versus cum pompa eduxerunt. Cetera, quæ reliquum triumphum huius diuini in vrbem muneris, ingressus, & collocationis gloriosæ in Basilica sancti Petri Vaticana, minutim ac exactè describunt, suprà in actis ipsis accuratim expressis delineantur, vbi de Sancti huius Apostoli reliquiis actum est, & earumdem varia ac multiplici translatione.

CAPVT XIV.

Perenne miraculum salutiferi liquoris, è sacratissimo corpore sancti Andreæ huc vsque effluentis iterum annotatur.

CELEBRE est hoc sancti Paulini, suprà iam non semel laudati, de rore fluente ex ossibus sacratissimi corporis huius beatissimi Apostoli testimonium.

Ex illo sacri cineres quasi semina vitæ
Diuersis sunt sparsa locis: quaque osse minuto
De modica sacri stipe corporis, exiguus ros
Decidit: ingentes illic pia gratia fontes,
Et fluuios vitæ generauit gutta fauillæ.

De eodem miraculo scaturientis ex eiusdem sanctissimi Apostoli sepulchro perenniter olei medicinalis, & odoriferi, haud minùs insignis est attestatio Gregorij Turonensis, lib. de gloria Martyrum c. 30. quæ suprà verbatim est recitata. in qua & hæc clausula digna est peculiari obseruatione. Cùm o- «
leum defluxerit, tantum odorem naribus præstat, vt putes ibi «
multorum aromatum sparsam esse congeriem. Ex hoc seu in- «
unctiones sacræ, seu potiones datæ plerumque languentibus, «
commodum præstant. Secuta est corpus S. Andreæ vsque A- «
malphim, vbi translatum coruscat, hæc diuinæ virtutis glo-

ria, Quemadmodum Cardinalis Baronius, omni exceptione maior testis est, in notis super Maryrologium Romanum, die nona Maij. *De perenni* (inquit) *miraculo scaturientis inde liquoris medici, ad curandos morbos, totus pene Christianus orbis est testis. In omnes enim regiones, ex eo fonte, fluxêre riui.* Supra vbi actum de reliquiis ipsius sanctissimi Apostoli, de hac eius olei efficacia illustri obseruando exemplo, plura diximus. Qui volet, consulat Ioannem Molanum, in pio ac erudito libro cui titulus: *Diarium de Sanctis medicis*, inter quos sanctum Andream Apostolum, præcipuo loco recenset: qui (vt olim Leo IX. de sancto Remigio dicebat, cuius transtulerat corpus) *adhuc suo in sepulchro viuit*, vt perenni hoc constat miraculorum splendore.

FINIS LIBRI IV. ALTERIVS PARTIS.



SECVNDÆ PARTIS DE GLORIOSA S. ANDREÆ APOSTOLI MEMORIA,

LIBER V.

REGNORVM PATROCINIA.

CAPVT I.

Orientalis Imperij patrocinium sancto Andreæ Apostolo, & Beato Joanni Euangelistæ, diuinitùs fuisse creditum.

E regia Sanctorum corpore exutorum super nos potestate, in Commentariis super Martyrologium nostrum Gallicanum, copiosè olim aduersus sectarios disseruimus, nixi illo Christi promisso, *Qui vicerit & custodierit vsque in finem opera mea, dabo illi potestatem super Gentes.* Apoc. 2. 26. Hanc igitur quæstionem, hic non visum est necessum rursus discutere. Sed affirmatiua parte supposita, quæ diuino hoc oraculo obfirmatur, operæ pretium esse reor, imprǽsentiarùm tantùm tractare, de speciali illo sanctorum Apostolorum Andreæ & Ioannis patrocinio, quod in huius Capituli titulo est nuncupatim expressum. Facem mihi præfert hunc tramitem ineunti S. Paulinus, qui inter Natalis XI. Fragmenta apud Dungalum, ita de sanctis Tu-

telaribus diuinitùs assignatis cuique genti, vel vrbi, aut loco, dudum præclarè cecinit,

Sydera si cælo possunt, si gramina terris
Defore, mella fauis, aqua fontibus, vberibus lac:
Sic poterunt linguis laudes cessare piorum,
In quibus & vitæ virtus, & gloria mortis
Ipse Deus pro quo vitam voluère pacisci,
Et moriendo piam sancire fidem populorum.

. . . .

Namque tenebrosum veteri caligine mundum,
Languentésque animas, miseratus in orbe Creator,
Sic sua disposuit terris monimenta piorum
Sparsis, vt astrorum nocturno lumina cælo.

. . . .

Hos igitur nobis cupiens auertere morbos
Omnimedens Dominus, Sanctos mortalibus ægris
Per varias gentes medicos, pietate salubri
Edidit, vtque suam diuina potentia curam
Clariùs exereret, potioribus intulit illos
Vrbibus, & quosdam licèt oppida parua retentent
Martyres, ad proceres Deus ipsos mœnibus amplis
Intulit, & paucas functos diuisit in oras.
Quos tamen ante obitum toto dedit orbe magistros
Inde Petrum & Paulum Romana fixit in vrbe,
Principibus quoniam medicis caput orbis egebat.

. . . .

Sic Deus & reliquis tribuens pia munera terris,
Sparsit vbique loci magnas sua membra per vrbes,
Sic dedit Andream Patris, Ephesóque Ioannem,
Vt simul Europam atque Asiam curaret in illis,
Discuterétque graues per lumina tanta tenebras.

Sanctus Andreas quoniam Constantinopolitanæ ciuitatis patronus est, præsidet ab ea parte Europæ, vrbs enim illa Imperialis & patriarchalis olim Byzantium dicta, situ est maritima ad Bosphorum Thracium, vbi Europæ littora ab Asiæ littoribus vix D. P. dissident, in Promontorio quod Chrysoceras antiquis dicebatur, ex aduerso Chalcedonis vrbis Asiaticæ, à Constantino Magno (qui mirum in modum eam auxit) sic dicta, totius Europæ etiamnùm maxima; in quam ipse Augustus anno imperij sui 20. corpus sancti Andreæ, cum sacris exuuiis sanctorum Lucæ & Timothei

mothei inuexit, honoris & præsidij causâ, vt (quemadmodum præfatus ait S. Paulinus,)

His quoque Romuleam sequeretur dotibus vrbem,
Vt sua Apostolicis muniret mœnia latus
Corporibus, ...
. . . . *Iis turribus extat*
Constantinopolis, magnæ caput æmula Romæ.

Sanctus verò Ioannes Asiæ factus est custos, ex quo iamdudum ibi sedem fixit, hincque vt ait S. Hieronymus, *totas Asiæ fundauit Ecclesias:* Vnde ortus antiquus Patriarchatus Ephesinus, qui etiam post institutionem Patriarchatus Constantinopolitani, decus aliquod retinuit: tametsi non tam iure quàm iniuria illi succubuerit, sed non sine insigni quodam honoris, secunda enim inter permultas Metropoles, quæ throno Constantinopolitano subiacebant, Ephesina est effecta, vt videre est apud Leunclauium tom. 2. Iuris Græco-Latini, vbi ordo Metropoleωn Patriarchæ Constantinopolitano subiectarum, recensetur: Nec adeo mirum si hæc ciuitas tanto honore habita est, propter S. Ioannis Apostoli & Euangelistæ, Domini dilecti, qui ibi sedit & obiit, singularem reuerentiam. Hinc intelligere promptum est, quàm verè & solerter S. Paulinus de sanctis Tutelaribus loquens, & eorum singulorum facto diuinitùs delectu dixerit, In Catalogo, vbi de Ioanne sub finem.

Sic dedit Andream Patris, Ephesóque Ioannem,
Vt simul Europam, atque Asiam, curaret in illis.

Patriarchæ Constantinopolitani ansam hinc arripuerunt, æmulandi Romanam magnitudinem; facti etenim demum non sine ingenti contentione & ambitu, secundæ sedis Patriarchæ, sibi ex splendidis sanctorum Apostolorum Andreæ & Ioannis titulis, quia æqualitatem cum Romano Pontifice assequi non poterant, aliquam cum ipso similitudinem arrogârunt: Cùm enim Papa in litteris Apostolicis ad incutiendum immorigeris terrorem dicere soleat, *Siquis autem contraire præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum:* illi per æmulationem suis Diplomatibus, pariter in plumbo sigillatis, inscripserunt, *Indignationem Dei omnipotentis, & beatorum Apostolorum eius Andreæ & Ioannis se nouerit incursum.* Vltráque ausi propter Byzantinæ Ecclesiæ (in cuius locum Constantinopolitanam subrogatam

esse aiunt) fundationem, quam à beato Andrea originem traxisse contendunt: primatûs etiam sibi iura vsurpare, omni pudore abiecto, sed toto stupente Christiano orbe, conflato infeliciter horrendo schismate, quod etiamnum perdurat, voluerunt: Primum vocatum etenim signant in suo Menologio Andream ad Apostolatum: Sed perperàm; sicut enim nemo sapiens piusque abnutum ire potest Andreæ primatum vocationis ad fidem & agnitionem Domini, singularis gratiæ præuenientis beneficio: ita nec vllatenùs inficiari, Petrum Apostolorum esse primum videlicet tam ordine, quàm dignitate & potestate, vtrumque enim disertè habetur in Euangelio Matth. 10. & Ioan. 1. Primatus igitur Andreæ, Petri primatui nihil officit, nec Petri eminentia, Andreæ prærogatiuæ quicquam derogat, cùm gratia vocationis ad fidem, nihil detrahat sacræ imperio potestatis. Pulchrè Bernardus Theodidactus Pater lib. 2. de Consid. cap. 8. *Iacobus qui vocabatur columna Ecclesiæ, vna contentus est Hierosolyma, Petro vniuersalem cedens:* Cui scilicet dixit Dominus in procinctu sui regressus ad patrem, *pasce oves meas!* quas? illius vel illius populos ciuitatis, aut regionis, aut regni? oues meas, inquit. Cui non planum non designasse aliquas, sed assignasse omnes; nihil excipitur, vbi distinguitur nihil? Sic, vt Iacobus, ita & Andreas, sua contentus fuit Achaia, sua Græcia, vt Ioannes sua Epheso, sua Asia: vterque Petro suam cedens vniuersitatem, propter vnitatis sacramentum.

Sed propria tutela & speciale patrocinium vrbis, regionis vel regni, quod Sanctis suis assignauit Dominus provt voluit, non tantùm Apostolis, sed & Martyribus ac cuiusuis ordinis Beatis, nihil ad principatum Ecclesiasticum spectat: quamobrem vrbis Regiæ patrocinium, imperiíque Orientalis protectio, quæ sanctum Andream non sine diuino nutu competit, orbis vniuersi pastoralem præfecturam, & sacrum principatum honoris aut potestatis ipsi tribuit. Abeant ergo Græci schismatici cum suo intolerabili fastu & superbia, aut saltem serò sapiant? Quandiu, vt Andreas cessit Petro, ipsorum Ecclesia, Apostolicæ Sedi, diuina ex ordinatione subiacuit, & vt filia matri suæ adhæsit: profectò floruit, & doctrina, pietate, sanctitate longè latéque quaquauersum emicuit: At postquàm funesto consilio primatum sibi arrogare voluit, vnitatem

cœpit diſſoluere, proculcare matrem conata eſt, ſummam euertere ſedem, & capitis ſibi vniuerſalis Eccleſiæ ius & decus nefario auſu non erubuit arrogare, tum omni ſuo ſplendore excidit, & iuſto Dei iudicio, quæ ſubeſſe legitimo paſtori, vero patri, vnicóque totius Eccleſiæ Capiti detrectabat, coacta eſt impiorum Turcarum tyrannidi ſeruire, quorum ſub infelici iugo mancipata, huc vſque iácet gemens, ſqualida, miſera, omníque priſtina gloria, honore, decore, & ſolatio deſtituta.

Solet ſtatum Eccleſiæ, Reipublicæ ſequi conditio: qua ratione Religio apud Græcos corruit, eadem & Imperium ipſorum concidit. Suſtinuit diu ſanctus Andreas Græcorum Tutelaris labentem eorum Eccleſiam ac Imperium, ſed tandem cùm hæreſes & vitia in dies ibi creſcerent, & diuinam magis ac magis excitarent iram & vindictam, ceſſauit ſenſim hæc quæ tamdiu vtrumque ſtatum ſuſtentauerat opitulatio: ſed fere penitùs deſiit, ſtatim ac corpus ſancti huius Apoſtoli, quod in perenne præſidium Magnus Conſtantinus Regiæ ipſi vrbi contulerat, & quaſi pignus Apoſtolicæ protectionis, hinc in Occidentem tranſlatum eſt: cum eo enim omnis Græciæ gloria & felicitas, Latinum in orbem migrauit. Contigit autem illa Tranſlatio anno gratiæ 1207. Paulò pòſt nimirum ac Latinorum exercitus, Conſtantinopolim victricibus armis cum regno Græcorum occupauerat; quemadmodum diffusè ſuperiùs enarraui, ex rei geſtæ monumentis, vbi de ipſa egimus Tranſlatione, & vrbi Amalphitanæ orta inde gloria.



CAPVT II.

Sanctus Andreas perpetuus infidelium hostis; Christianorum verò semper amicus, & in opportunitatibus adiutor, tam in Oriente, quàm in Occidente apparuit.

LIBERATAM fuisse anno Christi 1098. die 28. Iunij ab obsidione infidelium, Antiochenam ciuitatem, cùm infinita Christianorum multitudo in ea inclusa, fame ferè enecta, & exhausta viribus, iam omni extremitate premeretur, ope sancti Andreæ Apostoli, qui Religioso vel Clerico cuidam Massiliensi apparens, lanceam qua Christus in latere transfixus est, latentem sub altare maius Ecclesiæ Patriarchalis S. Petri reuelauerat, iam suprà, libro scilicet de insignioribus miraculis ipsius S. Andreæ c. 10. obseruauimus. Qua lancea inuenta, & per sacerdotes, vt iusserat nutu Dei beatus idem Apostolus, prælata vt cæleste pignus & vexillum Christiano exercitui, mox infideles ciuitatem obsidentes consternati, ante Christiana agmina ceciderunt. Cædem in hostibus factam, omnes scriptores in centum millia referunt (inquit Nauclerus in Chronographia ad annum prædictum). Historiam illam integram ex Guillelmo Archiepiscopo Tyriensi suprà recitaui, quam his verbis contractè refert Sigebertus in Chronico ad annum signatum, vbi sic scribit: " Obsessâ Antiochiâ in tantum attenuati sunt Christiani, propter rerum omnium penuriam, vt in tanto exercitu (videlicet trecentorum millium, vt scribit anno superiori) vix centum boni equi inuenirentur; Et tamen quamuis ex desperatione rerum multi se subtraxerint, multi etiam repatriauerint, nono obsidionis mense capta Antiochia, Christiani à paganis vice versa obsessi tanta fame afflicti sunt, vt vix aliqui à carnibus humanis abstinerent: Sed confortati à Domino per inuentam eius lanceam, à tempore Apostolorum non visam (quam scilicet eo fine sanctus Andreas reuelauerat) ipsa lancea eos præcedente obsessi cum obsessoribus concurrerunt, 4. Kalendas Iulij, & hoc tertio bello victoriam

adepti sunt. Hæc ille. Hinc verò non solùm liberata Antiochia, Syria Christiano cultui vindicata, Palæstina subiugata, sancta ciuitas infidelibus erepta, Christianis asserta, ortum & erectum regnum Hierosolymitanum: Quæ incomparabilis felicitas post Deum, sanctissimæ Virgini (vt ex aliis patet testimoniis) & beato Andreæ Apostolo, vt constat ex dictis, iure merito debetur.

Quemadmodum & alia insignis victoria quæ superiori sæculo à Christianis aduersus Turcas reportata est; de qua fusè non ita diu tractaui in Parthenia mea Hierosolymitana parte 2. versus finem. Contractiùs verò in nostro Gallicano Martyrologio memini sub his verbis: *Pridie Kalendas Decembris, in Natali sancti Andreæ Apostoli, Christi passionis imitatoris, Christianorum defensoris, infidelium triumphatoris: cuius & ope* (præsidiis sanctissimæ Deigenitricis, quæ Apostolorum regina est) *communita, insignis illa naualis victoria Christianis obtigit, qua Turci in Corinthiaco sinu, iuxta Patras, vbi magnus ille Apostolus olim crucifixus est, strage immani fusi, & ferè deleti sunt, incredibili reipublicæ Christianæ solatio & commodo.* Confirmationem dictorum (siquis aliquid eorum pro genio huius sæculi carpserit) in Commentariis meis, non inaccuratam Deo auspice polliceor. Peto igitur inducias non frustratorias, sed solidas, post quas spero equidem & spondeo, superpondium (vt quidam aiunt) vltro vltráque iturum me exhibitum; Tametsi reor in Parthenia mea præsignata, censori non iniquo, me quantum opus erat satisfecisse.

CAPVT III.

Sanctum Andream ab annis mille suprà ducentis, Scotorum Regni agnitum fuisse apud Deum protectorem: Hísque non procul temporibus, ab heterodoxis eodem loco & honore habitum esse tam verbis, quàm factis.

ARTICVLVS I.

De ipsô Patrocinio.

EGNORVM patrocinia non casu aliquo, fortéque fortuna exorta sunt, sed diuino nutu ac prouidentia. Tritum est illud sacri Sapientis, *Deus in vnaquaque gente posuit rectorem.* Quæ verba non de Regibus solis, quos vnicuique nationi tuendæ ac dirigendæ præstituit Deus, sed etiam de Angelis intelligenda sunt; nec enim singulis tantùm hominibus diuina Maiestas proprium ex Angelis assignauit custodem, sed quibusque etiam gentibus & populis. Vnde apud Danielem nominantur Angelus Persarum & Angelus Hebræorum: At insuper quia Sancti corpore exuti, iam Angelis in cælo similes sunt, vt charitatem quæ, fide & spe euacuata, sola in beatis superest, erga homines quorum fratres sunt, perenni pietatis affectu testarentur; ipsa diuina bonitas quæ iugi feruet philanthropia, ipsos tutelæ etiam hominum tam propriæ quàm generali deputauit, & ex iis quosdam delegit qui quibusdam personis, alios qui quibusdam ciuitatibus, alios qui certis populis curam impenderent specialem, alios denique qui regnis & gentibus totis generale præberent suæ protectionis auxilium. Enimuerò sic Petrum & Paulum Romæ perpetuos attribuit opitulatores; Hispaniæ Iacobum; Andream in Oriente Achaiæ, Thraciæ, & Græciæ præfecit: in Occidente verò Scotorum genti & regno, assidua protectione voluit apud se patrocinari.

Ecclef. 17. 14.

Dan. 10. 13.

Siquis verò quærat quando hæc cœperit Apostolica erga Scotos opitulatio? facilè huic postulato responderet, qui librum proferret in manibus, scriptum pridem à Beda vene-

rabili de S. Andreæ memoria apud Scotos, qui teste Molano, recensetur nominatim in Catalogo scriptorum Britanniæ, cuius Scotia non minima est portio: quamuis Ioannes Pitseus, qui fusiorem scriptorum magnæ huius insulæ contexuit seriem, in ipso Beda enumerans sollicitè ipsius opera, nullatenùs insignis illius opusculi memoretur. Demus tamen illud olim quidem extitisse. at periisse tandem fatendum est, quia nec editus, nec MSC. vspiam, quod sciam, reperitur; hoc igitur subsidio destitutus, inquisitioni prædictæ alia ratione faciendum satis aggredior.

Infrà, in huius Partis libro, quo Ecclesiarum Cathedralium titulos & situs recensui, quæ sub S. Andreæ inuocatione diuinæ gloriæ & honori consecratæ sunt: obseruâsse memini, cultum S. Andreæ Apostoli incœpisse apud Scotos eo tempore, quo allato ex Achaia in hanc Borealem Magnæ Britanniæ regionem, sanctissimi ipsius Apostoli brachio, cum nonnullis eius reliquiis, Ecclesia ædificata est eius nuncupationis, in qua beneficis plerisque miraculis memoriam ipsius venerabilem Deus clarificauit, quæ sensim in eam creuit celebritatem, vt huc vndique populi confluerent, opem vt sibi aliquam tanti Apostoli, incessabili opitulationum gloria coruscantis, gratissima apud Deum interuentione consequerentur. Contigit autem illa sacrorum eius pignorum in illam regionem felicissima translatio, eorumdémque reuerenda ibidem susceptio, circa annum Dominicæ Incarnationis 369.

Celebris verò posteà fuit admodùm illic veneratio eiusdem Beati Andreæ, cùm ipse, recèns insurgentis regni apud Scotos protectorem, anno 819. sese cælitus delectum demonstrauit. Cùm scilicet postquàm semel & iterum Hungo Scotorum Regi ac Pictorum apparens, victoriam aduersus Anglos diuinam est pollicitus; imminenti siquidem conflictu, crux Andreana in cælo radians super castra visa est, non inani Apostolicæ protectionis indiciô: vbi enim ad manus ventum est, quantum animi Pictis & Scotis, tantum trepidationis & formidinis Anglis hic visus iniecit, qui proinde partim cæsi, partim fugati sunt, præclarâ quam Hungo Regi ipsorum promiserat sanctus Apostolus, concessâ victoriâ.

Hinc Andreana crux, Scotorum Regibus in perpetuum militare signum cessit, ipséque beatissimus Apostolus singu-

laris totius gentis regníque protector habitus est; Nobilitate eius Ecclesiæ, in qua sacræ eius reliquiæ tot miraculis micantes, præcipuo ipsius gentis Pontificatu (adeout Maximus in Scotia Episcopus diceretur) diu antequam primatum cum pallio, fuisset à Sede Apostolica adeptus: quem honorem Sixtus IV. vt suprà notatum est, instante Iacobo III. Præsuli Andreapolitano in perpetuum concessit, anno 1471. subiectis eidem decem Episcopis, & altero Archiepiscopo Scotiæ Glascuensi cum tribus suffraganeis, quorum alibi recensuimus sedes & nomina. Verùm hîc notandum Scotos Auctores hanc erectionem Primatus sic interpretari, vt Sixtus Pontifex non instituerit quidem, sed dumtaxat restituerit Metropolicæ & principantis in Scotia Ecclesiæ S. Andreæ, antiquam prærogatiuam: Sed quicquid sit, ante Sixtum ostendere non possunt, cum iuribus stabilis Archiepiscopatus & Primatus, cuiquam Antistitum S. Andreæ pallium (quod huius dignitatis præeminentis proprium est insigne) fuisse collatum: Primus enim qui illud accepit, fuit Guillelmus Scheuues ex Archidiacono creatus Archiepiscopus ab eodem Sixto IV. anno 1478. Nam Patricius, qui primus hunc titulum decúsque ab ipso Sixto impetrauerat, antè mortuus est, quàm actu eo frui potuisset. Cessauit autem sic antiqua illa inter Anglos & Scotos contentio, tandem silentio perenni imposito Archiepiscopo Eboracensi, qui Scoticas Ecclesias, ipsámque præcipuam sancti Andreæ sedem, sibi obnoxias esse iure Metropolico, plerisque sæculis contenderat, non sine virili Scotici regni renixu.

Ceterùm antequàm lis illa vetus decisione peremptoria summæ sedis fuisset definita, Antistes S. Andreæ, Regi Scotorum vnctionem & regium diadema solemni ritu impertiebatur. Et in eius absentia, vel illa sede vacante, id muneris Archiepiscopo Glascuensi deferebatur, qui post Andreanum, secundam sedem eo in regno obtinebat. Reges siquidem hoc à Ioanne XXII. priuilegium anno salutis 1329. impetrarunt, vt ineuntes regnum inungerentur & coronarentur: quod mos antiquus non tulerat; & quidem Præsulis S. Andreæ, vel vice eius Antistitis Glascuensis manu; quemadmodùm vacante primaria Sede Rhemensi, Suessionensis Episcopus consecrare ac coronare iam olim consueuit Christianissimum Regem: quo ex more Iacobus de Castro S. Ludouicum anno 1226. 29. Nouembris cœle-

sti

sti oleo vnxit & liligero diademate redimiuit, Metropolitana sede Rhemensi tunc vacante; Et Milo de Bazochiis mediatus eius successor, Rhemis inunxit ac coronauit Philippum Audacem eiusdem S. Ludouici filium, anno 1271. die 31. Augusti. Certè B. Andreæ Apostoli memoria & veneratio, patrociniique huius gentis antiquissimus, qui ad eum spectat titulus, hos honores Episcopo eius sedis meritò conciliauit. Sola hæresis Caluiniana quæ hîc euertit Catholicam Religionem, hoc decus & omnem Ecclesiæ sanctæ in hoc regno splendorem, exigentibus illius gentis peccatis, penitùs extinxit; Non tamen sustulit omninò miseri huius populi in S. Andream propensionem: templum enim eius adhuc integra ædificij mole perstat; nomen eius adhuc Metropoli prædictæ hæret, quo ipsorum hæreticorum ore passim designatur. Eius verò patrocinij ius & recordatio, nondum in hac gente prorsus exoleuit; quin publico ipsorum hæreticorum testimonio, non ita diu ipsi beato Apostolo fuit celebri facto vindicatum.

ARTICVLVS II.

Non modò Scotorum, sed & Anglorum hæreticorum consensu sanctus Andreas agnitus & publicatus fuit, Scotorum regni Protector.

ANNO Domini 1604. Iacobus Scotiæ Rex & Angliæ, Londinum regali pompa, & ingenti vtriusque gentis applausu ingressus est; cuius aduentus ac solennis exceptionis magnificentiam, Petrus Cahier in sua septenni historia, sub eodem anno, hac serie expressit: *Superiori anno* (inquit) *pestilitas Londini quantum dira esset, & plerisque regni locis commemorauimus. Quæ lues mortifera in causa fuit, cur Rex in sua inauguratione ad capessendam regni possessionem, per ingressum in Turrem Londinensem* (*pro Maiorum more*) *nauigio in eam descenderit, ibique exiguo tempore demoratus, fere hinc è vestigio discesserit. Reliquum ipsius anni, cum vxore & liberis insumpsit prouinciarum regni, vbi ardor pestilentiæ deferbuerat visitationi; sed morbi huius contagione, per hyemis asperitatem vbique extincta, vertente anno Rex Londinum reuersus est, vbi duæ illum causæ vocabant: ordinum regni conuocatio, & eius triumphalis ipsam in vrbem, regni capitalem ingressus, qui eximio cum apparatu & splen-*

dore profectò celebratus est. Porrò quæ memoratu digniora sunt obseruata, paucis hîc verbis referam; Super vndas Thamesis fluuij, qui Londinum alluit, arx quædam duabus nauiculis erat innixa, ad modum insulæ machinis instructa validis ad flammas & globos igneos euomendum, & omni militaris armaturæ copia, ad vires aduersas refringendum, & hostiles repellendum insultus. Hanc arcem duæ Pinassæ (vt aiunt) instructæ forti oppugnantium militum manu, inuaserunt, primóque expugnarunt aggressu.

Per vias insigniores & compita vrbis Londinensis visebantur theatra iucundis referta ingeniosísque spectaculis. Rex cùm transiret, illustriori loco, pugnantium specie cælites duo vtriusque regni tutelares, nempe S. Andreas Apostolus, Protector Scotorum; & sanctus Georgius Martyr, Anglorum Patronus, conspiciebantur; quibus pro suis inuicem alumnis strenuè certantibus, Anachoreta quidam intercedentis more apparuit, qui oratione parænetica, nationis vtriusque protectores ad pacem & mutuam beneuolentiam cohortabatur: suáque admonitione tantùm effecit, vt duo illi beati pugiles dextras vltrò iunxerint, armísque oliuam inseruerint, perpetuam imposterùm sibi inuicem amicitiam pollicentes. Fuit Regi, ambas nationes insolubili amoris fœdere copulatum ire, quammaximè gestienti, iucundißimum eiusmodi spectaculum. Pyramides inde circumquaque erectæ consurgebant vtriusque regni insignibus adornatæ. Naues etiam duæ super Thamesim ex aduerso discurrebant, quæ tandem iunctæ, vtriusque regni in vnam Monarchiam coëuntis, nouo auspice Rege, indicabant tam faustam quàm optatam diu connexionem. Hæc Gallico idiomate Cahierius, quæ Latina phrasi censui non inane fore hîc operæ pretium quàm potui genuinè & sincerè exprimere.



CAPVT IV.

Affectatum ab Hungariæ Regibus Andreæ nomen, innuere pium eorum in Beatum Andream venerationis affectum, desideriúmque conciliandæ sibi regnóque suo eius tutelæ ac opitulationis.

VEMADMODVM Galliæ Christianissimi Reges, nomen Caroli à Carolo Magno, & Ludouici à Clodoueo, sanctóque Ludouico, ambierunt; sic Hungariæ Reges ab ipsius regni exordiis, Andreæ nomen in memoriam & honorem S. Andreæ Apostoli (qui hoc ipsum nomen suo sanguine consecrauit) quasi certatim vsurpauêre. Lectorem diutiùs non morabor, exemplis mox lemmatis huius ostendo veritatem.

Regnum Hungarorum anno 1002. cœpit, quo anno eorum Dux Stephanus, titulum ac coronam regiam obtinuit à Sede Apostolica, cui regnum ipsum clientelæ perpetuæ iure obstrinxit. Sub hoc piissimo Rege nouella Hungarorum Ecclesia, mirum in modum effloruit, ipséque cumulatus insignis pietatis meritis, in Sanctorum album post mortem relatus est. Huic successit Petrus dictus Alemanus, nepos ex fratre Guillelmo, Sigismundi Burgundionum Ducis, electionis iure: sed cùm superbè & auarè dominaretur, regno tandem expulsus est. Cui suffectus Aba dictus Hungarus, sororius S. Stephani, eodem electionis iure: verùm & ipse quòd crudelis & iniustus esset, in iram procerum, similiter incurrit, atque prope amnem Tibiscum occisus sepultus est in quodam Monasterio. Tum Petrus ope & viribus Henrici Imperatoris reductus in regnum, denuo Albæ coronam suscepit, sed infaustis auibus; non enim diu posteà, cùm peior quàm fuerat euasisset, infelici sorte periit. Quo tempore religione neglecta, magna pars Hungarorum defecerat à Christiana fide: At Deus misertus est huius populi, excitatis subinde Regibus qui feliciter, in hac gente, Christiana sacra restituerunt.

I. ANDREAS igitur primus huius nominis, proximè post Petrum, vnanimi electione, regno admotus, ac solenni ritu

coronatus, priſtinum in decus Eccleſiam & regnum reuocauit, cœnobiúmque condi ſit magnificum, in loco qui dicitur Thion, in honorem S. Aniani Pontificis Aureliauenſis (qui ortus ex hac gente erat); ſed in bello contra Belam fratrem regni ambitorem, infeliciter geſto occiſus, in ipſo Monaſterio Thion quod iuxta lacum Balathonem extruxerat, Bela permittente, humatus eſt. Bela regnum fraternum occupauit & fortiter tenuit vſque ad mortem. At eo ex humanis ſublato, Salomon filius Andreæ prædicti, ope Henrici Imperatoris, cuius filiam deſponſauerat, in paternum regnum admiſſus, Albæ regni diadema ſuſcepit; ſed Geicza Belæ primogenitus, ipſo expulſo Salomone regnum vſurpauit. Succeſſit ei S. Ladiſlaus eius frater, qui Dalmatiæ & Croatiæ regna Hungarorum Regum iunxit Imperio; Varadienſem Eccleſiam fundauit, ornauítque Epiſcopatu ſub Archiepiſcopo Colocienſi in Sclauonia, in qua pro voto extremo ſepultus eſt, honorificentiſſimo funere anno 1095. Pias omninò leges fecit Rex ille ſanctus, quæ Decreto ſancti Regis Ladiſlai ſubſcriptæ ſunt, duos in libellos digeſtæ: Porrò lib. prioris cap 38. prænotato de Sanctarum feſtiuitatum veneratione, inter eas (vniuerſis Epiſcopis collaudantibus) feſtum S. Andreæ Apoſtoli iuſſit religiosè obſeruandum. Ceterùm S. Ladiſlao ſucceſſit Colomannus eius ex fratre nepos, factus Rex cum diſpenſatione Apoſtolica, ex Epiſcopo Varadienſi. Excæcauit fratrem ſuum Almum & eius filium nomine Belam. Tandem & ipſum Almum interfecit in Eccleſia Dimeſienſi: vtque vixerat impiè, mortuus, honorificentiùs quàm meruerat in Baſilica Albæ regalis ſepultus eſt, relictis duobus filiis, quorum iunior Stephanus nomine II. ei ſucceſſit. Huic Bela cognomento cæcus (quoniam eius oculos Colomannus crudelis patruus eruerat) meritò ſuffectus, piè & fortiter regnum adminiſtrauit. Poſt quem regni ſceptra capeſſiuit Geicza II. filius Belæ II. Hinc regnauit Stephanus III. & poſt eum Ladiſlaus II. Deinde Stephanus IV. & ſucceſſiuè Bela III. cuius hæres fuit Emericus eius filius, quem Ladiſlaus III. filius eius regali in ordine ſequens, oſtenſus potiùs regno quàm eo potitus, ſexto menſe ab obitu patris, fato immaturo ſurreptus eſt; Tum igitur,

II. Andreas, nomine ſecundus, filius Belæ III. thronum regni conſcendit, omnium ſuffragiis hoc ad ſummi

honoris faſtigium euectus, non tam quàm optatus, ſtatímque cum profuſa regni totius lætitia & applauſu, apud Albam regalem regiis inſignibus donatus. Hic Hieroſolymitanus dictus eſt, ex eo quòd rebus Chriſtianorum afflictis in Oriente, delectus ab Honorio III. Pontifice copiarum Chriſtianarum Imperator, ſuſcepto ac ordinato exercitu, cui Veneti vires ſuas coniunxerant, cùm in reipublicæ Chriſtianæ ipſo in Oriente labantis ſubſidium, tum in eiuſdem Andreæ Regis Hungariæ intuitum; qui vt ab eis gratiam iniret, opémque in tanta expeditione opportunam promereretur, Dalmatiæ regni iuribus, in ipſorum Venetorum fauorem renunciauerat: nauigio vectus Conſtantinopolim cum potenti exercitu, inde in Syriam traiecerat, rebúſque Chriſtianis vario ſucceſſu tranſactis, præproperè ob regni proprij inteſtinos motus, vxoríſque ſuæ Gertrudis miſerandam necem, reditum in patriam capeſſierat: in ipſo regreſſu, Conſtantinopolim repetens, poſt aliquos circuitus incolumis tandem in regnum reuerſus eſt, pretioſis Sanctorum exuuiis onuſtus, quorum auſpiciis, vt aſſerebat, non improſpero curſu ſuum in regnum redierat. Principes huius temporis ſacris in expeditionibus, quas in Oriente ſuſcipiebant, non aliis gemmis aut theſauris hinc reuehendis, quàm Sanctorum pignoribus animum intendebant ſuum. Quo ex more Andreas cum Hungaricis legionibus, ſuam in Pannoniam relatus (vt gentis huius Annales referunt) B. Stephani Protomartyris caput, necnon ſanctæ Margaretæ Virginis, & purpuratæ Chriſti athletæ verticem; item Beatorum Apoſtolorum Thomæ & Bartholomæi dexteras, Virgæ Aaronis quæ frondueꝛat partem, atque vnam ex hydriis in quibus aquam in vinum Saluator noſter mutauit, atque multas denique reliquias, ingenti veneratione digniſſimas in patriam retulit. Erit fortaſsè qui non abs re miretur, cur Rex ipſe Andreas, qui ſuis in Legibus ſe ſtudioſum patroni ſui cultorem profitetur, eius oblitus fuerit, cùm & ibi maximè eius memor eſſe debuerat; Tam in aditu enim quàm reditu ſuo Conſtantinopoli non leues moras exegit, vbi tunc Latinorum ſumma erat poteſtas; Facilè igitur ab Imperatore vel Patriarcha, aut Legato, qui omnes Latini erant, ſacras reliquias S. Andreæ Apoſtoli, quas ibi Conſtantinus Magnus venerandas, olim in eiuſdem Beati Apoſtoli baſilica collocauerat, quaſdam ſaltem impetraſſe potuiſſet. At vota eius

præuerterat ante decennium Petrus Cardinalis Capuanus, qui anno 1207. cùm Constantinopoli legationem ageret Apostolicæ Sedis; hinc corpus sanctissimi huius Apostoli Amalphim, vbi etiamnum seruatur & colitur summo cum honore, de subiugatorum ipsius Constantinopolitani Imperij Francorum & Venetorum beneplacito & consensu, transtulerat. Non igitur deuotionis defectu erga patronum suum Beatum Andream, eius aliquas reliquias non poposcit nec obtinuit, quas cum sanctorum Apostolorum Thomæ & Bartholomæi, necnon S. Stephani & Beatæ Margaretæ pretiosis pignoribus, suum in regnum deferret perpetuo prosequendas cultu; sed rei ipsius impossibilitate cùm illa translatio præcidisset piorum eius desideriorum affectus. Ceterùm pius hic ac præpotens Princeps, priori ex coniuge sua Gertrude liberos tulit quatuor, Belam qui ei successit, Colomannum, Andream, & Elizabetham, piæ vitæ sanctimonia fœminam, omnibus perpetuò temporibus celebrandam, quæ inter Sanctos ab Gregorio IX. relata, anniuersariis sacris colitur die 19. Nouembris. Bela IV. Andreæ huius primogenitus sceptra post eum capessiuit, cui post diuersas regni vicissitudines mortuo, Stephanus V. filius Belæ IV. iure sanguinis suffectus est totius regni approbatione: Multa hic Rex prosperè gessit, regnúmque moriens reliquit florentissimum filio suo Ladislao, qui longè impari fortuna regnauit, demúmque à Cunanis interfectus, Canadani sepulturam accepit; Post quem regnum hæreditatis iure, procerúmque & populi consensu,

III. ANDREAS Tertius filius Stephani Andreæ II. filij, necnon sanctæ Elizabeth fratris à paterno latere occupauit; Andreas enim II. post Gertrudis suæ vxoris mortem, coniugem duxit alteram, filiam scilicet Estensis Marchionis, ex qua Stephanum genuit patrem huius Andreæ qui Venetus cognomento appellatus est, eò quòd diu Venetiis demoratus fuerit, antequam ad regnum Hungariæ sibi auito iure debitum perueniret. Obiit Budæ post aliquas de ipso regno aduersus Carolum I. altercationes, & Budæ iacet apud Minoritas. Carolus I. igitur Rex pacificus Hungariæ eo mortuo cepit (exclusis æmulis, Ladislao filio Regis Bohemiæ, & Othone Bauariæ Duce, quos variæ factiones intruserant) regnum, quod non solùm fortiter defendit, sed & plurimùm auxit: præstanti autem & copiosa

sobole & ipse auctus est; Liberorum aliquos aliam in vitam præmisit; tres reliquit sibi superstites Ludouicum, Andream, & Stephanum; mortuúsque demum, in Ecclesia sanctæ Dei genitricis apud Albam regalem, regali funere humatus est. Huius primogenitus Ludouicus statim Rex Hungariæ salutatus, inunctus ac coronatus, Moldauos & Ruthenos perdomuit; Rebelles in Croatia & Dalmatia repressit, conuertit Cumanos ad Christi fidem, ex Hungaria Iudæos eiecit; necem fratris (de quo infrà) viriliter vltus est; Mariam filiam Hungariæ regni reliquit hæredem: deniquе piè defunctus, Albæ regali in sacello quod extruxerat, honorificæ traditus est sepulturæ.

IV. ANDREAS eius frater, adhuc tenera ætate, vtpote septennis, Ioannæ regni Neapolitani, ac vtriusque Siciliæ hæredi adhuc quinquenni matrimonio coniunctus, ac connubialibus tabulis Rex designatus; deinde mortuo Roberto Siciliæ Rege, à Clemente VI. Pontifice hæres regni cum vxore Ioanna confirmatus; iuuenis, verè regiæ indolis & summæ expectationis, cùm adhuc annum vndevigesimum vix implesset, crudeliter nocte concubia Ioannæ coniacens, è thalamo, à coniuratis vocatus, vt Neapolim quantocyùs properaret, ad quendam motum subitò exortum, vt dicebant, comprimendum; statim, vt è thalamo egressus est teterrimo prorsus & execrabili facinore, ab ipsis coniuratis correptus & laqueo serico strangulatus, vitam funestè quidem sed innocentissimè finiuit, non sine diuinæ vltionis in parricidas omnes patentissima significatione. Rem nefariè gestam accuratim enarrat Antonius Bonfinius, Rerum Hungaricarum Decade 2. lib. 10. vbi narrationem ipsam hac præclara coronide absoluit: Itali morte regia indi- "
gnati, & quæ, vnde minimè debuit, profecta est, Ioan- "
nam omnes in inuidiam adduxere: mirabantur omnes "
è Roberto Rege omni sapientia & optimarum artium "
disciplina præstante, vnico illius temporis ornamen- "
to, tam facinorosam neptem promanare potuisse: vlciscen- "
dam innocentissimi ac probi Regis mortem, omnes excla- "
mare, iubere bellum indici, prædicare vulgò, totius esse Ita- "
liæ tantum nefas vlcisci. Ludouicum ad vindictam è Pan- "
nonia euocandum, &c. antè dictum fuisse Ioannæ retule- "
rat, neminem tanti flagitij consciorum, humani diuinive iu- "
dicij pœnas, nefando sceleri debitas euasurum. Quod effe- "

" ctus verum fuisse præsagium comprobauit. Perditis enim
" particidis, & ipsa demum Ioanna Regina periit, eodem
" mortis genere, quo Andream Regem coniugem suum, ado-
" lescentem innoxium, melioríque vxore dignissimum, ini-
" què interfici procurauerat. At de his satis supérque.

CAPVT V.

Institutio Ordinis militaris aurei Velleris ad honorem & gloriam Dei omnipotentis, sub auspiciis Beatissimæ Virginis Deiparæ, & sancti Andreæ Apostoli. Qui exinde habitus est specialis Protector domûs Burgundicæ & Austriacæ, longè latéque in orbis plerisque partibus dominantis.

§. I. Ex tomo 2. continuationis Annalium Eminentissimi Cardinalis Baronij, per Reuerendissimum Henricum Spondanum, Apamiarum in Gallia Narbonensi Episcopum.

ANNO *Christi millesimo quadringentesimo trigesimo, indictione octaua, die decima Ianuarij, Philippus Dux Burgundiæ, post duarum sterilium vxorum obitum, tertiam ducens Elizabetham filiam Ioannis Regis Lusitaniæ, in ipsa nuptiarum celebritate, Brugis in Flandria, ad laudem & gloriam Redemptoris, ad reuerentiam matris eius gloriosæ Virginis, & ad honorem S. Andreæ Apostoli, &c. instituit & erexit ordinem & fraternitatem dignitatis equestris, & amicabilis societatis certi numeri equitum, quem appellari voluit* VELLERIS AVREI *siue à vellere Gedeonis Ducis Israëlitarum (vt meliores volunt) siue ab aureo Iasonis Argonautæ, vt alij: quod & ita nonnulli interpretantur, vt per singulas litteras vocis* IASON *intelligere voluerit menses, Iulium, Augustum, Septembrem, Octobrem, Nouembrem, quibus omnes fructus terræ colliguntur, erántque eis instar velleris aurei, vel etiam vt alij maluerunt philosophari, ratione solius tonsionis ouium, quibus ea regio abundat: Nam quod fuere item, qui ad rem turpem referre non erubuerunt, nec eos audiendos putamus, nec vllatenùs patiuntur sanctißima nomina, in quorum gloriam & honorem erectio facta ponitur.* Hæc Spondanus.

§. II.

§. II.

INSTITVTVS est enim (vt prædictum est) iste Ordo ad laudem & gloriam omnipotentis Creatoris, ad reuerentiam matris eius gloriosæ, & S. Andreæ. Erectus est autem, vt nobilitas animaretur ad defensionem fidei, (exemplo S. Andreæ egregij eius assertoris) eiusdem augmentationem, & stabilitatem Catholicæ Religionis: Hæ causæ in ipso diplomate institutionis, quod infrà seriatim describetur, & in epitaphio ipsius Philippi Ducis Burgundiæ cognomento Boni, quod refert Ioannes Molanus, in libro de sacra Militia Ducum Brabantiæ cap. 70., in quo signatim habetur,

Tuta à Nobilibus quo Ecclesia firmior esset,
Nobilis iuuentus, Velleris Ordo mihi est.

Sed pleniùs causæ propter quas ille Princeps Belgij, Philippus Bonus, ex alto stemmate Regum Franciæ progenitus hanc equestrem sodalitatem instituerit, ipso in eius Diplomate conspiciuntur, quod ideo operæpretium censui hîc integrum retexere.

§. III. Diploma institutionis Ordinis Velleris aurei, factæ à Philippo Bono, Duce Burgundiæ, Pari Franciæ, & Flandriæ Comite, desumptum verbatim ex Meyero lib. 16. Annal. Flandriæ.

PHILIPPVS *Dei gratia Dux Burgundiæ, Lothricij, Brabantiæ, Comes Flandriæ, Arthesij, Burgundiæ Palatinus, & de Namur, Marchisius Sancti Imperij, Dominus Salinarum & Mechliniæ. Notum facimus omnibus præsentibus & futuris, quòd propter magnum & perfectum amorem quem habemus erga nobilem statum & ordinem dignitatis equestris, cuius honorem ardenti & singulari affectu exoptamus augere, per quem ordinem vera fides Catholica, status nostræ sanctæ matris Ecclesiæ, & tranquillitas prosperitásque reipublicæ sit (vt esse potest) defensa, custodita, & conseruata: Nos, ad laudem & gloriam omnipotentis Creatoris & Redemptoris nostri, ad reuerentiam matris eius gloriosæ Virginis, & ad honorem Domini nostri* S. ANDREÆ *gloriosi Apostoli & Martyris, ad exaltationem sanctæ fidei & sanctæ Ecclesiæ, & excitationem virtutum & bonorum morum, decimo die mensis Ianuarij anno Domini* M. CCCC. XXIX. *qui erat dies solemnisationis matrimonij, inter nos & nostram charißimam &*

amantißimam coniugem Elizabeth, in oppido nostro Brugensi, accepimus, creauimus, & ordinauimus, & per has præsentes accipimus, creamus & ordinamus, ordinem & fraternitatem dignitatis equestris & amicabilis societatis, certi numeri Equitum, quem volumus appellari Ordinem Velleris aurei, sub forma, conditionibus, statutis, modis, & articulis qui sequuntur. Primò, ordinamus, vt in ordine antedicto sint vnus & triginta Equites viri nobiles, nomine & armis, & sine reprehensione, quorum nos tempore nostro erimus caput, & supremus, & post nos successores nostri Duces Burgundiæ. Datum in nostro oppido Insulensi 27. die Nouembris anno gratiæ 1430. Hactenùs Dux, ait Meyerus qui continuò subiungit, *Reliqua legis capita, quæ sunt toto numero 14. breuitatis causa omittimus.*

Porrò huius diplomatis tenore constat id non conscriptum fuisse nisi ferè biennio post ipsius Ordinis Velleris institutionem : Ea etenim die decimo Ianuarij anno 1429. facta in eo consignatur ; stilo scilicet Gallicano & Brabantico, quo annus incipit à Paschate. At stilo Romano, quo annus ab ipsa die Natiuitatis Domini, vel à Kalendis Ianuarij (quem in diem octaua incidit Natalis Domini) sumit exordium, 1430. die 10. ipsius mensis, quo die, vt ipse Dux Philippus in suis litteris refert, nuptias celebrauit cum Elizabeth Lusitani seu Portugalliæ Regis filia : At litteræ testimoniales huius ipsius institutionis expeditæ sunt Insulis die 27. Nouembris anno 1431. quo ipse Philippus prima Comitia habuit Insulis, in ipsis feriis sancti Andreæ Apostoli, eiusdem Ordinis tutelaris, quem Dominum suum & gloriosum Apostolum ac Martyrem, Dux ipse in eum deuotissimus, in suo suprà scripto diplomate appellat.

§. IV. *Series primorum huius Ordinis Equitum.*

SERIES autem & numerus eorum procerum, qui primùm eam in sodalitatem equestrem cooptati fuerunt, hic est, teste Iacobo Meyero,

Primus omnium Philippus Dux & Princeps. 2. Guillelmus Viennensis, dominus S. Georgij & sanctæ Crucis, Philippi cognatus. 3. Raginerius Pot, dominus Rupellæ. 4. Ioannes dominus Robarensis & Harzelensis. 5. Rolandus Vikercanus dominus, Hansrodius & Esterti. 6. Antonius Vergeacus, Comes Dominici Martini, dominus item Champlitæ, &

Rayniacensis propinquus Philippi. 7. Dauid Brimæus dominus Ligniacensis. 8. Hugo Altenanus, dominus Santensis. 9. Ioannes dominus Cominensis. 10. Antonius, Thonlougion dominus Trauensis & Bastrensis, Marescallus idem Burgundiæ. 11. Petrus Lucemburgensis Comes idem Fani Pauli, Conuersanus & Briennus, dominus idem Angranus, Philippi cognatus. 12. Ioannes Trimolius Ionellæ, Philippi cognatus. 13. Guillibertus Alnetanus, dominus Willeruallis & Trochiniensis. 14. Ioannes Lucemburgensis Comes Ligniacus, Bellireuorij & Bohauni, Philippi cognatus. 15. Ioannes Villarius dominus Insulæ Adami. 16. Antonius Croyus & Rentiacus Philippi cognatus. 17. Florimundus Brimæus. 18. Robertus dominus Massameus. 19. Iacobus Brimæus. 20. Balduinus Alnetanus, dictus Balbus, dominus Molentacenus. 21. Petrus Befremontius dominus Charniacus. 22. Philippus dominus Teruantius. 23. Ioannes Croyacus dominus Turris super Matronam amnem, Philippi cognatus. 24. Ioannes dominus Crequiacensis.

§. V. *De specialibus insignibus Equitum huius Ordinis.*

MEYERVS vbi suprà hæc breuiter exprimit; Singu- « lis (inquit) dedit Equitibus Dux collyrium aureum « dependente ab illo aureo vellere, quæ post mortem cuiusque ad Ordinem redeunt, aliis distribuenda. Breuiùs Spondanus in continuatione Annalium Cardinalis Baronij anno 1430. n. 1. *Singulis Equitibus* (inquit) *qui primi creati sunt, aureum torquem donauit appendente aureo Velleris signo.* Fusiùs Iacobus Marchantius lib. 3. Commentariorum de- « scriptionis Flandriæ in Philippo Bono, vbi ait, In hoc Col- « legium Philippus viros nobiles, nomine armísque irrepre- « hensibiles accensuit, quorum ipse caput & præses, vt lo- « quitur, & post nos successores nostri: quibus singulis to- « gam coccineam laneam, (quam filius Carolus Bellicosus « seu Audax, in Comitiis huius Ordinis Valentinianensibus, « in holosericam commutauit) & aureum torquem, insertis « paterni emblematis ignitabuli scintillas ex silice extunden- « tis speciosum attribuit, vnde vellus aureum dependet, post « cuiusque mortem rediens ad Collegium, vt alij bene merito offeratur: *sunt qui addant, auream etiam crucem Andreanam intersertam fuisse in illo torque in honorem S. Andreæ Apostoli, qui huius est Ordinis protector.*

§. VI. *De Velleris aurei significatione.*

MARCHANTIVS vbi suprà hanc assignat rationem, « Id fecit Philippus (inquit) exemplo Gedeonis, quem « sacræ litteræ testantur Iudic. 6. miraculo velleris nunc ro- « re madidi, nunc sicci, animo confirmatum iussu Dei tre- « centos elegisse, quibus numerosas Madianitarum copias à « ceruicibus Hebræorum profligauit: Aureum autem splen- « dorem illi Velleri (Philippus Dux) induxit ex Iasonis & « Argonautarum nobilissimæ in Colchidem nauigationis « imitatione. Hæc Marchantius. Sed cùm sacra profanis mi- scenda non sint, haud verisimile videtur Philippum principem valde Catholicum, fabulam ethnicæ superstitionis mysterio tam illustri sacræ Scripturæ voluisse intermiscere: At cùm ordinem hunc primariò, post Dei laudem & gloriam, in honorem sanctissimæ Deiparæ Virginis illum constet instituisse; probabilius est spectasse per hoc emblema, ad ipsam gloriosam Virginem, cuius vellus illud Gedeonis figuram fuisse Ecclesia sancta docet ac prædicat in festo Purificationis eiusdem Beatissimæ Virginis, verbis eiusmodi, quibus venerando affatur Verbum diuinum ex ea incarnatum ac natum; *Quando natus es ineffabiliter ex Virgine, tunc impleta sunt scripturæ: sicut pluuia in vellus descendisti, vt saluum faceres genus humanum, te laudamus Deus noster.* Hunc Ecclesiæ spiritum iam olim hauserat S. Ambrosius serm. 13. « qui est de Natali Domini, vbi sic ait, Rectè Maria velleri « comparatur, de cuius fructu salutaria populis vestimenta « texuntur: Vellus planè Maria est, siquidem de molli eius « sinu agnus egressus est, qui & ipse matris lanicinium, hoc « est carnem gestans molli vellere, cunctorum operit vulnera « populorum. Cui & addi potest illud S. Bernardi homilia « super *Missus est:* Quid illud vellus Gedeonis significat, quod « vtique de carne tonsum, sed sine vulnere carnis in area po- « nitur, & nunc quidem lana, nunc verò area rore perfun- « ditur, nisi carnem assumptam de carne Virginis, & absque « detrimento virginitatis? Cui itaque distillantibus cælis to- « ta se infudit plenitudo diuinitatis.

Hanc mentem fuisse Philippo Duci, reprobato Velleris aurei Iasonis & Argonautarum expeditionis in Colchidem commento, censet Aubertus Miræus in Chronico suo quod Sigeberto subiunxit, anno 1430. vbi fabula illa osci-

tanter commemorata, seriò subnectit pag. 353. suæ in 4. editionis factæ Antuerpiæ anno 1608. apud Hieronymum Verdusium; Seu potiùs (inquit) à Gedeone magno illo Israëlitarum Duce, qui vellus siccum, deinde rorulentum vidit, intactæ scilicet Virginis Matris symbolum, eóque signo confirmatus, trecentos iussu Dei viros elegit, quibus numerosas Madianitarum copias profligauit. Ipso itaque nuptiarum die, quas Brugis Flandrorum, 3. Idus Ianuarij hoc anno cum Elizabetha Ioannis Lusitaniæ Regis filia regio planè luxu celebrauit, Equites XXIV. delegit, & singulis torquem aureum insertis ignitabulis, scintillas ex silice excutientibus (quod quidem symbolum fuit Ioannis Intrepidi Burgundiæ Ducis, ipsius Philippi parentis) aureóque appenso vellere donauit: singulos item toga coccinea siue purpura lanea in Comitiis publicis vti voluit; quam filius Carolus Audax Comitiis posteà in vrbe Valentiana apud Hannones celebratis in holosericam commutauit. Idem Philippus, quatuor vt aiunt officiarios, puta Cancellarium, Thesaurarium, Regem armorum, & Secretarium seu Scribam, huic nobilissimo Equitum Collegio subministrauit. Ceterùm initio nonnisi XXIV. Equitibus Collegium constitit, ipso Philippo Duce ceteris annumerato.

At hîc fallitur Miræus; Nam Meyerus ferè rei gestæ contemporaneus auctor disertè testatur, etsi tunc primùm reipsa Philippus crearit XXIV. Equites, quorum nomina sigillatim recenset, tamen statuisse fore se superaddito triginta, quorum reliquos à se postmodùm designandos professus est: *Reliquos autem sex Equites Dux sibi eligendos reseruauit.* Nam & diploma ipsum quod verbatim recitat, hoc perhibet expressè; in hoc siquidem Dux sic edicit, *Primò ordinamus, vt in ordine antedicto sint vnus & triginta Equites, viri nobiles nomine & armis, quorum nos tempore nostro erimus caput, & supremus, & post nos successores nostri Duces Burgundiæ.*

§. VII. *Comitia huius Ordinis in feriis S. Andreæ, vt proprij eiusdem Patroni, de more celebrantur.*

ANNO 1431. pridie Kalend. Decembris (scribit præfatus Meyerus) quando incidunt feriæ sancti Andreæ Apostoli, habita sunt à Philippo Duce prima Comitia, seu primum Capitulum & Festum (ita enim vocant) Velleris aurei

Insulæ in Ecclesia diui Petri Apostoli per triduum: vbi in locum Roberti Masminensis interfecti apud Bouinas, suffectus est Fridericus Comes Murensis: in locum autem Ioannis à Nouo-castello (quem submotum & erasum diximus ex Ordinis albo) Simon Lalanus dominus Hautensis est electus.

Anno 1432. ad Kalendas Decembris, feriis Diui Andreæ Apostoli, celebrata Comitia, seu Capitulum (vt vocant) secundum Velleris aurei à Philippo, grandi frequentia & magnificentia, Brugis in æde sancti Donatiani Episcopi: Hic in locum Renati Pot domini Prugnæ & Rupellæ in Nolaco defuncti sufficitur Andreas Tholeugon, peregrè profectus tum in Terram Sanctam: in locum autem Antonij Tholougonis Marescalli Burgundiæ defuncti inseritur Ioannes à Meleduno dominus Antoniensis.

Anno 1433. pridie Kalendas Decembris in feriis diui Andreæ Apostoli, habita à Philippo Comitia aurei Velleris Diuioni in Burgundia. Hic in locum Andreæ Tholougonis defuncti in itinere Terræ Sanctæ surrogatus Iacobus Creuecurius; in locum autem Petri Lizelenburgensis Comitis sani Pauli, dominique Augiensis defuncti, surrogatus Ioannes Vergiacus, Vignoriarci Toparchus: simul vt numerus XXXI. Equitum impleatur sex prætereà noui additi; quorum nomina ibidem Meyerus recenset.

Longum esset cetera Comitia, seu Capitula celebrata huius Ordinis seriatim describere; Hæc passim notat in suo Chronico Belgico Locrius vsque ad ampliùs viginti. Postrema celebrata sunt Tornaci inter octauas natalis sancti Andreæ, Ordinis huius perpetui Tutelaris anno 1531. à Carolo V. in quem sanguis Austriacus cum Burgundo, & Imperium cum regno Hispaniæ & Ducatu Burgundiæ, Flandriæque Comitatu, coaluerat. Qua de re tractat non segniter Nicolaus Veruuleus, in anno Austriaco. Porrò in his Comitiis numerum Equitum Velleris aurei vsque ad vnum & quinquaginta auxit: Catalogum horum procerum refert ad dictum annum Locrius. Ceterùm Ordo ille militaris sub patrocinio sancti Andreæ, etiamnùm eximio cum splendore perseuerat, tantóque in pretio inter nobiles qui Domui Austriacæ & Burgundiæ subsunt, tam in Hispania, & Belgio, quàm in Germania & Italia, ipsóque nouo orbe, vt Rex ipse Catholicus (qui familiæ vtriusque

Burgundicæ & Austriacæ caput est) nullum habeat ambitiosius insigne, quo suos proceres cohonestet, aut præmium quo magna sibi præstita, etiam ab exteris officia, honorificentiùs à se existimet posse remunerari. Videndus Franciscus Mennenius in libro cui titulus est, *Militarium Ordinum origines, statuta & insignia*, necnon Belforestius lib. 5. cap. 90. & Heuterus lib. 4. in Philippo Bono. Ceterùm de ipso Vellere aureo, Ordinis huius proprio insigni, multos qui scripserunt, accuratim recenset Sandæus, in libro inscripto *Maria Patrona* orat. 3. in fine. Excidere hîc autem mihi insignem locum sancti Bernardi, mysterium Velleris Gedeonis ad Beatissimam Virginem Deiparam referentis, non patior; *Intuere* (inquit sermone de Aquæductu) *ô homo consilium Dei! agnosce consilium sapientiæ, consilium pietatis. Cælesti rore aream rigaturus, totum vellus priùs infudit: Redempturus humanum genus, pretium vniuersum contulit in Mariam.* Ideo dicta est ab Angelo, *gratia plena*, & à sancto Ioanne Damasceno, *gratiæ pelagus inexhaustum*. Rationem huius immensitatis rectè assignat Richardus à sancto Victore, summus ætate sua Theologus: *Quia nihil à throno Dei fluit aut descendit quod per Mariæ manus non pertransierit.* Verùm hoc videtur à præfato Theodidacto Patre sancto Bernardo didicisse, is enim sermone 3. in Vigilia Natiuitatis Domini disertè ait, *Nihil nos Deus habere voluit, quod per Mariæ manus non transiret.*

§. VIII. *Philippum Burgundiæ Ducem & Belgij dominum cognomento Bonum, non modò sui Ordinis patronum, sed & amplissimi sui principatus protectorem eminenti signaculo, S. Andream esse testatum.*

ANTE mille supra centum annos, Burgundiam fuisse maximè propensam in specialem sancti Andreæ Apostoli cultum, eiúsque ambiisse feruenter protectionem, vbi suprà, de eius crucis prope Massiliam inuentione ac exaltatione, & eius duplicis Ecclesiæ apud Viennam ad Rhodanum (quo regnum Burgundicum finiebat) ab Andrea Rege huius Gentis erectione tractatum est, loco proprio demonstrauimus. Fouit hunc ignem Burgundia, quasi latentem sub fauillas & cineres vsque ad Philippum Burgundiæ, quasi renascentis & rediuiuæ, Principem, ipsa

insignis Galliarum prouincia : Qui Dux regij Francorum sanguinis germen generosum ; infusum ab alto hunc ipsum ignem in suas animæ medullas, mirabiliter renouauit, & propalam prodidit & propagauit. Duplex autem in Beatum Andream Apostolum perhibuit, suæ in eum deuotionis argumentum ; alterum, quo Ordinem illustrissimum, hactenúsque toto radiantem orbe, in Dei omnipotentis laudem & gloriam, ad reuerentiam beatissimæ Virginis Deigenitricis Mariæ, & ad honorem sancti Andreæ gloriosi Apostoli ac Martyris DOMINI SVI (vt ait in fundationis diplomate) consecrauit, eiusdémque Ordinis Equestris solemnia Comitia, tum sub eius auspiciis, adeóque in eius Natalis celeberrimi feriis, tantummodò, voluit celebrari. Alterum verò, quod in militiæ sui principatus vexillis, crucem decussatam, siue Andreanam pro perpetuo insigni habendum esse summa lege decreuit ac constituit. Qua ex sanctione cùm post extremas pæne paternæ necis vindicias, nimiæ pœnitens vltionis, Regnísque Francorum Christianissimi, quod in vltimam vsque perniciem coniecerat commiseratus, interpellatus à Legatis Caroli septimi, qui ad infima depressus, pacem effusis præcordiis suspirabat, vt patriæ memor saniora ad consilia rediret tandem, quasi de graui somno expergefactus : affectum licèt serò, seriò tamen, in verba pacis inclinauit : quòd tamen se Carolo pro tempore potentiorem intelligeret, & vt patris manibus ardentiori animo parentasse videretur, duras plerasque leges reconciliationis ab ipso Carolo & regno pessum eunte, nimis imperiosè exegit. Quas Carolus pro afflicta Gallicæ Monarchiæ conditione, præualenti aduersario, (aliàs suo clienti & consanguineo) Anglum vt hostem Galliæ antiquum, regno suo tandem excluderet penitus, concessit. At Philippus inter eas pacis conditiones, quæ moderatiores erant, ob amorem & honorem sancti Andreæ Apostoli, sui, vt aiebat, DOMINI & Burgundiæ defensoris perpetui, hanc sibi maximè voluit pacto inuiolabili concedi : vt cùm sicut regni Princeps, & Regis beneficiarius, ratione feudi Burgundiæ & Flandriæ, copias suas quas de iure mittere tenebatur ad tutelam regni, pro augmento regij exercitus destinaret, ipsi S. Andreæ Burgundiæ patroni insignia triumphalis scilicet crucis deponere, nullatenùs adigerentur ; Verba siquidem initæ huius

ius concordiæ, quæ Galliæ peperit optatam diu libertatem & felicitatem, sic habent, *Vt Ducis clientibus, quandocumque Regi militabunt, crucem vbique Andreanam gerere liceat.* Sed bene Galliæ cedit quod Beatus Andreas, primus Christi discipulus, & eius tam in vita quàm in morte imitator, Galliam ipsam quam Christus amat non odit: Nec crux eius decussata propter Domini sui & Magistri ipsius reuerentiam, rectam Christi crucem obliquat, qua nos Dominus ipse defendit, siquidem crux Beati Andreæ Apostoli crucis Christi ipsius Domini adumbratio quædam, & velut participatio, &, vt ita dicam, proximæ similitudinis signaculum est.

Meyerus Annal. lib. 16. pag. 323. edit Francofurt. apud Sigismund. Feyerebandum, anni 1580.

FINIS LIBRI V. ALTERIVS PARTIS.

PARTIS SECVNDÆ DE GLORIA S. ANDREÆ APOSTOLI LIBER VI.

ECCLESIARVM CATHEDRALIVM TITVLI.

PRÆFATIVNCVLA.

Legitur inter opera Bedæ tom. 1.

ERE & præclarè cecinit ante annos 800. sua in Ephemeride, seu Metrico Martyrologio, Wandelbertus Monachus Prumiensis,

Andreas pridie præcellet Apostolus, amplis
Virtutum fulgens radiis, titulisque per orbem,
Qui indomitos, verbo signisque subegit Achæos.

Quicumque antiquitatis Ecclesiasticæ non prorsus imperitus est, profectò non nescit phrasi iam ab initio Christianæ religionis recepta, Titulum sumptum fuisse pro diuini benefacti, vel Sancti cuiusque gloriosi memoria, seu Ecclesia. Hinc illud Prudentij hymno de S. Vincentio, minas tyranni referentis,

Jam nunc & ossa extinxero,
Ne sit sepulchrum funeris
Quod plebs gregatim excolat,
Titulúmque figat Martyris.

Fluxit ex Scriptura diuinitùs inspirata Tituli nomen, pro loco Deo sacro in rei alicuius memorabilis ab eo deriuatæ mnemosynon, seu signum commemoratiuum, quemadmodum Genesis 28. legitur hoc nomen à Iacob Patriarcha vsur-

patum ; vbi ſcalam viderat ſtantem ſuper terram & culmine ſuo ad cælum vſque erectam, Angelos quoque aſcendentes & deſcendentes per eam : *Erexit lapidem in titulum, fundens oleum deſuper, &c. dicens, lapis iſte quem erexi in titulum vocabitur domus Dei.* Nec dubium quin titulus iſte à ſanctiſſimo Patriarcha erectus, figura & vmbra fuerit titulorum, quos Chriſtiani veri Iſraëlitæ erant paſſim erecturi, vt per eos Deo certa loca conſecrarentur : Quare totum etiam illud Patriarchæ factum in dedicationibus templorum legitur & canitur. Hinc igitur ab ortu ferè Euangelicæ lucis, loca quæ Romæ à quibuſdam piis perſonis conſecrabantur, cœperunt tituli adiuncto auctoris nomine inſigniri. Inde titulus dictus Paſtoris, titulus Euprepiæ, id eſt Eccleſia à Paſtore Preſbytero, Eccleſia ab Euprepia condita : Quo & ſenſu ac vſu Euariſtus Pontifex & Martyr, Titulos, hoc eſt Eccleſias Preſbyteris in vrbe diuiſit. Egregiè tamen notat magnus Baronius in Martyrol. Rom. 26. Iulij, Romæ vſum obtinuiſſe, vt non quæuis Eccleſia ſeu memoria diceretur titulus, ſed inſigniores tantùm quibus præeſſent Preſbyteri Cardinales*. Et etiamnum Cardinales à titulis ſeu Eccleſiis quas poſſident nomen ſuum mutuantur, vt alius dicatur Cardinalis tituli ſanctæ Praxedis ; alius tituli ſanctæ Crucis in Hieruſalem, alius S. Sixti. Propriè igitur & appoſitè iam olim Eccleſiam S. Pauli Romæ, quæ vna eſt è maioribus, Prudentius titulum nuncupauit, hymno 12. in Natali ſanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli :

Diuidit oſſa duûm Tiberis, ſacer ex vtraque ripa,
Inter ſacrata dum fluit ſepulchra.
Dextra Petrum regio tectis tenet aureis,
. . . .
Parte alia titulum Pauli via ſeruat Oſtienſis.

Rectè igitur Wandelbertus præfatus, ait Andream præcellere amplis Titulis per orbem, id eſt inſignibus Eccleſiis, vt ſunt Epiſcopales, quæ eius glorioſæ memoriæ dedicantur & ſacro fulciuntur patrocinio.

* Addi debet, vel Diaconi : Erant enim & ſũt hodie Romæ Diaconiæ, quibus præſunt Cardinales Diaconi, qui inde titulum ſuum obtinent.

CAPVT I.

Patrarum Metropolitanæ Sedis Ecclesiam, sanguine sancti Andreæ Apostoli consecratam & purpuratam; hinc promeruisse frui glorioso eius titulo ac patrocinio.

POSTOLI primò per Iudæam contestata fide in Iesum Christum, (ait Tertullianus lib. de præscriptionibus aduersus hæreticos cap. 20.) & Ecclesiis institutis, dehinc in orbem profecti, eandem doctrinam eiusdem fidei nationibus promulgauerunt, & proinde Ecclesias apud vnamquamque ciuitatem condiderunt, à quibus traducem fidei & semina doctrinæ cæteræ exinde Ecclesiæ mutuatæ sunt & quotidie mutuantur, vt Ecclesiæ fiant: Ac per hoc & ipsæ Apostolicæ deputantur, vt soboles Apostolicarum Ecclesiarum. Omne genus ad suam originem referatur necesse est.

Hinc idem Tertullianus solerter, scitè, & neruosè aduersus hæreticos præscribit, illósque dum ad auctorem propriarum sectarum prouocat, clarè conuincit titulum Apostolicum, siue primarium siue secundarium nullo iure sibi vendicare posse: *Edant* (inquit cap. 32.) *origines suarum Ecclesiarum? euoluant ordinem Episcoporum suorum, ita vt per successionem ab initio decurrentem primus ille Episcopus, aliquem ex Apostolis vel Apostolicis viris &c. habuerit auctorem & antecessorem: Hoc enim modo Ecclesiæ Apostolicæ suos census referunt, sicut Smyrneorum Ecclesia habens Polycarpum, ab Ioanne collocatum refert.*

Sanè si Smyrneorum Ecclesia censenda est Apostolica, quòd primum Episcopum Polycarpum, Ioannis Apostoli discipulum, ab eo primum susceperit Antistitem: multò magis Patrarum Ecclesia decus Apostolicæ originis sibi vendicare potest, quæ ab Andrea primo Christi discipulo & secundario Apostolo, promeruit habere auctorem ac antecessorem.

Accedit quòd illæ Ecclesiæ (vt ille idem Tertullianus c. 36. ratiocinatur) Apostolicæ reuerà sunt, quibus Apostoli præfuerunt, & vbi eorum Cathedræ per successionem præsidentur. Hoc igitur iure Patrarum antiqua Sedes honorem Apostolicum promerita est, quam non solùm tantus Apostolus fundauit, rexit & docuit; sed quam etiam suo fuso pretioso sanguine fundauit ac consecrauit, necnon & trophæo suæ crucis & sepulchri, pignoribus & miraculis nobilitauit. Hinc orta Cathedræ Beati Andreæ eo loco anniuersaria festiuitas, quæ notatur in antiquis Ecclesiæ diariis (vt suprà signatum est) Nonis Februarij.

Hinc non tantùm Episcopatus honore ab hoc exordio nobilitata, sed ad Metropolicum vsque decus meritissimè iamdudum prouecta fuit, quinque sub se habens suffraganeos Episcopos: sic enim in dispositione Leonis Imperatoris Constantinopolitani, cognomento Philosophi, qua secundùm antiquos indices recenset Episcopos Patriarchatus Constantinopolitani; Cuius Ecclesiæ origo ab ipso Beato Apostolo Andrea emanauit. Ibi enim ita signatum videre est * XXXIII.

* In Notitia Episcopatuum orbis Christiani lib. 3. c. 1.

Patrensis M. in Peloponeso,
Lacedæmoniæ,
Methonensis,
Coronensis,
Heliensis,
Bolenæ.

Haud mirum igitur, si Patrarum Ecclesia, quæ singulari beneficio beatissimum Andream primarium Christi Apostolum parentem & auctorem obtinuit; eundem quoque semper protectorem & patronum venerata sit. Talem ac tantum meritò ambiit apud Deum defensorem. Quamdiu sol fulget dies est, eo absconso nox venit. Patrarum splendor ciuitatis olim in Achaia clarissimæ, tamdiu durauit, quamdiu ibi fons eius gloriæ in ipsius sinu requieuit: At translato hinc eius corpore, deinde capite ac totis reliquiis, omnis eius defecit felicitas & decus euanuit: gemit enim hodie sub fœdo Turcarum iugo inclyta illa ciuitas, & vix vlla vestigia retinet antiquæ suæ magnitudinis. Non periit tamen S. Andreæ nomen & gloria, sed sicut sol radios secum trahit quocumque properat; ita & Beatus hic Apostolus, Achaiæ decus & totam felicitatem ab Oriente

in Occidentem ſecum traduxit. Colitur Amalphi, vbi pretioſum eius corpus quieſcit, totius orbis veneratione, quem liquoris, ex eius oſſibus ſacris fluentis, riuis ſalutiferis perpetim inundat. Colitur Romæ in ipſo apice mundi, vbi in Baſilica Petri, fratris ſui & vniuerſæ Eccleſiæ capitis, ſacratiſſimus eius vertex gloria & honore coronatus, continuæ venerationis ſplendore fulget & radiat.

CAPVT II.

Eccleſia maior Conſtantinopolitana fundata fuit à Conſtantino Magno, præcipuè in honorem ſancti Andreæ Apoſtoli; cuius reliquias venerandas ex Achaia illuc ad cultum & præſidium intulit: vnde poſtmodùm eiuſdem Eccleſiæ creuit maximè gloria. Cuius & incolæ ipſum ſanctiſſimum Apoſtolum, vt proprium protectorem, præcipuo honore idcirco proſecuti ſunt.

DE tranſlatione ſacrarum reliquiarum S. Andreæ ex Achaia Byzantium, ſeu Conſtantinopolim, à Magno Conſtantino procurata & effecta, ſuprà non ſemel nec parcè diſſeruimus, hiſtoriámque rei geſtæ & chronologiam ad ſummos (vt aiunt) iuris apices expendimus: Quamobrem iterato examine, vel fuſiori diſcurſu, Lectorem meum circa hoc ſyntagma diutius non morabor. Duo puncta præfixi lemmatis dumtaxat hîc elucidanda ſunt; prius de maioris Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ in honorem S. Andreæ dedicatione: alterum de peculiari in ipſa vrbe Regia, ſeu noua Roma, eiuſdem Apoſtoli, vt proprij tutelaris cultu ac obſeruantia.

Circa primum notari debet, Conſtantinum Magnum duo egregia Templa ſeu Eccleſias inſignes Conſtantinopoli extruxiſſe; alteram Εἰρήνη, Pacem, alteram ſanctorum Apoſtolorum cognominatam. Porrò baſilica quæ Apoſtolorum dicebatur erat præcipua: vnde & Magna vocitabatur.

Theodorus Lector ſuprà citatus loquens de reliquiis ſanctorum Andreæ, Lucæ, & Timothei, eas depoſitas ſcribit,

ἐν τῷ ὑπ' αὐτοῦ ἐγκαινισθέντι μεγάλῳ ναῷ τῶν ἁγίων Ἀποστόλων: In magno templo Apoſtolorum ab ipſo innouato vel dedicato; ſed templum iſtud magnum iam tunc S. Andreæ primam & præcipuam (haud dubium ex ipſius Conſtantini fundatoris voto) denominationem tulit: Vnde Chronicon Alexandrinum loquens de eius obitu & funere ſic habet, *Humatus eſt in æde ſanctorum Apoſtolorum Andreæ, Lucæ Euangeliſtæ, Timothei Pauli diſcipuli.* Hîc enim voluerat ſepeliri: ſed & ceteros Auguſtos, tam viros quàm fœminas, impoſterùm ibidem communem habere ſepulturam: vrbíſque regiæ Hierarchas, eodem potiri iure ſepulchri: Eo ſcilicet intuitu vt patrocinij Apoſtolici poſt ſe forent hæredes, ſic enim teſtatur Socrates lib. 1. hiſtor. Eccleſ. cap. 26. *Quam Apoſtolorum Eccleſiam ideo ædificauit, ne Imperatores & ſacerdotes Apoſtolicis reliquiis aliquando deſtituerentur.* Templum iſtud, per excellentiam, vocabatur magnum Apoſtolion, vt patet ex Actis authenticis S. Timothei, quæ ſic habent; Tranſlatum eſt deinde (corpus eius) in regiam « vrbem Conſtantinopolim & poſitum in ſanctiſſimo magno « Apoſtolio, ſiue ſanctorum Apoſtolorum æde: vbi etiam- « nùm repoſitæ aſſeruantur ſanctæ eius reliquiæ ſub ſacra « menſa cum reliquiis ſanctorum Andreæ & Lucæ Apoſto- « lorum. At ſicut huius ſacræ Triadis S. Andreas dux & a- « pex erat; præcipuum ius patrocinij magni illius templi ſibi meritò vendicabat; ſicut templum illud auguſtum quod Dagobertus Francorum Rex tribus Chriſti Martyribus Dionyſio, Ruſtico & Eleutherio dedicauit, ſingulari titulo appellatur templum S. Dionyſij, qui cæterorum erat anteſignanus & vertex.

Quoad alterum articulum; Dico cùm illa Eccleſia eſſet baſilica maior, ſic & erat Epiſcoporum Sedes, vt patet ex Actis S. Ioannis Chryſoſtomi, cuius (cùm obiiſſet in exilio) corpus relatum eſt multa cum honorificatione Conſtantinopolim, inuectúmque in Eccleſiam, ſua in Sede quaſi adhuc viuens eſt repoſitum: Quænam verò erat illa ſacra ædes Theodorus Lector lib. 2. Collectaneorum ſub finem expreſſim aſſerit: *Deinde* (inquit) *ſub iunioris Theodoſij filij Arcadij imperio & Patriarcha Proclo, reliquiæ Chryſoſtomi allatæ ſunt, & ad ſanctos Apoſtolos* (Andream ſcilicet, Lucam & Timotheum, vbi Imperatorum & Epiſcoporum conſtituta fuerat à Conſtantino ſepultura) repo-

Tom. 7. Biblioth. SS. Patrum in fine.

sita sunt, 5. Kal. Februarij: quòd ibi olim sedisset more Maiorum, & *Cathedram* (vt ait S. Hieronymus) *sacerdotalem tenuisset.* Hoc in ea oratione, quam in eius translatione habuit, asserit Cosmas Vestiarius, & ex eo Nicephorus lib. 14. hist. Eccles. cap. 43. Aiunt enim, *non sine prauiis & sequentibus miraculis reductum ex Comanis, vbi exul vitam finierat, translatum fuisse eius corpus, primò Chalcedonem; inde verò ab Imperatore & Proclo Episcopo, vniuersóque Clero, Senatu & populo Constantinopolitano, ipsum Bosphorum nauibus & ardentibus cereis tegente, hymnósque concinente, Constantinopolim ad Ecclesiam sanctorum Apostolorum perductum, atque ibi petente populo in throno suo collocatum, circumstantibus dixisse, Pax vobis, ac demum ad basim sacra mensa templi ipsius sanctorum Apostolorum, conditum fuisse 27. die Ianuarij, anno Christi scilicet 438.* Igitur Episcopalis Sedes Constantinopoli in magno templo Apostolorum Andreæ, Lucæ & Timothei sita erat; quæ ideo Magna Ecclesia ipsorum Apostolorum erat & passim vocitabatur.

Epist. ad Aug. sup. expositione sua in epist. ad Gal.

DIGRESSIO.

Quà controuersia dirimitur, de Regiæ vrbis, nouæ Romæ, Constantinopolis videlicet, à Constantino facta dedicatione: Quam alij Beatissimæ Virgini Deiparæ, alij sanctis prædictis Apostolis, contendunt fuisse ab eo, specialis patrocinij titulo consecratam.

GRÆCI in suo Menologio die 11. Maij Genethlia, siue Natalem diem vrbis Constantinopolis, quotannis celebrandam signant, quam asserunt à Constantino Magno beatissimæ Virgini Mariæ dedicatam fuisse. Ita tradunt Georgius Cedrenus & Michaël Glycas tom. 4. Annalium: breuiter rem gestam describit Ioannes Zonaras tom. 3. Annalium sub initium, vbi de Constantino ait; “Vrbem studiosè condit, à se Constantinopolim vocat, & Matri Dei “consecrat. Idem asserit ex recentioribus Antonius Contius in Calendario Græco & Latino quod præfixit Chronologiæ Tripartitæ Beati Nicephori Episcopi Constantinopolitani, vbi scribit: “Notum est autem tum ex illo Menologio (Græcè Venetiis impresso) tum etiam ex Zonara, Cedreno & aliis, illam vrbem θεοτόκῳ, Deigenitrici sanctissimæ “Virgini Mariæ fuisse specialiter dedicatam. Ita ille: Cui sub-

ſubſcribens Coluenerius in Kalendario ſacratiſſimæ Virgi-
nis Mariæ ſubiungit, hoc factum imperij Conſtantini pri-
mi anno vigeſimo; poſtquàm nimirùm abſoluto Concilio
Nicæno I. Epiſcopos omnes ſolenni epulo excepiſſet, vt
narrat Gregorius Presbyter in oratione de Concilio Nicæno,
& Nicephorus Calliſtus lib. 8. hiſt. Eccleſ. cap. 26. his ver-
bis; Poſtquam finem ſuum conuiuium id habuit, loco ſuo «
exurgens (Conſtantinus) ſupplicis more conuentum roga- «
uit, vt qui tantum pertuliſſent laboris, perpaucos ſibi dies «
dare & recèns fundatam vrbem iam tunc perfectam adire «
non grauarentur: ac precationibus ſuis munitiones & mu- «
ros eius firmarent. Atque illi ſtatim quod petierat faciunt, «
Conſtantinopolim veniunt, Encænia & conſecrationis fe- «
ſtum dum celebrant incruento ſacrificio operantur, preci- «
bus, votiſque vrbem abundè proſequuntur, eámque Dei- «
genitrici dedicant, nouam Romam, Imperantémque Con- «
ſtantinopolim cognominantes, Alexandro tum ibi Byzantij «
Eccleſiam gerente. Sic ex Nicephoro Coluenerius; qui & «
inſuper addit, Caniſio ſibi vt indicat, præeunte, lib. 5. o-
peris Mariani cap. 24. *Vt autem Conſtantinus totam vrbem
peculiariter memoriæ B. Virginis conſecrauit, ſic & primum
in ea B. Virgini templum condidit.* Sed mox corrigit ipſum
Caniſium nixum Gregorij Turonenſis teſtimonio, ſaga-
ciori iudicio Cardinalis Baronij, qui Eccleſiam quam Con- *Baron. num. 324. agens de Baſilicis à Conſtantino extra vrbem conditis.*
ſtantinus Beatiſſimæ Virgini nuncupauit, & quam ipſa in-
ſigni apparitione honorauit, ſitam fuiſſe oſtendit in Gallia;
locum tamen non indicat; ſed ex ipſo teſtimonio Grego-
rij Turonenſis, palam eſt illam fuiſſe conſtructam in territo-
rio Aruernenſi.

Non tamen abnuendum prorſus exiſtimo, Conſtantinopoli extructam fuiſſe à Conſtantino Magno Eccleſiam in honorem B. Deigenitricis Virginis Mariæ: at quod ait Caniſius illam ſacram ædem fuiſſe templum huius regiæ vrbis primum, hoc eſt maius ſeu præcipuum, id eſt (vt paſſim dicitur) Epiſcopale, ſeu Cathedraticum; facile eſt erroris conuincere, tum ex priſcis auctoribus Græcis citatis capite ſuperiori (id eſt ſecundo huius libri) qui vnanimiter aſſerunt templum magnum Conſtantinopolis fundatum à Conſtantino, fuiſſe ſacratum ſub ſanctis & felicibus auſpiciis ſanctorum Apoſtolorum Andreæ, Lucæ, & Timothei: tum ex euidenti teſtificatione Theodori Lectoris, hæc ſcribentis lib. 2. Collectaneorum, vbi agit

de Anastasio Imperatore, eos dirè persequente, qui pro defensione stabant Oecumenicæ Synodi Chalcedonensis. *Sequenti verò die Timotheum quendam Presbyterum & custodem Ecclesiæ* Episcopum elegit, quem librobulbam & colonem, propter facta quædam nominibus istis conuenientia, vocarunt. Ecclesiam verò Timotheus ingressus non est, nisi detractis primùm Macedonij imaginibus & insignibus. Supplicationes Parasceues in templo Deiparæ quod in Calcopratiis est, fecit, &c.* Ecclesia siquidem sine adiecto, per excellentiam dicebatur summum templum seu magna basilica Apostolorum prædictorum: vbi erat Episcopatus Sedes, & Episcoporum regiæ vrbis ac Imperatorum sepulchrum: Templum verò Deiparæ in Calcopratiis, erat nomen discretiuum; At nec templum illud (vt planiùs dicam) fundatum fuit à Constantino, sed à Pulcheria Augusta, vt ex Nicephoro colligitur lib. 15. hist. cap. 14. vbi ait, *Celeberrima hæc Pulcheria multas per vitam præclarè res gessit: multa publica hospitum & pauperum condidit domicilia: Tria enim Dei Matri ex ipsis fundamentis templa erexit; quorum vnum in Chalcoprateio, seu Fabrorum foro, sacri tumuli nomen habens; in hoc veluti thesaurum Deigenitricis deposuit Zonam: Secundum templum* ὁδηγῶν, *viæ ducum est, vbi Antiochiâ missam Verbi Matris imaginem dedicauit, quam diuinus Apostolus Lucas suis ipse manibus depinxit*, &c. *Tertium autem Verbi Matri incredibili pulchritudine & omnis generis materia ornatum consecrauit templum, cui Blacherna cognomen est*, &c. Excitauit autem Pulcheria hoc templum in loco Blachernis iuxta mare, vt esset illustris victoriæ perenne monumentum, vindicatæ suâ operâ Mariæ Reginæ Virginum ab impij Nestorij blasphemiis, & asserti eidem tituli Deiparæ per Concilij Chalcedonensis, quod latum nuper fuerat summa auctoritate iudicium. Sanè si Ecclesia maior Constantinopolitana fuisset sub sanctissimæ ipsius Virginis Deigenitricis titulo, à Constantino Magno condita, Eusebius Cæsariensis qui res eius gestas vidit & accuratè descripsit, non potuisset ignorare. At disertè scribit fuisse ab eo erectum tanta quanta refert magnificentia in sanctorum Apostolorum honorem. Nec opus fuisset vt Pulcheria tria templa Constartinopoli, & illud maximè augustum, quod ædificauit in Blachernis, ibi construeret.

* Constantinopolitanæ

Porrò nec derogat quicquam honoris & gloriæ sanctissi-

mæ Virginis; quòd maior Ecclesia Constantinopolis non suo, sed Apostolorum nomini, ab ipso fundatore adscriberetur. Nam ipse Constantinus Romæ fundauit Ecclesiam Lateranensem sub S. Ioannis Baptistæ patrocinium, quæ iam tunc extitit Patriarchalis: Vnde nunc vsque summus Pontifex possessionem Apostolici principatus, in illa Ecclesia, quæ mater est totius orbis Ecclesiarum adipiscitur. Et quamuis sit Romæ vna ex septem præcipuis basilica S. Mariæ Maioris, cedit tamen Lateranensi, & hoc cognomento insignitur ad distinctionem aliarum quæ ipsi Virgini benedictæ consecratæ sunt, scilicet S. Mariæ de populo, S. Mariæ de via lata, S. Mariæ ad Præsepe, &c. Patet igitur nihil venerationis excidere beatissimæ Virgini, si Romæ & Constantinopoli, Cathedratica Ecclesia, penes quam erat Episcopatus centrum, vel sub S. Ioannis Baptistæ, vel sub B. Andreæ Apostoli nomine fuerit constructa: maximè cùm longè maioribus præstet, & Ioanni, & Andreæ, & Petro, & Paulo, & ceteris Sanctis omnibus prærogatiuarum titulis, & post filium in omnibus primatum teneat. Contigit S. Andreæ Ecclesiæ maioris Constantinopolitanæ patrocinium, ex pretiosi eius corporis (quod Constantinus eò transtulerat) venerabili præsentia. At S. Ioanni Baptistæ tutela Ecclesiæ Lateranensis, quia Baptisterium ibi maximum statutum fuit, & quòd Constantinus peculiari deuotione afficeretur aduersus sanctissimum ipsum Domini Præcursorem, cuius & pretiosam imaginem huic basilicæ in ipsius honorem donauit.

Ceterùm qui auctores, asserentes Constantinum consecrasse vrbem regiam Constantinopolim nomini & tutelæ ipsius gloriosissimæ Virginis, accuratiùs expenderit; non arduè ipsam dirimet controuersiam. Græci in Menologio signant die 11. Maij, Genethlia, siue Natalem vrbis Constantinopolis, quæ hoc die Beatæ Virgini Mariæ dedicata fuit; Hoc est quod scribunt citati auctores Cedrenus, Glycas, Zonaras, Nicephorus: Quod neutiquam inficior; nec tamen ab assertione mea honoris patronatus Episcopalis Ecclesiæ, adscripti à Constantino, B. Andreæ Apostolo & eius sociis, nuper eò simul ab ipso Imperatore translatis, dimoueor: quia nihil implicat, totúmque ire licet assertum: Aliud est enim templum Hierarchicum Apostolis dedicare; aliud vrbem ipsam regiam protectioni sanctissimæ Dei matris

commendare, & ipſius fundatam auſpiciis dedicare in eius honorem : Vtrumque fecit ipſe Conſtantinus & piè & prudenter.

Epitaphiũ Mauricij de Soliaco Epiſcopi Pariſienſis, inſculptũ eius tumulo apud S. Victoré in medio Chori, legitur hoc tenore, *Hic iacet R. P. Mauricius Epiſcopus Pariſiẽſis, qui primus magnam baſilicam ſanctæ Mariæ Virginis inchoauit. Obiit anno Domini 1196. 3. Idus Septembris.*

Ciuitas Regia Pariſienſis, diu erat dicata Beatiſſimæ Virgini, antequam templum illud Epiſcopale quod nunc viſitur, eiuſdem ſub glorioſo titulo ædificaretur: Non ſurrexit enim tantæ molis opus, niſi ſub tertiæ ſtirpis Regibus, quos Capetios vocitamus. Et tamen Abbo Floriacenſis, qui ſub Goſlino Epiſcopo Pariſienſi floruit, circa annum 980. & ei dedicauit libellos duos de obſidione Lutetiæ Pariſiorum à Normannis, vrbis ipſius Pariſienſis celebrat beatam ipſam Virginem Tutelarem, dicens,

Vrbs in honore micat celſa ſacrata Mariæ.

Attamen Epiſcopatus Sedes ab eius origine, ſub B. Stephani patrocinio extitit, vt Cathedratici Sacerdotes teſtimonio publico atteſtantur in Charta Capitulari edita in generali Conuentu abſoluto in Vigilia S. Thomæ Apoſtoli anno 1331. vbi agitur de Eccleſia S. Stephani, de Græcis vulgariter nuncupata : Aiunt enim quòd in honorem S. Stephani Protomartyris, cuius vocabulo eſt dicta Eccleſia inſignita, & maximè contemplatione dictæ Eccleſiæ S. Stephani, *quæ antiquiſſima exiſtit, & vbi fuit prima Sedes Epiſcopalis, prout in Regiſtris noſtris manifeſtiſſimè continetur*, &c. Igitur vrbis erat patrona iam olim ſanctiſſima Deigenitrix : Sed vt Epiſcopatus auctor Dionyſius, ſic protector Stephanus, ſub cuius auſpiciis ipſe Dionyſius Sedem ipſam Epiſcopalem ibi conſtituerat. Adde quòd nihil obſtat patrocinium Beatiſſimæ Virginis Mariæ, aliorum Sanctorum ſuffragationi : Vulgare axioma eſt, *Quæ ſubordinantur, non pugnare inuicem.* Sic regiæ vrbis & Eccleſiæ Pariſienſis prima tutelaris eſt ipſa Sanctorum Regina; cùm tamen ipſa vrbs Pariſiorum, regni apex, & ipſa Sedes Epiſcopalis patronos alios agnoſcat ac veneretur, ſcilicet Sanctum Protomartyrem Stephanum, ſanctóſque Dionyſium, Ruſticum, & Eleutherium Martyres, inſuper B. Virginem Genouefam, & B. Marcellum Confeſſorem eiuſdem Sedis Antiſtitem.

Quin & Eccleſia Primatialis Cantuarienſis in Anglia, cum benedicta Virgine Deipara alios præterea colebat protectores, prout conſtat ex Actis Martyrij S. Thomæ Archiepiſcopi Cantuarienſis, quæ ita ferunt ; *Deinde flexis genibus*

Deo, Beatæ Mariæ, sancto Dionysio, & aliis Sanctis eiusdem Ecclesiæ patronis, Ecclesiam & seipsum commendans, sacrum caput eadem constantia, quâ iniquissimi Regis legibus restiterat, impio ferro præcidendum obtulit. A pari igitur liceat colligere nihil absurdi sequi, si celebris Ecclesiæ & vrbis Constantinopolitanæ dixerimus, subordinatè plures fuisse Patronos, summam (scilicet sub Deo solo) tutelarem, Virginem eius benedictam genitricem; secundarios verò sanctum Andream Apostolum, sanctum Lucam Euangelistam, & Beatum Timotheum Pauli vasis electionis præcipuum discipulum. Ephesi sancta Deipara Virgo erat maioris Ecclesiæ patrona: At sanctus Ioannes Apostolus, Euangelista & virgo, Episcopatus auctor erat ac defensor: Sic Constantinopoli ipsa Virgo Deigenitrix vrbis erat ac Imperij conseruatrix; at sanctus Andreas Apostolus, virgo & martyr religionis erat pater, Episcopalisque Sedis auctor ac propugnator. Semper est Angelis cognata virginitas, Reginæ Angelorum cum Apostolis sancta semper fuit connexio: Verùm maior cum iis intercessit affinitas, qui cœlibes ac virgines, sicut Angeli, semper extiterunt. Porrò Andreas & Ioannes singulari hac prærogatiua præcellunt; quamobrem fuerunt quoque à sanctissima Virgine Deiparente reliquis magis dilecti. Atque hactenùs satis supérque de huiusmodi patrocinio: De quo iam diximus libro quinto huius 2. partis, inscripto, *Regnorum Patrocinia.*

CAPVT III.

Pontificales Ecclesiæ in Italia.

§. I. *Alba ciuitas Episcopalis in Italia, S. Andream Apostolum protectorem agnoscit ac veneratur.*

LVRES sunt vrbes huius nominis in Europa, quæ ad distinctionem reciprocam propriis cognomentis appellantur: Est siquidem primò, Alba regalis (priùs Cæsariana) illustris ciuitas Pannoniæ superioris, quam Hungari vulgò vocant *Stulweisenburg*, quondam Hungariæ caput, vbi reges coronari & sepeliri solebant, antequam in Turcarum potestatem veniret. Secundò, Alba Iulia Da-

ciæ vrbs, ſiç dicta à Iulia Auguſta M. Aurelij Antonini matre, hodie *Fairwar*, quæ Sedes eſt Epiſcopalis in Tranſyluania, ſub Archiepiſcopo Colocenſi. Tertiò, Alba longa vrbs Latij vetuſtiſſima, ab Aſcanio condita, à qua Albanus ſeu Albanenſis Cardinalis Epiſcopus nomen habet, qui poſtremus eſt inter ſex Cardinales Epiſcopos, Romani Pontificis ſuffraganeos, & ei vt proprio Archiepiſcopo immediatè ſubiacentes. Quartò, eſt Alba cognomine Pompeia, ciuitas Epiſcopalis Liguriæ, ad Tanarum fluuium ſita in Montisferrati Ducatu, ſub Archiepiſcopo Mediolanenſi. Hæc eſt illa ciuitas Epiſcopalis, cuius præſulatum ſub medium ſuperioris ſæculi, præclarè geſſit, Hieronymus Vida Cremonenſis laurea poëſeos ſua ætate inter paucos illuſtris, cuius opera extant edita, quæ etiamnum in pretio apud omnes pios & eruditos habentur. Porrò in eius libro quem inſcripſit, *Hymni de rebus diuinis*, fuſum & elegans eſt carmen quod cecinit D. Andreæ Apoſtolo, quem ſuæ Sedis & Diœceſis Patronum colit, & iis laudibus celebrat, quibus vix alium Apoſtolorum attollit; ſic autem orditur,

Quam veteres multa arte tuo de nomine dictam
Cælicolûm Regi quondam poſuêre parentes,
Labantem victámque ſitu renouauimus ædem
ANDREA *tibi, conſpicuóque poliuimus ære,*
Marmoréque è niueo candentem ereximus aram.
Huic quicquid nobis bellum exitiale reliquit
Contulimus, tibi, nec pro tempore rebus egenis
Defuimus, ſi fortunæ foret illa prioris
Copia nunc, nec opes noſtras fera bella tuliſſent,
Forſitan hic lento templi quoque plurimus auro
Fulgeret tholus, & rigui plebs læta Ticengi
Diues te dignos aris inferret honores:
Illa Deum te poſt vnum veneratur, & omnem
In te ſpem locat. Iratum tu ſæpe tonantem
Concilias nobis, & iuſtæ te obiicis iræ;
Quandoquidem nihil omnipotens non annuit vltro
Deuinctus tibi, nil veteri non donat amori:
Quæque olim in terris fuerat tibi gratia viuo,
Hæc eadem te conſequitur cæli arce receptum,
Cæleſtúmque choros inter ſpectabilis omnes
Incedis bis ſex procerum non vltimus vnus:
Quos Deus humanos indutus corporis artus,

Subiunxit sibi dilectos ex omnibus vnos,
&c. . . . .
Tu prior accesti diuina voce vocatus
Ad lucem, verúmque datum est tibi cernere lumen
Ante alios : Petrus ipse, tua est pòst voce secutus.

Cetera quæ fusa sunt suo loco huius Encomij præconia; nempe lib. 9. & vltimo huius partis, qui selecta continet Epinicia sancti huius Apostoli ex sacris poëtarum piorum modulationibus, integra serie describentur. Hîc enim sola volui retexere carmina, quibus Hieronymus Vida Albæ Pompeiæ meritissimus Episcopus Beatissimo huic Apostolo, iura venerationis propter speciale suæ Sedis & ædis patrocinium, dignâ gratitudine rependit.

§. II. *Amalphitana Ecclesia Archiepiscopalis in regno Neapolitano; In qua quiescit & colitur S. Andreæ Apostoli sacratißimum corpus, eius quoque protectionis glorioso titulo fulget.*

AMALPHIS, Italicè *Amalphi*, vrbs est non ignobilis in regno Neapolitano; nam & Archiepiscopali dignitate, & Ducatus prærogatiua insignis est; quæ antequàm pretiosum Sancti Andreæ corpus è Græcia eò translatum fuisset, Episcopali dumtaxat pollebat Sede, erátque Salernitano Metropolitæ iure suffragationis deuincta: at ex quo venerabili hoc pignore, singulari Dei beneficio illustrata fuit; mox tanti Apostoli intuitu, ad Archiepiscopale decus prouecta est, & beatissimi huius hospitis glorioso nomine effulgere cœpit, ac felici eiusdem patrocinio gaudere, necnon splendidis omnino miraculis irradiari. De his iam plerisque locis, at maximè lib. 3. quo agitur de eiusdem sanctissimi Apostoli reliquiis, & lib. 4. quo de eius miraculis ex instituto tractaui, actum satis supérque. De erectione in Metropolicam Sedem, ipsius Beati Andreæ reuerentiâ, testem habemus omni exceptione maiorem Pium II. summum Pontificem lib. 8. Commentariorum, vbi historiam narrat translationis capitis eiusdem beatissimi Apostoli de Achaia Romam; *Deinde*, inquit, *longo pòst tempore in Italiam translatum & in Amalphitana vrbe reconditum fuit, quæ ob reuerentiam eius, Metropolis effecta sepulchrum habet gloriosum & operis magnificentiâ & concursu populi.*

Vt autem Amalphitanus Præſul haberet quibus præeſſet cum honore, quinque ei ſuffraganei prouidâ Sedis Apoſtolicæ diſpoſitione aſſignati ſunt, ſcilicet Epiſcopi Capritanus ſeu Capreæ Inſulæ, vulgò *Capri*: Scalenſis, aliàs *Scala*; Minorenſis *Minori*: Litterenſis ſiue Literanenſis, *Lettre*: & Rauellenſis, vulgariter *Rauello*, cuius Sedes tandem à Clemente VIII. Scalenſi vnita fuit.

Ex tomo 13. Annal. vbi Baron. deſinit, auctore Odorico Raynaudo Taruiſino Congreg. Oratorij Preſbytero. an. Chr. 1208. n. 29.

HOC *eodem anno S. Andreæ Apoſtoli corpus Conſtantinopoli Amalphim tranſlatum, in illius Eccleſiæ monumentis exaratum eſt, quæ recenſet Cardinalis Baronius, dum de eadem tranſlatione in Romani Martyrologij Notis mentionem facit*. Eorum verò exemplum publica auctoritate munitum, in Vallicellana noſtra bibliotheca aſſeruatur, ſed in aliquibus emendatione eget. Porrò eò delatum eſt ſacrum pignus à Petro, tituli S. Marcelli Preſbytero Cardinali, antè in Orientalibus Regionibus (vt ſuprà dictum eſt) legationis munere perfuncto, qui Amalphitanus cùm eſſet, patriam tanto munere decorare voluit. Ibi verò Petrus Cardinalis laudibus cumulatur, tum ob generis claritatem, tum ob bene legationem geſtam, tum ob egregias animi dotes, quo nomine, præclaro hoc elogio inſignitur:* Petrus ſanctæ Romanæ Eccleſiæ tituli S. Marcelli Preſbyter Cardinalis, ſcientia, moribus, & honeſtate, in Romana Eccleſia velut Lucifer, inter aſtra nitebat. *Hæc ibi, quæ proponere voluimus, vt Lector nòrit, iure Innocentium in rebus magni ponderis legationis onus, aliáque tanto viro impoſuiſſe, vtque huiuſmodi litteris Petri ſepulchrum decorari poſſet, de ipſo enim vti iam defuncto, ſuis litteris, poſt ſequentem annum datis, Innocentius* meminit.*

* Baron. ad Rom. Martyrol. die 9. May. f.

* Innoc. I. 13. ep. 157.

CAPVT

CAPVT IV.

Pontificales Ecclesiæ in Gallia.

§. I. *Burdigalensis, Metropolitana, & Primatialis, Aquitaniæ secundæ.*

ECCLESIÆ Metropolitanæ Burdigalensis quàm vetus & nobilis sit origo, quis fundator, quísque proprius inter Cælites tutelaris, & patronus, tum hoc maximè perillustri testimonio Innocentij Papæ VIII. in sacro diplomate anno salutis 1488. edito, satis euadit perspectum. De hac enim traditione edoctus, & priscis quæ viderat eiusdem Ecclesiæ monimentis, sanctissimus idem Pontifex asserit: *Hanc inter alias Metropolitanas Regni Franciæ Ecclesias valde esse insignem, & Sedi Apostolicæ immediatè subiectam, ac in toto orbe terrarum primam sub vocabulo B. Andreæ, S. Petri Apostolorum Principis germani, fundatam existere, & die ab olim qua passus est, per reuelationem S. Martiali fidem Catholicam ibidem prædicanti, factam, erectam fuisse.*

Hæc ex accuratissimis eiusdẽ Ecclesiæ nuper ad nos transmissis deprompsimus monimentis.

Nec mirum; Quanti enim Sedem hanc semper fecerint Romani Pontifices, hinc abundè patet ex ipso B. Andreæ titulo, vnde postmodum omnis eius gloria manauit. Et quidem Vrbanus II. qui belli sacri occasione in Gallias aduenerat, basilicam istam, à fundamentis restitutam, in honorem Dei, sub inuocatióne sancti eiusdem Apostoli, iam pridem, anno scilicet suprà millesimo nonagesimo sexto, cum pretiosis ipsius reliquiis consecrauerat. Cuius etiam Ecclesiæ iura cœmeterij, Apostolico quod sequitur, perinsigni decreto confirmauit. *In Concilio Romano, quod diuina voluntate ante corpus Beatissimi Petri Apostolorum Principis, solemniter celebrauimus, rationibus vestris per Petrum Decanum enarratis: Aduersariorum vestrorum oppositionibus diligenter pertractatis; decreuit S. Synodus matrem vestram Burdigalensem Ecclesiam filiam in Christo nostram, vnico priuilegio amoris nobis semper adiunctam, in perpetuum suum quod requirebat, habere cœmeterium. Igitur communi decreto Concilij, cœmeterium quod requirebatis ad sepulturam fidelium, Ecclesiæ statim vestra restituimus, & iure perpetuo,*

auctoritate Apostolica poßidendum conceßimus, subinde Petrum Decanum vestrum in conspectu Concilij, manu nostra inuestiuimus. Ne quis ergo persona, contra hanc Concilij definitionem, & nostram conceßionem, aliquo modo venire præsumat: auctoritate Dei omnipotentis, & beatorum Apostolorum PETRI ET PAVLI ATQVE ANDREÆ, *& nostra modis omnibus interdicimus. Datum Romæ apud S. Petrum 5. Non. Ma. Indict. 7. Incarn. Dom. an. 1099. Pontif. autem Dom. Vrbani II. PP. 12.*

Clemens etiam V. qui ex Canonico ipsius Ecclesiæ, Sedis eiusdem Archiepiscopus, inde verò Pontifex maximus creatus est, in Bulla, ceteras inter quas ad honorem huius Metropolis, quam Aquitaniæ Primatialem declarauit; in qua dierum 40. intra solemnia Translationis S. Andreæ, viginti videlicet ante festum, & 20. sequentium, indulgentias fidelibus, in forma concessit: tantæ propensionis suæ in eandem Ecclesiam affectum, hoc tenore verborum testatur: *Hæc est* (inquit) *illa Ecclesia quæ à iuuentutis nostræ primordiis; suis nos deliciis educauit vt filium, more matris; ipsa nos fouit vt virum, & tandem in suum Pastorem assumens, gradum se nostris subiecit ascensibus, per quem ascendimus solium Apostolicæ dignitatis. Propterea post Romanam Ecclesiam, sponsam Christi, quam nobis licèt immeritis, dignanter custodiendam commisit, inter vniuersas orbis Ecclesias, oculi nostri notiùs respiciunt.*

Verùm studio breuitatis, omittimus aliorum Rom. Pont. constitutiones, [a] Alexandri scilicet III. & [b] Pij II. Ducum etiam Aquitaniæ [c] Guillelmi; atque [d] Richardi; quinetiam Franciæ Regum Christianiss. [e] Ludouici Iunioris, [f] Caroli VII. [g] Ludouici XI. [h] Caroli VIII. [i] Ludouici XII. [k] Francisci I. [l] Caroli IX. tandem verò Ludouici Adeodati nunc feliciter imperantis, ann. 1644. & 1653. diplomata & edicta.

[a] an. D. 1159. [b] 1458. [c] circa an. 1089. [d] 1186. [e] 1137. [f] 1454. [g] 1474. [h] 1486. [i] 1498. [k] 1514. [l] 1563.

Horum omnium instar, nobis erit ex parte, vnicum Guillelmi Aquitaniæ Ducis nobile monimentum. *Ego Guillelmus* (inquit) *totius Aquitaniæ Dei omnipotentis nutu, atque hæreditario iure patris mei ac parentum meorum, Dux & Dominus, pro statu incolumitatis nostræ, seu redemptione animæ meæ & patris mei, &c. Sanctæ Dei Burdigalensi Ecclesiæ in honorem B. Andreæ Apost. dedicatæ, quam ab antiquis Regibus,* [m] *Carolo videlicet ac* [n] *Lodoico, ceterisque, summa quondam veneratione habitis, omnibus bonis potenter ditatam agnouimus; sed nunc, peccatis nostris exigentibus, miserabiliter delapsam videmus: Quidquid Comes Xantius, & pater meus Guillelmus dederunt & concesserunt: partem cameræ, seu monetæ, siue etiam omnium teloneorum, &c. ad restaurationem ædificiorum, seu postmodum ad mensam Canonicorum tradimus & concedimus, atque perpetuo iure donamus,* &c. *Præcepi; & hanc cartam, sine præceptum super altare diui Andreæ posui,* &c. (cum testium insigniorum, atque ipsius Ducis Guillelmi sigillis) *Berengarius Capellanus Comitis super altare S. Andreæ, sigillum impressit.*

[m] fuit Carolus Magnus.
[n] Ludouicus Pius Imperator.

§. II. *Agathensis Episcopalis Narbonensis primæ.*

AGATHÆ in Volcis Arecomicis, quæ pridem regno Gothorum subiacuit, Ecclesia Cathedratica vetus est & insignis, Narbonensi Metropolicæ & primatiali Sedi suffraganea: in qua olim Concilium, Agathense idcirco dictum, Symmacho Apostolicæ Sedi præsidente, anno Christi 506. consedit, vnúmque supra septuaginta canones condidit de sacris rebus, ac ritibus, & Ecclesiastica disciplina. Ex quorum præfatione constat iam tunc ipsam Ecclesiam Agathensem, S. Andream Apostolum tutelarem agnouisse & coluisse; sic enim proloquuntur SS. Patres, qui huic ipsi Synodo interfuerunt: *Cùm in nomine Domini, ex permissu Domini nostri gloriosissimi, &c. Regis, in ciuitate Agathensi sancta Synodus conuenisset, &c. in S. Andreæ basilica consedimus, de disciplina & ordinationibus Clericorum atque Pontificum, vel de Ecclesiarum vtilitatibus tractaturi.* Accessit demum S. Stephanus Protomartyr, B. Andreæ Apostolo in titulo & tutela Agathensis Ecclesiæ; prima tamen inscriptio & natiuum ius patronatûs S. Andreæ manet inconcussum. Vnde nuperus Ecclesiarum Episcopalium Galliæ Censor Claudius Robertus, prætermisso Sancto Stephano, Beatum Andream solum huius Ecclesiæ protectorem in limine Catalogi eiusdem ædis ac sedis Episcoporum consignat: *Ecclesia verò patronum habet sanctum Andream.* De miraculis ibi editis à Leone Episcopo per Sancti ipsius Apostoli inuocationem, legendus Gregorius Turonensis, cùm in proprio libello de miraculis S. Andreæ, tum lib. 1. cap. 79. de gloria Martyrum.

§. III. *Abrincensis Episcopalis secundæ Lugdunensis.*

ABRINCENSIS Ecclesiæ Episcopalis in Lugdunensi secunda (considet enim sub Metropoli Rothomagensi) eidem Beatissimo Apostolo consecrata est: atque in pignus potentis eius apud Deum patrocinij, non tantùm eius titulo gloriatur, sed pignore gaudet pretiosissimo, videlicet eius brachio venerabili, quo astrictus cruci, palmæ victorialis fructus suauissimos apprehendit. Ceterùm caue ne hanc Sedem Episcopalem permisceas cum alia ferè synonyma, nimirùm cum Arborea ciuitate Archiepiscopali in Sardinia sita, de qua sic notatum lib. 4. Notitiæ Episcopatuum

orbis c. 3. reperies, *Arborea seu Arborensis Archiepiscopus, Arbora, non habet suffraganeos Episcopos :* Vnde mirum cur censeatur Sedes Archiepiscopalis ? est enim nominis violenta vsurpatio : at nostra hæc Abrinca, seu Arborica ciuitas sub vero Archiepiscopo Rothomagensi constituta, vero contenta honore sese intra propriam mensuram continet Sedis Episcopalis, & quamuis Apostolico S. Andreæ patrocinio illustris, sese Ecclesiæ Metropolicæ Rothomagensis quæ sanctissimam Virginem Deiparam tutelarem veneratur, suffraganeam agnoscit.

CAPVT V.

Sedes Episcopales sub titulo S. Andreæ, in Anglia.

§. I. *Episcopalis Ecclesia Roffensis, sub Metropoli Cantuariensi, S. Andream Apostolum ab exordio suæ fundationis agnoscit tutelarem.*

REX Edilbertus primam ibi Ecclesiam fundauit, & sub opitulatione constituit Beatissimi huius Apostoli. In qua B. Paulinus primus Metropolita Eboracensis solio deturbatus, deinde Ecclesiæ Roffensi præfectus, post doctrinæ Euangelicæ copiosam propagationem, pio fine defunctus, vt in medio sui gregis bonus pastor sepultus est; Quemadmodum Venerabilis Beda sua in Historia gentis Anglorum memoriæ prodidit, de ipso scribens : *Vir fuit statura longa, paululum incuruus, nigro capillo, facie macilenta, naso adunco & pertenui, venerabilis simul & terribilis aspectu. Sepultus est in Secretario B. Apostoli Andreæ, quod Rex Edilbertus à fundamentis in eadem Rhoffi ciuitate construxit.*

Huius ædis & Sedis extremus ferè fuit Episcopus vir sanctissimæ memoriæ ac immortalis gloriæ Ioannes Flizerus maximus sua ætate Theologus; qui post multos exantlatos pro fidei Catholicæ defensione aduersus Lutherum (tunc tetra lue nefandæ hæresis Europam pessundantem, & in Angliam per sectarios suos irrumpentem) labores, cooptatus à Paulo III. summo Pontifice inter sacros Cardines Ecclesiæ Catholicæ, iussu demum Henrici VIII. Regis Angliæ, qui ex quo schisma excitauerat perniciosissimum, pios quos-

que perſequebatur, in odium puritatis & Apoſtolicæ Sedis contemptum iniuſtiſſimè occiſus, martyrij illuſtriſſimi pro vera fide & Eccleſiæ vnitate conſummati lauream ſacrâ etiam purpurâ fulgentiorem, feliciter adeptus eſt. Appoſitè quidam iam olim alteri inquirenti, cur nouus ille Herodes, Henricus, Ioannem decollari feciſſet, reſpondit, *quia dicebat ei Ioannes, non licet tibi habere eam*, Annam ſcilicet Bolenam, quam repudiatâ contra ius omne Catharinâ, Reginâ legitimâ vxore ſuâ, nefariè iuxtà ac impiè Rex ipſe ſuperduxerat.

Ceterùm exciderat mihi de Eccleſia Cathedratica S. Andreæ ciuitatis Roffenſis hoc quod eius monumenta perhibent de Tobia nono eiuſdem Sedis Antiſtite, viro pro temporum conditione multiplici eruditione præſtanti, vt pote qui peritia linguæ Græcæ & Latinæ nonnihil pollebat, & ſcientia præditus erat ſacrarum litterarum, necnon theoriis rituum Eccleſiaſticorum, quibus ita aſſuefactus erat, vt iis omnibus videretur facultatibus innatus: poſtquàm glorioſè regimini huius ſedis præfuiſſet, exuta mortalitate ſua in Eccleſia ſepultus fuit: *In porticu S. Pauli Apoſtoli, quam intra Eccleſiam S. Andreæ Apoſtoli ſibi ipſi in locum ſepulchri conſtrui fecerat.* Porticus illa S. Pauli nihil aliud erat, quàm ſacræ ædis B. Andreæ portiuncula ſeu ſacellum: erátque ibi ſicut camera ſeu capella in Eccleſia S. Felicis Nolani preſbyteri & martyris, provt de eiuſmodi Sanctorum cubiculis S. Paulinus ſcribit, quæ Chriſti altaria & Sanctorum ſepulchra S. Hieronymus diſputans contra Vigilantium infelicem hagiomachorum parentem exitioſiſſimum, piè, propriè & eleganter appellat. *vide Bedam*

§. II. *Pontificia Sedes Vellenſis, ſeu Bathonienſis, diſcretim vel promiſcuè ſumpta.*

VNA hæc, vel gemina ſimul copulata Sedes, S. Andrea primario Chriſti Apoſtolo, proprio vti patrono non immeritò gloriatur: Vellenſis ſiquidem Cathedra quæ Diœceſis radix eſt, cui Bathonienſis poſtmodùm erecta, vt ſtipiti ramus & viti palmes ſua ferè ab origine hæſit: Vellenſis verò ab ipſo ortu, patrocinio S. Andreæ eſt deuincta, in cuius honorem eam Ina Rex Viſiſaxonum conſtruxit; Kenulphus autem eius ſucceſſor illam copioſè dotauit, provt eius ſequens chartula palam demonſtrat, quam ex proba-

tis Archiuiis Franciſcus Goduuinus (quamuis heterodoxus) fideliter deprompſit & genuinè expreſſit in Commentario de Præſulibus Anglicanis, capite inſcripto, de Epiſcopis Bathonienſibus & Vellenſibus, in ipſa prælocutione.

IN NOMINE *Domini noſtri Ieſu Chriſti. Cùm conſtet omnibus Catholicis & rectè credentibus in Domino, quod tempora huius temporalis vitæ longè latéque per orbem incertis ac diuerſis cauſis quotidie tranſeunt, necnon homines ſubitanea ægritudine præuenti, ſtatim vitam finiendo deſerunt, ſimúlque omnia fugitiua amittunt: Beneficia Domini ſine aliqua tarditate pauperibus hic tribuendo erogemus, vt illic fructum mercedis in æterna patria, ſine fine cum Domino feliciter accipiamus. Quapropter ego Cynewlphus Occidentalium Saxonum Rex, aliquam terræ partem pro amore Dei, & pro expiatione delictorum meorum, necnon (quod verbo dolendum eſt) pro aliqua vexatione inimicorum noſtrorum Cornubiorum gentis, cum conſenſu Epiſcoporum atque Satraparum meorum,* DEI APOSTOLO *atque* MINISTRO S. ANDREÆ *humiliter adſcribendo, donabo. Hoc eſt vndecim manentium prope fluuium qui dicitur* Welwe, *ad augmentum monaſterij quod ſitum eſt iuxta fontem magnum quem vocitant* Wielea: *vt in eo diligentiùs in Eccleſia S. Andreæ Apoſtoli, Deo ſoli deſeruiant.* (Seriatim deinde latifundia cetera, quibus hanc Eccleſiam dotat, recenſet, demúmque hac clauſula donationem ſuam obfirmat) *Si quis hæc infringere aut imminuere auſus ſit, ſciat ſe coram Chriſto, & ſanctis Angelis eius in vltimo examine rationem redditurum. Scripta eſt hæc ſyngrapha anno Dominicæ Incarnationis 766. Indict. 12.*

✠ *Ego Cynewlfus Geſworum Rex, hanc meam donationem cum ſignaculo ſanctæ Crucis, roboraui.*

✠ *Ego Herwaldus Epiſcopus, huius munificentiæ chartulam propria manu ſignaui.*

✠ *Ego Ernchardus Epiſcopus huic largitati conſenſi & ſubſcripſi.*

CAPVT VI.

Sedes Episcopales sub titulo S. Andreæ in Scotia.

§. VNICVS. *Andreopolitana Sedes, in Scotia, Metropolica, & Primatialis.*

SEDES prima Scotiæ regni, primùm fuit in Murthlaco oppido, indéque Aberdoniam per S. Dauidem Scotiæ Regem translata, teste Hectore Boëtio lib. 11. de rebus Scotorum. Est autem Aberdonia, seu vt Latinius dici volunt Abredonia, vulgò *Aberdin*, vrbs Episcopalis Scotiæ, Academiâ, mercatu & salmonum piscatu insignis, penes quam diu extitit sacra totius regni præfectura : At hinc petente Iacobo III. Scotorum Rege eam in vrbem translata fuit, quæ dicitur Andreopolis, à Sixto IV. Pontifice Maximo anno humanæ salutis 1471. quo eandem vrbem Apostolicis Codicillis ad Archiepiscopalem dignitatem & totius regni primatum prouexit, assignatis ei octo suffraganeis Episcopis, scilicet *Dunekeldensi, Abredonensi, Morauiensi, Dumblanensi, Brechinensi, Rostensi, Cathanasiæ, & Orchadensi*, seu Orchadum insularum. Est in eodem regno Glascuensis alia Metropolis, cui duo tantùm Episcopi suffragantur, nimirùm Candidæ Casæ & Lismoriensis Præsules : nihilominùs cum Archiepiscopo suo Sanct-Andreano Metropolitæ, vt totius regni apici & Primati sacro obnoxij ; sed originis Sedis primariæ Andreopolitanæ notitiam exactiorem nuper tradidit & expressit Henricus Spelmam in sua Collectione, Conciliorum, Decretorum, Legum, Constitutionum in re Ecclesiarum orbis Britannici, edita Londini anno 1639. post Kenethi Regis religiosas leges, sub annum Christi 840. pag. 342. & 343. hoc verborum tenore.

His Kenethus Rex institutis, longéque pluribus, quorum partem maiorem vetustas, aut potiùs Regum sanctiones abrogarunt, populum ritè instructum magna felicitate vsque ad vita exitum rexit : Pontificiam Sedem Pictorum ab Abbernethi oppido, eo ferro & igne deleto, ad templum Reguli transtulit. Exinde huic oppido S. Andreæ adis nomen est factum, eósque

qui illuc per pluſcula inde tempora ſacrum geſſere magiſtratum maximos Scotorum Epiſcopos appellarunt: Nondum enim Scotorum regnum, vti nunc, in Diœceſes diuiſum erat, ſed quiuis Epiſcoporum quos ea ætate vitæ ſanctimonia cunctis reuerendos fecerat, quocumque fuiſſet loco ſine diſcrimine, munia Pontificia obibat: Huiuſmodi Scotorum Eccleſiæ adminiſtratio ad Malcolini III. tempora perſeuerauit, quando ipſe supernè admonitus ſacrum Multhalacenſem inſtituit magiſtratum. Cæterùm tanta reuerentia inter homines, tantáque vitæ innocentia & erga Deum pietate SACER DIVI ANDREÆ PONTIFICATVS *ab inſtitutione ſui, longa Epiſcoporum ſerie, ad tempus vſque quo hæc commentabamur eſt continuatus (ſex enim ſupra triginta Antiſtites, & eorum complures inter Diuos relatos, illic ſediſſe perhibent) vt nuſquam gentium veræ religionis cultus, morum conſentiente probitate magis effulſerit.* Hæc ille; qui tamen ſpecialis cultus S. Andreæ Apoſtoli, & euectionis eius Templi ad Primatiale decus Scotiæ regni mentionem non facit. Verùm præter ea quæ libro de S. Andreæ miraculis memoriæ æternæ conſignauimus, protectionis huius regni, & eius regum & populorum deuotionis eximiæ aduerſus ipſum ſanctiſſimum Apoſtolum, peculiaris eſt ratio, (nempe ſuſceptio eius brachij & aliarum quarumdam eius reliquiarum) quæ huc tranſlatæ ſtatim diuinæ virtutis ſplendoribus effulſerunt. De qua tranſlatione & eius auctore, Thomas Dempſerus Scotigena vir clariſſimus, quem in adoleſcentia mea vidi & audiui, magna cum nominis gloria eloquentiam vtriuſque linguæ Græcæ & Latinæ docentem, in ſua Eccleſiaſtica hiſtoria Gentis Scotorum, Bononiæ anno ſalutis 1627. lib. 5. ſcriptore 471. hac ſerie, *S. Euſebius, Monachus ea tempeſtate in Scotia ſanctitate & doctrina pollebat, qua S. Andreæ Apoſtoli brachium cum aliis eiuſdem corporis ſanctiſſimi reliquiis S. Regulus in Scotiam detulit, &c.* Scripſit tranſlationem S. Andreæ lib. 1. In ſacras ſcripturas, aliquid: Florebat anno 369. meminit Hugo Boethius lib. 6. hiſtoriæ Scotorum pag. 115. & alij. Vtinam temporum iniuria non periiſſet hic liber de tranſlatione brachij & aliarum reliquiarum S. Andreæ! vnde orta eſt eius gloria & cultus apud Scotos. Certè hinc rei geſtæ hiſtoria collecta iſto loco reponeretur ad ampliorem glorioſæ memoriæ tanti Apoſtoli celebritatem.

Ceterùm ſuſceptionis ſacrorum pignorum ipſius in Scotia,

tia, & ſignorum beneficorum, quæ hinc orta ſunt, occaſione, fuit iamdudum peregrinatio celebris ad ſacra eius limina, vt in hiſtoria vitæ S. Cadoci Epiſcopi Beneuentani filij B. Gundlei Regis Auſtralis Valliæ, ab auctore quidem anonymo, ſed antiquo, & vt videtur, contemporaneo deſcripta, obſeruaui, ſic enim in ea legitur c. 2. * *Congregatis autem diſcipulis eius, ait illis; Quandoquidem diuino nutu ter Hieruſalem, ſepties Romam pio Dei amore profectus ſum, ſupereſt vt orandi gratiâ, ad Eccleſiam S. Andreæ in Scotiam proficiſcar, &c.* Coronatus eſt autem martyrio Beatus ipſe Cadocus anno Domini 570. vt notauit Hurpsfeldius lib. 1. hiſtoriæ Anglicanæ cap. 27. vbi breue eius elogium ponit.

* Apud Bolandum, qui rudem expoluit auctorem, & alio ſtilo hanc vitam edidit, expreſſum ex MSS. Monaſterij Rubeæ Vallis, die 24. Ianuarij.

De peregrinatione ad S. Andream in Scotia olim percelebri, verſus qui ſcripti erant in votiua tabula, illic ſuſpenſa.

HIc ſinus iſte maris, malè fertile littus, opima
Tranſcendit patriæ fertilitate loca.
Hìc regio priùs orba viret, paupercula pridem,
Nunc diues; dudum fœda, decora modò.
Huc enim veniunt orare remota tenentes
Caſtra viri; patrio turba profecta ſolo,
Francus magniloquus, belli Normannus amator,
Textor Flandrenſis, Theutonicúſque rudis,
Anglicus, Almannus, Hollandus, Pictauus expers
Velleris, & cædis Andegauenſis amans;
Qui Rhenum Rhodanúmque bibunt, Tiberímque potentem,
ANDREÆ *veniunt huc adhibere preces.*
Nos quoque ſi tantos inter modò nomen habemus,
Venimus huc vecti, proſperiore rotâ.

FINIS LIBRI VI. ALTERIVS PARTIS.



SECVNDÆ PARTIS DE GLORIOSA S. ANDREÆ APOSTOLI MEMORIA

LIBER VII.

ECCLESIARVM INFERIORVM TVTELA.

CAPVT I.

In Græcia.

§. I. *Ex Fastis Siculis, seu Chronico Alexandrino:*

CC. XC. IV. Olympias. Indict. IX. Arcadio Aug. IV. & Honorio Aug. III. Coss.

IC *Arcadius Theodosij Magni filius coniugem habuit Eudoxiam, ex qua natus est Theodosius Iunior, habuit & filias Pulcheriam, Arcadiam, & Marinam* (cur prætermittit & Flaccillam?) *&c. Atque ex his quidem duæ, hoc est Arcadia ædificauit Thermas Arcadianas; Marina verò domum Marinæ: Pulcheria demum nupsit Marciano.*

Arcadia Ædem sacram diuo Andreæ, dictam Arcadiæ, extruxit, scilicet Constantinopoli, vbi Thermas sui nominis antè construxerat, nempe speciali deuotionis affectu, ipsa Arcadia magni Theodosij filia, Iunioris Theodosij & Bea-

tæ Pulcheriæ ſoror erga S. Andream Apoſtolum, opitulatorem regiæ vrbis Conſtantinopolitanæ ferebatur. In cuius piæ propenſionis teſtimonium, Eccleſiam, ſua magnificentia dignum opus ædificauit dotauitque. S. Thomas inter heroica pietatis opera, ædificationem templi recenſet iuxta illud Luc. 7. *Dignus eſt vt hoc illi præſtes, ſynagogam enim ædificauit nobis.* Fortè princeps Arcadia, templum hoc quod in honorem S. Andreæ Conſtantinopoli condidit; id fecit ad teſtandum ſuam erga eum deuotionem, in monimentum beneficij cuiuſdam à ſe diuinitùs eius intercesſione accepti; quemadmodùm Conſtantia filia Conſtantini Magni, memor opitulationis ſibi à ſancta Agnete Virgine & Martyre impenſæ, ædem illi excitauit inſignem: Cùm enim inſanabili vlceri medicinam quærens, nondum Chriſtiana ad beatæ ipſius Agnetis ſepulchrum acceſſiſſet, obdormiſcens ſibi audire viſa eſt, vocem hanc eiuſdem glorioſæ Virginis, *Conſtanter age Conſtantia? crede in Ieſum Chriſtum filium Dei, qui te ſanam faciet;* quæ ſanata paulò pòſt, vnà cum multis è familia Imperatoris, baptiſmum ſuſcipiens ibi Eccleſiam nomine beatæ Agnetis ædificauit. Sed Arcadia filia Theodoſij Magni, iam erat Chriſtiana cum ſorore ſua Pulcheria virgine, & Marina, quæ toto vitæ curſu cum inſigni pietate virginitatem ſeruauerunt. Marina, B. Marinæ, cuius nomen ferebat, baſilicam erexit. Pulcheria, quæ in ſanctiſſimam Virginem Deiparam Mariam (cuius honorem ſtrenuè aduerſus Neſtorium defenderat) Eccleſias plures ædificauit, inter quas ea longè aliis antecellebat ſtructurâ & ornatu, quam extruxit in Blachernis, vbi hæreſes protriuerat. Arcadia igitur cauſam propriam habuit, qua incenſa S. Andreæ Apoſtolo inſignem hanc Baſilicam, illius in honorem conſecrauit. Quænam autem fuerit hæc motio, aliam non coniicio quàm religioſam in eum propenſionem, ex eo profectam quòd ſingulare aliquod Dei beneficium eius auſpiciis fuiſſet adepta, vel quòd Sanctus hic Apoſtolus communis eſſet Achaiæ & Græciæ Tutelaris, & regiæ vrbis ſpecialis opitulator, & Virginum protector, quia totâ vitâ cœlebs permanſit, & puritatis corporum, & animarum ardens fuit zelator ac eximius perſuaſor.

§. II. Ex Procopio, libro 1. de ædificiis Iustiniani.

ERAT *quædam ab antiquo Apostolorum Ecclesia Byzantij* (quam scilicet Constantinus Magnus in honorem eorum, sed maximè SS. Andreæ, Lucæ, & Timothei erexerat, vbi & sepeliri voluit) *spatio temporis iam labefactata & ruinam minitans: Eam deiiciens totam Iustinianus Imperator non tam instaurare studuit, quàm multò amplitudine & elegantia præstantiorem erigere. Ita verò consilium hoc suum executus est.* (hic ædificij figuram describit, quam longum esset accuratim exprimere) *Postquàm venerabile hoc ædificium consummatum fuit, manifesti facti sunt Apostoli* (quibus scilicet hæc sacra ædes dicata erat) *veluti exultantes & gloriantes, eo quem Imperator illis impendebat honore: Corpora igitur Apostolorum Andreæ, Lucæ, & Timothei, quæ priùs occulta planéque ignota erant, omnibus tunc conspicua facta sunt, ipsis vt opinor non respuentibus Imperatoris fidem, sed palam ei concedentibus, vt ipsos videret, ad eos accederet, & quæ inde redundabat vtilitate ac securitate frueretur: innotuêre autem hoc modo. Constantinus Imperator hanc Ecclesiam honori ac nomini Apostolorum* (illorum scilicet) *ædificauerat; isthic sibi & secuturis deinceps Augustis, viris & fœminis sepulturam constituens, quod vsque ad hoc tempus obseruatur. Et Constantini quidem patris spectabatur tumulus, Apostolorum autem ibidem recondita esse corpora, nullo prodebatur indicio, neque locus erat vllus qui tam pretiosum pignus continere videretur; sed cùm Iustinianus templum illud ædificaret, & cùm latomi pauimentum omne perfoderent, euerterentque ne quid inordinatum & inornatum relinqueretur, tres isthic ligneas capsas neglectas reperiunt, atque ex inscriptis litteris intelligunt Andreæ, Lucæ, Timothei Apostolorum isthic corpora esse, quæ magna cum voluptate Imperator & Christiani omnes viderunt, rursúmque ea terræ committentes absconderunt, non inaccessum & ignobilem relinquentes locum, sed & corporibus quoque Apostolorum iam vacuum, religiosum esse constituerunt; ipsi verò Apostoli exhibitum sibi ab Imperatore honorem quodammodo remunerati sunt, idque in præsenti ostendunt. Cùm Imperatore religionibus* (id est rebus sacris) *intento, non deserit diuinum numen res humanas, sed adesse & immorari humanæ gaudet conuersationi.* Hæc ad verbum Procopius, quæ multò contractiora sunt in editione Francisci Cran-

ueldij, quam secutus est Cardinalis Baronius in notis suis super Martyrologium Romanum, ad diem 9. Maij, quo antiquæ translationis S. Andreæ & B. Lucæ, necnon & S. Timothei festiuitas celebratur.

Ceterùm in hanc narrationem Procopij sunt quædam accuratiùs expendenda;

I. Quod dicit de Ecclesia sanctorum Apostolorum: Quædam Ecclesia, quæ maior erat, vt scilicet Cathedratica regiæ vrbis, & Imperatorum ac Patriarcharum commune mausoleum; ratio est, quia insigniorem titulo & splendore Iustinianus eadem in Imperiali ciuitate nuper extruxerat, quæ etiamnum extat, sed polluta gemit sub fœdo Mahumetis iugo, & crudeli tyrannorum Othomanorum immanitate. Hæc est illa incomparabilis totóque orbe celebris sanctæ Sophiæ, seu Diuinæ Sapientiæ, (quæ Christus est mundi Saluator) Basilica tam stupenda mole, quàm ornatu & splendore: Cuius Euagrius structuram & magnificentiam lib. 4. cap. 24. non minùs verè quàm eleganter describit; Cui admirabili sacróque ædificio, vt notum esset posteris à quo fuisset auctore conditum, ipse eius instaurator Iustinianus admodum famæ suæ perennandæ cupidus, & memoriæ vxoris suæ Theodoræ, hanc epigraphem fecit in orbem figurari, (vt refert Cedrenus) *Tua de tuis tibi offerimus serui tui, Christe, Iustinianus & Theodora? Ea tu propitius accipe, Fili Dei, qui nostri causa carnem assumpsisti & cruci affixus fuisti; ac nos in tua fide conserua? Et quam nobis commisisti rempublicam, eam ad tuam gloriam auge, & tuere, intercedente sancta Deipara Virgine Maria.* Piè iuxtà ac præclarè: Non tamen propter tam stupendi quàm sumptuosi templi ædificium, decus templi Apostolorum Andreæ, Lucæ, & Timothei extinctum est: Idem enim Iustinianus illud à fundamentis (vt iam animaduertimus) instaurauit: vtque intactum reliquit Episcopalis Sedis, seu, vt iam vocabant, Patriarchalis honorem; sic & sepulturæ Imperialis ac Pontificalis priuilegium; Nam, vt testis est Procopius lib. 1. de ædificiis Iustiniani, de hac restauratione sacræ ædis dum scriberet, adhuc idem immotum perseuerabat.

II. Ipse Procopius interprete non ignaro indiget, dum scribit corpora dictorum Apostolorum priùs occulta planéque ignota fuisse ante hanc quæ facta est Iustiniano auctore,

templi eorum reparationem : Contrarium enim S. Hieronymus testatur, qui scribens aduersus Vigilantium, fretus rei ipsius notorietate (vt Iurisperitorum terminis vti liceat) asserit & inculcat tam conspicuum fuisse locum & celebrem corporum horum Sanctorum in ipsorum æde collocationis, vt non tantùm homines venerabundi ac supplices eò certatim confluerent, sed & dæmones angustiati eorumdem conspectu ac virtute, se ab iis torqueri horrendis rugitibus faterentur : *Ergo*, inquit, *sacrilegus fuit Constantinus Imperator, qui sanctas reliquias Andreæ, Lucæ, & Timothei transtulit Constantinopolim, apud quas dæmones rugiunt, & inhabitatores Vigilantij illorum se sentire præsentiam confitentur.* Non potest igitur quod scribit Procopius consistere, stante tam illustri tanti Patris testimonio, cui ipsius Solis splendor & omnis orbis constans fides adstipulantur. Temperamento igitur indigemus, vt quod ruditer scribit de ignoto penitùs loco experientiæ seu existentiæ illorum corporum sanctorum in ipsa eorum Basilica, commodè explicari & facilè possit intelligi. Sanè mos fuit Maiorum, Sanctorum corpora vel reliquias occultè quidem, sed reuerenter sub altaribus recondere. Lemma hoc amplissimè in notis ad Martyrologium nostrum Gallicanum mense Ianuario, vbi agitur de inuentione S. Quintini, datâ operâ iuimus ad summos (vt aiunt) iuris apices probatum. Non igitur hîc opus est circa hoc diffusiori dissertatione : Iudex erit Lector, modò sit doctus & prudens, piúsque, illius nostri laboris. Interim vt assertum nostrum firmetur per probationem, tritum est illud sacræ Apocalypsis, *Vidi sub altare Dei animas interfectorum :* Inde mos inoleuit sub altari Sanctorum reliquias, ad cultum Dei, ipsorúmque Sanctorum eius honorem, & loci sacri tutelam & titulum collocare. Vnde illud præfati S. Hieronymi aduersus Vigilantium, *Malè facit ergo Romanus Episcopus, qui super mortuorum hominum Petri & Pauli, secundùm nos ossa veneranda, secundùm te vilem puluisculum offert Domino sacrificia, & tumulos eorum Christi arbitratur altaria.* Certè non Romæ tantùm, sed vbique gentium in orbe Christiano mos ille viguit. Ex quo & sancti Andreæ & sociorum veneranda corpora Constantinus Magnus sub altare Apostolici templi, quod in eorum honorem extruxerat, recondidit ; sic enim constat ex Actis sancti Timothei, quæ apud Metaphrastem

extant. *Translatum deinde est* (eius corpus) *in vrbem regiam Constantinopolim, & positum in sanctissimo magno Apostoleo, siue sanctorum Apostolorum æde, vbi etiamnum repositæ asseruantur sanctæ eius exuuiæ sub sacra mensa, cum reliquiis Andreæ & Lucæ*, maioris scilicet honorificentiæ gratia; quoniam in templo nullus est locus dignior loco altaris: Neque enim sanctificat templum altare; sed è conuerso altare templum sanctificat, in quo situm est, vt anima in corpore, & sol in cælo, & in auro gemma. Nec obstat quòd tempore Iustiniani, corpora illa sacratissima non inuenta sint sub altari; emota enim, vt ait idem Procopius, fuerat temporum vetustate, illa Ecclesia. Insuper varij Præsules hæretici Constantinopoli consederant, pro quorum genij propensione multa fuerant eo loco mutata: nec modò templum, sed ipsum sanctuarium sæpe sæpiùs profanatum & diuinorum mysteriorum maiestas violata, adeo vt etiam sanguis Domini è sancto calice non semel fuerit in pauimentum effusus, vt suo tempore factum non sine lachrymis sanctus Chrysostomus queritur. Quid mirum igitur si mota fuerint ibi Sanctorum sepulchra, pretiosísque exuta lipsanodochiis & ligneis thecis inclusa, quod factum reor sub Iuliano Apostata, ipse enim ægrè admodum ferebat, à Christianis Martyrum coli reliquias, & in splendidis vasis ac locis Ecclesiarum illustrioribus collocari; Ideóque fideles non ferendæ superstitionis insimulabat, vt patet ex oratione S. Gregorij Nazianzeni, qua hanc eius calumniam potenter & neruosè refellit. Sed impius hic eiurator Christi & Sanctorum hostis, molestè tulit admodùm delatum sacris reliquiis SS. Andreæ, Lucæ, ac Timothei, in regia vrbe, honorem, in cuius odium confiсto crimine Artemium Ducem & Augustalem, cruentâ morte necauit, quòd auctor tantæ venerationis, curando translationem ipsorum Sanctorum Constantinopolim ex Achaia, extiterat.

Ceterum Iustinianus inuenta illa sacratissima pignora postquàm religiosè inspexit, honorificè etiam reposuit in thecis argenteis, & locum ipsum vbi reperta sunt neglectim posita exornauit: vt eius sanctitas contracta ex ipsorum sacrorum pignorum situ, quæ ibi abscondita fuerant, omnibus innotesceret. Sic testatur Procopius, & Acta B. Lucæ Euangelistæ, à Metaphraste descripta, in eius Natali. Atque de his satis, per modum parergi.

§. III. *Sancti Andreæ Monasterium Milasæ in Caria.*

Ex Actis sanctæ Eusebiæ siue Xenes virginis: Cuius vitæ epitome in Menæis & Anthologio Græcorum habetur: Vita autem ab anonymo eius æquali scripta, ex veteri Græco exemplari nuper edita est ab Ioanne Bolando Societ. Iesu Theologo, cap. 2.

ECCE *velut à portu veniebat senex quidam venerabilis, habitu quidem monachi, vultu verò nescio quid Angelicum præ se ferens: quem conspicata Christi virgo ad eius pedes accidit, lachrymísque perfusa hæc ait: Peregrinam in alieno solo ne despicias, &c. qui dixit, Quid vultis vt faciam vobis? Illa autem, vt post Deum noster fias pater & magister, sicut Paulus Theclæ fuit; ille verò ait, Vnde estis? & quam ob rem ita solitariæ? Sancta autem Dei virgo respondit, Peregrinæ sumus (ex vrbe Roma) serue Dei, simúlque decreuimus è patria abire, & in hæc venire loca. Deum itaque precamur nocte diéque, vt mittat nobis hominem, per quem saluæ fieri queamus; Ecce ergo Deus ostendit mihi sanctitatem vestram, quæ nostram poßit suscipere infirmitatem. ille verò, Credite, inquit, mihi sorores, & ego hospes sum in hac regione. Nunc primùm, vt videtis, è sanctis locis oratione facta venio, & in patriam reuertor. Dicit ei Dei famula, Ex quibus partibus est sanctitas tua Domine mi? ille verò, Ex partibus Cariæ sum, Milasa vrbe. Dicit ei iterum Christi sponsa, Obsecro sanctitatem tuam, quodnam est munus quod geris? videor enim mihi Episcopalem quandam in te speciem atque habitum videre. Respondit Dei seruus, Ignosce mihi, soror, homo peccator sum, & monachico habitu indignus: misericordia autem Dei sacerdos sum, & Præfectus paucorum fratrum Monasterij* GLORIOSI APOSTOLI SANCTI ANDREÆ, *nomine verò Paulus dicor. Hæc vt audiuit Christi famula, gratias egit Deo, dicens, Benedictus sis Deus! quia exaudisti me humilem, & misisti sicut Theclæ Paulum, vt me saluet cum duabus meis sororibus his: Deinde ad eum conuersa, Obsecro te, inquit, serue Dei, ne despicias hospitas & solitarias nos, sed secundùm Deum sis nobis pater.* Rebus posteà vtriusque, & patris & filiæ gestis, abhinc vsque ad eorum mortem seriatim enarratis, sic Auctor historiam lectu suauem concludit; *Atque hæc est conuersatio Xenes, illius in hoc mundo hospitis, sed cæli ciuis, atque*

in

in carne Angeli; in Deo exultat, ciuitatis portas tuetur; Neque enim mors potestatem eius, virtutémque infregit, nec locus beneficentiam dissipauit. Corpore vt vestimento exuta est, diabolum vt serpentem interemit, mundum vt fabulam æstimauit, &c. S. Paulus, (qui ex Patre Ascetarum, monasterij S. Andreæ Episcopus, post S. Ephrem creatus fuerat) *aliquandiu sanctæ Xenæ superstes fuit, & creditum sibi à Deo gregem, sanctè & irreprehensibiliter regens, in maius gratiæ incrementum profecit, vt iam eius precibus & fugarentur dæmones, & variæ fierent curationes. Tandem Deo rationale suum ouile commendans, & ipse ad Dominum migrauit. Conditæ sunt sanctæ eius reliquiæ in eadem vrbe,* IN ORATORIO *sancti & gloriosi Apostoli* ANDREÆ. *Et nunc ambo in Domino exultant; cum quibus faciat nos Dominus misericordiam inuenire, in illa die, iustus iudex, cum omnibus qui diligunt reuelationem eius, ipsi gloria & imperium cum immortali Patre, & viuificante eius Spiritu, nunc & semper in sæcula sæculorum; Amen.*

§. IV. *In Achaia, & Thracia.*

IN illustrissima illa translatione, qua pretiosa ossa S. Andreæ de Achaia in Thraciam (scilicet Constantinopolim) aduecta sunt; sicut vbique quà transibat sacra illa sarcina, diuinæ virtutis magnalia coruscarunt: sic populi non ingrati de susceptis tunc, ipsius Beatissimi Apostoli merito ac intercessione, beneficiis in æternum eorum perennéque monimentum, aceruos testimonij, vbicumque Apostolica illa rheda vel tantillùm pausauerat, erexerunt; scilicet Oratoria & Martyria, vt tunc vocabant, ipsius gloriosi Apostoli, & eius in hoc triumpho sociorum honorificationi dedicata. Id me docuit S. Paulinus in sæpe citato supplemento Natalis XI. apud Dungalium, quo ita canit:

. . . . Iam quanta per istam
Sanctorum per longa viam diuortia terræ
Creuerit vtilitas, ad nostræ munia vitæ,
Ipsa docent hodiéque loca, in quibus illa beati
Rheda oneris posita, tuta statione resedit
Omnibus in spatiis, quacumque aut mansio sanctis
Corporibus, requiésve fuit, vectantibus illos
Sacratos cineres, miris clamantia signis:
Nam diuina manus, medica virtute, per omnes

Est illic operata vias, qua corpora sancta
Impressere sacro vestigia viua meatu.

Vtinam suppeteret adhuc vel saltem indiculus illorum sacrorum titulorum: nam trophæa illa Apostolica pridem deleta sunt, infelicis Græciæ & Achaiæ variis concussionibus; quæ præclaræ Orientis prouinciæ iampridem oppressæ gemunt, sub funesto Turcarum iugo, iacéntque suis passim sub ruinis & ruderibus consepultæ.

CAPVT II.

De Ecclesiis inferioribus, scilicet Collegiatis, vt aiunt, & Monasticis, Paræcialibúsque insignioribus, aliísque in memoriam & honorem Beati Andreæ Apostoli Deo consecratis, in Italia.

§. I. *De locis sacris venerationi sancti Andreæ in vrbe Roma: & Pontificibus Maximis, qui in cultum eius piè affecti, sacras illas ædes, vel fundârunt, vel censu auxerunt, aut illustrârunt multiplici ornatu.*

VNT qui putent, primum Pontificem, qui Ecclesias vel oratoria aut monasteria colendæ memoriæ sancti huius Apostoli erexerit, fuisse S. Gregorium Magnum, qui, vt omnibus notum est, feruentissimo deuotionis æstu erga ipsum flagrauit: sed suo in calculo hallucinantur. Roma numquam fuit immemor vnici germani Petri, qui eam in apicem vniuersalis Ecclesiæ, sua prædicatione, suáque sede & cruce, auspice Christo, euexit; nec Pontifices Petri successores, adductoris eius ad Iesum (ex quo fonte defluxit omnis eius felicitas & gloria) obliuisci potuerunt.

Primum tamen, quem inuenio ipsi B. Andreæ sacram struxisse ædem in vrbe, sanctus est Symmachus, qui anno Christi 499. thronum B. Petri conscendit; de eo enim sic scribit Anastasius in Pontificali libro, *Hic fecit Basilicam S. Andreæ Apostoli, apud* (id est prope, vel iuxta) *B. Petrum Apostolum, vbi fecit tigurium* (ciborium) *ex argento, & confessionem pensan. lib.* 120.

Secundus fuit sanctus ipse Gregorius, de quo hoc litteris consignauit Ioannes Diaconus in eius vita lib. 1. c. 5. & 6.

Tandem patre orbatus, vbi liberam disponendarum suarum rerum nactus est facultatem, sex Monasteria in Sicilia fabricans sufficientibus fratribus cumulauit; quibus tantum prædiorum contulit, quantum posset ad victum quotidianum, Deo illic militantium, sine indigentia suffragari: Septimum intra vrbis Romanæ mœnia, iuxta Basilicam sanctorum Ioannis & Pauli ad cliuum Scauri monasterium, in proprio domate fabricauit, in quo relictis sericis, auro gemmísque radiantibus togis, simúlque supellectilibus reliquis, in vsum pauperum erogatis, ex mundi huius naufragio nudus euasit, diúque monachicum capiens indumentum, primò sub Hilarionis, deinde sub Maximiliani venerabilium Patrum regimine, multis sibi sociatis fratribus, regulari tramite militauit; pòst verò cùm subesse mallet, fratrum votiua concordia imminente, præesse non renuit, &c. Et cap. 10. eiusdem lib. felicem statum huius Monasterij quod fundauerat, & cui præerat referens, & causam assignans, subiungit ex sancti Andreæ, quem tutelarem loci huius elegerat, adiutorio contigisse. *Quippe qui* (inquit) *non solus, sed socialiter cum B. Andrea Apostolo, suo Monasterio, signis euidentibus sit præfuisse putatus.* Et verò sanctus ipse Gregorius de miraculis scribens, quæ sanctus hic Apostolus in suo illo monasterio indesinenter edebat, asserit tantam illius loci ipsum S. Andream se gerere curam ostendere, ac sic eiusdem Monasterij proprius Abbas existeret. Verùm de hoc monasterio iam suprà diximus, & rursùm infrà nonnihil dicendum erit. Meminit huius monasterij Anastasius in libro Pontificali, sed obiter; in ipso Gregorio, numero Pontificum 65.

Tertius est Sergius I. qui anno 688. Pontifex creatus est. De hoc enim ipsemet Anastasius scribit: *Hic oratorium S. Andreæ Apostoli, quod ponitur via Lauicana, à fundamento refecit:* Nec exprimit tamen à quo fundatum fuerat.

Quartus est Ioannes nomine sextus, ipsius Sergij successor, de quo idem scribit: *Hic fecit in Basilica S. Andreæ Apostoli, quæ ponitur infra Ecclesiam B. Petri principis Apostolorum, ambonem nouiter.* Hæc erat sacra B. Andreæ ædes, quam, vt iam insinuauimus, Symmachus Papa iuxta B. Petri Basilicam extruxit.

Quintus est S. Gregorius II. de quo idem auctor num. 90. catalogi Pontificum sic habet: *Hic fecit Gerocomium*, quod post absidem sanctæ Deigenitricis ad præsepe situm est,* * Gerontocomium

vbi monasterium instituit : Atque monasterium S. Andreæ Apostoli ; quod Barbaræ nuncupatur, ad nimiam redactum desertionem, in quo nec vnus habebatur Monachus, adscitis Monachis, ordinauit, vt vtraque monasteria, scilicet B. Mariæ & S. Andreæ singulis diebus ac momẽtis laudes Deo canerent.

Sextus est Hadrianus I. de quo eodem in libro Pontificali legitur; *In Ecclesia S. Andreæ Apostoli sita iuxta* * *eandem B. Petri Ecclesiam Ciburiam* [a] *nouiter de argento mundißimo ipse ter beatißimus Pontifex fecit, qui pens. lib. centum triginta quinque.* Et infrà inter initium & finem : *idem eximius Antistes fecit in Ecclesia S. Petri ad corpus imaginem* [b], *quæ dudum ex argento inerat* [c] *Saluatoris, sanctæ Deigenitricis, sanctorum Apostolorum Petri ac Pauli atque Andreæ, de auro purißimo miræ magnitudinis, pens. lib. ducentas.*

* Vides hîc apud Anastasiũ *apud* sumi passim pro *iuxta*, vel *prope*.
[a] *Ciborium*
[b] *imagines*
[c] *inerant*

Septimus est Leo III. qui Carolo Magno imperante sedit, de quo idem prodit Anastasius: *Sæpedictus verò Antistes sanctißimus Ecclesiæ B. Andreæ Apostoli sita in tricesimo, via Appia scilicet: sarta tecta nouiter renouauit, vnà cum Baptisterio* *, *& porticu. In qua Ecclesia Presbyterum constituit, vbi & dona obtulit, tam in argento, quàm in vestibus & libris.* Et infrà, *Super altare S. Andreæ, fecit vestem chrysoclauam cum margaritis ; sed & Presbyterium ex marmoribus sculptis ornauit.* Ac rursùs infrà ; *Fecit autem idem beatißimus Pontifex, in basilica S. Andreæ vbi suprà, regnum,* (id est mitram corona ornatam) *ex auro purißimo, cum gemmis pretiosis ornatum, pens. libras duas & vncias quinque.* Iterúmque de eodem Pontifice ; *Hic fecit ad B. Andream Apostolum ciborium ex argento purißimo, super altare maius pens. lib. triginta & quinque : Hic autem præcipuus Pontifex diuinitùs inspiratus, baptisterium vt suprà conspiciens, quia iam prænimia vetustate ruinæ proximum inerat, & quia angustior locus populi existebat, qui ad baptismum veniebat, idem præsul à fundamentis ipsum baptisterium in rotundum, ampla largitate construens, in meliorem extruxit statum : atque sacrum fontem in medio, largiori spatio fundauit, & in circuitu columnis porphyreticis decorauit, & in medio fontis columnam posuit, & super columnam agnum ex argento purißimo, fundentem aquam, qui pens. lib. decem & octo, & vncias decem : Necnon & altare maius sub absida construxit ; Cuius faciem atque confeßionem, seu rugas, ad decorem ipsius sacri altaris, inuestiuit ex argento mundißimo pens. simul lib. quadraginta & octo:*

* Matrix igitur & parœcialis erat; nec condita hæc fuit à Symmacho, vel Gregorio. Igitur nõ eadem cum vna vtriusque, sed alia hæc erat.

verùm etiam & vestem de stauraci super eam posuit, atque regularem ibi superinuestitum ex argento purissimo fecit: Et ipsum super regularem posuit arcum & gemmadias ex argento, qui pens. simul lib. octuaginta; Necnon & imagines tres ibi superposuit pens. inibi lib. triginta & septem & vncias decem. Ipsum vero baptisterium diuersis in circuitu decorauit picturis. Et de eodem Papa iterum; *imò in Ecclesia sancti Andreæ Apostoli, qui * appellatur Eudoxiæ *, eodem modo fecit coronam de argento pens. lib. nouem.* Et adhuc posteà, *Et in monasterio sancti Andreæ in clibus Cauri* (rectiùs in cliuo Scauri) *similiter fecit coronam de argento puro pens. libras quinque.* Et idem subinde, *Ipse almificus Præsul fecit in monasterio sanctæ Mariæ, quod appellatur Ambrosij, canistrum ex argento pens. libras duas & vncias septem: Pari modo fecit & in monasterio sanctæ Mariæ quod appellatur Iuliæ: sed & in monasterio S. Andreæ, quod ponitur iuxta basilicam Apostolorum fecit similiter.* Et iterum de eodem Papa, *Gradus verò per quos ingressus est in Ecclesiam B. Petri Apostoli, à sancto Andrea Apostolo, qui vetustate consumpti erant, à nouo refecit.* Rursùmque infrà de eodem: *Super altare verò B. Andreæ vbi suprà, fecit vestem albam holosericam, rosatam, cum tabula de chrysoclauo, habentem historiam Dominicæ Resurrectionis, & in circuitu listam de chrysoclauo.* Et versus finem, *Verumetiam idipsum, deorsum, vbi sacratissimum corpus ipsius principis Apostolorum requiescit, renouauit imaginem auream habentem vultum Saluatoris Domini nostri Iesu Christi, ac sanctæ Deigenitricis Dei Mariæ Dominæ nostræ, & Beatorum Apostolorum Petri & Pauli atque Andreæ: necnon & Beatæ Petronillæ Martyris, vbi & addidit auri obrizi libras* XXI. *& vncias tres; imò verò vbi suprà ante sanctum Andream vestiuit altare S. Martini Confessoris Christi de argento purissimo,* &c.

* *qua*

* Hæc igitur erat Romæ S. Andreæ Ecclesia sub titulo Eudoxiæ: quo etiam alius titulus erat S. Petri in Exquiliis. Vide Martyrol. Rom. Kal. Aug. & ibi Baronium in Notis.

Octauus est Leo nomine IV. de quo idem Anastasius hæc prodit, *Et quia erat diuino semper munere perornatus, dignámque de omnibus curam & sollicitudinem habere studebat feliciter, fecit in oratorio S. Andreæ Apostoli, ad sanctum Petrum vela maiora de fundato duo, & alia minora quinque ornata in circuitu de blattin.* Et infrà, *Fecit & quandam aliam* (imaginem) *positam in partem læuam depictam, vultum habentem S. Andreæ Apostoli, &c.* Et inferiùs, *Fecit & in Ecclesia B. Andreæ Apostoli, ciborium super altare, marmo-*

reum, necnon & calicem de argento cum coronis pendentibus in eodem ciborio, numero duodecim pens. libras. fecit etiam ibi ipsum campanile, & posuit campanam cum malleo æreo & cruce ex aurato. Posteà recenset, vt idem Pontifex porticum Ecclesiæ sancti Andreæ cohærentem restaurârit. Et iterùm infrà: *Ipse quoque beatissimus Pontifex fecit in oratorio S. Andreæ Apostoli, quod S. Petri cohæret Ecclesiæ, vestem sericam vnam, habentem historiam aquilarum, & in medio, tabulam cum chrysoclauo, in qua depictæ Christi & discipulorum eius dextra læuáque imagines fulgent*, &c.

Nonus est Stephanus VI. Sic enim de eo Anastasius refert; *Et in oratorio S. Thomæ sito in monasterio S. Andreæ Apostoli, iuxta basilicam Apostolorum, vestem vnam.* Ceterùm ista Ecclesia Apostolorum, non erat Beatorum Petri & Pauli propria, sed omnibus dicata Apostolis, de qua ipse Anastasius, loquens de eodem Stephano summo Pontifice, paulò inferiùs ait: *Maximam quoque partem* (reliquiarum sacrarum, quas ex diuersis vrbis titulis collegerat,) *collocauit apud Ecclesiam, quæ ad Apostolos dicitur: Hanc senio consumptam, & ruinæ proximam, idem sanctissimus Papa, à fundamentis renouauit, & plurimis donariis compsit & ornamentis: Ea quippe erat intentio, vt ea quæ Deo sunt acceptabilia, semper ageret.* Porrò extat etiamnum illa Ecclesia Romæ, passimque *ad sanctos Apostolos* dicitur.

Decimus est Pius II. qui caput sancti Andreæ allatum de Achaia, Romæ magna pompa suscipiens, in Basilica ipsius fratris, Petri principis Apostolorum, ipso die Paschæ sacratissimo, cinctus Cardinalium Senatu, populo innumerabili, vnà cum Dominico vultu, impresso velo Veronicæ, summa cum reuerentia venerandum ostendit: deinde in sacello ad hoc instructo arcis S. Angeli recondidit, donec ei loculus idoneus apparari posset: fecit igitur illi thecam pretiosam ad sacrum ipsum verticem posteà collocandum, inque Basilica magna S. Petri reposuit.

Vndecimus & non vltimus * est Paulus V. qui sacratissimum ipsum B. Andreæ caput magna cum pietatis significatione, in nouam Basilicam S. Petri, à se demum feliciter absolutam fecit honorificè deportari: inibi perpetua fidelium veneratione, cum præcipuis redemptionis nostræ monimentis percolendum. Rem gestam memoriæ sic consignauit Adrianus Mœbercius Diestensis, in instructionibus suis Euan-

* Quia alij sunt summi, eadem successi deuotione Pontifices, infrà in Analectis, recensendi.

gelicis, vbi agit de ſanctiſſimi huius Apoſtoli glorioſa celebritate; Anno Domini 1606. die 21. Martij in maiori hebdomada, Paulus Papa V. eiuſdem ſancti Apoſtoli caput, vnà cum imagine Veronicæ & lancea latus Chriſti aperiente, iuſſit transferri ſolenniter ex archiuis baſilicæ Vaticanæ in nouum S. Petri templum, in certum ſuggeſtum ſeu ciborium ad hoc paratum, benedictâ primùm per Illuſtriſſimum ac Reuerendiſſimum Pallotum Cardinalem Conſentinum capsâ cypreſſinâ ſericis pannis veſtitâ pro ſacris reliquiis ibi recondendis: ſicut autem capiti ſancti Andreæ imago Chriſti magiſtri ſui in ſudario Veronicæ (diuinitùs impreſſa) non incongruè iungitur; ita etiam lancea ſacra, optima ratione eidem ſacro capiti ſociatur; ipſe enim S. Andreas Apoſtolus anno Domini 1098. cuidam Clerico apparens (Antiochiæ in Eccleſia S. Petri) lanceam eandem iuſſit quæri, & locum vbi defoſſa iacebat demonſtrans, fecit inueniri, quam inuentionem ſuprà ex Guillelmi Tyrienſis Archiepiſcopi Commentariis, de bello ſacro, deſcripſi.

Sed ſatis pro inſtituto de ſancti Andreæ in Romana vrbe cultu & gloria, ſacríſque ædibus eius in honorem conſtructis, eiúſque ſacris pignoribus & variis donariis ac ornamentis à ſummis Pontificibus ſucceſſiuè ditatis & decoratis. Sed iam redeundum in rectam præfixi capitis ſeriem, obitérque inueſtigandum, quibus aliis Italiæ locis celebres ſint Eccleſiæ, quæ eius ſub titulo conditæ ſunt, eúmque vt proprium patronum venerantur. Ceterùm extat Conſtitutio Gregorij XV. de Eccleſia ſancti Andreæ de Funariis in vrbe, in nouo Bullario tom. 3. pag. 327. & 328. num. 47.

§. II. *Mantuæ, Collegiata Eccleſia ſancti Andreæ, Chriſti ſanguine purpurata.*

PRÆTER Cathedralem Eccleſiam, quæ S. Petro à ſua fundatione conſecrata eſt, hîc alia eſt Eccleſia inſignis, germano ipſius Apoſtolorum principis, B. Andreæ Apoſtolo dicata, quæ ceteras inter Collegiatas eiuſdem vrbis cenſetur prima, de qua Ferdinandus Vghellus tom. 1. Italiæ ſacræ in præfatione Catalogi Epiſcoporum Mantuanorum hunc in modum ſcribit: *Quatuor ibidem Collegiatæ Eccleſiæ viſuntur, in quibus illa quæ S. Andreæ dicata eſt, habetur præcipua, vbi ſanguis Chriſti honorificentiſſimè aſſeruatur, cum corpore S. Longini, aliiſque Sanctorum pignoribus*, &c. Et

" infrà, num. 1. Gregorium patria Romanum Leo III. Papa
" primum Mantuanum creauit Episcopum, &c. eundémque
" quampluribus exornauit priuilegiis, sicut & Carolus Ma-
" gnus, qui & ipse sanguinem Christi adoraturus Mantuam
" concessisse narratur. Et num. 8. in Martiano seu Martiali;
" Quæ Comitissa Mathildis in gratiarum actionem Ecclesiam
" sancti Andreæ, Martiali primum lapidem iaciente, reædifica-
" re exorsa est : ibi igitur ex diuino instinctu, iterum sanguis
" Christi cum corpore S. Longini repertus est, quem Mar-
" tianus, dum sancti Andreæ ædificium absolueretur, in Ca-
" thedralem inferendum curauit; quem vt suppliciter ado-
" raret Leo IX. se contulit Mantuam, &c. De inuentione
" huius sacratissimi sanguinis, (qui absoluta æde sacra Beati Andreæ, in eam relatus est, vbi nunc vsque condigno cum cultu asseruatur) ad latus portæ maioris Ecclesiæ ipsius S. Andreæ, hæc sequens rudior inscriptio, legentibus prostat,

Omnipotens Domine Iesu,
Sanguinis tui gloriosi
Hoc in templo locati
Honori & reuerentiæ,
Gratum vtinam maiestati
Tuæ, atque huic vrbi
Propitiabile, dicatum
Istud opus accipe;
Et ad vota id tibi offerentium
Respice pietate tua
Clementissime Pater!

M. CCC. II. . . . . Bonifacij Papæ
Noni XIV. Wencelai Romanorum
Regis XXVII. Anno eius sacri
cruoris
Hic inuentione facta sub Leone
Papa III. & Carolo Magno
D. XC. Anno III.
Sub Leone IV. Et
Henrico III. Erectioni
Eo tempore huius Ecclesiæ
Comite Beatrice & Mathilda
CCC. L. IIII.

Perspicui sunt anachronismi hac in inscriptione, quos notat Vghellus & conciliare satagit, an rectè? Lector viderit

pag.

p. 931. ipsius indiculi Mantuanorum Episcoporum. sed hîc notabilis incidit quæstio, num scilicet sanguis ille Christi Domini, qui seruatur Mantuæ, sit verus Christi sanguis, necne? Mouet ex professo, háncque ipsam dirimit quæstionem Ioannes Carthagena in Christi Domini arcanis lib. 4. qui est de cruenta ipsius Christi Circumcisione homil. 8. §. 7. quæst. 1. satis fusè.

§. III. NEAPOLI.

I. INTER Monialium Cœnobia, tertium illud est, quod titulo S. Andreæ Apostoli gloriatur.

II. Item Capella S. Andreæ de Calzaiuoli nuncupata, cum dote sexaginta ducatorum.

III. Ecclesia sancti Andreæ, quæ nonnullas habet Capellanias, quarum sexta numero est sub inuocatione sancti Marci de Magazenieri, de Vino, cum dote triginta ducatorum.

Ex libro Italicè scripto, cui est titulus, Il regno di Napoli diuiso in dodici prouincie: *Auctore Henrico Baco Alemano edito Neapoli per Lazarum Scorianum anno 1622.*

§. IV. IN MONTE SORACTE.

MONS Soractes, vulgò, *Monte de sancto Siluestro*, quòd in eo sanctus Siluester Papa, persecutionis tempore latitauerit. Mons est Hetruriæ, cum pago, qui Soristo dicitur, inter montem hunc & Tiberim sito: inter Fescenniam ciuitatem, à qua ad septem M. P. abest, & Arianum oppidum, ab vrbe Roma ad XXV. M. P. distans. Ibi erat celebre S. Andreæ monasterium, quod Carolus Caluus cùm in Italiam venisset, imperium auspicaturus, censu opulento locupletauit. quemadmodum refert Eutropius Longobardus, hac verborum serie. *Qui (Carolus Caluus) veniens Romam, renouauit pactum cum Romanis, perdonans illis iura regni, & constitutiones illius, tribuens illis sumptus de tribus supradictis monasteriis, id est Domini Saluatoris, & beatæ Mariæ semper Virginis in Sabinis, atque S. Andreæ iuxta montem Soractis: & de ceteris quamplurimis monasteriis, Fiscalia patrimonia.* Hæc legere est apud Gretserum in Apologia pro Cardinale Baronio, quæ extat inserta cum vita Gregorij VII. ab eo edita pag. 381. typis Sartorianis, Ingolstadij anno 1610.

§. V. RAVENNÆ.

CELEBRIS nominis, ac perelegantis structuræ, fuisse Rauennæ iam olim duo templa, §. Andreæ Apostolo dicata: quorum alterum S. Petrus Chrysologus fundauit: alterum Theodoricus Gothorum Rex: Rauenatensis Ecclesiæ, quæ Flaminiæ, seu Romandiolæ, quartæ Italiæ Prouinciæ sacer est apex: ipsius vetusta monimenta perhibent. Fortunatus qui Rauennæ primos vitæ annos exegit, & ex Italia in Galliam iam Presbyter transiens euasit demum Episcopus Pictauiensis in Aquitania 2. testis est, sua ætate sacras has moles fuisse à Vitali laudabilis nominis Rauennatensi Episcopo extructas, seu instauratas. Nam lib. 1. carminum c. 1. denarrat templi S. Andreæ peracta ingenti cum splendore ab ipso Vitali Archiepiscopo, sacræ ædis B. Andreæ encænia. Et cap. 2. decora pangit, quibus templum illud præcipuum exornatum erat: huius enim cap. inscriptio est, *De templo S. Andreæ, quod ædificauit Vitalis Episcopus Rauennas.* Templum S. Andreæ monasterio eiusdem nuncupationis cohærebat; in quo S. Maximianus 30. Archiepiscopus eiusdem Sedis, redux è Græcia, barbam sancti ipsius Apostoli Andreæ sacro pignore collocauit; qui defunctus in eodem templo S. Andreæ sepultus fuit. Extat Gregorij IX. munificum diploma ad Theodoricum Archiepiscopum Rauennatensem: quo inter cetera Templa monastica, Ecclesiæ Rauennatensis propria, S. Andreæ Apostoli templum & cœnobium nominatim censetur. Datum hoc signatur rescriptum Perusij, per manum Martini S.R.E. Vicecancellarij . . . . Idus Decembris Indict. 1. anno Incarnationis Dominicæ 1228. Pontificatus eiusdem Gregorij Papæ IX. anno 2.

§. VI. FOROPOMPILII *in Italia.*

SEDES hæc vetus Episcopalis vnita est Bertinocensi: in S. Andreæ cultum est affatim propensa: Sunt indicio non ignobili, duæ sacræ ædiculæ eidem B. Apostolo, videlicet Capella S. Andreæ de Capro Maldulæ, & Capella S. Andreæ de Salsa; quemadmodum notat Ferdinandus Vghellus tomo 2. Italiæ Sacræ, ex quodam monimento anni 1214. pag. 648. numero 23.

§. VII. GENVÆ.

Ecclesiæ Abbatiales S. Andreæ consecratæ.

HÆC vrbs est, quæ vulgò Superba ob ædificiorum splendorem & magnificentiam nuncupatur, capútque est Liguriæ, curuo maris Mediterranei littori imposita, ciuitas potens, nobilis, pulchra, diues, & porta Lombardiæ, vnde Ianua etiam à Maioribus dicta : Hæc respublica præpotens, aliquando ad Tanaim vsque imperij sui fines produxit ; nam olim Theodosiam, vulgò Caffam, Cyprum, Lesbum & Chium insulas, itémque Peram vrbem Thraciæ ex opposito Constantinopoleos (vbi corpus sancti Andreæ diu dudum quieuit) sitam possedit. Hodie toti ferè Liguriæ & Corsicæ Insulæ dominatur, erectáque tandem in sacram Metropolim ab initio septem Diœceses sub se continet : primatiali verò iure præsidet sex Episcopatibus Insulæ Corsicæ. Habet vrbs illa insignis in suo ambitu triginta duas Parœcias : porrò in sua Diœcesi tredecim Abbatias, quarum ea quæ ordine secunda est, titulo sancti Andreæ fulget, & Ordinem sancti Benedicti profitetur, à situ suo, *sancti Andreæ in vrbe*, vulgò solet nuncupari : Aliæ duæ sunt sub eiusdem B. Apostoli patrocinio in ipsa diœcesi, scilicet sancti Andreæ de Septo (aliàs de Sexto) Ordinis Cistercien sis, & sancti Andreæ de Brissono Ordinis sancti Benedicti. Haud difficile fuerit ire coniectum, vnde Genuensi vrbi ac Reipublicæ tanta in sanctum Andream propensio, nam imperij veteris amplitudo quod Constantinopolim prope attingebat (Peram possidebat enim quæ proximè illi regiæ vrbi imminet) hanc deuotionem eo ex fonte hausit. At verò longum esset trium illarum Abbatiarum, quæ sanctissimo nomine & patrocinio sancti huius Apostoli, non immeritò gloriantur, ortum, statúmque hîc describere. Satius erit remittere studiosum Lectorem ad eos scriptores, qui de Reipublicæ Genuensis rebus ex professo tractauerunt, quos inter palmam laboris meruerunt Augustinus Iustinianus Episcopus Nebiensis, qui historiam Genuensem Italicè scripsit, Paulus Interianus, Petrus Bizarus, & omnium elegantissimè Hubertus Folieta.

§. VIII. VERCELLIS. *Monasterium S. Andreæ.*

CIVITAS hæc est Insubriæ, sita ad Sessitem amnem media inter Mediolanum & Augustam Taurinorum, Episcopali sede perantiqua sub Mediolanensi Metropoli insignis, sitúque amœna: Clero, nobilitate, & populo copioso pollens, templísque & monasteriis conspicua; inter quæ vnum est præclarum sub inuocatione sancti Andreæ Apostoli, Ordinis Canonicorum Regularium sancti Augustini; cuius Cœnobij Pennotus eiusdem Ordinis illustrator meminit, vbi de sancto Aquilino Presbytero & Martyre Mediolanensi; his verbis; *Quæ imagines, &c. omnes cum eodem habitu regulari & vsuali referunt, quem hodiéque Canonici Regulares Lateranenses in Italia, Victorini in Galliis, Nouesienses, seu Windesimenses Coloniæ, & per inferiorem & superiorem Germaniam deferunt: cum eadem prorsus tonsura Clericali & rasura in superiori & inferiori parte capitis, ad modum coronæ quam Regulares communiter ferre solent, hoc vno excepto, quod pro tunica alba, quam nos Lateranenses & nostri Windesimenses deferimus, illi griseam ferebant, quod etiam in Galliis & alibi in Italia, vti in monasterio* S. ANDREÆ *Vercellarum, sancti Bernardi in monte Iouis, &c. fieri consueuerat.* Hæc ille de Monasterio S. Andreæ Vercellensi, de quo impræsentiarùm non plura.

§. IX. CASSINI *in Samnio.*

IN Monte Cassino, (vbi erat olim ciuitas Episcopalis Samnij) apud Campaniæ fines, ad fluuium eiusdem nominis, iuxta radices labentis Soræ (natali loco magni Cardinalis Baronij) Aquino & Venefro finitimo (in quo Monasterium Occidentis præcipuum, & primordiale à S. Benedicto Monachorum Latinæ Ecclesiæ Patriarcha, constructum fuit, quod etiamnùm miro primatûs splendore coruscat) fuit olim sancti Andreæ basilica insignis, in qua factum miraculum dignum memoratu, apparitionis S. Mauri discipuli primarij eiusdem S. Benedicti ipsius fundatoris Monasterij, & totius Ordinis parentis, refert Petrus Diaconus lib. 4. Chronici Cassinensis cap. 130.

CAPVT III.

De Ecclesiis S. Andreæ Apostoli in Germania.

NIMIS prolixum foret totam hanc amplissimam Europæ regionem accuratè dimetiri, scrutaríque vniuersas diœceses, in quibus fulgent Ecclesiæ sæculares & regulares, quæ sancti Andreæ glorioso titulo & felici patrocinio gloriantur. Quamobrem me stringo lubens, ne fusiori inductione tædium Lectori ingeram; Paucas igitur, sed illustres quasdam visum est hîc recensere, vt saltem studioso cuique Lectori aliquam relinquam partem, tam fusæ & copiosæ indaginis.

§. I. COLONIÆ AGRIPPINÆ. *Ecclesia Collegiata sancti Andreæ.*

IN sacrario Agrippinensi series extat sacrarum ædium: In quarum primario ordine post summum templum, sede Archiepiscopali præeminens, indiculus habetur Ecclesiarum Collegiatarum, quæ Canonicorum sunt sacerdotali cœtu insignes, hoc ordine;

1. Sancti Petri Metropolitana.
2. Sancti Gereonis,
3. Sancti Seuerini,
4. Sancti Cuniberti,
5. SANCTI ANDREÆ,
6. Sanctorum Apostolorum,
7. Sanctæ Mariæ in Gradibus,
8. Sancti Georgij.

De fundatione autem & statu Ecclesiæ S. Andreæ; in textu libri hæc legitur numero 5. descriptio,

V. COLLEGIATA ECCLESIA S. ANDREÆ.
Primitùs sub patrocinio sancti Matthæi Apostoli à sancto Brunone eius nominis primo, Episcopo Coloniensi 25. fundata, sacratis Deo virginibus assignata, sed paulò pòst ab eodem in Collegium Canonicorum, Matthæi patrocinio in S. Andreæ commutato conuersa fuit. Canonicos habet XX. Vacarios XVI. Præpositum & Decanum in Clero Prælatos.

Inter alias huius Ecclesiæ reliquias, sancti Andreæ bra-

chium tanquam Patroni meritò numeratur. Sanctus Apostolus iste frater B. Petri piscatoris, in Achaia, Thracia & Scythia Euangelium prædicauit Christi, & ab Ægea Proconsule apud Patras comprehensus in carcere clausus est, deinde grauissimè cæsus, ad vltimum in cruce suspensus, in ea populum biduo docens superuixit; & rogato Domino, ne eum de cruce deponi sineret, circumdatus magno splendore de cælo, emisit spiritum.

Alterum quod habent, est brachium sancti Remigij Episcopi Rhemensis & Confessoris: Hic gentem Francorum Clodouæo ipsorum Rege sacro fonte baptismatis & fidei Sacramentis initiato ad Christum conuertit, & septuaginta in Episcopatu explens annos sanctitate & miraculorum virtute conspicuus, de vita, Idibus Ianuarij discessit; cuius tamen festiuitas, 1. Octobris, translationis scilicet die celebratur.

Prætereà habentur duo ossa in hac Ecclesia, de SS. Simone & Iuda Apostolis.

Item os integrum de S. Matthæo Apostolo & Euangelista, qui in Æthiopia Christi fidem prædicans, in altari 21. Septembris ob eiusdem gloriam occubuit, regnans modò cum Christo in cælo, qui Capharnaum sedit in telonio.

Item portio notabilis de cruce Domini.

Item duæ spinæ de corona eius.

Item multæ reliquiæ ex societate S. Vrsulæ.

Et currit ipsa dedicatio Templi, ipso Natiuitatis B.V.M. festo. Hæc ibi.

§. II. WORMATIÆ.

VRBS est Alsatiæ ad Rhenum, quam graphicè sic exprimit Ligurinus lib. 1. vbi agit de Friderico I. Imperatore.

Vormatiam petiit, medio qua gurgite Rheni
Gallica Germanis opponit rura colonis,
Vtraque iam exuberat vinetis, vtraque pomis,
Piscibus atque feris, ac cunctis rebus edendis.

Præcipuus præclaræ vrbis huius tutelaris est S. Petrus Apostolorum princeps; ei etenim Cathedratica Ecclesia vbi sedet Episcopus est dicata.

Secundaria est *Abbatialis Ecclesia S. Andreæ, in qua Folcunicus Episcopus tempore Caroli Magni sepultus est

prope antecessorem suum Wernharium primum Wormaciensem Episcopum, seu Wagionensem, inuestitura, à Pipino Rege Caroli Magni parente; sic enim habetur in antiquo sedis huius Antistitum Catalogo, qui extat in epitome de omnibus Episcopatibus Germaniæ: Migrauit iste Episcopus hoc ex mortali sæculo, imperatore Carolo Magno, cùm præfuisset laudabiliter 23. annis. Sepelitur in Virginum Cœnobio montis S. ANDREÆ, quod est in suburbio Wormaciensi, cum longo virtutum suarum elogio, &c.

Notandum verò passim in hoc nostro opere, fere vbicumque S. Petrus sedem Episcopatus habet, fratrem eius B. Andream ex maiorum pio & prudenti consilio secundariam & proximam sacram ædem speciali sub clientela obtinere. Prodiit hæc religiosa dispositio ab exemplo Romanæ cæterarum omnium matris Ecclesiæ, vt proprio loco superiùs fuit per insignem inductionem, exactè & luculenter demonstratum.

CAPVT IV.

Ecclesiæ sancti Andreæ in Gallia post Episcopales præcipuæ.

§. I. *Abbatiales.*

I. IN Auenionensi diœcesi, prope vrbem, monasterium est Ordinis S. Benedicti sub inuocatione S. Andreæ Apostoli.

II. Viennæ Allobrogum Parthenona est insignis seu Abbatia Virginum, sita in vrbe superiori, Ordinis S. Benedicti, eiusdem nuncupationis: de cuius fundatione hæc olim scripsimus in Martyrologio nostro Gallicano, in ipsius B. Andreæ Natali pridie Kal. Decembris, hac serie; Monasticæ etiam sunt nonnullæ in Gal- "
lia sub patrocinio tanti Apostoli basilicæ: inter quas Ab- "
batialis Ecclesia sancti Andreæ Monialium in vrbe Vienna, "
instaurata à Conrado Rege Burgundiæ, & Mathilde Re- "
gina eius coniuge; subindéque ab Andrea Rege Burgun- "
diæ, qui ibi conditus iacet. "

III. Est in eadem vrbe Abbatia S. Andreæ monachorum Ordinis S. Benedicti.

IV. Alia Abbatia eiusdem Ordinis & inuocationis existit; dicta S. Andreæ de Bosco, diœcesis Saniciensis. Sed post editum ipsum Martyrologium obseruaui vtrumque monasterium altioris fuisse originis; in vita enim S. Clari Presbyteri & Abbatis, à Renato Benedicto collecta & edita, c. 2. quo agitur de variis quæ tempore S. Clari erant Viennæ sub S. Cadoldo Archiepiscopo monasteriis, sic legitur; *Sancti Andreæ circa vrbis mœnia centum Moniales. Iterum aliud S. Andreæ centum*, &c. Viuebat autem sanctus hic Antistes circa annum Domini 550. Nam successor eius Dadolenus vel Dolinus subscripsit Concilio Cabilonensi circa annum 558.

V. Monasterium S. Andreæ Apostoli Lugduni Segusianorum, in insula Barbaræ, quam prope Lugdunum Arar fecit: De quo cœnobio olim Ordinis S. Benedicti, sic Leydradus Archiepiscopus scribebat: Monasterium regale insulæ Barbaræ, quod antiquitùs est dedicatum in honorem S. Andreæ Apostoli, & omnium Apostolorum; nunc autem in honorem S. Martini recèns videtur esse fundatum: iussu Domni Caroli Imperatoris, ibidem præfecit Domnum Benedictum Abbatem, cum quo simul correxit suos ibi Codices in Epistola quadam apud Paradinum lib. 2. historiæ Lugdunensis cap. 106. Sed illa Ecclesia iampridem desiit esse monastica, facta est enim, hodiéque extat sæcularis.

VI. Abbatia S. Andreæ in Nemore, Ordinis Præmonstratensis, diœcesis Ambianensis, quam anno 1156. fundauit Guillelmus de S. Audomaro.

VII. Abbatia S. Andreæ, diœcesis Brugensis, olim Tornacensis, Ordinis Benedictini. Cuius (vt diximus in Martyrologio Gallicano, in ipso Natali S. Andreæ) est præ ceteris fundatio memoratu digna; Anno enim 1098. Robertus Flandriæ Comes, qui vindiciis Hierosolymæ interfuerat, iussit per litteras vxori Clementiæ, vt cœnobium construeret in honorem S. Andreæ, eo quòd Beatus ille Apostolus, Antiochiæ Petro sacerdoti Massiliensi apparens, lanceam qua Christi latus percussum fuit, latentem in Ecclesia S. Petri reuelauerat: Qua inuenta, & ex Apostoli monitu in acie exercitus delata, infestos infidelium cuneos deiecit ac dissipauit, Christianorum agmina viribus collapsa ad pugnam animans, insignem illam qua Palæstinæ regnum Christo vindicatum est, peperit victoriam: Clementia viri

piæ

piæ iussioni obtemperans, statim à Baldrico (aliàs Balduino) Episcopo Tornacensi, altare in stratis impetrauit, vbi Monasterium, ceu immortale tanti beneficij mnemosynon in memoriam construxit sancti Andreæ Apostoli, Christi passionis imitatoris, Christianorum defensoris, infidelium triumphatoris perpetui.

Sequitur Charta Baldrici Episcopi Tornacensis, de fundatione Monasterij sancti Andreæ Apostoli prope Brugas.

EGO *Baldricus Tornacensium & Nouiomensium Episcopus, omnibus fidelibus, in æternum gaudere. Nulli pæne fidelium in vniuerso orbe terrarum constat esse incognitum, Robertum iuniorem Flandrensium Marchionem, in Hierosolymitano exercitu præ ceteris omnibus ducem & signiferum Christianorum extitisse, & ad laudem & gloriam nominis Christi contra paganos fideliter & viriliter dimicâsse. Hic cùm per varia bellorum pericula Antiochiam peruenisset, & inibi vnà cum ceteris Christi fidelibus, ab innumerabili superuenientium paganorum multitudine obsessus fuisset, diuini Spiritus inflammatus igne, & Beati Andreæ succensus amore, (per ipsum enim visitauit, vt aiunt, vt liberauit eos Dominus) vouit illicò, in quodam monasterio prope Brugis sito in honorem ipsius Apostoli consecrato, in ipsius veneratione Monachos se instituturum. Cognito itaque eiusmodi votum, absque nostro assensu se adimplere non posse, coniugi suæ Clementiæ Comitissæ Legatos direxit, & litteras continentes, vt suæ ex parte pastoralitatis nostræ prouidentiam consuleret, & altare supradicti Monasterij à nobis (ad nostram enim diœcesim pertinebat) postularet, in quo Monachos constituere posset. Audita igitur prædicti Comitis Roberti Flandrensium Marchionis, viri sui Legatione, Comitissa Clementia præsentiam nostram adiit, & ad complendam viri sui voluntatem, altare de Betferkercha (hoc enim nomen prædicti loci antiquitùs dicebatur) deuotè postulauit. Cuius deuotionem considerans, supradicto altari ius libertatis condonaui, ea conditione quòd Monachi ibi constituantur. His ita peractis, postquam prædictus Comes rediit me annuente supradictum Abbati Affligemensis Ecclesiæ commendauit ea lege, vt Monachos ex suo Cœnobio inibi constitueret, & secundum incrementum exterioris substantiæ, Monachorum quoque numerum supple-*

Cccc

ret & regimen loci ipsius tam ipse quàm posteri eius perpetuo iure obtinerent.

S.* Domini Baldrici Episcopi. S. Lamberti Archidiaconis. S. Desiderij Decani. S. Bartulphi Præpositi. S. Conradi. S. Gualberti. S. Rayneri. S. Blithionis. S. Guidonis Cancellarij. S. Comitissæ. S. Roberti Castellani. S. Cononis. S. Lamberti Nappin. S. Iagmari. S. Fredebaldi.

* signum

Actum Brugis anno millesimo centesimo quinto, Indict. octaua, regnante Rege Philippo, episcopante Domino Baldrico, Roberto iuniore principante, cum vxore sua Clementia.

Alia Charta eiusdem fundationis, qua ipse Robertus Comes reuersus à Hierosolymis dictam Abbatiam sancti Andreæ dotat.

EGO *Robertus vniuersæ Flandriæ post Deum Princeps, à Domino Baldrico impetraui, vt altare de Betferkercha, quæ & Stratin appellatur, in honore B. Andreæ Apostoli fundatum libertate donaret, & ex Dominicatura mea duas partes decimarum eiusdem Ecclesiæ, tam mea quàm omnium potestate absoluens libertati, & memorato Apostolo ad construendum Monachorum cœnobium tradidi. Et quia tunc temporis bonus odor spirabat ex area Affligemensis cœnobij, prædictam Ecclesiam Abbati Affligemensium nomine Fulgentio, tam ipsi quàm posteris eius in regimine succedentibus ea lege gubernandam tradidi, vt pro facultate loci, monachos de cœnobio suo illuc transferret, & quantumcumque ex processu temporis eandem Ecclesiam, per oblationes fidelium Dominus ditaret, iuxta considerationem facultatis monachos ipse multiplicaret, & eidem loco tamquam suo, præsideret, pastorali potestate & paterna prouidentia. Facta autem est hæc traditio Brugis anno* 1109. *coram infra scriptis testibus.*

S. Stephani de Boular. S. Amorici de Niuiue. S. Waltheri Flamens. S. Reynaldi Castellani de Bruchburch. S. Feolphi Castellani de Bergen. S. Theodorici de Esne. S. Narketfilij Castellani. S. Radulphi & Rauemuri fratris eius.

VIII. Monasterium sanctorum Andreæ & Ioannis, seu Ioannis & Andreæ, S Guillelmus Aquitaniæ dum esset Dux & Pictauiæ Comes fundauit, ac dotauit, multiplicique ornatu decorauit. Hoc monasterium, quod nouum cogno-

mento dictum est, anno 1096. rogatu ipsius Guillelmi Ducis Vrbanus Papa II. cùm Concilium Claromontense absoluisset, septus magno Episcoporum coetu, solenniter in honorem dictorum Apostolorum, qui ambo Virgines tota vita extiterunt, dedicauit.

Boucheteus parte 3. Annalium Aquitaniæ.

IX. Claromonte Aruernorum Abbatia S. Andreæ Ordinis Præmonstratensis, quam quidam fundatam fuisse volunt à Willelmo Comite & Delphino Aruerniæ anno 1149. At si de fundatione ipsius Ecclesiæ S. Andreæ in suburbiis Claromontensis ciuitatis prima, hoc intelligunt, manifestè falluntur; Cùm liber antiquus *de sanctis Ecclesiis, & Monasteriis Claromontij*, scriptus ab auctore loci oriundo anno (vt doctissimus Sauaro eius Elucidator notat) 1000. hanc Ecclesiam vt antiquam recenseat nominatim lib. 1. num. 34. his verbis, *in Ecclesia sancti Andreæ, altare sancti Andreæ, ibi requiescit sanctus Tigridius.* Quin & Gregorius Turonensis & ipse Aruernus, peritus igitur rerum Claromontanæ vrbis & dioecesis, lib. 4. histor. Francorum cap. 31. disertè meminit huius Ecclesiæ sancti Andreæ dicens, *simile & in Basilica S. Andreæ, de lychnis lucentibus auis alia fecit.* Quòd verò ista Ecclesia sita esset in suburbiis Claromontij, ex libello patet citato *de Ecclesiis, &c. Claromontanis*, quo recensita Ecclesia sancti Andreæ, subiungitur: *Ibi requiescit S. Tigridius*, frater scilicet sancti Illidij Episcopi quarti Aruernensis, cuius Archidiaconus erat ante 400. annos; circa hoc enim tempus sedebat ipse sanctus Illidius. De loco autem sepulturæ ipsius sancti Tigridij sic habet vetus Martyrologium Claromontensis Ecclesiæ, die 16. Februarij, hac epigraphe, *In suburbiis Claromontanæ vrbis depositio S. Tigridij* Confessoris.* Liquet igitur Ecclesiam sancti Andreæ in suburbiis Claromontij extitisse ante annos 1250. Fieri nequit igitur vt primùm fundata fuerit à Guillelmo Comite anno 1149. Sed tamen ipse fundator meritò dici potest, eo sensu, quòd vetustum hoc templum instaurauerit, & ibi instituerit Monasterium Ordinis Præmonstratensis, tunc efflorentis, viuente sanctissimo eius auctore Norberto; sub cuius signis Canonicorum Regularium eiusdem Ordinis adhuc militat, extátque etiam ibi titulo Abbatiali celebris. De qua iam suprà lib. 5. de Miraculis sanctissimi nostri huius Apostoli.

** Vide Gregor. Turon. lib. 1. hist. c. 45.*

X. Monasterium sancti Andreæ Cameracesij vulgò di-

ctum, Ordinis sancti Benedicti diœcesis, Cameracensis, tunc cum Attrebatensi coniunctæ : cuius prima instructio opus fuit Gerardi XXXI. Episcopi Cameracensis : de quo id testatum fecit Baldricus Episcopus Nouiomensis & Tornacensis, Ecclesiarum Episcopalium tunc, in inuicem vnitarum, in suo Chronico Cameracensi & Attrebatensi lib. 3. cap. 49. versus medium, vbi scribit, *Quartam quoque partem Perronensis Fisci, quam à quatuor ingenuis hominibus acquisiuit, Rotberto scilicet, atque Hubaldo Athelino Suæuo, mensæ Episcopi ad castellum sanctæ Mariæ cui circumiacet, destinauit, S. Andreæ oratorium inibi à fundamento construxit, tertiámque partem quartæ partis supradicti Fisci contulit Congregationi Monachorum, quam pia sollicitudine fouit quamdiu vixit.* Vbi hæc notat Coluenerius, *inibi*, id est in Castello sanctæ Mariæ quod nunc castellum Cameracesij vocatur, éstque hodie oppidum ditionis Cameracensis, quinque distans à Cameraco milliaribus, in quo est egregium S. Andreæ Cœnobium Ordinis sancti Benedicti, de quo hîc mentio, ipsúmque Gerardus dedicauit anno 1021. vt Molanus ait die 22. Septembris, quod posteà perfecit Luthbertus, eiusdem Gerardi successor, vt eius loci monumenta testantur ; inquit Miræus in originibus Cœnobiorum Benedictinorum in Belgio cap. 34. De eodem Cœnobio Molanus in Natalibus Sanctorum Belgij die 13. & 24. Nouembris. Catalogus Gallicus MSC. & Gazæus dedicatum fuisse scribunt anno 1025. Addit idem Catalogus, ad illius diei solennitatem, de mandato Gerardi allata fuisse Sanctorum corpora Gaugerici, Autberti, Acharij, Saluij, Regenfredis, Walnulfi, Gisleni, & Humberti. Attamen hic distinguendum videtur de templo S. Andreæ & eius Monasterio, quia enim eo loci Basilica fuit S. Andreæ à Gerardo I. (nam II. post Lutbertum eius successorem Cameraci sedit) constructa à fundamentis, vt testatur Baldricus, ab eodémque dedicata, ea qua diximus solennitate ; hinc manifestum fit totum sacræ ædis ædificium ab ipso Gerardo seniori, ad Colophonem perductum fuisse : monasterium verò ab ipsomet Gerardo fuisse dumtaxat inchoatum, à Lutberto autem eius successore absolutum, anno (vt notat Robertus in Catalogo Episcoporum Cameracensium & Attrebatensium vnitorum, in ipso Lutberto) 1052. Cuius rei tamen non meminit Baldricus in suo Chronico, quia Lutberti vitam (quam Mi-

ræus in Fastis Belgicis & Burgundicis die 23. Iunij ait fusè ab illo scriptam fuisse) inchoauit quidem, sed non absoluit, vt ex inspectione notum est.

§. II. *Collegiatæ Ecclesiæ.*

I. GRATIANOPOLIS, quæ Delphinatus est apex, maior Ecclesia sacra est Reginæ Virginum Beatissimæ Deigenitrici Mariæ: Sed prima ab hac (quæ summa vtpote sedes est Episcopalis) in honorem S. Andreæ Apostoli (qui vt Ioannes virgo semper fuit, & insuper Martyr) à sua fundatione fuit dedicata: quo sub titulo glorioso adhuc nobilis & conspicua præ ceteris aliis perseuerat. Structura est ipsa maiori Ecclesia præstantior, mole enim pyramidali turritum eius campanile, peraltè reliquis præeminet, Canonicorum Collegio insuper & parochiali iure ac honore est ea in vrbe (quæ prouinciæ quoque Senatûs sedes est) insignita.

II. Autrici Carnutum, quæ nobilis est sedes Episcopalis, olim sub Archiepiscopo Senonensi, (cuius prouinciæ erat decanus) nunc sub nouo Præantistite Parisiensi. Post principalem Beatissimæ Virginis Deiparæ Ecclesiam fundatione perantiquam, mole stupendam, elegantiâ fabricæ singularem, censu, ornatu, & celebritate totâ Galliâ perillustrem, secundarium est templum sancto Andreæ Apostolo consecratum, parœciali titulo ac Canonicorum Collegio præ ceteris spectabile; de cuius antiquitate, situ, structura, & prisco ac præsenti statu, Sebastianus Rouillardus perelegantis ingenij, selectæ doctrinæ, ac pietatis eximiæ Iurisperitus, & in Senatu Parisiensi Patronus, in sua Parthenia, seu Historia augustissimæ & deuotissimæ Basilicæ Carnotensis, in Catalogo Ecclesiarum, quæ vrbis ambitu continentur, stilo Gallico (hoc est materno, quo plurimùm pollebat) hæc, quæ ad verbum Latina phrasi in gratiam externi lectoris expressimus, scribit:

SANCTVS ANDREAS.

A Collegiata & Parœciali Ecclesia sancti Andreæ exordior: quia eam proximè Apostolicis temporibus ferunt fundatam. Raræ est certè structuræ sacra illa ædes: eius enim chorus, seu Presbyterium, ponti insidet, imposito fluuio Adurensi qui subtus decurrit. Vnicæ porrò fornici to-

ta hæc moles innixa ſuſtentatur, ampliſſima quidem, & cui par vix vlla ſit, vt Architecti fatentur. Fuit diu hæc Eccleſia extra ſepta vrbis, ſed propter pleraſque clades, quibus varia temporum calamitate concuſſa fuit, intra mœnia ciuitatis tandem concluſa, eo quo nunc loco conſpicitur. In ea eſt ſacellum ſpectabile S. Nicolai, ſubtus quod ſcaturit & defluit fons limpidiſſimus, qui S. Andreæ nomine inſignitur : fons eſt ille ita copioſus & vber, vt aquandæ toti ciuitati par eſſe poſſit. Fama eſt maiorum traditione fulta, illam ſacram ædem, dudum monaſterium fuiſſe, nam in monumentis antiquis frequens mentio occurrit huius loci Abbatum : Ex quo præſertim Iuo Carnotenſis ille percelebris Epiſcopus, ibi Decanatum inſtituit, &c. Hugo enim quidam anno 1115. Eccleſiæ S. Andreæ reperitur fuiſſe Decanus *, &c. Mortuo Iuoni ſucceſſit Gaufridus, quem Paſchalis II. Papa propriis manibus Epiſcopum conſecrauit, vt ipſe teſtatur Pontifex ſuis litteris Apoſtolicis datis ad Clerum Carnotenſem, quibus ceteras inter clauſulas hæc « habetur, Quòd Abbatia S. Andreæ, quam Iuo ſua ſub « manu pro quadam ſua commoditate tenuerat, iam eo de- « functo ad priorem ſuam libertatem reuertatur. Ex quo patet titulum Abbatialem etiam poſt inſtitutionem Decanatus huic Eccleſiæ fuiſſe conſeruatum : quo nomine cenſetur in Bullis ſummorum Pontificum, Paſchalis anno 1116. Alexandri III. 1177. & Lucij III. 1183. quibus collatio Abbatiæ S. Andreæ in vrbe Carnotenſi, Epiſcopis ſucceſſiuè conceditur : Sed euanuit ſenſim hic titulus, & Eccleſia S. Andreæ in Collegiatæ ſtatu perſeuerat, cui proprius præſidet Decanus.

* Hoc adhuc anno viuebat Iuo Carnotenſis Epiſcopus : qui non obiit niſi anno ſequēti 11. Kal. Ianuarij.

§. III. *Parœciales Eccleſiæ.*

1. IN Vniuerſitate Pariſienſi verſus Sequanæ crepidinem celebris eſt Eccleſia parœcialis S. Andreæ Apoſtoli glorioſo nomine & felici patrocinio fulgens : Erat olim ibi Capella S. Andeoli Martyris, qui à Beato Polycarpo S. Ioannis Apoſtoli & Euangeliſtæ diſcipulo, & virorum Apoſtolicorum (vt eum inſcribit S. Hieronymus) principe, totiúſque Aſiæ Primate, miſſus in Gallias ad ibi Euangelium Chriſti, feraci manu gratiæ & benedictionis diſſeminandum, in Gallia Narbonenſi, loco cui Viuarium nomen eſt, iamdiu titulo Epiſcopalis dignitatis illuſtre, agonem

gloriosum peregit. At felici vicissitudine sacræ huius ædiculæ nuncupatio augustiori titulo censeri cœpit, cùm sortita est S. Andreæ Apostoli inuocationem : Decus autem illud obtinuit, cùm de simplici oratorio euecta est in gradum Ecclesiæ parœcialis, quo etiamnùm præstat; fabrica eleganti, Clero copioso, & populo non tam numeroso quàm nobili, polito, pio, sapienti, &, vt ita dicam, quasi ex millibus innumeris quibus Regia vrbs Parisiorum affluit, electo : Pastores habuit hæc Parœcia nonnullos inter ceteros vrbis doctrina & pietate commendabiles, in quibus primas honoris & gloriæ iure promeruit Antonius de Breda, Doctor Sorbonicus, qui à multis annis huic Ecclesiæ feliciter præsidet, & etiamnum selectum hunc gregem verbo & opere pascit, regítque quasi ouem vnam in intellectibus manuum suarum : hanc siquidem parœciam *paruulam inuenit, quæ*, vt sponsus ait in Canticis, *vbera non habebat;* sed ipsam, eam in altitudinem & amplitudinem prouexit, vt iam vix ex maioribus vrbis parœciis vlla sit, quæ eam superet ordine, disciplina, & decore. Excussit illo Rectore obsoletam faciem, nouam induit speciem, mores enim & muros nonnihil collapsos vetustate, & superioris ætatis licentiâ, feliciter instaurauit, eúmque euexit in statum, vt vix quicquam ad maius decus religionis & gloriæ desiderari possit.

II. In agro Parisiensi, quarto ab vrbe lapide, insigne est Virginum Monasterium Ordinis sancti Benedicti, quod Kala (Gallicè *Chelles*) vocitatur, à sancta Bathilde coniuge Clodouæi secundi Regis Francorum, in honorem sanctissimæ Deigenitricis fundatum; vbi ipsa viduata viro, post feliciter, vt dignè gestam liberorum suorum pupillorum tutelam, regnum administratum, deposito diademate, & sceptro, habitum regularem induit, & sacra professione in omni perfectione exacta, plena meritis diem clausit extremum. Tanta sanctitatis celebritate ipsi loco relicta, vt certatim Regum etiam vltramarinorum filiæ, eò conuolarent ad præclara eius vestigia consectandum. Vnde contigit, vt municipium non ignobile, circa hanc Parthenonam paulatim accreuerit, plébsque ibi non modica coaluerit, cui regendæ Parisienses Episcopi proprium assignarint sacerdotem, & parœcialem cui præesset erexerunt Ecclesiam, in honorem S. Andreæ Apostoli, sub cuius glorioso patrocinio etiam-

nùm consistit. Aliam subinde sacram ædem intra Monasterij huius virginalis ambitum Abbatissa & Moniales construxerunt, cui sancti Georgij Martyris nuncupatio indita fuit; iúsque parœciale sacræ huic ædiculæ iis postulantibus à Parisiensi Episcopo tributum est, ea lege, vt Parœcus S. Andreæ vniuerso pagi populo præesset; sancti autem Georgij Sacerdos, proprius rector domesticorum cœnobij, qui sunt extra virginum septa æquo iure ac titulo haberetur, qui illis spiritualia solatia impertiret. Res sic à fundatione constitutæ hactenus perseuerant; & quotiescumque Parœcus S. Andreæ in alterius Parœci munia inuolauit, iuridici diœcesani auctoritate repressus est: vicissim autem si quando Curatus S. Georgij voluit extra mœnia monasterij irrumpere, & falcem mittere in Rectoris S. Andreæ messem, intra statutos limites repulsus, coactus est terminos à maioribus præfixos, intemeratos seruare.

CAPVT V.

Ecclesiæ sancti Andreæ Apostoli in Hispania.

§. I. Toleti.

PRIMATIALIS hæc est sedes totius Hispaniæ, vt olim enumerando orbis Occidentalis primates lib. de sacro Ritu præferendi crucem maioribus Ecclesiæ Prælatis cap. 6. quo tractatur de Toletano Primatu à pag. 64. ad 82. fusè & euidenter ostendi. Porrò in hac celeberrima vrbe, quæ dudum etiam fuit Regia sedes, nobilis extitit S. Andreæ Ecclesia, quæ sub Arabicæ persecutionis turbine inconcussa ac intemerata permansit. Id me docuit Ioannes Ludouicus de la Cerda, non minimum lumen Societatis Iesu lib. de excellentia cælestium spirituum cap. 38. cuius titulus est, Angeli adsunt Confessoribus & Virginibus in lucta, vbi hæc scribit sect. 8. *Cauendum tamen est ne offendamus in aliqua libidine, propter quam Angelus Dei nos puniat, cuius rei testimonium habemus in Hispania, vbi Tharasia infans & ex progenie regali, quòd nollet Mauro Abdalæ consentire, & ei nihilominùs Virgini vellet vim inferre, ab Angelo mulctatus est: Historia sic habet scripta ab Iuliano Archipresbytero Toletanæ Ecclesiæ: Venit intereà infans Tharasia Tole-*

*Toletum, & regaliter excipitur ab Archiepiscopo, induto vestibus sacerdotalibus, & mitra tunc primùm inuenta *; Cum Gerontio Episcopo Complutensi, & Iuliano Archidiacono, & aliis Muzarabibus & Saracenis, occurrunt per duas leucas Abdala Rex, & in Regia non procul ab Ecclesia, quæ nunc est S. Andreæ, excipitur. Eam Archiepiscopus inuisens consolatur, bono esset animo, & ne consentiat cum Mauro, præsertim cùm Deo vouisset virginitatem, vehementer animat: illa quæ prudens erat virgo, respondet se libentißimè parituram esse illi. Abdala die nuptiarum quarto Kalendas Aprilis demulcet Tharasiam lachrymantem, & illa constanter monet illum ne vim sibi afferat, quoniam priùs Deo vouisset virginitatem suam: ille nihilo factus timidior illis verbis, virgini nolenti vim infert, & statim ab Angelo Dei percutitur.* Hæc La Cerda ex Iuliano Toletano Archiepiscopo, quæ serie tota hîc referre visum est, tum ad exemplum, tum ad scopi præfixi obfirmationem, nempe quòd Toleti eo tempore augustam Basilicam sancti Andreæ Apostoli extructam esse constaret. Verùm cùm loci, vbi casus ille insignis contigit, esset patronus, sese & regiæ Virginis custodem aduersus infidelem illum tyrannum Abdalam exhibuit impetrando (sicut pium est credere) adeo vt perpetratum ab illo in virginem Christo sacram flagitium, repentina vltione per Angelum eius Virginis tutelarem vindicaretur iuxta illud Apostoli, *qui polluerit templum Dei, destruet eum Deus.*

* Supple quoad vsum in Hispania. Et vide librum nostræ Panopliæ Episcopalis, qui est de Episcopalis mitræ antiquitate.

§. II. EXALADÆ.

ANNO DCC. XLV. *cùm Galliæ, titulo quidem ac nomine Hildericus, reipsa Pipinus Maior domui præesset, eiúsque filius Carolus, cui deinde Magni gloriosum nomen adhæsit, tres vixdum natus esset annos: die Septembris* 13. *sacerdotes quidam diuino afflati instinctu, ex Vrgelitana diœcesi ad principium vallis Confluentiæ, cui nomen Exalada, profecti, illic iuxta fluuium Thetin ex suis facultatibus Monasterium construxere, quod Dei sanctíque Apostoli Andreæ sacrum esse voluerunt, ac S. Benedicti regi instituto.* Hæc notantur ab Antonio Vincentio Domenæco Ordinis Prædicatorum, in libro de Sanctis Catalauniæ, vbi agit de sancto Flamidiano Martyre Cusano in Hispania, cuius Natalem signat Ferrarius in nouo Catalogo Sanctorum, qùi Martyrologio Romano adscripti non sunt, die 5. Ianuarij.

CAPVT VI.

Ecclesiæ Anglicanæ, quæ erant ante veræ Religionis & potentis regni excidium, titulo sancti Andreæ insignes.

Ex Catalogo Anglico idiomate conscripto à Ioanne Speed; Latinè verso opera Ioannis Gibboni Angli Societ. Iesu Theologi.

§. I. *In Cantabrigiæ Comitatu, inter Collegia.*

I. BARNWELLIÆ, titulo S. Andreæ, & S. Ægidij, fundator Paganus Peuerell, vexillifer Roberti Ducis Normaniæ, in Bello sacro tempore Henrici I. Regis, P. nigri Canonici.

II. Rocheſtriæ, Ecclesia titulo S. Andreæ: Fundator Gundulphus Episcopus Normanus anno Domini 108. M. Canonici nigri.

§. II. *In Cornubiæ Comitatu.*

I. Tolearni, titulo S. Andreæ, M. nigri Monachi Angelorum.

II. Theuuardrethæ, titulo S. Andreæ P.

§. III. *In Deuoniæ Comitatu.*

I. Couuykæ, titulo S. Andreæ, Fundator Thomas Comes Deuoniæ.

II. Eboraci, seu iuxta Eboracum, titulo S. Andreæ Apostoli, P.

§. IV. *In Hamptoniæ Comitatu.*

I. Hameliæ, titulo S. Andreæ, P. Grisæi Monachi.

§. V. *Norfolciæ.*

I. Bromholmæ, titulo S. Andreæ, Fundator Guilelmus Granuillus, Benedictini.

II. Tetfordiæ, titulo S. Andreæ, Fundator Hugo Bigod, Oeconomus Henrici Regis, M. Monachi nigri Cluniacenses.

III. Northamptoniæ, titulo S. Andreæ, Fundator, Simon de Licio primus Comes Northamptoniæ.

IV. Stokæ ſub Humbderium, Titulo S. Andreæ, Fundator Girnaius C. nigri Monachi.

V. Wellis vulgò Wels, titulo S. Ioannis Baptiſtæ, & S. Andreæ. Fundator Rex Ina Eccleſiam & Collegium extruxit, Rex Kinewolphus amplis dotauit poſſeſſionibus anno 776. Rex Edwardus Senior Epiſcopalem Sedem conſtituit, Robertus & Iocelinus Epiſcopi, & Radulphus Salopienſis M. ſæculares Canonici.

VI. Bedfordiæ, titulo ſanctæ Trinitatis in Eccleſia ſancti Andreæ, C.

FINIS LIBRI VII. ALTERIVS PARTIS.

PARTIS SECVNDÆ DE GLORIA S. ANDREÆ APOSTOLI LIBER VIII.

ENCOMIA SANCTORVM PATRVM in eundem B. Apostolum, COMPLECTENS.

PRÆFATIVNCVLA.

ON hic intendimus proferre in medium quæcumque vel à sanctis Patribus, vel à sacrarum scripturarum Expositoribus passim de Beato Andrea Apostolo scripta sunt, cùm ea maximè in prima Parte huius operis quantum sese res obtulit, attigerimus: sed præcipuas dumtaxat sacrorum Oratorum, quas habuerunt de ipso, conciones, quæ etsi plerumque inter eorum opera inueniantur, ne tamen aliquis gloriosæ eius memoriæ titulus deesse videatur, non parum vtiliter, cum sacrorum Poëtarum epiniciis, huius partis prioribus libris annecti potuerunt.



§. I.

PROCLI ARCHIEPISC. CONSTANTINOP. Oratio Panegyrica in S. Andream Apostolum.

Carolo Fabiano interprete.

FORTIA Apostolicæ piscationis sunt retia. mirabile est reticulum, quo Andreæ retinetur commemoratio, eorum qui licèt mortui sunt, à morte tamen sunt immunes, sagena corruptioni non est obnoxia, gratia, nec arte intexti laquei, tempore non inueterascunt; licèt enim è vita piscatores migrauerint, neque intellectualium instrumenta piscatorum, neque qua mundum venantur sagena vetustate absumuntur: non videntur qui trahunt, & impleta sunt retia. Calamum sibi non compararunt, quem tempus corrumpit, non laxarunt retem, quam frangit antiquitas, hamum non demiserunt, quem rubigo consumit: non escam, vt pisces fallerent, apposuerunt, super vndis agitatam non considère petram, nauiculam turbinum incussam terroribus non ascendere, pisces non sunt venati, ipsam naturæ videlicet irrationalitatem; verùm quemadmodum ars admirabilis, ita quoque hominum opinionem excedentia, magísque noua sunt instrumenta: etenim loco calami intendunt precationem, loco funiculi sui laxarunt memoriam, loco hami virtutes iniiciunt, escæ loco apposuêre miracula: piscantur è cælo, debentes è petra piscari, nauiculam debentes accipere recipiunt altare, piscium loco venantur Reges, pro sagena Euangelium extendunt, loco maris vitem peragrant, artis vice vtuntur gratia, irretiunt cruce loco sagenæ.

Nihil vnquam tale fuit in hac vita quales Apostoli: Deo Verbo seruiêre, palpauêre eum, qui nulla vnquam est figura affectus, eum qui vbique existit, sequuti sunt ambulantem; eius audiuere vocem, qui verbo cuncta creauit: venati sunt lingua mundum, verbo terminos terræ circumiere, euulsere fraudem quasi zizanium, metiere vt spinas aras, mortua reddidere idola, vt bestias; coniecere vt lupos in fugam dæmones, congregauêre Ecclesiam, vt grègem, collegere orthodoxos vt frumentum, dispersere hæreses vt paleam, exsiccauere Iudaismum vt herbam, combussere Gentilitatem vt

ſyluam, *cruce arauere terram*, Verbum quaſi frumentum diſſeminauere, omnia quaſi aſtra lucem ferentia, illuſtrauere; quare ad ipſos clamabat Dominus, *Vos eſtis lux mundi.* Oriens eſt vobis Virgineus partus, diluculum baptiſmatis eſt vterus, ſplendor ipſius Crucifixi gratia, radij ſunt admirabiles linguæ, dies futurum eſt ſæculum, meridies crucis eſt hora, occidens ſepulchri eſt habitatio, veſpera mors eſt temporanea, fulgor è mortuis eſt reſurrectio. *Vos eſtis lux mundi:* ſtellas aſpicite, & præ ſplendore ſtupeatis; ideóque ANDREAS hodie, cùm quaſi lucis theſaurum inuenerit communem Dominum, clamabat ad fratrem, *Meſſiam inuenimus.* O fraterni amoris exceſſum! ô Ordinis conuerſionem! ſecundus à Petro in vitam proſiliit, & Petrum primus ad Euangelium venatus eſt. *Inuenimus,* inquit, hæc dixit præ gaudio, ſplendida inuentionis ſunt nuncia; *theſaurum,* inquit, *inuenimus.* Fuge Petre circumciſionis inopiam, viles legis veſtes exuere, literæ abiice iugum, quaſi parua, quaſive ſomnia omnia abnega, quaſi vile caſtellum Bethſaidam, reticulum quaſi paupertatis inſtrumentum, nauigium quaſi nauigationis thalamum, altaris quaſi matrem ipſam artem, terram ipſam quaſi turbinis pelagus, quaſi ventris emporium ipſum mundum, templum ipſum quaſi latronum ſpeluncam, Prophetarum ſepulchra Hieruſalem, quaſi contra Deum rabientem gentem, Caipham denique quaſi praui conſilij patrem. *Inuenimus Meſſiam,* quem prænuntiauere Prophetæ, quem lex ſuo denuntiauit præconio; inuenimus legis theſaurum. Fuge literæ peſtem; inuenimus enim Meſſiam, quem quaſi vmbram ſigna præfigurârunt, quem Iſaias vidit in throno ſedentem, quem ſuper animalibus vidit Ezechiel, quem ſupra nubes vidit Daniel, quem in camino Nabuchodonoſor perſpexit, quem in tabernaculo recepit Abraham, cuius Moſes poſteriora vidit in monte; hunc inuenimus abſque principio genitum, & extremis manifeſtatum temporibus. Inuenimus theſaurum, cuius abundantia eſt inaxheuſta, permanentéſque diuitiæ, cuius operatio principio caret, cuiúſque eſt recens inuentio. *Meſſiam inuenimus, quod eſt interpretatum Chriſtus.* Plerique quidem Chriſti vel vncti fuere. Verùm omnes morti fuerunt obnoxij, Abraham fuit vnctus, verùm eſt in ſepulchro diſſolutus; Iſaac etiam vnctus, verùm exitij fuit eſca; Moſes & ipſe vnctus, verùm

neque vbinam ſit ſepultus nouimus; Dauid fuit vnctus, verùm vt ceteri, ipſe quoque morti fuit obnoxius, omnéſque mortis fuere ſpolia, omnes quidem fuerunt vncti, verùm omnes fuere captiui. Ecce Chriſtus, qui natura eſt Deus, & miſericordia eſt homo, qui Virginis vterum in partu quoque ſeruauit intactum, quíque quaſi ſalutis fontes piſcatores demonſtrauit. Cui gloria & potentia in ſæcula ſæculorum. Amen.

§. II.

SANCTI PETRI CHRYSOLOGI in S. Andream Apoſtolum Sermo CXXXIII.

BEATVS Andreas meritò natus hodie creditur, quando non ad præſentem vitam materno eſt effuſus ex vtero, ſed conceptu fidei, martyrij partu, cæleſtem naſcitur generatus ad gloriam. Quando non eum materna cunabula ſuſcepêre vagientem, ſed ſuperna triumphantem ſecreta receperunt: quando non infirmum lactis paſtum genitricis trahit ex pectore, ſed pro Rege ſuo deuotiſſimus miles virtutis ſanguinem fudit. Viuit, quia mortem cæleſtis militiæ bellator occidit. Sequitur hic moriendo Dominum æſtuans, & anhelans, ac toto virtutis gradu Dominicis incumbit hærere veſtigiis, nec eum curſus faciat diſparem fratri, quem natura ſimilem, vocatio ſocium, parem gratia ipſa perfecerat. Ad vnam vocem Domini, ſicut ille, patrem, patriam, cenſum reliquit, laboribus, opprobriis, itineribus, contumeliis, vigiliis Chriſti indefeſsè germani ſocietate donauit: ſolum eſt quòd tempore Dominicæ paſſionis fugit, ſed neque hoc impar, quia fugit: negare autem ſi aliqua putatur culpa, non eſt grauius effugere, quàm negare; ſed tacenda ſunt alia. Æquauit fratres venia, quos ſic diſcreuerat culpa. Et ſequutus vt deuotio perprobauit, quos metus perprobauerat antecedens, nam crucem quam refugerant, poſtea coniunctis viribus ardenter inuadunt, vt vnde reatum ſumpſerant, inde conſcenderent cælum, inde præmium ſumerent, & coronam. Petrus namque crucem, arborem conſcendit Andreas: vt qui Chriſto compati geſtiebant, in ſemetipſis figuram formámque ipſius exprimerent paſſionis: & redempti ligno, conſummarentur ad palmam. Sic Andreas noſter, etſi cedit ordini, præmio tamen non cedit & labori.

§. III.

PHOTIVS IN BIBLIOTHECA SVA, Ex encomio HESYCHII *Presbyteri Hierosolymitani in S. Thomam, has refert laudes S. Andreæ Apostoli.*

Ἡσυχίου πρεσβυτέρου ἱεροσολύμων, ἐκ τοῦ εἰς τὸν ἅγιον Θωμᾶν ἐγκωμίου.

Ἀνεγνώσθησαν Ἡσυχίου πρεσβυτέρου ἱεροσολύμων, ἐκ τοῦ εἰς τὸν ἅγιον Θωμᾶν ἐγκωμίου. σάλπιγξ ἡμᾶς ἱερατικὴ πρὸς πανήγυριν ἤθροισεν Ἀνδρέας, ὁ τοῦ χοροῦ τῶν ἀποστόλων πρωτότοκος, ὁ πρωτοπαγὴς τῆς ἐκκλησίας στῦλος, ὁ πρὸ Πέτρου πέτρος, ὁ τοῦ θεμελίου θεμέλιος* ὁ τῆς ἀρχῆς ἀπαρχή, ὁ πρὶν κληθῆναι καλῶν, ὁ πρὶν προσαχθῆναι προσάγων· εὐαγγέλιον κηρύττει ὁ μήπω πεπίστευται, πρὶν μαθεῖν, τῷ ἀδελφῷ ἀποκαλύπτει τὴν ζωήν. τοσοῦτον αὐτῷ πλοῦτον, ἡ τοῦ ποῦ μένεις;* ἀπόκρισις ἐχαρίσατο. καίτοι τί μέγα εἶχεν ἡ ἀπόκρισις, οἷον Ἀνδρέας ἐμβαθύνων τὸν νοῦν ἐθεώρησεν· ἔρχου γάρ, φησί, καὶ ἴδε. πῶς [γὰρ] γέγονας προφήτης; πόθεν θεοφόρος ἀθρόον; τί θορυβεῖς τοῦ Πέτρου τὰς ἀκοάς; τί φθάσαι σπεύδεις, ὃν οὐ δύνῃ φθάσαι; ὁ πανταχοῦ παρών, πῶς εὑρεθῆναι δύναται; ἀλλὰ γὰρ οἶδεν ὁ Ἀνδρέας

* al. ὁ τῆς ἀρχῆς.

* ἐρώτησις.

Ex Hesychij Presbyteri Hierosolymitani encomio in B. Thomam.

EGIMVS nonnulla Hesychij Presbyteri Hierosolymitani, ex encomio sancti Thomæ. Sacra illa tuba Andreas, primus Apostolorum fœtus, prima Ecclesiæ columna, ante Petrum petra, fundamenti fundamentum, initij primitiæ, vocans antequàm vocaretur, adducens antequam adduceretur, nos ad conuentum hunc solenniter agendum incitauit. Euangelium cui nondum credebatur prædicauit, & fratri priusquam disceret, vitam reuelauit. Tamen illi diuitias illa interrogatio attulit: vbi habitas? quanquam magnum aliquid responsio habuit, vt Andreas menti altè infigens, viderit. Veni, inquit, & vide. Quomodo factus es Propheta? vnde adeò diuinus? quid Petri auribus obstrepis? quid consequi illum conaris, quem nequis comprehendere? qui vbique est, quomodo inueniri potest? Etenim sci-

ὃ λέγει, εὑρήκαμεν ὃν ἀπώλεσεν ὁ Ἀδάμ, ὃν ἐζημιώθη ἡ Εὔα, ὃν ἡ νεφέλη τῆς ἁμαρτίας ἀπὸ τῶν ὀφθαλμῶν τῶν ἡμετέρων ἔκρυψεν, ὃν ἐχώρισεν ἡμῶν ἡ παρακοή, ὃν ἐζήτει Δαβίδ· ἐν ἡμέρᾳ θλίψεώς μου τὸν Θεὸν ἐξεζήτησα. καὶ, ζητήσατε τὸν κύριον, Σοφονίας βοᾷ, πάντες ταπεινοὶ γῆς. Πέπαικεν ἡμᾶς ὁ Θεὸς ἡνίκα τοῦ Ἀδὰμ κατεδίκασε θάνατον καὶ βίον ἐπίπονον, ἰάσατο δὲ, καὶ πατάξας ἐμότωσεν· ὅτε σταυρωθεὶς ὑπὲρ τοῦ γένους τῷ μώλωπι αὐτοῦ, καὶ τὸν Ἡσαΐαν, καὶ τῇ ἀναστάσει πάντας ἰάσατο.

uit Andreas quid diceret: Inuenimus quem perdidit Adam, cui Eua damnum attulit, quem peccati nebula ab oculis nostris abscondit, quem inobedientia à nobis alienauit, quem quæsiuit Dauid: *In die tribulationis meæ Deum exquisiui.* Et Sophonias clamat: *Quærite Deum omnes mansueti terræ.* Percussit nos Deus, quando Adamum ad mortem, molestámque vitam condemnauit: *Sanauit nos, percußit, & curauit nos.* Quando crucifixus pro populo, languore & resurrectione omnes sanauit.

Ex oratione apodictica in sanctum Andream Apostolum eiusdem HESYCHII *Presbyteri Hierosolymitani, ex Græco in Latinum stilum traducta, eodem Carolo Fabiano interprete, quæ Latinè extat tomo* XV. *Bibliothecæ magnæ veterum Patrum, editæ Coloniæ 1622.*

TVBA nos Apostolica congregauit in solennitatem, tuba ea, quam vt Christus moliretur, cruce quasi malleo, Euangelio quasi incude, quasi igne spiritu, nouo & veteri testamento quasi, ausim dicere, vsus est follibus. Tuba ea, ita enim appellare licet, quam ego Propheticis atque Dauidicis debeam exornare laudibus, eâ (inquam) canite, omnibus enim gratiæ aliquid impertitur Andreas, omnibus dat mutuo spiritûs largitiones, omnes ad militaria certamina concitat, omniúmque primò vocatus, vnà cùm ceteris omnibus coronari quærit. Canite, tubæ namque præconio digna sunt Christi mysteria, quæque omnibus debeant diuulgari ac manifestari gentibus. Canite iam, cùm hæc celebritas intellectualis tubæ sit argumentum: bello enim est opus, & dimicatione, luctandum est certandúmque; dextris sinistrísque egemus telis, vt suscepti negotij compotes euadamus. Canite tuba, vt hostem clamore

prosternatis, & mœnia intellectualis euertatis Hiericho, inque surdorum aures sonus ingeratur, excitabit è mortuis
Psal. 80. eos, qui quasi morte, graui peccati somno detenti sunt. *In neomenia canite tuba.* Facta est enim nunc quasi neomenia vita nostra; senectam deposuit, abstersit rugas in insigni festiuitatis nostræ, è veteri noua propter mysterij innouationem euasit: quid enim hac festiuitate insignius, in qua omnes gentes manibus plaudũt, & in qua vniuersa terra cõgregatur ad epulas?

Reges, vt piscatorem venerentur, accurrunt: ab eo qui quasi mortuus censetur viuentes cibari cupiunt; sapientes ad literarum expertem, vt ad doctorem peruenire festinant; pauperis conuiuium omnes communiter excipit, celebritas hæc per omnes est ciuitates vulgata. Tuba nos igitur Apostolica congregauit; Andreas nos congregauit, qui primò est in Apostolorum coronam vocatus, qui quasi columna, primùm affixus est in Ecclesia, & ante Petrum Petrus, fundamentíque fundamentum: qui primitiarum fuit principiũ, qui antequam vocaretur, alios vocat ad Dominum; quíque antè consignat, quàm consignaretur: qui antequam adducatur, adducit; Euangelium quod quidem nondum creditum fuerat, prædicans; eam aperiens ianuam, quam fortassis non erat ingressus; quam adhuc non cognouerat, vitam reuelans; panem se daturum promittens, quem nondum præ manibus habuerat. Numquid enim aliquid ex iis, quæ in disciplinis acquiruntur, audierat? is tamen dixit Iesu, *Vbinam habitas?* qui respondit: *venite & videbitis.* Quid enim tale sonabant huiusmodi verba, quale Andreas cùm ea verba præuenerit, signare voluit? num Christus hisce verbis suam voluit manifestare gloriam? num se omnia posse demonstrauit, quæ potest? num creatorem se gentium atque factorem enunciauit? num claudorum direxit incessum? num oculos cæcorum aperuit? num supra naturam coëgit? Vnde ergo hæc de eo pronunciare edoctus es? quonam pacto euasisti Propheta? quomodo ex tempore diuinarum rerum propalator es factus? Quare Petri obtundis aures? quare eum assequi properas, quem assequi minimè vales? sed Ioannes (inquies) te, vt in hæc verba erumperes, concitauit: & tamen hæc tantùm verba te præsente protulit: *Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi.* Tu verò agnum cùm audiueris, Deum annuncias? quæ deorsum sunt, desiuisti, & ea quæ sursum sunt, curiosè

inquiris; reliquisti stagnum, & rete cælum versùs laxâsti? num talia venari sagena nouit? num manus tuas arundo piscatoria trahit? quidnam hoc indicat, cùm dicis, *Messiam inuenimus, qui dicitur Christus.* Vbinam enim, quo pacto, quandoque eum amisisti? Is enim reperisse dicitur, qui amisit: at quomodo amittitur is, qui omnes saluos facit; quo pacto is qui adest vbique, vel dicitur reperiri, vel potest? Verùm quid sibi his verbis velit Andreas, rectè nouit: id enim inuenimus, quod Adam amisit: id inuenimus nos, cuius Eua erat passa iacturam: id quod peccati nebula nostris obtexit oculis; id inuenimus quod è nobis seiunxit præuaricatio, quódque prope nobis præsénsque erat, longè abesse videri fecit; eum inuenimus, quem & Dauid quærere, magno sibi tribuebat honori: *in die* (inquit) *afflictionis meæ quæsiui Dominum.* Et Sophonias quoque clamat, *Quærite Dominum, omnes humiles terræ.* Inuentus enim, humiles exaltat, è terra eleuat, & eos supra corruptionem erigit, sublimibúsque sublimiores reddit. Eum Andreas inuenit, de quo ad nos bonus ille Propheta loquebatur Oseas: *In die tribulationis suæ mane consurgent ad me, dicentes, venite, & reuertamur ad Dominum Deum nostrum; quia ipse cepit, & sanauit nos; percutiet, & curabit nos; viuificabit nos, post duos dies, & in die tertia suscitabit nos in conspectu eius; sciemus, sequemúrque, vt cognoscamus Dominum: quasi diluculum præparatum inueniemus eum, & veniet quasi imber nobis temporaneus & serotinus terræ.*

Et longiùs post prædicta.

NON igitur Petro frustra denunciauit Andreas, *Inuenimus Messiam, qui dicitur Christus.* Cùm etiam Deus huiusmodi quædam per Prophetam Isaiam locutus sit. Si inquires, quære, & apud me habita. Quare Andreas Christum interrogare est ausus? Noui enim (Andreas aiebat) te super terram habitaculum non habere: non enim ædificas in corruptione, neque super lateres tabernacula formas. Vbinam manes, inquit Andreas, vt in aula Domini ianitor fiam; magis enim elegi abiectus iacere in domo Dei mei, quàm in peccatorum tabernaculis habitare? Vbinam habitas? quòd si didicero vbinam sit domus tua, non decedam è ianua. Sed hæc est mensa Euangelica, nobis ab Ecclesia

proposita, cuius ego edulia, vt famulus tantùm apposui. Quare pace vestra, ad aliam ego auidam mensam Andream sua vocatio coronat, electionem bellatori manifestat, merces vineæ cultori dignitatem comparat, quam hoc pacto nobis Matthæus descriptam reliquit : *Ex illa hora cœpit Ioannes prædicare & dicere, Pœnitentiam agite, appropinquauit enim regnum cælorum.*

Et post nonnulla.

ET *ambulans Iesus iuxta mare Galileæ, vidit duos fratres, Simonem qui dicitur Petrus, & Andream fratrem eius,* qui adimpleuit mandatum, quod Salomon in Prouerbiis antea scriptum reliquit: *fratres in angustiis sibi sint vtiles, in iis quæ maximè conferunt, quæ maximè seria, inque iis quæ maximè vrgent.* Id enim tanquam necessarium, & causam inexorabilem sapientia vocauit : *Fratres in necessitatibus,* inquit, *sibi sint vtiles.* Multos quidem cùm vidisset, præteriit : etenim dominicis erant mandatis oculisque indigni. *Vidit duos fratres, Simonem, qui dicitur Petrus,* non quasi esset Petrus futurus, iam enim erat per vocationem hac dignitate donatus : scribit siquidem, quod ad ipsum Christus dixerat, *Tu es Simon, tu diceris Cephas, qui dicitur Petrus.* Ecce antequam Christum confitereris, mercedem habes, & antequam operareris in vinea, accepisti denarium, antequam aram accenderes, oblationem accepisti : antequam prædicatoris munere fungereris, es coronatus; & antequam Euangelium annunciares, tibi oblatum est præmium. Huius verò ipsius causa fuit Andreas, atque ideo Matthæus addidit, *Et Andream fratrem eius,* licèt semel dixerit, *Vidit duos fratres :* tamen ecce iterum subiungit, Andream benefactorem Petri pronunciare, ideóque inquit, *Simonem qui dicitur Petrus, & Andream fratrem eius.* Non igitur Petrum Andreas adueniente vocatione præteriit: audisti enim dicentem ad Petrum : *Inuenimus Messiam, qui dicitur Christus.* Accurre, inquit, Petre; antequam alij Petri anticipent, antequam alij primatum occupent : ipse namque vnde vult conscribit milites, hic est qui à plateis & vicis congregat, qui publicanos & adulteras signat; vbicumque proiecerit semen, ibi tellus fructum offert; vbi plantabit palmitem, ibi statim consurgit vinea; vbi proiecerit retia, inde piscium plenus inuenitur. *Vidit duos fra-*

tres, Simonem, qui dicitur Petrus, & Andream fratrem eius, mittentes retia in mare, erant enim piscatores. Mirare Christi Domini magnificentiam, quoniam pauperes, & ineruditos, & litterarum penitus ignaros, & piscatores elegit: sapientia enim non coadiutoribus indiget: etenim sapientiæ nullus aliquid impertitur, verùm potiùs ab ipsa omnes accipiunt omnia, nullúsque dat mutuò diuiti, omnes namque ab ipso mutuò accipiunt, &c.

§. IV.

SANCTI GREGORII MAGNI Homilia V. *habita ad populum in basilica B. Andreæ Apostoli, in natali eius.*

AVDISTIS, fratres charissimi, quia ad vnius iussionis vocem Petrus & Andreas relictis retibus secuti sunt Redemptorem. Nulla verò hunc facere adhuc miracula viderant, nihil ab eo de præmio æternæ retributionis audierant: & tamen ad vnum Domini præceptum, hoc, quod possidere videbantur, obliti sunt. Quanta nos eius miracula videmus, quot flagellis affligimur, quantis minarum asperitatibus deterremur: & tamen vocantem sequi contemnimus. In cælo iam sedet, qui de conuersione nos admonet, iam iugo fidei colla gentium subdidit, iam mundi gloriam strauit, iam ruinis eius crebrescentibus districti sui iudicij diem propinquantem denuntiat: & tamen superba mens nostra adhuc non vult hoc sponte deserere, quod quotidie perdit inuita. quid ergo, fratres charissimi, quid in eius iudicio dicturi sumus, qui ab amore præsentis sæculi, nec præceptis flectimur, nec verberibus emendamur? Sed fortasse aliquis, tacitis sibi cogitationibus, dicat: Ad vocem Dominicam vterque iste piscator quid & quantum dimisit, qui pæne nihil habuit? Sed hac in re, fratres charissimi, affectum debemus potiùs pensare, quàm censum. Multum reliquit qui sibi nihil retinuit, multum reliquit qui quantumlibet parum, totum deseruit. Certè nos & habita cum amore possidemus, & ea quæ minimè habemus, ex desiderio quærimus. Multum ergo Petrus & Andreas dimisit, quando vterque etiam desideria habendi dereliquit. Multum dimisit, qui cum re possessa etiam concupiscentiis

renuntiauit. A sequentibus ergo tanta dimissa sunt, quanta à non sequentibus concupisci potuerunt. Nemo igitur, etiam cùm quosdam conspicit multa reliquisse, apud semetipsum dicat: imitari mundi huius contemptores volo, sed quod relinquam non habeo. Multa fratres relinquitis, si desideriis terrenis renunciatis. Exteriora etenim nostra à Domino quamlibet parua sufficiunt. Cor namque & non substantiam pensat: nec perpendit, quantum in eius sacrificio, sed ex quanto proferatur. Nam si exteriorem substantiam perpendamus, ecce sancti negotiatores nostri, perpetuam Angelorum vitam, datis retibus & naui, mercati sunt. Æstimationem quippe pretij rete non habet: sed tamen regnum Dei tantum valet, quantum habes. Valuit namque Zachæo dimidium substantiæ: quia dimidium aliud ad hoc, quod iniustè abstulit, restituendum in quadruplum reseruauit. Valuit Petro & Andreæ, dimissis retibus & naui. Valuit viduæ, duobus minutis. Valuit alteri, calice aquæ frigidæ. Regnum itaque Dei, vt diximus, tantum valet, quantum habes. Pensate igitur, fratres, quid vilius cùm emitur, quid carius cùm possidetur. Sed fortasse nec calix aquæ frigidæ suppetit, qui indigenti præbeatur: etiam tunc securitatem nobis promittit sermo diuinus: Redemptore etenim nato, cæli ciues ostensi sunt, qui clamarent: *Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Ante Dei namque oculos, nunquam est vacua manus à munere, si fuerit arca cordis repleta bona voluntate. Hinc etenim Psalmista dicit: *In me sunt Deus vota tua, quæ reddam laudationes tibi?* Ac si apertè dicat: Et si exteriùs munera offerenda non habeo, intra memetipsum tamen inuenio, quod in ara tuæ laudis impono: quia qui nostra datione non pasceris, oblatione cordis meliùs placaris. Nihil quippe offertur Deo ditius voluntate bona. Voluntas autem bona est, sic aduersa alterius, sicut nostra, pertimescere: sic de prosperitate proximi, sicut de nostro profectu gratulari. Aliena damna, nostra credere: aliena lucra, nostra putare. Amicum non propter mundum, sed propter Deum diligere: inimicum etiam amando tolerare. Nulli quod pati non vis, facere: nulli quod tibi iustè impendi desideras, denegare. Necessitati proximi, non solùm iuxta vires succurrere, sed prodesse etiam vltra vires velle. Quid ergo isto holocausto locupletius, quando per hoc quod Deo immolat

Luc. 19. b. *Matth. 4. c.* *Luc. 21. a.* *Matt. 10. d. & Marc. 9. f.* *Luc. 2. b.* *Psal. 55. c.*

in ara cordis, anima ſemetipſam mactat? Sed hoc bonæ voluntatis ſacrificium Deo nunquam plenè perſoluitur, niſi mundi huius cupiditas perfectè deſeratur. Nam quidquid in eo concupiſcimus, hoc procul dubio proximis inuidemus. Videtur etenim quia nobis deſit, quod alter aſſequitur. Et quia ſemper inuidia à bona voluntate diſcordat, mox vt hæc mentem ceperit, illa diſcedit. Vnde prædicatores ſancti vt poſſent proximos perfectè diligere, studuerunt in hoc ſæculo nihil amare, nihil vnquam appetere, nihil etiam cum appetitu poſſidere. Quos bene Eſaïas intuens ait: *Qui ſunt iſti, qui vt nubes volant, & quaſi columbæ ad feneſtras ſuas?* Eſaia 60. b. Vidit quippe terrena eos deſpicere, mente cæleſtibus propinquare, verbis pluere, miraculis coruſcare. Et quos à terrenis contagiis ſancta prædicatio & ſublimis vita ſuſpenderat, hos volantes pariter & nubes appellat. Feneſtræ autem noſtri ſunt oculi: quia per ipſos anima reſpicit, quod exteriùs concupiſcit. Columba verò ſimplex eſt animal, atque à malitia fellis alienum. Quaſi columbæ ergo ad feneſtras ſuas ſunt, qui nihil in hoc mundo concupiſcunt, qui omnia ſimpliciter aſpiciunt, & in hæc, quæ vident, rapacitatis ſtudio non trahuntur. At contrà miluus & non columba ad feneſtras ſuas eſt, qui ad ea, quæ oculis conſiderat, rapinæ deſiderio anhelat. Quia ergo, fratres chariſſimi, B. Andreæ Apoſtoli natalitia celebramus, debemus imitari quod colimus. Oſtendat noſtræ obſequium deuotionis immutatæ ſolennitas mentis: deſpiciamus quæ terrena ſunt, relictis temporalibus mercemur æterna. Si autem necdum poſſumus relinquere propria, ſaltem non concupiſcamus aliena. Si necdum mens noſtra accenditur igne charitatis, in ambitione ſua habeat frenum timoris: vt profectus ſui paſſibus vegetata, dum ab alienorum appetitu compeſcitur, quandoque ad propria contemnenda perducatur, adiuuante Domino noſtro Ieſu Chriſto.



§. V.

BEATI PETRI DAMIANI Sermo LVII. *qui est 1. de S. Andrea Apostolo tom. 2. eius operum.*

ODIE fratres chariſſimi, beati Andreæ nobis feſtiuitas votiua reſplenduit, quæ inter ipſam glacialis brumæ caliginem, iucundam mentibus noſtris induxit lætitiæ ſerenitatem: & dum aëris inclementia extrinſecus obrigeſcit, tanti præliatoris audita victoria, pia corda ad procinctum ſpiritalis certaminis incitat, & inſignes bellatorum Chriſti animos igne diuini amoris inflammat. Inter cuncta ſanè martyrij genera illud nobilius, illud non immeritò iucundatur eſſe præcipuum, quod in ipſo Redemptore noſtro, capite videlicet Martyrum, cognoſcitur dedicatum. Vnde cùm diuina diſpenſatio Petrum, & Andream conſummari per crucis ſupplicium voluit, inter ceteros Apoſtolos (licèt omnes vnius poteſtatis, & dignitatis ſint) quodammodo egregios, atque conſpicuos fecit. Crux enim quæ Regem præmiſit ad ſceptrum, eadem vtrumque militem, ſubſequenter euexit ad præmium.

O beata germanitas, quam ſicut mundo vna conſanguinitas edidit, ſic eadem triumphalis mors, victores ad aſtra tranſmiſit: & quos in hac vita vnius generis protulit natura conſortes, in illam beatitudinem ſempiternam crux parturiuit æquales. Eiuſdem nobilitatis in terra, eandem proſapiæ celſitudinem ſortiuntur in cælo. Qui enim hîc ſunt filij Ioannis, illic ſunt filij crucis. Iſti enim ſunt filij Chore, qui in quorumdam Pſalmorum titulis prænotantur. Crux enim, quæ eos morientes huic vitæ ſubtraxit, cæleſti Hieruſalem renaſcentes cum triumphali gloria, nouos ciues inuexit. Et Andreas quidem in Apoſtolici Senatus catalogo ſecundus ponitur, qui tamen in agnitionem Domini, iuxta Euangelicam fidem, primus inuenitur. Dicit enim Ioannes Euangeliſta. *Quia cùm ſtaret Ioannes, & ex diſcipulis eius duo, reſpiciens Ieſum ambulantem, dixit: Ecce agnus Dei, & audientes eum duo diſcipuli loquentem, ſecuti ſunt Ieſum.* Et paulò pòſt: *Erat autem Andreas*, inquit, *frater Simonis Petri, vnus ex duobus, qui audie-*

dierant ab Ioanne, & secuti fuerant eum. Deinde sequitur; *Inuenit hic primum fratrem suum Simonem, & dicit ei: inuenimus Messiam, quod est interpretatum Christus: & adduxit eum ad Iesum.*

Ecce Andreas inter ipsa noui tyrocinij rudimenta, fructificat, & veritatis iam prædicator efficitur, cuius adhuc vix erat auditor. Nouus discipulus factus, non est propria salute contentus, condiscipulos quærit, ad lucrandos alios fraternus se amor extendit. Thesaurum reperit, gaudet aliis prodere, furtum deputat illum sine consortibus possidere. Fausta denique, & præclara futuræ indolis signa nouus tyro prætendit, qui in ipso nouitiæ conuersionis exordio, mox, quod didicerat, docuit: quod acceperat, fideliter erogauit. Magnum nuncium, noua, & admiranda relatio, illum promittere visibiliter ostendendum, quem tot Prophetarum oracula præcinuerant affuturum.

Magni certè mysterij baiulus Andreas extitit fratri, qui nimirum se eum reperisse testatus est, quem ab origine mundi omnes Sancti cum magno desiderio præstolati sunt, & tamen videre non potuerunt. Non hoc præstitum est Patriarchæ Iacob, qui dicebat: *Salutare tuum expectabo, Domine.* Non Abrahæ, cui diuina sponsio facta est; quòd in semine suo hæreditaret omnes gentes. O quanti hoc pretij æstimasset insignis ille Propheta Esaïas, si ei ad hoc spectaculum aspirare licuisset! nimirum cùm tanti desiderij ardore succensus flagitaret mediatoris aduentum, & tanquam morosæ dilationis impatiens, æstuans proclamaret: *Vtinam dirumpe-* *Isa. 64. 1. 2.*
res cælos, & descenderes. A facie tua montes defluerent, sicut exustio ignis tabescerent, aquæ arderent igni: vt notum fieret nomen tuum inimicis tuis. Quàm terribilis ac vehemens tuba, vox hæc in Petri corde personuit: & tanquam repentinum fulmen inopinato coruscans, attonitum fecit! *Inuenimus*, inquit, *Messiam, qui dicitur Christus.*

Ad præliandum, &c. Cùm igitur per Apostolicæ prædicationis obsidionem, fratres charissimi, de pereuntis Iericho simus internecionibus eruti, immo de subuersæ gentilitatis excidio diuinitus liberati; non grauemur duces nostros subsequi, quò præcedunt: Non videatur onerosum quidquid nobis pro nostra salute præcipiunt.

Ecce beati Apostoli Petrus, & Andreas ad vnum Domini iubentis imperium, non dubitauerunt, quæ possidebant,

cuncta relinquere, vt terrenis mererentur cælestia permutare. Dimittunt, quæ præ oculis sunt, vt inuisibilia bona recipiant. Postponunt habita, ad sperata pertingunt; ad regnum per supplicium transeunt; ad æternæ vitæ gaudia per momentaneum crucis patibulum prouehuntur. Nihil sibi in peregrinatione reseruant, vt peruenientes ad patriam omnia simul inueniant. Vnde cum illis per immutationem dexteræ Excelsi hoc factum est, vt qui tunc abiecti videbantur, & humiles, nunc animarum iudices, & cælestis sint Curiæ Senatores. Tunc vilium possessores retium, nunc in regnis cælestibus obtinent gloriæ principatum. Et quos in terra positos, ipsa terrenarum rerum copia destituerat, nunc & totius orbis monarchiam tenent, & in illa cælesti Hierusalem, iudiciariæ potestatis soliis præsident. Quíque extremi pæne fuerant hominum, nunc conciues sunt, & participes Angelorum. Boni siquidem magistri, & grati remuneratoris adhæsêre vestigiis, qui eis aurum pro cœno, cuncta pro nihilo, pro tenebris lucem, pro somnio reddidit veritatem. Quibus nimirum & in cælo ipse fit præmium, & in terris quoque omnium subiicit iura regnorum.

Per hanc ergo viam, fratres mei, qua nos præcessêre, sequamur; si illuc, vbi sunt, pertingere volumus. Post hos itaque recta via gradientes, sic relinquamus Iericho, eorum obsidione subuersam, atque destructam, vt nequaquam de eius anathemate aliquid vsurpemus. Prohibet nempe Iesus ille Naue, ne de facultatibus Iericho aliquis concupiscat. Vetat & noster Iesus, verus vtique Saluator, vt nemo ea, quæ mundi sunt, diligat, *Nolite, inquit, thesaurizare vobis thesauros in terra.* Et per Apostolum suum: *Nolite diligere mundum, neque ea, quæ in mundo sunt.* Non ergo ad exemplum infelicis Achan, de anathémate Iericho aliquid defraudemus, vt videlicet nihil ex dissolutis mundanæ conuersationis moribus, disciplinis Ecclesiasticis inseramus. Non auferamus pallium, vt post indumentum fidei, cultum conuersationum sæcularium nullatenus induamus. Non argenti siclos, vt qui æternum thesaurum in cælo recondimus, nullam temporalem pecuniam per ambitionem in sudario reponamus. Non denique regulam auream, vt in Ecclesiam Christi non accurata introducamus hæreticorum dogmata, non trutinata Philosophorum acutè disputantium studia, vel Poëtarum elaborata figmenta. Hæc est enim

aurea illa regula, limato videlicet, atque polito sermone directa, & velut aureo luculentæ facundiæ nitore vestita. Hanc autem regulam furati sunt Arrius, Marcion, & Apelles, aliæque peruersorum hominum pestes, qui dum Philosophorum sectas in Ecclesiam conati sunt introducere, iram Dei quodammodo super castra Israël visi sunt prouocare. Sed ij obruti sunt cum Achan sub aceruo lapidum, quia oppressi sunt immanissimo pondere peccatorum.

Nos autem, fratres charissimi, quia Philosophia nostra Christus est, & hic crucifixus, atque ideo magistros habemus, non oratores, sed piscatores; non versutos, & eloquentes; sed mites, ac simplices; despiciamus sapientiam quæ cæcat; appetamus stultitiam, quæ discentes illuminat. *Quia* enim, vt Apostolus ait, *non cognouit mundus per sapientiam Deum, placuit per stultitiam prædicationis saluos facere credentes.*

Teneamus igitur in sua puritate doctrinam, & rectæ fidei adhibeamus operis efficaciam. Enatemus procellosum mundanæ perturbationis fluctum. Includi libeat tantorum retibus piscatorum. Incalescat cor nostrum ad tam promptæ obedientiæ, tam feruentissimæ deuotionis exemplum, & quod Doctores nostros nouimus tunc fecisse, ipsi etiam diuina opitulante clementia, studeamus implere. Ecce beatos fratres, Petrum videlicet & Andream, nunquam post conuersionem legimus carnali quadam necessitudine sibimet inuicem familiariùs adhæsisse, quàm ceteris; non arctiùs inter se mutuo confederatos affectu, non easdem prouincias prædicationis gratia consortitos: &, vt magis stupeas, non molestè tulit Andreas, quòd in fide primus, factus est ordinis dignitate secundus: nec zelo ductus est, quòd Petrus, qui eius ducatu posterior credidit, cuiúsque ad fidem ipse præuius fuit, prioratus tamen inter omnes Apostolos iura suscepit. Hanc nempe mortificationis regulam oculis nostris supernus Magister apposuit, hanc nobis veræ humilitatis normam, per quam illum recta via sequeremur exhibuit. In illis namque primis discipulis, quos & mundi Doctores instituit, omnium virtutum formam signanter expressit; vt vsque ad consummationem sæculi vnusquisque fidelium ad eos imitationis oculos dirigat, & per eorum tramitem neutrolibet exorbitaturus incedat; quatenus tenendo vitales affluentiæ riuos, perueniamus ad fon-

tem: ſequendo milites, recto itinere perducamur ad Regem, Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum, qui cum Patre, & Spiritu ſancto viuit & regnat per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

Ex eiuſdem Sermone * LVIII. 2. *de S. Andrea, ibid.*

* Relatus eſt etiam inter opera S. Bernardi, & eſt ibi 3. de S. Andrea.

ET quietum ſtudium, & attentum ſilentium, & tanta tanti viri feſtiuitas, monent, immo compellunt, aliquid dicere ad oſtendendam gloriam Deitatis, gratiam Apoſtolicæ dignitatis, confeſſionis virtutem. Demus gloriam laudi eius, quem laudant omnes gentes, qui miniſtros ſuos & laudat, & laudabiles facit. Ipſe eſt, cui aſſiſtunt Angeli, ad audiendam vocem ſermonum eius; qui ſtellas vocat, & dicunt, Adſumus; cuius manus extendit cælos; qui fundauit terram ſuper ſtabilitatem ſuam; qui graditur fluctus maris; qui fecit mirabilia ſolus; in quem deſiderant Angeli proſpicere. Ipſe eſt, qui fecit omnia, & in omnibus quæ fecit, quæcumque voluit fecit. Huic ſeruire regnare eſt; qui ſeruiuit pro nobis ſub dura & graui neceſſitate: & purpuram ſuæ diuinitatis cilicio noſtræ mortalitatis operiens, pauper & mendicus venit in regionem noſtram. Nunc quid non ludus vobis videtur, Iudæi, Pagani, Hæretici, & omnis illa ſubſannantium immò inſanientium turba, cùm dicimus, Filium Dei carnem, crucem, mortem, clauos, & lanceam toleraſſe? ludus profectò eſt, vnde ſic nobis luditur, vt vobis illudatur.

Vnicus ille ſapiens huius myſterij non ignarus, ludum iſtum eleganti ſermone præluſit. *Delectabar,* inquit, *per ſingulos dies, ludens coram eo in orbem terrarum.* Luſit quippe coram Deo, cùm carnem ex eius præcepto ſuſcepit; & in orbem terrarum, quia ad redemptionem orbis terrarum, delectatus per ſingulos dies, in ſingulis Apoſtolis iucundatus, dum vni tradidit regnum cælorum, alteri de pectore ſuo reclinatorium fecit. Et deliciæ meæ eſſe cum filiis hominum. Putabam ego Domine Ieſu, quòd deliciæ tuæ eſſent non cum filiis hominum, ſed cum choris Angelorum, vbi diuinitatis gloriâ thronis, & poteſtatibus admirandus, ſuperiorum oculos reuerberas naturarum. Ibi lucem habitas inacceſſibilem, & circumſtantiam clariſſimorum luminum, tui luminis obtegis maieſtate. Sed illa clementiſſima tua pietas, & benignitas adoranda, delicias

ſuas dicit eſſe cum filiis hominum. Iſti ſunt filij hominum, qui ſperauerunt ſub tegmine, quos elegiſti de plebe, quorum lauiſti pedes, quibus tuum Spiritum infudiſti, qui fidem tui nominis quadrigis Euangelicis per orbem quadrifidum portauerunt.

Magiſter & Dominus noſter, cuius ſchola eſt in terris, & cathedra eſt in cælo, ex his omnibus quos elegit, elegit, & prælegit Andream Apoſtolum, cuius ſolennitatem & vocibus, & cordibus inclamamus: O dulcis Apoſtolus, & primitiua vocatio Saluatoris, qui in ipſum Apoſtolicum chorum tanti prioratus inſignitur faſtigio! Non ſubterfugit nos, quia quodammodo tenerrimus eſt, & dulcior in cordibus fidelium, cuius paſſio tanta ſpiritus deuotione diſtillat, vt mentes audientium adipe, & pinguedine replere videatur. Vnde non immeritò in ſingularem auctoritatis arcem ſuſcepta eſt, quam qui viderunt, ſcripſerunt orbi, & miniſtri fuêre ſermonis. Vocatio eius, vita, & paſſio cognita ſunt vobis, & nunc, quid ſupereſt, vt à me ampliùs expectetis? Verumtamen monet me lectio Apoſtolica, vt aliquantiſper de ea veſtræ reuerentiæ colloquamur. Ait enim: *Corde creditur ad iuſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem.* Dicit enim ſcriptura: *Omnis qui credit in illum non confundetur.* Tria proponuntur hîc, & corde credere ad iuſtitiam, & ore confiteri ad ſalutem, & in illum credere, in quem, qui crediderit, non confundetur. Solum cor hominis capax eſt rationis, & ſuſceptibile myſteriorum Dei, quod purgatum, atque politum, ipſam diuinitatis ſubſtantiam, etſi non comprehendit, apprehendit tamen. Cor eſt in corpore, anima in corde, mens in anima, fides in mente, Chriſtus in fide; & hoc eſſe puto, quod dicit Apoſtolus: *Habitare Chriſtum per fidem in cordibus veſtris*, &c.

§. VI.

S. BERNARDI CLAREVALLENSIS ABBATIS Sermo in vigilia S. Andreæ Apostoli.

SANCTORVM festa præcipua Patrum sanxit auctoritas, votiuis præuenienda ieiuniis: vtiliter planè, & non ad insipientiam nobis, si adfuerit qui aduertat. Multa siquidem quotidie peccata contrahimus, & in multis offendimus omnes, nec tutum omnino est celebrandas suscipere festiuitates sacras, maximéque eas quæ maximæ sunt, nisi priùs abstinentiæ purificatione præmissa, quò digniores & capaciores inueniamur spiritualium gaudiorum. Sic enim iustus in principio sermonis accusator est sui, nec nisi à propria reprehensione laudes incipit alienas. Quòd si etiam iustus trepidat solicitus præuenire eum, qui ipsas quoque paratus est iustitias iudicare, quid agimus nos quorum interim iudicata non fuerint & tecta peccata? Timendum valde est, ne forte manifesta inueniantur præcedentia ad iudicium. Si nec iustus sine molestia, & verecundia quadam ad Sanctorum præsumit accedere laudes; quanto magis peccator, in cuius ore non est laus speciosa, timeat semper necesse est vocem illam: Quare tu enarras iustitias meas? Siue illam: Amice, quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialem? Beati proinde qui stolam suam, dico autem gloriam conscientiæ suæ, soliciti sunt omni tempore conseruare immaculatam, semper splendidam exhibere. Sed quia pauci sunt, qui sic omni custodia seruent cor suum, pauciores autem (si tamen vel pauciores) qui in omni sanctimonia seruent illud, necesse est frequenti abstinentia maculas diluere subintrantes, præcipuè cùm præcipua quælibet solennitas aduenerit celebranda. Non modò tamen præparatio est ad proximam celebritatem obseruatio præmissa ieiunij, est & admonitio quædam eruditióque non parua. Discimus ex hoc ipso, quænam vera sit via festiuitatis æternæ. Quid enim est quod ieiuniis solennia præuenimus, nisi quòd per multas tribulationes oportet nos introire in regnum Dei? indignus quippe solenni lætitia est, qui statutam vigiliæ abstinentiam non obseruat. Planè, inquam, si renuis affligere animam tuam in vigilia, indi-

gnus iure censeris requie & exultatione festiua. Est autem vniuersum præsentis pœnitentiæ tempus, vigilia quædam solennitatis magni & æterni Sabbati quod præstolamur. Nec causaberis vigiliam longiorem, si æternitatem festiuitatis attendas. Licèt enim habere soleant solennia diurna diurnam, illa cùm æterna sit, non exigit tamen æternam. Sed quò nos rapit iucundior illius memoria felicitatis? Hoc enim nomine & sæpius, & fortè dignius, nominatur illa festiuitas. Redeundum nobis est ad id quod præ manibus est. Hodierni itaque ieiunij, & eius quam præstolamur, solennitatis & lætitiæ causa est beata passio Andreæ Apostoli. Dignum est enim, vt si cum eo pendere non possumus, cum eo vel ieiunemus. Nam & ipsum cùm biduò penderet in cruce, etiam ieiunasse quis dubitet? Inueniamur ergo vel in exiguo communicantes passione eius, & si non simul affixi patibulo, simul afflicti ieiunio, vt miserante Deo etiam coronæ participes simus, & in præsenti quoque spiritualium socij gaudiorum. Quomodo enim non exultemus in memoria triumphi eius, quem in ipsa sui præsentia supplicij tam vehementer nouimus exultasse? Annon erit læta festiuitas, vbi & crux ipsa plena est gaudio? Siquidem & festiuum solemus nominare quod lætum est, & crux à cruciatu vtique dicitur, aut certè cruciatus à cruce. Quanta proinde exultatione vniuersæ terræ celebrandum tantæ nouitatis miraculum, tam magnificum opus diuinæ virtutis? Andreas homo erat similis nobis, passibilis, & tam vehementi ardore spiritus crucem sitiebat, tam inaudito à sæculis gaudio tripudiabat, cùm paratum sibi eminus patibulum conspexisset: O Crux, inquit, diu desi- «
derata, & iam concupiscenti animo præparata. Securus & «
gaudens venio ad te, ita vt & tu exultans suscipias me. «
Videtis quia non se capit præ magnitudine gaudij? Ita, inquit, vt & tu exultans. Ergóne tanta est exultatio, vt exultet & ipsa crux, nec læti quicquam habeat, sed totum lætitia sit? Aut, quis dicat minùs contra consuetudinem, supra rationem, vltra naturam, crucifixum exultare quàm crucem? Illi sensum lætitiæ natura negauit: huic si quid præualet, gaudium omne exterminat, ingerítque dolorem. Amator, ait, tuus semper fui, & desideraui amplecti te. Fratres, ignis vibrans est, non lingua loquens, & si lingua, certè ignea est. Carbones sunt ignis illius, quem de excel-

ſo Chriſtus miſerat in oſſibus eius. Atque vtinam deſolatorij nobis ſint, conſumentes & exurentes quicquid in nobis eſt carnalis affectionis. Quales enim ſcintillæ ſunt iſtæ: aut quanto interiori incendio micant? Planè beate Andrea granum ſinapis eſt fides tua, quæ tam inſperatum vbi teri cœpit, cœpit ex ſe proferre feruorem. Quid ſi paulò ampliùs tereretur? Quis feruorem illum animus, quis verba illa ſuſtinere poſſet auditus? Dum enim minis minaretur Ægeas, adhuc granum ſinapis deſpicabile videbatur. Integrum erat, neſciebamus quid intus lateret: Dominus, inquit, me miſit ad iſtam prouinciam, in qua non paruum ei populum acquiſiui. Accedat comminationis piſtillum, longè iam acriùs ſapiet, conſtantiúſque loquetur. Terrendum eum putat Ægeas, crucis ſupplicium minitans, ſed non eſt ita. Accenditur magis in hoc verbo, & liberè clamat: *Ego ſi patibulum crucis expaueſcerem, crucis gloriam non prædicarem.* At vbi paratum ſibi lignum intuitus eſt, ex hoc iam planè totus igneſcens applaudebat, & blandiebatur illi amatæ ſuæ, officioſiſſimè ſalutabat, deuotiſſimè ſuſcipiebat, magnificè attollebat eam, & in ipſius præconio gloriabatur, clamans magis af-
" fectione, quàm voce: Salue crux pretioſa quæ decorem
" & pulchritudinem de membris Dominicis accepiſti. Salue
" crux quæ in corpore Chriſti dedicata es, & ex membris
" eius tam margaritis ornata. Meritò proinde crucis amatorem venerantur quicumque ſunt ſerui crucis; ſed ab his ampliorem iure deuotionem exigit, qui ſpecialiùs propoſuerunt tollere crucem ſuam. Vobis hoc, & de vobis dico, fratres mei, qui non ſurda aure audiſtis illam Euangelicam tubam: Qui non baiulat crucem ſuam, & ſequitur me, non poteſt meus eſſe diſcipulus. Parati eſtote, totam animi diligentiam huic adhibere ſolennitati, & corde magno celebrare eam, quia magnus omninò conſolationis pariter & exhortationis theſaurus vobis repoſitus eſt in ea, ſi fuerit qui fodiat & ſcrutetur.

Eiuſdem in die S. Andreæ, ſermo primus.

CELEBRANTES hodie glorioſum Beati Andreæ triumphum, in verbis gratiæ, quæ procedebant de ore eius, exultauimus & delectati ſumus. Neque enim locus poterat eſſe triſtitiæ, vbi tam vehementer lætabatur
&

& ipse. Nemo ex nobis compassus est sic patienti, nemo ausus est plangere exultantem. Alioquin & nobis ipse non incongruè dicere poterat, quod Saluator crucem baiulans sequentibus se & lugentibus ait: Filiæ Hierusalem, nolite flere super me, sed super vos ipsas flete. Denique cùm duceretur ipse Beatus Andreas ad crucem, populus qui sanctum & iustum dolebat iniustè damnari, prohibere voluit ne puniretur: sed magis ipse instantissima prece prohibuit eos, ne non coronaretur, imò ne non pateretur. Desiderabat siquidem dissolui, & cum Christo esse, sed in cruce quam semper amauerat. Desiderabat regnum intrare, sed per patibulum. Quid enim dicit illi amatæ suæ? Per te, inquit, me recipiat, qui per te me redemit. Ergo si diligimus eum, congaudemus ei non solùm quia coronatus, sed & quia crucifixus: quia desiderium animæ eius tribuit ei Dominus, & posuit in capite eius coronam de lapide precioso. Verumtamen dum congratulamur ei quod diu desideratæ crucis frui mereatur amplexu, mirum valde est si non ipsum eius miramur gaudium cui congratulamur. Dum enim noctis huius vigilias celebrantes, in verbis tantæ exultationis cantando delectaremur, putas non fuit in nobis qui secum cogitaret & diceret: Quid sibi vult hoc, aut vnde tam noua lætitia? Certè & crux preciosa est, & crux amari potest, & crux habet exultationem.

Et longiùs post prædicta.

Nec sanè desperandum nobis, quandoquidem eius, qui ad hunc peruenit gradum, ob hoc maximè memoria celebratur, vt ipsius & inuocemus auxilium, & prouocemur exemplo. Plus dico, & ex nobis nonnullos mihi videre videor in hoc gradu. Si dicis B. Andream Apostolum esse, nec posse te, qui pusillus es, eius sequi vestigia: pudeat vel eos qui tecum sunt non imitari. Nemo repentè fit summus: ascendendo, non volando apprehenditur summitas scalæ. Ascendamus igitur velut duobus quibusdam pedibus, meditatione & oratione. Meditatio siquidem docet quid desit, oratio ne desit obtinet; illa viam ostendit, ista deducit. Meditatione denique agnoscimus imminentia nobis pericula, oratione euadimus, præstante Domino nostro Iesu Christo.

Eiusdem Sermo II.

BEATI ANDREÆ Apostoli solennitas hodie celebratur: quam si pia solicitudine perscrutemur, multa inueniemus in ea, quæ ædificent animas nostras. In ipso siquidem conuersionis suæ initio magnum nobis perfectæ obedientiæ præstat exemplum. Quod quidem Christianis omnibus necessarium, nobis tamen est chariùs amplectendum, qui nimirum specialiter ex ipsa professione nostra tenemur obedientiæ debitores. Sapiens nummularius est, imò ipsa sapientia, cui necesse habemus reddere hunc obedientiæ nummum: nec suscipiet eum nisi & integer inueniatur, & sine aliqua falsitate. Nam si discutimus, si diiudicamus, & in hoc quidem præcepto non obedimus, sed in illo fractus est nummus: non suscipiet eum Christus, à quo nimirum tenemur nummi integri debitores. Omnes enim obedientiam simpliciter & sine vlla exceptione promisimus. Quod si quis obediat quidem, sed simulatoriè & ad oculum: murmuret autem in abscondito, falsus est nummus eius, plumbum habet non argentum, & iniquitas sedet super talentum plumbi: dolosè agit, sed in conspectu Dei, quoniam Deus non irridetur. Vis audire perfectæ obedientiæ formam? vidit Dominus, ait Euangelista, *Matth. 4. c.* Petrum & Andream mittentes rete in mare, & ait illis: Venite post me, faciam vos fieri piscatores hominum. Faciam, inquit, de piscatoribus piscatores, imò prædicatores. At illi continuò nihil diiudicantes, aut hæsitantes, non solliciti vnde viuerent, non considerantes quonam modo rudes homines, & sine literis, prædicatores fieri possent, nihil denique interrogantes, sine omni mora relictis retibus & naui, secuti sunt eum. Agnoscite fratres quoniam propter vos scripta sunt hæc, propter vos singulis annis in Ecclesia recitantur, vt discentes veræ obedientiæ formam, castigetis corda vestra in obedientia charitatis. Hæc nimirum est quæ sola commendat obedientiæ nummum, hoc illius argentum est probatum atque purgatum. Sola est charitas quæ *1. Cor. 9. b.* obedientiam gratam facit vt acceptabilem Deo. Hilarem quippe datorem diligit Deus. Et item: Si tradidero (inquit) corpus meum ita vt ardeam, charitatem autem non habeam: nihil prodest. Vultis vt de ipsa quoque Beati huius Apostoli passione, quem nimirum hodie celebramus,

loquamur aliquid ad laudem Christi, & ædificationem vestram? Audistis certè cùm peruenisset Beatus Andreas ad locum vbi crux parata erat, quomodo confortatus sit in Domino, & per spiritum quem vnà cum ceteris Apostolis in igneis linguis acceperat, verba verè ignea loqueretur. Videns ergo paratam eminus crucem, nequaquam (vt exigere videtur mortalis infirmitas) facies eius expalluit, nequaquam sanguis eius gelatus est, non stetere comæ, aut vox faucibus hæsit: non contremuit corpus, nec mens turbata est, non recessit, vt assolet, intellectus. Ex abundantia cordis os locutum est, & charitas quæ feruebat in corde, quasi scintillas quasdam ardentissimas emittebat in voce. Quid enim B. Andreas cùm sibi partam (vt dixi) crucem eminus cerneret, loquebatur? O crux, inquit, diu desiderata, & iam concupiscenti animo præparata: securus & gaudens venio ad te, ita vt & tu exultans suscipias me, discipulum eius qui pependit in te, quia amator tuus semper fui, & desideraui amplecti te. Obsecro, fratres, homo est qui loquitur hæc, annon est homo, sed Angelus, aut noua aliqua creatura? Homo planè similis nobis passibilis. Nam passibilem eum passio ipsa testatur, qua appropinquante tam lætabundus exultat. Vnde ergo in homine, noua hæc exultatio, & lætitia hactenus inaudita? Vnde in tanta fragilitate tanta constantia? Vnde in homine tam spiritualis mens, tam feruens charitas, animus tam robustus? Absit vt à seipso tantam ei credamus inesse virtutem. Donum perfectum est, descendens à patre luminum, ab eo vtique qui facit mirabilia magna solus. Planè spiritus erat, dilectissimi, qui adiuuabat infirmitatem eius, per quem diffundebatur in corde ipsius fortis charitas vt mors, imò & fortior morte. Cuius ô si & nos participes inueniamur! Ecce enim molestus est nobis pœnitentiæ labor, corporis afflictio grauis, abstinentia onerosa: in vigiliis dormitat anima nostra præ tædio, non ob aliud sanè quàm propter inopiam spiritus. Ipse enim si adesset, adiuuaret sine dubio infirmitatem nostram: & sicut Beato Andreæ crucem & mortem ipsam, sic nobis quoque laborem & pœnitentiam faceret non solùm non molestam, sed etiam desiderabilem atque omnino delectabilem esse.

Et infrà.

Sed ecce dæmonium meridianum, ſuperbiæ ſcilicet ſpiritus, qui nimirum in ſplendore maiori virtutum acriùs inſurgere ſolet. Hæc autem quàm perniciosa ſit, ſæpius vobis intimare curamus. Initium quippe omnis peccati & cauſa totius perditionis ſuperbia eſt. Propterea quiſquis es qui ſalutem tuam operari ſtudes, aduerſus hanc, ſuper caput tuum cornu crucis habere memento, vt non eleueris in ſuperbiam, non exaltetur cor tuum, non ambules in magnis, neque in mirabilibus ſuper te : ſed tela ea quæ de ſublimi veniunt, ſupereminens capiti tuo cornu crucis excipiat. Sanè hoc ſolum eſt, cui ſalutis pariter & regni titulus ſcribitur : quia ſolus qui ſe humiliat, ſaluari & exaltari meretur. Iam vt breuiter repetam, quatuor hæc cornua ſunt, continentia, patientia, prudentia, & humilitas. Felix anima, quæ in hac cruce gloriatur & triumphat, tantùm vt perſeueret in ea, vt nullis valeat tentationibus deiici. Oret igitur quiſquis in hac cruce eſt, oret cum Beato Andrea Dominum & magiſtrum ſuum, ne patiatur eum de cruce deponi. Quid enim malignus ille non audeat, quid non præſumat impius attentare ? Quod Andreæ manibus de diſcipulo, hoc Iudæorum linguis facere cogitauerat & de magiſtro. In vtroque tamen ſera pœnitentia ductus victus & confuſus abſceſſit. Vtinam abeat ſimiliter & à nobis, eo vincente qui & in ſe & in diſcipulo triumphauit. Faciat ipſe vt mereamur & nos in hac noſtra qualicumque cruce pœnitentiæ, quam pro ipſius nomine tulimus, feliciter conſummari, qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſæcula. Amen.

§. VII.

Ex Sermonibus GVILIELMI ARVERNI, *Episcopi Parisiensis, de S. Andrea Apostolo, in eius vigilia.*



TABAT *Ioannes & ex discipulis eius duo*, &c. Ioannis 1. Recolit hodie Ecclesia B. Andreæ primam vocationem. Tres enim distinguuntur vocationes. Prima est ad simplicem cognitionem, de qua legitur in Euangelio hodierno. Secunda fuit ad familiaritatem, de qua legitur Lucæ 5. quando secuti sunt Iesum, subductis ad terram nauibus, adhuc tamen voluntatem habebant redeundi ad sua, vt tangit interlinearis. Tertia fuit ad disciplinatum, de qua legitur Matth. 4. quæ cras in Euangelio recoletur. Vbi verò prima vocatio B. Andreæ describitur, sex digna imitatione in ea nobis commendantur; scilicet familiaritas sancta, fides prompta, operatio bona, interrogatio discreta, obedientia parata, pietas non infida, vel otiosa.

Primum scilicet familiaritas sancta, commendatur in hoc quòd Andreas discipulus fuit Ioannis, quem ex vtero matris Spiritus sanctus gratia repleuit. Lucæ 1. qui plusquam Propheta fuit, quo inter natos mulierum maior non surrexit; quantum valeat ad salutem, habere cum homine familiaritatem, qui sit conuersationis sanctæ & doctrinæ sanæ, satis perpendi potest, ex hoc quòd quasi vnum verbum auditum à Ioanne videtur fuisse occasio vocationis Andreæ, scilicet illud verbum. *Ecce Agnus Dei:* Ecclesi. 37. *Cum viro sancto assiduus esto, quemcumque cognoueris obseruantem timorem Dei, cuius anima est secundum animam tuam*, &c. *Cum illis versare, qui te meliorem facturi sunt*. Prouerb. 13. *Qui cum sapientibus graditur, sapiens erit. Amicus verò stultorum similis illis efficitur. Carbo verò positus cum viuis accenditur, sic illum qui malus est, occasione bona societatis bonus efficitur.* Ps. 17. *Cum sancto sanctus eris, & cum viro innocente innocens eris.* Ecclesi. 7. *Discede ab iniquo viro, & deficient mala abs te.*

Secundum, scilicet fides prompta, commendatur in hoc quod Ioanni dicenti: *Ecce Agnus Dei:* tam citò credidit Andreas. De credulitate commendatur etiam Beata Virgo Lucæ 1. *Dixit Elisabeth: Beata es quæ credidisti.* & Abraham

Genes. 15. *Credidit Abraham Deo, & reputatum est ei ad iustitiam:* Contrà Zacharias punitus est a Deo, quia non credidit Angelo promittenti ei Ioannem, ad tempus enim mutus effectus est.

Tertium, scilicet operatio bona, commendatur nobis, eo quod Andreas eum quem Agnum Dei esse credidit, gressu secutus est. Non solùm autem gressu corporis secutus est eum, sed officio prædicationis, & eodem genere mortis. Nam in cruce biduo viuens, funibus non clauis cruci affixus prædicauit, habens astantes viginti millia hominum, quem cùm populus vellet de cruce deponere, splendor cælestis circumdedit eum per dimidiam horam, vt nullus eum videre posset, & abscedente luce simul cum lumine spiritum tradidit. Huius S. Andreæ festiuitas pro tanto circa initium Dominici aduentus celebrari consueuit, quia ipse vocatus à Iesu, Iesum præcipuè manifestauit aduenisse in carnem, vt satis ostendit Euangelium vigiliæ, Ioan. 1. conscriptum. Cùm Ioannes Baptista primò vocat Iesum Agnum Dei, Andreas postea vocat Rabbi & Messiam: deinde Philippus per Saluatorem vocatus, vocat eum filium Ioseph à Nazareth, quem scripsit Moyses & Prophetæ. Ecce Christum continentiam & materiam diuinarum scripturarum. Et Natanael vocatus per Philippum vocat Iesum Rabbi filium Dei, quibus pro meritis confessionis fidei Christi, ipsemet Iesus ait: *Videbitis Angelos ascendentes & descendentes* & Dominum scalæ innixum: quia in Dei Ecclesia capiti Christo, Ecclesiæ fundamento, Angeli administrant pariter & membris viua fide Christo incorporatis. Non ergo sufficit fides sine operatione. Iacob. 2. *Si fides non habeat opera, mortua est in semetipsa.* In eodem. *Sicut corpus sine spiritu mortuum est, ita fides sine operibus mortua est.* Bernard. sup. Cant. Quid est fides quæ non operatur ex dilectione, nisi cadauer exanime? bene honoras Deum munere fœtido, bene placas Deum tuæ fidei interfectum, fides mortua inferior esse videtur fide dæmonum. Iacob. 2. *Tu credis quia vnus est Deus, benè facis, & dæmones credunt & contremiscunt,* quod plus est. Ecce dæmones viderunt & tremuerunt, homines viderunt & interfecerunt.

Quartum, scilicet interrogatio discreta, commendatur in hoc quod Andreas quæsiuit à Saluatore vbi habitaret.

Multum valet homini ad hoc quod ſaluetur, interrogare diligenter de iis quæ pertinent ad ſalutem; ſpecialiter valet multum ad ſalutem cognoſcere, vbi Saluator habitet, & vbi inueniri poſſit.

Notandum ergo quod Saluator in multis locis habitare dicitur. Habitat in iis qui conſilio bonorum ſe regunt. Prouerb. 8. Ego ſapientia habito in conſiliis, & eruditis interſum cogitationibus. Eiuſd. 24. Erit ſalus, vbi multa conſilia. ſalus non eſt ſine Saluatore. Item habitat Saluator cum bona ſocietate. Matth. 18. Vbi enim duo vel tres congregati ſunt in meo nomine, ibi ſum in medio eorum. Item habitat in pace. Pſalmiſta, In pace factus eſt locus eius. ad quod ſignificandum, voluit naſci in hoc mundo, donec pax eſſet per vniuerſum mundum. ad idem deſignandum, voluit vt Salomon, id eſt pacificus, ædificaret ſibi templum. Habitat etiam in humilibus; Iſaïæ vlt. ad quem reſpiciam, niſi ad pauperculum ſpiritu & timentem ſermones meos? Item habitat in huius mundi contemptoribus. qui mundum habent ſub pedibus, altiſſimi ſunt, & ideo altiſſimus in illis habitat. Eccl. 23. ego habito in altiſſimis. Item habitat in verè obedientibus, quod ſignificatum eſt Geneſ. 28. vbi Iacob vidit ſcalam deſignantem viam obedientiæ. Hanc ſcalam vidit Iacob in itinere, capiti lapide ſuppoſito. In quo nota quòd perfectè obediens debet dormire in via huius ſæculi, longè à ſtrepitu & ab amore temporalium. Item debet Chriſto adhærere mente. Scala illa eſt obedientia, latera eius duo, paupertas & continentia.

Notandum verò quòd de hac ſcala dicuntur quatuor.

Primum, quòd erat ſtans ſuper terram, in quo notatur rectitudo intentionis quæ debet eſſe in aggredientibus viam obedientiæ contra temerariam intentionem quorumdam.

Secundum, quòd cacumen tangebat cælum, in quo notatur quòd conuerſatio religioſorum debet eſſe in cælis.

Tertium eſt, quòd Angeli aſcendunt & deſcendunt de ſcala, in quo notatur quòd vita obedientiæ debet eſſe vita Angelica.

Quartum eſt, quòd Dominus erat innixus ſcalæ, in quo notatur quòd Dominus paratus eſt iuuare obedientes, vel quòd obedientia immediatè ſe habet ad Deum, nullum enim eſt interuallum vel modicum, inter mortem obedientis,

& Dei visionem. Vnde in Psalmo, tenuisti manum dexteram meam & in voluntate tua.

Hæc scala secundùm Bernardum habet septem gradus, quorum primus est libenter obedire; quem gradum sicut ipse dicit, non potest ascendere qui voluntatem præcipientis non suam fecerit; libenter obediebat, qui dicebat, meus cibus est vt faciam voluntatem eius qui misit me. Ioan. 4. Paulus ostendit se paratum ad Dei voluntatem, cùm dicit Act. 4. Domine quid me vis facere? Sed quidam sunt similes rusticis, qui dominis suis nullum seruitium volunt facere nisi coacti. Tales sunt sicut Simon Cirenæus, qui crucem Domini portabat in angaria. Matth. 26. Secundus gradus est, obedire simpliciter: Bernardus, post præcipientis imperium, multos vidimus multas facere quæstiones: quare hoc & vnde creuerit consilium, & quis inuenerit? vnde oritur murmuratio, excusatio, impossibilitas, simulatio, aduocatio amicorum. vnde Psalmista. In auditu auris obediuit mihi. Gregorius. Qui vestri cùm semel nobis credidistis, quid rursum de nobis intromittitis.

Tertius gradus est, obedire hilariter. 1. Corinth. 42. Hilarem datorem diligit Dominus. Bernardus: Serenitas in vultu, dulcedo in sermone, multum colorant obedientiam obsequentis; nubilosa corporis compositio, & facies tenebris tristitiæ obfuscata, deuotionem ab animo recessisse significaat. ad Philippens. 2. Omnia facite sine murmuratione.

Notandum quòd ille qui cum murmure Domino obedit, similis est rotæ carri quæ murmurat ex defectu vnctionis, & etiam quasi qui alium non vult præcedere, sicut neque rota rotam. Vnde dicit, non faciam hoc nisi ille fecerit, Eccl. 30. Præcordia fatui, sicut rota carri.

Quartus gradus est, obedire humiliter; Lucæ 19. dictum est Zacchæo: festinans descende, & festinans descendit. & subditur enumeratio. hodie, inquit, salus facta est huic domui. Et Matth. 4. dicitur de Petro & Andrea: At illi continuò relictis omnibus secuti sunt eum. Valde gratum est principibus cùm præcepta eorum velociter implentur. Prouerb. 22. Vidimus hominem velocem in opero suo coram rege stare.

Quintus est, adimplere mandatum viriliter. Bernardus: Manum suam misit ad fortia. agendum est instanter, & con-

constanter obediendum. ad Philippens. 3. Factus est obediens vsque ad mortem. Bernard. Mementote fratres, Christus ne perderet obedientiam, perdidit vitam.

Sextus gradus est obedire humiliter; Lucæ 17. Cùm omnia feceritis, quæ præcepta sunt vobis, dicite, serui sumus inutiles.

Septimus gradus est obedire indesinenter. Bernardus. Perseuerantia singularis est filia summi regis. Primæ ad Corinth. 21. Sic currite vt comprehendatis, id est perseueranter.

Item notandum quod Iacob postea dixit, quàm terribilis est locus iste, scilicet locus religionis propter Dei præsentiam, propter quod debent se habere sollicitè, quia Dominus præsens est. Michææ 6. Indicabo tibi, ô homo, quid sit bonum & malum, &c. & sequitur: sollicitè ambulare cum Deo tuo, &c. Item terribilis propter pœnam qua puniti sunt, qui in locis sanctis peccauerunt, vt patet de pœna Luciferi, & ipsius Adam. Item habitat in tribulatione. Vnde Psal. Cum ipso sum in tribulatione. Bernardus: quæcumque tribulatio sæuiat, ne putes te derelictum, sed memineris scriptum esse, Cum ipso sum in tribulatione. Danielis 3. vidit Nabuchodonosor cum tribus pueris in fornace positis, quartum similem filio Dei.

Quintum, scilicet obedientia parata, commendatur in hoc quòd cùm dixisset Dominus Andreæ, & alij discipulo Ioannis, venite, & videte, venerunt, & viderunt vbi maneret: obedientiam voluit Saluator specialiter discipulos suos docere, ipsemet eam addiscere voluit, secundùm illud ad Hebr. 6. Ex iis quæ passus est didicit obedientiam. Ipse de inobedientia discipulos suos examinat, & cùm inuenerit in aliquo obedientiam paratam multum gaudet. Psal. In auditu auris obediuit mihi.

Sextum, scilicet pietas non infida commendatur, ex hoc quòd Christum inuentum fratri suo indicauit. Non fuit infidus nec otiosus, bonum enim inuentum fratri suo communicauit, & eum ad Iesum adduxit. Circa quod est notandum, qui nec ad Iesum veniunt, nec adducunt, sicut sunt perniciosè mali, & exemplo malo perniciosi, quales erant illi quibus dictum est, Matth. 23. Clauditis regnum cælorum ante homines, vos enim non intratis, nec introeuntes intrare sinitis. Quidam autem adducunt, & non veniunt,

ſicut ſunt qui ſibi neque ſunt, neque aliis boni. Quibus dici poteſt illud Matth. 16. Quid prodeſt homini ſi vniuerſum mundum lucretur, animæ autem detrimentum patiatur. Alij verò veniunt, vt videtur, ſed non adducunt, quod non videtur ſufficere homini litterato. Item hoc non ſufficit Prælato, qui venator eſſe debet, cui dicit Dominus, Affer mihi de venatione tua, Geneſis 27. Item non ſufficit piſcatori cui dicitur, Affer mihi de piſcibus quos prendidiſti, Ioannis 21. Item non ſufficit paſtori, cui dicitur illud Hieremiæ 13. Vbi eſt grex qui datus eſt tibi? Apoſtoli venerunt, & adduxerunt; Petrus adduxit Aſiam, Andreas Achaiam.

§. VIII.

SANCTI THOMÆ AQVINATIS Doctoris Angelici, Sermo de ſancto Andrea Apoſtolo.

ASCENDAM *in palmam, & apprehendam fructus eius*. Cantic. 8. In his verbis tria notantur ad laudem B. Andreæ, cuius verba hæc poſſunt eſſe. Primò, patiendi voluntas, ibi, aſcendam: Secundò paſſionis qualitas, ibi, in palmam: Tertiò paſſionis vtilitas, ibi, & apprehendam fructus eius. Circa primum nota, quòd ſeptem ſunt gradus aſcendendi in palmam, id eſt in crucem. Primus gradus, perſecutoris aggreſſus. Secundus, deuota martyrij proceſſio: de his duobus in vita ſua. Tertius deuota de cruce prædicatio, in legenda, ibi, *ô ſi ſcires virtutem crucis!* Quartus, carceris toleratio, ibi, *iuſſit eum in carcerem detrudi.* Quintus, populorum eum liberare volentium prohibitio, ibi, *nolite ſanctum*, &c. Sextus, funium procellatio, ibi, *iuſſit eum funibus cædi.* Septimus, deuota vt pati mereretur oratio, ibi, *ô beata crux!* Ezech. 40. *Et ſeptem graduum erat aſcenſus eius.* Circa paſſionem notandum, quòd paſſus eſt deſideranter, ibi, *iam concupiſcenti animo præparata:* confidenter, ibi, *ſecurus:* lætanter, ibi, *gaudens venio ad te:* conſtanter, quia nunquam ab eius prædicatione ceſſabat: longanimiter, ibi, *biduo*: gratanter, gratias agendo: perſeueranter, quia nunquam niſi mortuus deſcendere voluit. Circa tertium nota, quòd ipſe collegit duodecim fructus de palma illa, id eſt duodecim gaudia paradiſi. Apoc. 12. *Et lignum afferens fructus duodecim per ſingulos menſes.*

§. IX.

S. BONAVENTVRÆ S. R. E. CARDINALIS Episcopi Albanensis, Doctoris Seraphici, Sermo I. de S. Andrea.

IHI *absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi.* Galat. 6. Narrat Valerius Maximus, quod tanta in Romanis antiquis cupido gloriæ fuit, quòd non solùm temporalia bona, sed & ipsam vitam (quam omnis homo conseruare appetit ex natura) tradebant in mortem, vt indeficientem possent consequi nominis sui famam, & relinquere de se posteris gloriosam memoriam. Est ergo *gloria*, iuxta Tullianam sententiam, *frequens fama cum laude:* Verùm quia hæc gloria in nullo omnino est solida, sed penitus vana, non vera, sed falsa : ideo Saluator noster, Doctor veritatis, eam in se fugit, & esse à cunctis fugiendam docuit. In cuius signum leproso curato mandauit, vt nemini diceret curationis gratiam quam accepit. Doctrinam ergo Magistri diuinus sequens Apostolus dicit : *Mihi absit gloriari, nisi in cruce,* &c. In quo verbo docet Apostolus se velle sequi Christum, & quantum ad virtutum profectum, temporalis boni contemptum, & sustinentiam malorum hominum. Nam super isto verbo Apostoli proposito, dicit S. Augustinus : *Omnia bona contempsit Christus, vt contemnenda aliis esse monstraret : Et omnia mala sustinuit vt sustinenda esse doceret, vt nec in illis quæreretur felicitas, nec in istis timeretur aduersitas.* Iuxta igitur ista duo in verbo præmisso, duo facit Apostolus; Primò, docet quid sit hominibus fugiendum, quia humanum fastigium : Secundò, docet quid sit eis appetendum, quia Christi opprobrium. Tunc enim est homo perfectus verè quando mundum fugit tanquam malum, & sequitur Christum tanquam omnino summum bonum. Notatur ergo primò contemptus mundi, siue culpabilis mali, cùm dicitur : *Mihi absit gloriari.* Secundò, notatur perfecta imitatio Christi, siue appetentia meritorij boni, cùm additur : *Nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi.* Dicat ergo B. Andreas, *Mihi absit gloriari :* id est, procul sit à me, vt ego glorier in aliquo quàm in Dominica cruce, siue in Dominica passione. Cir-

ca ergo primam partem ſermonis, in quo oſtenditur quid cauere & vitare debeamus, breuiter eſt notandum quòd humana gloria ex quacumque re ſit cauſata, propter quatuor ab homine eſt fugienda. Primò, quia viliſſima: Secundò, quia vaniſſima, ſeu fragiliſſima in duratione: Tertiò, quia falſiſſima in promiſſione: Quartò, quia maligniſſima in retributione.

Dico primò, quòd mundana gloria ideo nobis eſt fugienda quia viliſſima, & hoc de natura ſua. *Et ſic de tribus reliquis: Tandem poſt plura ſic concludit.* Non eſt igitur gloriandum in mundi gloria, quæ eſt viliſſima, eſt mendaciſſima, eſt maligniſſima: ſed in diuina gloria, quæ eſt nobiliſſima, & ſtabiliſſima, & veraciſſima, & (ſi dici poſſit) optimiſſima. Hæc omnia B. Andreas attendere docebat dicendo: *Mihi abſit gloriari, niſi in cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti.* Quaſi diceret; filij Diaboli glorientur, alij in potentia, alij in cordis elegantia, alij in rerum omnium opulentia, alij (quod peius eſt) in ipſa ſua malitia, ſed mihi in ſola cruce Chriſti eſt gloria. Verè ita fuit ſi ipſius legendam diligenter perlegeris, in qua inuenire poteris quàm feruenter crucem amauerit, quàm conſtanter crucem prædicauerit, & quàm lætanter ad crucem acceſſerit, & quàm perſeueranter in ea permanſerit. Et de hoc quære in Sermone ſequenti, &c.

Eiuſdem Sermo II. *de eodem Apoſt.*

CHRISTO *affixus ſum cruci*: Galat. 2. Narrat Doctor egregius Auguſtinus in lib. de Ciuit. Dei, quod manet diſſimilitudo paſſorum ſub ſimilitudine paſſionum: quia ſicut ſub eodem igne aurum rutilat, & palea fumat, & ſub eadem tribula paleæ comminuuntur, & frumenta purgantur; ſic vna & eadem vis irruens, bonos probat, purificat, eliquat, malos damnat, vaſtat & exterminat. Et ait, quòd eodem motu exagitatum, & exhalat horribiliter cœnum, & ſuauiter fragrat vnguentum. Nec mirum, quia ſub eadem omninò ditione ſolis, & lutum diſſoluitur, & ſolidum ampliùs ſolidatur. Sub eadem influentia cæli quædam res generantur: quædam verò aliæ corrumpuntur. Quæ omnia facit non varia actio, ſed diuerſa cauſati diſpoſitio. Vnde videmus quòd vinum ab vno ſano, & ab altero infirmo potatur: & quamuis eius virtus vna exiſtat, ſanum

tamen lætificat, sed ægrotum contristat, dum morbum in eo augmentat: sic & passiones de se sunt differentes, nec de se sunt meritoriæ, sed solùm ex causa mouente, & voluntate sustinente. Nam duo latrones cum Christo sunt crucifixi: vna erat pœna, sed quia in vltima est facta causa diuersa, eo quòd vnus Christum blasphemabat, alter eum arguebat, & Deum pro se orabat: hinc vnus ad cælos ascendit, alius ad inferna descendit. In pœnis igitur non est consideranda pœna, sed causa: quia vt dicit Augustinus: Non pœna, sed causa facit hominem martyrem. Dicat ergo B. Andreas *Christo crucifixus sum*, id est, propter Christum affixus sum cruci. Describitur igitur Apostoli passio, quantùm ad duo in verbo præmisso. Primò, quantùm ad causam motiuam. Secundò, quantùm ad pœnam afflictiuam. Nam causa ad patiendum motiua fuit Christus, sed pœna corporaliter afflictiua fuit ipsa Dominica crux. Primum præmittitur, quando dicitur: *Christo*, id est, propter Christum. Secundum adiungitur cùm infertur: *Crucifixus sum*. Ad literam enim B. Andreas, sicut eius legenda dicit, materialem crucem in corpore passus fuit. Sed quia valdè pauci sumus qui crucem hanc ascendimus, de spirituali cruce nunc dicamus, quam cum Apostolo omnes portare debemus & tenemur. Sicut enim in cruce materiali quatuor videmus, sic in cruce spirituali quatuor alia illis correspondentia probamus. Nam in materiali cruce. Primò debemus considerare ligni ipsius imum, siue profundum. Secundò, ligni altum. Tertiò, ipsius ligni latum. Quartò verò ipsius longum. Iuxta hæc quatuor habuit, quam crucem ipse Apostolus Christi portauit. Nam habuit in se profundum humilitatis, habuit altitudinem paupertatis, habuit latitudinem charitatis, & habuit longitudinem longanimitatis.

Dico quòd crux spiritualis, quam ad imitationem Domini Saluatoris venerabilis hic Apostolus semper gessit: Primò habuit profundum humilitatis. Sicut enim in materiali cruce lignum imum totius crucis est fundamentum & sustentamentum: sic humilitatis bonum, crucis pœnitentiæ est fundamentale principium: quia sicut aqua semper fluit ad valles, sic Dei gratia semper ad humiles. Vnde peccator, qui se non humiliat, & se ad gratiam humili mente non præparat, quantum est de lege communi,

gratiam Dei non accipit: quia in eo locus vbi gratiam teneat, non existit. Vas enim quod vno liquore est plenum non capit alterum, nisi prius illo fuerit vacuatum. Hæc sciens B. Apostolus, se in principio suæ pœnitentiæ totum per humilitatem euacuauit, vt sic repleri posset omnibus spiritualibus donis, sciebat enim dixisse Dominum: Qui vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me? Quid est se abnegare, nisi omnem superbiam cordis abiicere, & perfectam humilitatem induere? Quid est crucem tollere, & post Dominum ire, nisi post dictam iam humilitatem, gratiam pœnitentialem accipere, & sic semper post Dominum ambulare: Nam & ipse in nostrum exemplum prius se humiliauit, pedes discipulorum lauit, &c. Sic cùm crucem ascenderet, hanc humilitatem S. Apostolus se habere ostendit cum Ægeæ de cruce sic ait: Ego crucis Christi seruus sum, & crucis trophæum diligere potiùs debeo, quàm timere. Sed quis hodie humilis: immò quis non toto corde superbus? Vis scire vtrum sis humilis? cogita apud te si gloriam appetis, si oblatam respuis, si doles iniuriis. Hieronymus: Si gloriam non quæris: non dolebis cùm iniuriam pateris, quia qui laudes non appetit, contumelias non sentit: ergo si ad iniurias dolere te sentis, non es humilis, sed vento superbiæ plenus existis.

Matt. 16. d.

Secundò, crux spiritualis habet altitudinem paupertatis. Et debet paupertas esse alta, eo quòd à terra, quæ loco est infima, tota sit eleuata, & Christo sit proxima. Nam altitudo paupertatis primò in Christo rege nostro resplenduit: si attendatur quomodo in præsepio sit collocatus, quomodo super fœnum panniculis inuolutus, quomodo modico lacte nutritus, quomodo in tota eius vita paucis contentus, quomodo corpore nudus in cruce eleuatus. Bernardus: Si totam vitam Domini aspexeris, à partu virginis vsque ad patibulum crucis: non inuenies nisi stigmata paupertatis. Hæc Christi Apostolus dum attendit, omnia propter Christum reliquit, & nudus vitam in cruce finiuit. Vnde dicitur in legenda quòd expoliauit se, & vestimenta sua tradidit carnificibus. Propter hoc benè poterat dicere illud: *Mihi absit gloriari nisi in cruce Domini*, &c. *Per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo.* Illi qui eum crucifigebant, sic longis clauis eum li-

Gal. vlt. d.

gno affigebant, vt nec lignum tangeret, neque per consequens tangebatur, & sic fiebat per hoc, vt fortiùs per hoc in corpore torqueretur, dum totum corpus super clauos pendere cogebatur. Quid est ergo quòd Apostolus, & mundo erat crucifixus, & similiter mundus, nisi quia in mundo fuit pauperrimus? Sed quis hodie cum Apostolo, immò cum ipso Domino pauper est? Quis est qui toto posse diuitias, & vltra posse non quærat? Poëta:

Impiger extremos currit mercator ad Indos,
Per mare pauperiem fugiens, per saxa, per ignem.

O summa fatuitas, & corpus laboribus tantis atterere, & quod est peius, animam diabolo vendere, vt in damnationem tuam lutum terræ valeas congregare. Vsquequò, Propheta ait, congregas contra te depressum lutum. Dicuntur diuitiæ depressum lutum: quia sicut lutum bene depressum, non facilè separatur: sic vix à diuitiis cor auari perfectè separatur. Ad paupertatem ergo accipe exemplum Diogenis magni Philosophi, qui pro domo dolium quoddam habebat, panem ostiatim quærebat, cum manu aquam bibebat. Cùm semel Alexander coram dolio eius transiret, ibi aliquantulum gradum fixit, & multa dona ei promisit: cúmque ille nihil temporale accipere vellet, & vt acciperet Alexander instaret, Philosophus ait: Rogo te vt remoueas te, & non auferas mihi solem: quia præsentia tua nunc mihi nocet dum mihi solem aufert, sed absentia tua nunquam mihi nocuit. Ergo si tantus amor paupertatis esse potuit in pagano, quid esse debet in Christiano? Quærat diuitias paganus, qui sine Deo viuit. Quærat Iudæus, qui terrenas promissiones accepit. Sed qua fronte Christianus diuitias quærit, postquam Christus beatos esse pauperes prædicauit?

Tertiò, crux spiritualis debet habere latitudinem charitatis. Latum est enim mandatum Dei nimis. Nec enim amor vnquam sic probatur si sit verus: sicut si pro amore alterius alius moriatur. Maiorem, inquit Dominus, hac dilectionem nemo habet, quàm vt animam suam ponat quis pro amicis. Vnde dum filij Zebedæi peterent à Domino regnum, quod est solum amantium, Dominus ait ad eos: Potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum? Quasi dicat: nunquid sic amatis, vt pro hoc regno habendo mecum mori parati sitis? Nam de ipso Domino dicitur: Proposito sibi gaudio sustinuit crucem, omni

confuſione contempta, tanto enim amore ardebat, quòd mori pro nobis, & confundi non ſolùm contemnebat, ſed peroptabat. Quod Apoſtolus dum attendit, mori pro Chriſto non timuit, ſed pleno gaudio cordis ad crucem acceſſit. Vnde videns crucem non timuit, non fugit, non oculos ab ea auertit, ſed exclamauit, & dixit: *ó bona crux diu deſiderata: ſolicitè quæſita, & ideò concupiſcenti animo præparata: Lætus & gaudens venio ad te, ita vt & gaudens ſuſcipias me: diſcipulum eius qui pependit in te. Salua me*, inquit, *crux pretioſa*, &c. Si enim tanta eſt vis amoris, vt multi Romanorum propter amorem patriæ, filios, & parentes occiderint, & multi ob amorem vxorum, ſeipſos interfecerint, & multi ob dilectionem amicorum, nec mori expauerint, quid pro Chriſto Creatore potentiſſimo, Redemptore piiſſimo, Patre benigniſſimo, benefactore præcipuo, Magiſtro doctiſſimo, debent facere Chriſtiani? qui nos tantùm amauit, quòd tam impiiſſimo genere mortis cum ſceleratis mori non refugit, ſed ſeipſum obtulit? Quis ergo ampliùs mori pro tanto duce paueſcit? Bernardus: *Fidelis miles vulnera ſua non ſentit dum benigni ducis vulnera intuetur.* Filius mortis eſt ille, qui videns regem gladiis vulneratum, mucrone confoſſum, ſanguine cruentatum, ex bello ſe ſubtrahat, & abſque bello ſine vulnere de bello recedat. Nam milites Alexandri, quamuis numero pauci, & aduerſarij multi, dum ſuum regem primò acies hoſtium inuadentem viderent: ſic animabantur ad bellum, vt pauci multos ſternerent, eo quòd mori pro ſuo rege non refugerent, ſed optarent. Nam & apiculæ pro ſui regis amore ſunt mori paratæ. Ergo quid faciendum Chriſtianis pro rege ſuo, qui pro nobis factus eſt homo, & vltimò pependit in ligno?

Quartò, crux ſpiritualis ad ſuum complementum debet habere longitudinem perſeuerantiæ, ſiue longanimitatis. Nemo enim valet aliquid incipere, ſcutum ad bellum arripere, lanceam fortiter agitare, fortiter hoſtem inuadere, ſi non de obtenta victoria contingat ſcutum abiicere. Vnde dicitur quòd contra Hay eleuans clypeum tamdiu eleuatum tenuit, quouſque attrita omnis hoſtilis potentia fuit. Nemo iuxta Dominicam ſententiam debet turrim fundare, niſi habeat, vt poſſit perficere, nec bellum arripere, niſi habeat milites cum quibus poſſit aduerſariis obuiare. Ob hanc

hanc causam cùm principes sacerdotum dicerent: Si rex Israël est, descendat nunc de cruce, vt videamus, & credamus. Dominus ob hoc descendere noluit, sed quod cœpit vsque ad finem tenuit, & opus redemptionis humanæ compleuit. Sic & Beatus Andreas, sicut in Legenda eius dicitur, de cruce deponi noluit, sed vsque ad mortem in cruce permansit, & lege historiam, quia est valde pulchra, & diligenter narra. Sed quis hodie perseuerat in cruce pœnitentiam agens vsque in finem? Qui enim in quadragesima pœnitentiam accipiunt, post Pascha statim ab ea recedunt, & ideò omne meritum perdunt. Narra hic de pœnitentia Magdalenæ, & illius Mariæ Ægyptiacæ, quæ triginta annis in deserto permansit, & tandiu quod cœpit tenuit, deinde ad brauium concupitum peruenit, ad quod perducat nos Iesus Christus. Amen.

De eodem Apost. Sermo III.

PROPOSITO *sibi gaudio sustinuit crucem.* Communiter apud gentes consuetudo inoleuit, vt currentibus in stadio, præmium cursus, corona, vel brauium proponatur. Est etiam mos apud reges, vt militibus pugnaturis donaria promittant, vt ex donatione futura, ad prælium animentur. Laborat enim in vinea fortiùs, & ligonem ampliùs leuat, & velociùs * habitat, quando bonum præmium quis expectat. Vnde dicitur: *Ostenderunt elephantibus sanguinem vuæ, & mori, vt acuerent eos ad prælium.* Vnde Apostolus: Cùm currentes ad brauium propositum electionis inuitat, dicit: *Sic currite, vt comprehendatis.* Si enim sic currunt mortales ad corruptibile brauium, qualiter putas esse currendum ad brauium sempiternum? Dominus ergo electis suis pugnantibus, vt fortiter prælientur, & ab hostibus non vincantur, brauium proponit æternum: quod tanti valoris esse probatur, vt pro eo magis mori quàm viuere, à fidelibus eligatur, & propter hoc de nobilissimo isto Christi milite propriissimè dicitur: *Proposito sibi gaudio* sustinuit crucem: quia dum sanctus Apostolus gaudium illud æternitatis aspexit propositum Dei filiis & electis, constanter & gaudenter patibulum crucis ascendit. Vnde poterat dicere illud: *Ascendam in palmam & apprehendam fructus eius.* Aspicere, est ex consideratione mercedis æternæ portare crucem. Nam palma, quæ arbor victorialis erat, cru-

Hebr. 1. 2. a.
* librat,
1. Macc. 6. 6.
1. Cor. 9. d.
Cant. 7. c.

cem ſignificat, per quam de diabolo omnis homo triumphat. In verbo ergo præmiſſo, de hoc ſancto Apoſtolo ſic accepto, duo maximè notantur. Nam primò proponitur ei præmium quo erat coronandus in patria. Secundò, tangitur eius excellentiſſimum meritum, quo claruit luculenter in via. Primum notatur cùm dicitur: *Propoſito ſibi gaudio.* Secundum verò notatur cùm additur: ſuſtinuit crucem. Sed de gaudio multiplici temporali quære abundanter in ſermonibus de Aduentu, & ſic de aliis. Notandum eſt igitur hîc, quòd eſt duplex crux, vna materialis, alia ſpiritualis. Prima eſt interior, quæ portatur in corde. Secunda eſt exterior, quæ conſiſtit in opere. Crux corporalis bonorum eſt & malorum, ſed ſpiritualis eſt tantùm beatorum. Vtrumque portauit Apoſtolus. Sed de prima habetur pleniſſimè in Legenda: & ideò de ſecunda, quæ tantùm bonorum eſt, prædicatio eſt texenda. Eſt igitur attendendum, quòd ſicut crux materialis habet quatuor brachia, ſic & crux ſpiritualis habet quatuor alia, duo directa, & duo tranſuerſalia. Nam in vtraque cruce eſt brachium infimum, quod totius crucis eſt fundamentum. Eſt brachium dextrum. Eſt brachium ſiniſtrum. Et eſt brachium ſupremum. In cruce igitur ſpirituali brachium infimum eſt pœnitentia conſideratione malorum. Brachium ſupremum eſt miſericordia reſpectu afflictorum. Brachium dextrum erit temperantia reſpectu proſperorum. Et brachium ſiniſtrum erit patientia & tolerantia tormentorum. Nam hæ quatuor virtutes ſunt illa quadriga, qua in paradiſum deliciarum eſt tranſlatus Elias, ſicut habetur. *4. Reg. 2. b.*

Dicamus ergo quòd primum brachium, & infimum crucis eſt pœnitentia reſpectu peccatorum: quæ eſt virtus bonorum omnium fundamentum: Sicut enim baptiſmus eſt porta intrantium, ſic pœnitentia porta eſt reſurgentium: quia dum per eam peccatum deſtruitur, homo ad innocentiam reparatur. Vnde ad hoc ſignandum natura docuit apes, pro fundamento ſui operis quandam cruſtulam amaram componere, vt dum arcentur vermes, ex eius amaritudine, ſua mella dulciſſima poſſent faciliùs conſeruare: quia niſi amaritudine pœnitentiæ deleantur peccata, bona non deguſtantur æterna. Quod ſanctus Apoſtolus cernens, fortem pœnitentiam egit, carnem afflixit, & ſpiritui ſeruire coëgit. Vnde poterat dicere cum Apoſtolo

Paulo illud : Christo confixus sum cruci, id est, propter Christum inueniendum : amaræ pœnitentiæ suppo sui corpus meum, ita vt dicere possem illud Apostolicum : Castigo corpus meum & in seruitutem redigo : ne cùm aliis prædicauerim, ipse reprobus inueniar. Sed quis hodie est, qui cum Apostolo pœnitentiam agat; Attendi, inquit Dominus per Ieremiam, & auscultaui, nemo quod bonum est loquitur : nec est qui pœnitentiam agat super peccato suo, dicens : Quid feci? sed sciat omnis impœnitens, quòd sicut aqua amara nunquam fit dulcis nisi fuerit antè purgata, sicut patet in aqua maris, quæ fit dulcis in visceribus terræ fortiter agitata: sic & ab amaritudine vitæ, nunquam peruenitur ad gloriam, nisi per pœnitentiam anima fuerit à peccatis exuta : propter quod Dominus prædicationem suam incepit à pœnitentia, dicens : Pœnitentiam agite, &c. O si scirent peccatores qualis est pœnitentia peccatorum damnatorum ! de qua dicitur : Pœnitentiam agentes, & præ angustia spiritus gementes; omni tempore flerent, vt sua peccata delerent & purgarent. Vnde requisitus quidam sanctus Pater, quare sic se affligeret, & sic ieiunaret, & tantis vigiliis insudaret, ait : Omnis pœnitentia huius vitæ, pœna quantumcumque sit magna, est sicut nulla, si ad illius pœnæ vnicam horam fuerit comparata. Dixit etiam quòd tanta est gloria, quæ debetur homini pro hac pœna, quòd in illa vltima retributione Abraham vellet ampliùs laborasse : quia vt dicit Apostolus, vnusquisque accipiet secundùm suum laborem.

Gal. 2. d.
Cor. 9. d.
Ierem. 8. c.
Matt. 4. a.
Sap. 5. a.

Secundò, summum brachium crucis spiritualis est misericordia respectu afflictorum. Nam compati alteri ex vero corde, est quodammodo crucem portare, sicut dicit Gregorius. De hac exponitur illud : *Stabat iuxta crucem Iesu mater eius*, &c. Nam tanta fuit compassio matris ad filium, quòd anima eius fuit summi doloris gladio perforata : ita quòd nullus vnquam matris tantus potuit esse dolor. Fuit etiam tanta compassio filij ad matrem, quòd dum eam sic afflictam videret, ei ex intimis visceribus condolens, eam amantissimo discipulo commendaret. Hac etiam compassione fraterna transfossus Apostolus dicebat Ægeæ : Ego de tuo interitu doleo, non de mea passione „ conturbor. Meus enim dolor vnius diei, vel duorum vel „ trium, sed tuus interitus nec per millia annorum poterit „

Ioan. 19. a.

peruenire ad finem. Item ex compassione illi succurrit Episcopo, quem diabolus sub specie mulieris, laborauit subuertere, sicut patet in fine Legendæ. Item ex passione pro salute Nicolai Senis lacrymas multas fudit: Et iuuenem illum pulchrum ab accusatione matris eripuit. Et hæc duo miracula quasi in principio inuenies Legendæ. Poterat ergo illud dicere: *Quis infirmatur, & ego non infirmor?*
2. Cor. 11. 9. Sed quis hodie compatitur proximo? Compatitur paganus pagano, Iudæus Iudæo: immò, quod maius est, brutum bruto. Sed Christianus vix compatitur Christiano. Narrat enim Romana Historia, quòd dum legati Carthaginensium ad suos captiuos redimendos venissent in vrbem, Senatus Romanus compassione confossus, nulla ab eis accepta pecunia, captos omnes iuuenes reddidit numero duorum millium, septingentorum quadraginta trium. Nunquam hodie sic faciunt Christiani. Quòd si non Romanorum te mouet exemplum, audi exemplum brutorum. Vpupa auis vilissima tantâ ad parentes suos pietate mouetur, vt illis senescentibus sollicitè quærat cibum, & eos suis pennis confoueat, ne frigore pereant.

Tertiò, dextrum brachium crucis spiritualis est temperantia, respectu prosperorum. Verè enim dicuntur crucem ferre, qui nouerunt à delitiis abstinere, & carnem, ne valeat lasciuire, sobrietate coërcere. Vnde dicitur:
Gal. 5. d. *Qui autem Christi sunt, carnem suam crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis.* Sed gulosi filij diaboli dant omnia ventri. Contra quos dicitur: Multi ambulant quos
Phil. 3. d. sæpe dicebam vobis, nunc autem & flens dico, inimicos crucis Christi, quorum Deus venter est, &c. Non talis fuit hic sanctus Apostolus, sed sicut dicitur in Legenda de miraculo Nicolai, pro eo se valdè afflixit, & carnem ieiunando macerauit: nec ieiunium relaxauit quousque se exauditum esse cognouit. Ipse etiam Senex Nicolaus, eo præcipiente plurimùm se afflixit, & carnem ieiuniis duris attriuit. Quis vnquam Sanctorum absque hac temperantia fuit? Lege vitas Monachorum Ægypti, & eorum, qui in desertis, & solitudinibus morabantur, quibus vinum bibere, vel coctum aliquid manducare, luxuria videbatur, vt Hieronymus narrat. Et quid mirum Christianis, quando Romanorum vxores, quando adhuc pagani erant, tantæ in omnibus temperantiæ erant, vt iuxta Valerium Maxi-

mum, vix aut nunquam egrederentur in publicum, detestarentur sibi matrimonium quasi intemperantiæ signum, nec vnquam bibebant vinum, cò quòd esset ad luxuriam incentiuum: similiter & viri adeo sobriè comedebant, vt vix verum esse, qui legerit, credat. Confundatur ergo vestra lasciuia simul & gula, quæ non contenta etiamsi habeat vina, semper quærit noua, & exquisita cibaria, non dimittit pro bono prandio bonam cœnam. Quod leo animal gulosum non facit, sed dum bene vna die se pascit, per tres dies abstinendo quiescit.

Quartum brachium, scilicet sinistrum huius crucis est patientia respectu aduersorum. Rectè enim à sanctis appellatur martyrium, quando quis in pœnis pœnitentiam exhibet propter Christum. Gregorius: *sine ferro & flammis martyres esse possumus, si patientiam in animo veraciter conseruemus.* Ob hanc causam sanctus iste Apostolus, ab infidelibus captus, ad patibulum ductus, in cruce suspensus, & patientiam exhibuit, & in ea vsque ad mortem perseuerauit: immò tantam patientiam in cruce pendens ostendit, quòd commoti populi dixerunt ad iudicem: *redde nobis hominem sanctum, redde nobis hominem Deo charum, iustum, mansuetum, & pium:* quia iam ecce biduo pendens in cruce non cessabat monere populum, sciebat enim sanctus Andreas Dominum docuisse: Qui non accipit crucem suam & sequitur me, non est me dignus. *Matth. 10.*
Quid est enim crucem accipere, & Dominum sequi, nisi patientiam seruare dum contingit affligi? Nam qui non seruat patientiam in aduersis, dignus Christi gratia non existit. Numquid sub capite vulnerato, spinis vndique perforato, arundine tam dirè percusso, & alapis cæso, membrum transire poterit sine bello? Numquid rege lancea perforato, & sanguine toto corpore cruentato, miles quiescit sub suo tentorio, &c.

§. X.

SERMO I. B. DIONYSII CARTHVSIANI, De laudibus sancti Andreæ, & quomodo multos cruci affixus ad cultum veri Dei conuerterit.

EATVS *quem elegisti & assumpsisti Domine.* Psal. 64. Sicut Dominus noster Iesus Christus filius Dei venit in mundum istum, & vixit in eo in omni humilitate & paupertate, sic & pauperes elegit in Apostolos. Tales namque à Deo specialiter, frequentiúsque vocantur ad viam salutis. Propter quod Paulus ait Apostolus : Videte vocationem vestram, fratres, quia non multi sapientes secundùm carnem, non multi potentes, non multi nobiles sunt inter vos, sed quæ stulta sunt mundi elegit Deus, vt confundat sapientes in oculis suis, & infirma & ignobilia elegit Deus, vt confundat fortia. Vnde ergo inaniter gloriantur, atque superbiunt sapientes & potentes ac nobiles sæculi huius? cùm sæpius relinquantur à Deo, & imbecilles ac pauperes eligantur ? Inter hos pauperes electissimos Dei fuit gloriosus Andreas Apostolus, qui multipliciter commendabilis, honorabilísque consistit. Primò, quoniam à pueritia Deo sincerè seruiuit, & in innocentia mansit deuotus. Nam antequam vocabatur à Christo, fuit discipulus Ioannis Baptistæ. Immò ante hoc in lege Moysi vixit virtuosè, & sine querela. Vnde ait Ioannes : Respiciens Ioannes Iesum ambulantem, ait : Ecce agnus Dei. Et audierunt duo ex discipulis Ioannis Baptistæ ipsum Ioannem hæc verba loquentem, & secuti sunt Iesum, quorum vnus fuit Andreas, manserúntque apud Iesum die illo. Altera die inuenit Andreas fratrem suum Petrum, & ait eidem : Inuenimus Messiam, id est Christum, & adduxit eum ad Iesum. Ecce in his apparent diligentia, charitásque Andreæ, quoniam cùm audisset à magistro suo Ioanne Baptista, quòd Iesus esset Messias, statim perrexit ad eum, nec contentus est Christum videre, sed voluit etiam eius sapientiam experiri & edoceri ab eo, ideo mansit apud eum die illo, sícque impleuit, quod in Ecclesiastico habetur : Cùm videris sensatum, statim euigila ad illum. Cúmque Christum nouisset, statim de salute fratris sui Petri sollicitus, eum quæsiuit,

1. Cor. 1. *Ioan. 1.* *ibidem.* *Eccles. 6.*

atque ad Christum duxit, implens illud Petri: vnusquisque sicut accepit gratiam, in alterutrum illam administrantes. Sic quoque quilibet Christianus proximum suum debet pro posse salubriter informare, spiritualitérque ad Christum perducere. Secundò B. Andreas laudatur à sapientia sua. Nam & antequam à Christo vocatus est, magnæ fuit discretionis. Vnde in itinerario S. Clementis beatissimus Petrus refert, se à fratre suo B. Andrea interdum fuisse valde prudenter instructum. Post susceptionem verò Spiritus sancti in die Pentecostes, fuit Andreas lumine sapientiæ mirabiliter decoratus. Nam cùm Ægeas Proconsul dixisset ad eum, Tu es Andreas qui superstitiosam prædicas sectam, quam Romani principes exterminari iusserunt, respondit, Romani principes nondum cognouerunt, quomodo filius Dei veniens, docuerit idola esse dæmonia. Deinde probauit Proconsuli magnum esse mysterium crucis. Primò, quoniam primus homo mortem intulit toti generi humano per lignum, de eius fructu contra Dei præceptum edendo, ideo congruum fuit, vt Christus mortem illam repelleret per lignum, in ea patiendo. Secundò, quoniam Adam inobedienter manus suas ad prohibitum cibum extendit, congruum fuit, vt Christus immaculatas manus in cruce extendendo, satisfaceret & saluaret. Tertiò, quia ad hoc quod Christus suam nobis communicaret immortalitatem congruum fuit, vt mortalitatem assumeret nostram. Cúmque proconsul S. Andreæ præciperet idolis sacrificare, sapientissimè subtilitérque respondit: Omnipotenti Deo agnum immaculatum quotidie offero, qui cùm à tota fuerit plebe comestus, viuus & integer perseuerat. Hoc autem dixit de Sacramento altaris, in quo Christus veraciter continetur, & Deo Patri offertur, nec à communicantibus læditur, neque consumitur. Tertiò, commendatur beatus Andreas à constantia & fortitudine in aduersis, quia pro Deo & fidei veritate ad mortem paratissimus fuit, immò cum inæstimabili mentis feruore, anhelabat ad salutare martyrium. Cùm enim Proconsul ei crucis supplicium minaretur, respondit: Si crucis patibulum formidarem, gloriam crucis non prædicarem. Iterum dixit Proconsuli: Quicquid tibi videtur in suppliciis, magis, excogita. Tanto namque regi meo ero acceptior, quanto pro ipso duriora pertulero, & quanto in pœnis constantior fuero. Tunc Pro-

Actor. 2.
Genes. 3.
1. Cor. 15.

conſul fecit beatum Andream à viginti hominibus verberari, quod ipſe patientiſſimè ſuſtinebat. Inſuper cùm duceretur ad crucem, viſa cruce non vt conſuetudo eſt hominum, horrore concuſſus eſt, ſed gaudio perfuſus ingenti, atque in affectuoſiſſima ac deuotiſſima verba prorupit, di-
" cendo: Salue crux, quæ in corpore Chriſti dedicata es, &
" ex membris eius tanquam ex margaritis ornata: antequam
" te aſcenderet Dominus, timorem terrenum habuiſti, nunc
" verò cæleſtem habes lætitiam, & cum deſiderio ſuſciperis.
" Securus ergo & gaudens venio ad te, ita vt exultans ſuſ-
" cipias me, diſcipulum eius qui pependit in te, quia ama-
" tor tuus ſemper fui, & deſideraui amplecti te. O bona crux,
" quæ pulchritudinem & decorem de membris Domini
" ſuſcepiſti, diu deſiderata, ſolicitè amata, ſine intermiſſio-
" ne quæſita, & tandem nunc concupiſcenti animo præpa-
" rata: accipe me ab hominibus, & redde me magiſtro meo,
" vt per te me recipiat, qui per te me redemit. Ecce quanta conſtantia in aduerſis, quanta fortitudo animi contra pericula mortis. Hinc in ſermone de ſancto Andrea, beatus ait Bernardus : Andreas homo ſimilis nobis, tam vehementi mentis ardore crucem optauit, tam inaudito ſæculis gaudio tripudiabat, cùm paratum ſibi eminus patibulum conſpexiſſet : O crux, inquit, diu deſiderata, gaudens venio ad te, vt tu exultans ſuſcipias me. Videtis, quia non ſe capit præ magnitudine gaudij: ita inquit, vt & tu exultans. Ergóne tanta eſt exultatio crucis, vt exultet & ipſa crux, nec metus quicquam habeat, ſed totum lætitiæ ſit? Aut quid magis contra conſuetudinem, ſupra rationem, vltra naturam? crucifixum exultare, an crucem? Hinc iterum ait S. Bernardus : Audiſtis certè cùm perueniſſet B. Andreas ad locum vbi crux parata erat, quomodo confortatus ſit in Domino, at per Spiritum ſanctum quem ſimul cum ceteris Apoſtolis in linguis igneis acceperat, verba verè ignea loquebatur. Videns ergo paratam eminus crucem, nequaquam, vt exigere videtur mortalis infirmitas, facies eius expalluit, nequaquam ſanguis eius gelatus eſt, non ſteterunt capilli, aut vox faucibus hæſit, non contremuit corpus, non mens eius turbata eſt, non receſſit vt aſſolet intellectus, ſed ex abundantia cordis os eius locutum eſt. Quid enim beatus Andreas, cùm ſibi paratam, vt dixi, crucem eminus cerneret, loquebatur? O crux, inquit, diu

Bernardus.

diu desiderata, & cetera verba præmemorata. Obsecro, fratres: homo est qui loquitur hæc? An non est homo, sed Angelus, aut noua aliqua creatura? Planè homo erat similis vobis passibilis Vnde ergo in eo noua hæc exultatio? vnde in eo tanta constantia, tam spiritualis mens, tam feruens charitas, animus tam robustus? Non vtique nisi à Spiritu sancto. Quartò, laudatur sanctus Andreas à suo glorioso martyrio. Nam manibus & pedibus cruci alligatus est, in qua per duos dies viuens viginti millibus hominum adstantium, prædicauit. Cúmque turba illa minaretur Proconsuli mortem, dicens virum sanctum, mansuetum & pium talia pati non debere, venit Ægeas Proconsul, vt eum de cruce deponeret. Cui beatus Andreas dixit: Quid tu ad nos venisti Ægea? si pro pœnitentia & venia, ipsam consequeris: si autem vt me de cruce deponas, scias quòd de ea viuus non descendam. Et cùm vellent eum dissoluere, non poterant ad eum pertingere, quia eorum brachia mox stupida reddebantur. Tunc copiosissimus splendor de cælo descendens, sic per mediam horam eum circundedit, & regnum cæleste introiit gloriosus. Quintò commendatur Andreas sanctissimus à præclaris, multis & maximis suis miraculis, de quibus in sequenti sermone erit tractatus. Itaque in prædictis virtutibus, studeamus beatissimum sequi Andream: & innocentiam quam amisimus, per veram pœnitentiam, cuius partes sunt contritio, confessio, satisfactio, quantum possibile est, recuperemus. Simus quoque verè prudentes & discreti in omnibus, ita vt Deo omnipotenti, æterno & adorando, rationabile obsequium offeramus, opera vitæ nostræ taliter ordinantes, vt æternam consequamur salutem: potiùs nitamur animas nostras ditare virtutibus, & diuites fieri in virtuosis operibus, quàm temporalia congregare, cùm dicat Saluator: Nolite thesaurizare vobis in terra, vbi ærugo & tinea demolitur. thesaurizate autem vobis in cælo, &c. vbi enim est thesaurus tuus, ibi est cor tuum. Postremò, simus constantes in bono, non pertinaces in malo: quia proprij sensus immansio, magnum peccatum est, & ad diuersa ac maxima trahit vitia atque pericula. Simus etiam in omni aduersitate & tribulatione stabiliter patientes, quoniam tam grauiter ac frequenter Deum Creatorem nostrum offendimus, in tantum quòd meritò totus contra nos mundus insurgeret,

Creatorísque sui in nobis iniuriam vindicaret : & millies maiora ac plura pati meruimus, vnquam quàm hîc patimur. Hinc Iudith optimè dixit: Non vlciscamur nos pro his quæ patimur, sed reputantes peccatis nostris hæc ipsa supplicia minora esse, flagella Domini, quasi serui qui corripimur, ad emendationem, & non ad perditionem nostram euenisse credamus. Rogemus ergo beatissimum Andream Apostolum, vt ipse nobis à Deo precibus suis gratiam adimplendi hæc omnia impetrare dignetur, quatenus post vitæ huius breuissimæ incolatum, ad eius beatū perducamur consortiū.

EIVSDEM SERMO IV. *Quanta pace, quantáque tranquillitate, exemplo sancti Andreæ, contemptus, irrisiones, afflictionésque religiosum hominem deceat sustinere.*

MIRABANTVR omnes in verbis gratiæ, quæ procedebant de ore eius. Verba hæc de Christo ad litteram scripta, de glorioso, & sancto Andrea Apostolo conuenienter suscipiuntur, & quamuis vniuersi sermones ipsius, seu quibus edocuit populum, seu quibus confutauit Ægeam Proconsulem, fuerint adeo gratiosi, quòd vniuersa plebs Christi fidelis eos audiens, inde fuerit admirata: specialissimè tamen verba quæ protulit cùm duceretur ad mortem cruce sibi parata eminus visa, prorsus gratiosissima erant, super quibus sicut fideles ibi præsentes tunc mirabantur, ita & nos & vniuersi Christi fideles inde miramur. Quæ ergo erant verba gratiæ, quæ tunc de eius processerant ore? Certè cùm ab impio iudice morti esset adiudicatus, atque ad locum martyrij duceretur, viso crucis patibulo sibi erecto, non contremuit, nec vultu expalluit, sed gauisus ex intimo corde salutauit crucem, dicendo: Salue crux quæ in corpore Christi dedicata es, & ex membris eius, tanquam ex margaritis ornata: antequam te ascenderet Dominus, timorem terrenum habuisti: nunc verò amorem cælestem obtinens, pro voto susciperis. Securus ergo & gaudens venio ad te, ita vt & tu exultans suscipias me, discipulum eius qui pro me pependit in te, quia amator tuus semper fui, & desideraui te amplecti, &c. Quis horum gratiositatem verborum satis miretur ac laudet? Ecce quomodo in sancto isto Apostolo gratia vicit, & sibi subiecit naturam, quomodo amor diuinus, spiritualis infusus, in eo prorsus extinxit omnem priuatum amorem, omnem carnalem ac mundanum

affectum. Omnium terribilium terribilissimum MORS, secundùm Philosophum, ita quod sicut omnia naturaliter appetunt esse & viuere, sic naturaliter refugiunt corrumpi & mori. Nihilominus admirabilis Sanctus iste, sic gratiarum charismatibus fuit repletus, sic ab improbo sui amore radicitus expurgatus, sic diuina dilectione succensus, quòd mortem, immo & mortem crucis, quasi omnium appetibilium appetibilissimam apprehendit, appetiit, atque amplexus est. Et hoc quare? Vtique multiplici consideratione. Primò, vt crucis sustinendo martyrium, Christo Saluatori ac Domino suo aliqualem pro posse rependeret vicem, quatenus sicut pro ipso in cruce occubuit Christus, sic ipse pro Christo in cruce occumberet, quamuis dispar valde extiterit causa. Nos itaque in hoc ipso imitemur beatum istum Apostolum, si non magna aduersa & mortis tolerando pericula, saltem minora quæque obuiantia, dura & aspera, æquanimiter sustinendo Christi intuitu & amore, quatenus eius tribulationibus ac tormentis vicem pro viribus aliquantulam exhibeamus. vnde siue pro culpis nostris iustè corripiamur & castigemur, siue absque demeritis nostris à præsidente aut fratribus charitatiuè atque salubriter exerceamur, totum cum omni tranquillitate & gratiarum actione feramus, memores quæ, quanta, & qualia pro nostra salute assumpsit, fecit ac pertulit Christus.

SERMO EIVSDEM V. *Quòd aduersa nulla nec aspera expauescat charitas, & quomodo Deo promptissimè ad mortem vsque in omnibus obediendum.*

NVNQVAM *sic loquutus est homo, sicut hic loquitur.* Ioan. 7. De Saluatore nostro, vnico Patris æterni Verbo, litteraliter scripta sunt verba inducta, quæ nunc de sanctissimo Andrea Apostolo aptè accipiuntur. Quamuis enim legamus, multos Sanctorum vtriusque sexus cum grandi lætitia ad martyrium properasse, de nullo tamen scriptum est, quòd cum tam excessiuo gaudio, támque deuoto ac gaudioso eloquio ad mortem profectus sit, vt beatus iste Andreas. Nempe quid cruce sibi parata primitus visa dixerit, in præcedentis sermonis exordio partim præhabitum est, verbísque ibi prætactis adiecit: O bona crux, quæ decorem & pulchritudinem de membris Domini suscepisti, diu desiderata, solicitè amata, sine intermissione quæsi-

ta, & tandem aliquando concupiſcenti animo præparata, accipe me ab hominibus, & redde me Magiſtro meo, vt per te me recipiat, qui per te me redemit. Quid his verbis deuotius? quid mirabilius? quid iucundius eis? Nónne præ exceſſu lætitiæ ſeipſum non capiens, & quaſi alienatus à ſe, probatur fuiſſe, qui verba hæc protulit? Atque vt memoratum eſt, inter cætera eſt locutus: ſecurus & gaudens venio ad te, ita vt & tu exultans ſuſcipias me, quaſi lignum, res certè inanimata, valeat exultare. Ecce, chariſſimi, qualiter in homine carnali, & viro plenè ſpirituali, omnia extant contraria. Nec mirum, cùm amor carnalis & ſpiritualis dilectio, ſibi inuicem contrarientur, nec ſimul queant ineſſe. Vnde quemadmodum animalis ſiue carnalis homo, non percipit ea quæ ſunt ſpiritus Dei, ſed ſtultitia eſt illi: ita vir perfectè ſpiritualis non percipit ea quæ carnis ſunt, ſed deſpicit ea. Carnalis homo quærit commoda ſua abundare, deliciari, repauſare, iocari, ludere, ociari, honoraríque appetit: corpus ſuum affligere, orationibus, meditationibúſque inſiſtere, deſpici, corripi, obedire, ſubeſſe, deponíque refugit, qui in cunctis ad ſeipſum inordinatè reflectitur, in ſeipſo, non in Deo, ſe amans. Porrò vir ſpiritualis non propria commoda, ſed Dei honorem, proximorum ſalutem, communitatis profectum, ſui ipſius felicitatem veriſſimam, & media pertingendi ad eam, quærit, amat, amplectitur: idcirco corpus ſuum affligere, carnem cum vitiis & concupiſcentiis crucifigere, laborare, pœnitere, plorare, humiliari, obedire, ſubeſſe deſiderat & conatur: orationibus, meditationibus, contemplationibus, pſalmodiis, atque conſimilibus internæ deuotionis exercitiis immorari lætatur: corripi quoque & caſtigari, deſpici, aduerſitatibus exerceri, ſibi iucundum eſt. Per hos affectus ita contrarios inter ſe diſcernuntur, atque ab inuicem diſtinguuntur amor ſui, & dilectio Dei, carnalis affectio, & charitas ſpiritualis. Prætereа quoniam ſanctus Andreas diuino amore fuit omnino ſuccenſus, ideo cum tanto tripudio ad paſſionem proceſſit. Nos ergo ſciamus, tanto nos eſſe carnaliores, quanto plus de prædictis carnalis amoris habemus affectibus: tantóque ſpiritualiores, quanto plus de ſpiritualibus illis charitatis operibus in nobis extiterit. Cur ideo immoderantiis & oblectamentis ciborum ac potuum delectamur? Cur loquacitatibus, leui-

tatibus, risibus, otiositatibus relaxamur ? Cur labor & rigor ordinis, vigiliæ & psalmodiæ, disciplinæ correptiones nobis molestæ sunt, & non potiùs inflammamur ac delectamur in eis ? Cur in iniuriis, despectionibus, aduersitatibus conturbamur, deprimimur, pusillanimes sumus, & non magis gaudemus ? Porrò tota gloriosi huius Apostoli vita nobis proponitur in exemplum, & eius virtutibus semper instruimur. Quod enim vocatus à Christo, protinus cunctis relictis secutus est eum, ad obedientiam amorosam ac celerem nos informat, de quo sanctus pater Bernardus in Sermone sic loquitur : In ipso conuersionis suæ initio, magnum nobis beatus Andreas perfectæ obedientiæ præstat exemplum, quod religiosis qui ex voto ad obedientiam obligantur, summè est necessarium. Sapiens nummularius est, immò sapientia ipsa, cui tenemur reddere huius obedientiæ nummum : nec suscipiet eum, nisi integer & sine falsitate inueniatur. Si enim discutimur & diiudicamur obedientes in vno, non autem in alio, fractus est obedientiæ nummus, nec suscipiet eum Christus. Si verò quis quasi obediat, sed simulatoriè atque ad oculum, murmuret autem in abscondito, falsus est suæ obedientiæ nummus : Plumbum habet, non argentum : & sedet iniquitas super plumbi talentum, dolosè agit, scilicet in conspectu Dei, qui nullatenus irridetur. Propterea castificate corda vestra in obedientia charitatis, quoniam charitas sola, commendat obedientiæ nummum, sola est charitas quæ obedientiam facit gratam & Deo acceptam : quemadmodum enim hilarem datorem, ita & amorosum ac promptum obeditorem diligit Deus. Denique Cassiano testante, tanta fuit apud Ægyptios ac Orientales obedientia Monachorum, quòd signo aut verbo spiritualis patris audito, nec inchoati apicis effigiem compleuerunt, neque ad requisita naturæ in multis cœnobiis absque licentia transierunt, nec opus quodcumque, quantumlibet bonum, obedientiæ præferendum credebant. In hac ergo virtute sanctum imitemur Andream : & quidquid per suum vicarium nobis præceperit Christus, ab ipsomet Christo nobis præcipi arbitremur, præsertim cùm suis dicat vicariis : Qui vos audit, me audit : & qui vos spernit, me spernit. Insuper, per hoc quod sanctus Andreas, mox vt Christum cognoscere cœpit, fratrem suum Simonem mox ad Christum duxit, vt Ioannes

Bernardus.

Gal. 6.

Luc. 10.

Ioan. 1.

ſcribit, edocemur fraterna charitate feruere, & confratres noſtros ad meliora monere, ædificare, & gratiæ nobis conceſſæ participes efficere, quemadmodum ad Coloſſenſes
Col. 3. loquitur Paulus. *Super omnia charitatem habete, docentes & commonentes voſmetipſos in hymnis & pſalmis.* Si-
Prou. 18. quidem frater qui adiuuatur à fratre, quaſi vrbs munita,
Eccl. 17. & vnicuique mandauit Deus de proximo ſuo, vt ei pro poſſe cooperetur ad bonum. Abſit ergo à nobis vanum & infructuoſum colloquium, actio ſcandalizans, diſſolutio &
Eccl. 21. cachinnus, quum teſte ſcriptura, vir prudens vix tacitè ridebit. Porrò detractio, ſuſurratio, ſeminatio diſcordiæ, contumelioſúmque verbum, non aliud quàm diabolica ſemina reputentur à nobis, & ea tanquam venena tartarea ſemper vitemus, nec committentibus tanta facinora, per audientiam aut complacentiam communicemus. Amplius, per hoc quod ſanctiſſimus Andreas Ægeæ Proconſuli tam audacter ac ſapienter reſtitit & reſpondit, docemur, ne alicui conſentiamus in malo, nec ad vitia pertrahamur ab aliquo, vt nec adulatione, nec fauore, nec obſequio, neque munuſculo, ſed neque terrore aut comminatione, emolliatur cor noſtrum ad malè agendum, ad conſentiendum illicitis, ad complacendum alicui in peccatis, ſed iux-
Rom. 15. ta doctrinam Apoſtoli. *Vnuſquiſque proximo ſuo placeat in bonum ad ædificationem,* quatenus cum ſancto Iob di-
Iob. 29. cere valeamus: *Iuſtitia indutus ſum: donec deficiam, non recedam ab omni innocentia mea.* Iuſtus etenim Dominus
Pſal. 10. diligit iuſtos. Neque permanebunt iniuſti ante oculos eius,
Pſal. 7. ſed iuſti confitebuntur nomini eius, & habitabunt recti cum vultu ipſius. Quantò igitur aliquis tibi charior aut familiarior fuerit, tantò ſerioſiùs increpa eum, ſi videris & perceperis eum cum aliquo contendentem, aut mali quid practicantem, nec aſtes ei in talibus, vt carnaliter ſe amantium moris eſt. Poſtremò, per hoc quod glorioſus Andreas Apoſtolus, in omni ſua paſſione tam conſtans fuit, tam feruens ac imperterritus: informamur ad fortitudinem animi, ad mentis conſtantiam, ad cordis ſtabilitatem in
Matth. 7. omni aduerſitate, immò & omni euentu, vt aſſimilemur viro ſapienti, qui ædificauit domum ſuam ſupra petram, ita vt nec flumina vanitatum, nec venti impiarum ſuggeſtionum, nec pluuia perſecutionum, à rectæ rationis iudicio virtutúmque medio nos queat abducere. Optimum

quippe est gratia stabiliri cor. propter quod admonet Pau- *Hebr. 13.*
lus: Stabiles estote & immobiles. Salomone namque te- *1. Cor. 15.*
stante, iustus est quasi fundamentum æternum, impius
verò tanquam tempestas. Quidquid ergo euenerit nobis, *Prou. 10.*
non perturbemur, nec iracundiæ fumo, aut impatientiæ *Eccl. 7.*
impetu, aut tristitiæ nubilo, mentis nostræ habitaculum
euertamus aut obtenebremus, ne Spiritus sanctus deserat
illud. Nam ira in sinu stulti quiescit. Impatiens quoque o- *Prou. 14.*
peratur stultitiam, & multos occidit tristitia. Absit equidem, vt adeo pueriles, insipientes, defectuosi, ac debiles simus, vt pacem, virtutem & gratiam cordis nostri, in aliorum manu, & in potestate improbitatis eorum ponamus, quatenus cùm eis, suggerente diabolo, placuerit nobis inferre molestiam, iniuriámque infligere, mox quietem, gratiam & profectum animæ nostræ perdamus; immò sic roboremur in Domino, sic virtutibus stabiliamur, sic vera decoremur prudentia, vt quanto grauiùs infestemur, tentemur seu affligamur, tantò inauertibiliùs Deo inhæreamus, atque ad actus virtutum nos demus, cum Paulo dicentes: Quis nos *Rom. 8.*
separabit à charitate Dei, qui est super omnia benedictus?

§. XI.

SANCTI LAVRENTII IVSTINIANI Sermo in festo S. Andreæ Apostoli.

MISERATIONIS diuinæ nemo est qui valeat indagare profundum, quantáve charitate velit Deus omnes homines saluos fieri, & ad suæ veritatis peruenire notitiam. Hinc est, quòd multimodè eos inuitat venire ad se, non quòd illorum obsequio egeat, sed vt boni summi, quod ipse est, faciat esse participes. Inuitat inquam vniuersos, etsi non vniformiter, alium quidem sic, & alium sic. Rari autem sunt, qui illius voces audire dignentur. Clamat ad omnes innata ratio, quæ conditoris intellectualis vox est, vt illum ex toto corde, omníque virtute diligant, ipsiúsque famulentur imperio, à quo creati sunt. Toties autem quisque reatui inobedientiæ obnoxius esse conuincitur, quoties vel ad bonum suadet ratio, quod non perficitur, vel de perpetrato scelere conscientia vrget. Sunt etiam multi, ad quorum cor loquitur verbum, eósque nunc exhortando,

nunc ſuadendo, nunc alliciendo ſponte ad ſe ſuſcipiendum inuitat. Fuere autem nonnulli, quibus tam per oraculum vocis, quàm per aſpirationis myſterium locutus eſt Dominus. Ex his nouimus Apoſtolorum fuiſſe quamplurimos, qui ad vnius præceptoris vocem imitati ſunt illum. Hoc quemadmodum vocationis eſt genus nobile; ita & obedientiæ commendabilis virtus. Hanc obeditionis formam ſanctus, quem colimus hodie, commendauit Andreas. Vocatus quippe à Chriſto, ad vnius iuſſionis eloquium, naue relicta & retibus ſecutus eſt Dominum. O magna ſancti viri fides! ô obedientia omni veneratione colenda! Necdum miracula viderat, ſcripturarum minimè intellectum acceperat, & tamen promptus & alacer totum quod habuit, dereliquit. Dereliquit vtique deordinatam familiam, facultates proprias, nauem & retia, quatenus in auditu auris vocanti annueret. Omnes abſtulit moras, excuſationem nullam adhibuit, nec pro piſcationis ſe labore ſubtraxit, quin potiùs oblitus infirmitatis propriæ, difficultatis obedientiæ, aſperitatis pœnitentiæ, præſentis vitæ illecebræ, vocantis ſe humiliter ſubſtrauit imperio. Conuincit planè Sancti huius promptitudo ac voluntarius famulatus torporem noſtrum, ſurditatem noſtram excitat, imprudentémque noſtram confundit prudentiam. *Et longiùs poſt prædicta.* Quamobrem moras omnes abiicite, malarum conſuetudinum rumpite vincula, vt expeditis greſſibus pergatis ad Dominum: Andreæ Apoſtoli, cuius natalitia colimus, ſectemini veſtigia, qui vocantis ſe gratiam abſque vlla cunctatione percepit. Non autem ille conſenſit ad tempus, ſed in ea ſemper perſeuerando profecit. Super petram conuerſationis ſuæ ſtructuram compoſuit, Chriſtóque ſic adhæſit ex corde, vt euentu aliquo penitus moueri non poſſet. Nec abs re. Eloquiis namque ſapientiæ erudiebatur aſſiduè, & miraculis quotidianis augebatur in fide, pro diſciplina virtutum in præceptoris amore creſcebat. Hinc factum eſt altiſſimi cum eo cooperante virtute, vt nec pontificum Iudæorum terreretur minis, neque pro illatis flagellis à nominis Chriſti prædicatione ceſſaret. O beata mens Sancti, quam Patris & Filij inhabitabat diuinitas, fœcundabat gratia, erigebat fides, ſapientia imbuebat, & cæleſtium contemplationum impinguabat infuſio. Nemo ſufficienter potiſſimum poſt immiſſionem

Pa-

Paracleti, eius spirituale valet exarare profectum. In verbi quippe prædicatione adeo fuit intentus, vt de eo totam prouinciam repleret Achaiæ. Nam amoris eius nimietate illectus, penitus silere non poterat. Est enim inquietans res amor, non contenta limitibus, singularitatem non patiens, nunquam dormitans, semper operans, euidentissimis per se manifestata indiciis, quæ nescit modum personarum, qualitates non iudicat, temporum statuta non seruat: nutritur quidem per se in se, ex séque diffunditur, & in ipsa sui diffusione multiplicatur. Semper mouetur, donec sedem reperiat propriam, hanc cùm inuenit, tunc potentior efficitur in opere, in gustu delectabilior, promptior in beneficiis, in conuersatione frequentior. Vilescunt ei omnia, quæ votis non concordant suis, ac de amoris fonte non exeunt. Non timet hostes, laborem refugit, ferrum, ignem, carceres, opprobria, famem, sitim, tormenta, horrenda supplicia, ipsámque mortem non meruit, quemadmodum legitur in Canticis Canticorum: *Fortis est* (inquit) *vt mors dilectio, dura vt infernus æmulatio, lampades eius lampades ignis atque flammarum, aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam.* Cant. 8. Ceteris prætermissis in B. Andrea hanc veridicam comperimus esse sententiam. Facibus namque charitatis succensus, nunquid sacrilegi iudicis minas expauit? An fortè crucis recusauit subire supplicium? Prorsus minimè. Magnanimitatem huius robustissimi ducis, imperterritam mentem, passionis desiderium, spiritualéque lumen ipsius, ex sermonibus eius attende. Quum enim duceretur, vt crucis imponeretur patibulo, eandem à longè prospiciens exclamauit dicens: O bo-«
na crux diu desiderata, & iam concupiscenti animo præpa-«
rata, securus & gaudens venio ad te, ita vt tu exultans susci-«
pias me discipulum eius, qui pependit in te. Salue ô bona «
crux quæ in corpore Christi dedicata es, & ex eius membris «
tanquam margaritis ornata, accipe me ab hominibus, & red-«
de me magistro meo, vt per te me recipiat, qui per te me «
redemit. O præclara charitas, virtutum radix, nutrix gra-«
tiæ, sanctitatis magistra, religionis speculum, statera meritorum, nuptiale indumentum, filiorum hæreditas, cæli clauis, animæ pabulum, dulcedo mentis, fortitudo certantium, corona gloriæ, vitæ lumen; socia veritatis, consors sanctorum, angelorum gaudium, legis compendium, pa-

radiſúſque deliciarum. Tu decus regium, præceptorum plenitudo, Prophetarum finis, fuga vitiorum, dæmonum terror, cæleſte donum, omniúmque delectabilium delectabile ſummum. Nempe ſine te humana deficit virtus, naturale hebetatur ingenium, animæ pes claudicat, fides deperit, præſumit inaniter ſpes, & fraternæ dilectionis vnitas diſſipatur. Te interpellante, te adiuuante, te cuſtodiente, te promouente, efficitur homo in tentatione ſecurus, humilis in proſperis, robuſtus in arduis, magnanimus, ac inſuperabilis in tormentis. Nónne hoc in Andrea patet Apoſtolo? Lætus namque & glorianter ibat ad crucem. Ad illam aſcendit intrepidus, de qua tanquam de ſpirituali cathedra, prædicabat populo, illóſque rogabat, ſuum ne vellent impedire martyrium. Iam enim ſpreto ſæculo proximus erat cælo, & æternæ vitæ deguſtabat delicias. Iámque diuinæ ſapientiæ lucem mentis contemplabatur obtutu, propterea præſentis exilij recuſabat remeare ad tenebras, corporíſque fatigati perferre incommoda, cupiens diſſolui & eſſe cum Chriſto. O felix anima, quam Dei compleuerat charitas, irradiauerat fides, immortalitatíſque erigebat fiducia! Pendebat in cruce, & inimicos ſuos vincebat. Patiebatur, & in illatis pœnis gloriabatur, moriebatur, & intus à Domino coronabatur. Planè Apoſtolicum illud in corde dulci modulatione ingeminabat dicens; Bonum certamen certaui, curſum conſummaui, fidem ſeruaui. Certauit, inquam, & dirum paſſionis agonem viriliter pertulit, carnaléſque voluptates ſubegit ſpiritui, & ſpiritum Deo, ita vt diceret: Viuo ego, iam non ego, viuit autem in me Chriſtus. Hinc ſeruando fidem, vitæ ſuæ curſum feliciter conſummauit, non in molli ſtratu, neque in corporis deliciis, ſed coram maxima populorum numeroſitate conſtitutus in ſtipite. Generoſus diſcipulus cæleſtem eſt imitatus magiſtrum, parem ignominioſæ crucis vt ille pertulit pœnam, & tanquam athleta fortiſſimus in certaminis occubuit ſtadio. Quemadmodum annunciator, ita factus eſt poſſeſſor Chriſti, ſæculi iudex, fundamentum Eccleſiæ, æternitatis oſtenſor.

2. Timot. 4. *Gal. 2.*





PARTIS SECVNDÆ DE GLORIA S. ANDREÆ APOSTOLI LIBER IX. & vltimus.

COMPLECTENS

SELECTA EIVS EPINICIA;

Ex sacrorum Poëtarum piis modulationibus collecta.

I.

S. DAMASI PONTIFICIS MAXIMI, de S. Andrea Crucem passo:

ELOGIVM.

Decvs sacrati nominis,
Vitámque nomine exprimens;
Hoc te decorum prædicat,
Crucis beata gloria.

Extat in Bibliotheca SS. PP. tomo 8. p. 844.

Andrea Christi Apostole,
Hoc ipso iam vocabulo
Signaris isto nomine,
Decorus idem mysticè.
Quem crux ad alta prouehit,
Crux quem beata diligit,
Cui crux amara præparat
Lucis futura gaudia.

In te crucis mysterium
Cluit gemello stigmate,
Dũ probra vincis per crucẽ,
Crucísque pandis sanguinẽ.
Iam nos foueto languidos,
Curámque nostri suscipe,
Quo per crucis victoriam
Cæli petamus patriam.
Amen.

II.

S. PAVLINI EPISCOPI NOLANI,
de S. Andrea Apoſtolo, dicta aurea.

In Natali IX. vbi de ſacris Reliquiis in ara reconditis.

HIC pater Andreas; Hîc qui piſcator ad Argos
Miſſus, vaniloquas docuit muteſcere linguas:
Qui poſtquam populos, ruptis erroris iniqui
Retibus, explicuit, traxitque ad retia Chriſti:
Theſſalicas fuſô damnauit ſanguine Patras.

Idem epiſtola 12. ad Seuerum: vbi de Fundana Baſilica, ſeruatiſque in ea Sanctorum pignoribus.

Ecce ſub accenſis altaribus oſſa piorum
Regia purpureo marmore cruſta tegit.
Hîc & Apoſtolicas præſentat gratia vires
Magnis in paruo puluere pignoribus.
Hîc pater Andreas, & magno nomine Lucas,
Martyr & illuſtris ſanguine Nazarius.

Idem inter Natalis XI. fragmenta apud Dungalum; poſt recenſita Petri & Pauli glorioſa Romanis trophæa & felicia patrocinia, ſubnectit,

Sic Deus & reliquis tribuens pia munera terris
Sparſit vbique loci magnas ſua membra per vrbes:
Sic dedit Andream Patris, Ephesóque Ioannem,
Vt ſimul Europam atque Aſiam curaret in illis,
Diſcuterétque graues per lumina tanta tenebras,
Parthia Matthæum complectitur, India Thomam,
Lebbæum Lybes, Phryges accepere Philippum.

Et paucis interiectis, glorioſam celebrans B. Andreæ Apoſtoli, Lucæ Euangeliſtæ & Timothei Diſcipuli S. Pauli factam à Conſtantino tranſlationem, ita canit,

Nam & Conſtantinus proprij dum conderet vrbem
Nominis, & primus Romano in nomine Regum
Chriſticolam gereret, diuinum mente recepit
Conſilium, vt quoniam Romanæ mœnibus vrbis
Æmula magnificis strueret tunc mœnia cœptis;
His quoque Romuleam ſequeretur dotibus vrbem:
Vt ſua Apoſtolicis muniret mœnia latus
Corporibus: tunc ANDREAM *deuexit Achiuis,*

Timotheúmque Asiâ, geminis ita turribus extat
Constantinopolis, magnæ caput æmula Romæ.
Veriùs hoc similis Romanis culmine muris,
Quòd Petrum Paulúmque pari Deus ambitione
Compensauit ei: meruit quia sumere Pauli
Discipulum cum fratre Petri. Iam quanta per istam
Sanctorum per longa viam diuortia terræ
Creuerit vtilitas ad nostra munia vitæ,
Ipsa docent hodiéque loca, in quibus illa beati
Rhæda capax oneris, posita statione resedit.
Omnibus in spatiis quæcumque aut mansio sanctis
Corporibus, requiésve fuit, vectantibus illos
Sacratos cineres, miris clamantia signis:
Nam diuina manus, medica virtute per omnes
Est illic operata vias, quà corpora sancta
Impressere sacro vestigia viua meatu.
Inde igitur suadente fide, data copia fidis,
Tunc comitum studiis, quædam vt sibi pignora vellent
Oßibus è sanctis, meritum decerpere fructum,
Vt quasi mercedem officij, pretiúmque laboris,
Præsidia ad priuata domum sibi quisque referret.
Ex illo sacri cineres, quasi semina vitæ
Diuersis sunt sparsa locis, quàque osse minuto
De modica sacri stipe corporis exiguus ros
Decidit, ingentes illic per gratia fontes,
Et fluuios vitæ generauit gutta fauillæ.

III.

VENANTII FORTVNATI EPISC. PICTAV. in laudem S. Andreæ Apostoli, Symbola.

CARMINVM lib. 1. cap. 1. Eucharisticum Vitali Episcopo Rauennensi pangit, pro extructo in honorem ipsius Beati Apostoli magnifico Templo, inter cætera dicens,

Dignus Apostolica præfulgens mente sacerdos,
Qui sacer Andreæ tam pia templa locas.
Quàm bene pro meritis Domini consedit in aula,
Per quem digna Deo est ædificata domus.

Et cap. 2. de templo S. Andreæ quod ædificauit Vitalis

Episcopus, & aliis (præter eius pignora) reliquiis ac patronis, quibus erat ornata.

Quisquis ad hæc sancti concurris limina templi,
Si venias supplex, hîc prece sumis opem.
Qui sacer Antistes Vitalis condidit arcem,
Culmine quæ cælo est, tempore ducta breui.
Fundauit, struxit, dotauit, deinde dicauit,
Et meruit templi soluere vota sui.
Quo veneranda pij requiescunt viscera Petri,
Qui meruit solus claue ligare polos.
Paulus Apostolica simul retinetur in aula,
Seductor quondam, qui modò doctor ouat.
Hanc sacer ANDREAS *propriam sibi vendicat arcem,*
Et cum fratre pio participata regit, &c.

Idem lib. 5. cap. 1.

Lumen Apostolicum cùm spargeret vna Triados,
Exciperétque nouum mundus honore diem.
Vt tenebras animæ lux sementiua fugaret,
Et claram hauriret mens oculata fidem,
Redditur auulsis spinis, vrbs Romula princeps
Principis egregij vomere culta Petri:
Paulus ad Illyricos Scythicas penetrando pruinas
. . . .
Andreæ monitis extat Achaia seges.

Et lib. 7. cap. 4.

Culmen Apostolicum radianti luce coruscum,
Nobilis ANDREAM *mittit Achaia suum:*
Præcipuum meritis, &c.

IV.

VVALFRIDI STRABI,
de sancto Andrea;

CARMEN.

HIC simul Andreas Templi tutabitur aram
Petri germanus, qui quondam funere læti* * lecho
Horrida perpessus, sancta cum carne pependit.
Quem Deus Oceani lustrante frustra phaselo

Cœlitùs adſciuit, gradiens per littora Ponti,
Protinùs Andreas compunctus voce Tonantis
Credidit æternùm ſaluantem ſæcula regem,
Pendula capturæ contemnens retia ſpreta,
Et dicto citiùs Chriſti præcepta faceſſit.
Quis numerare valet populoſis oppida turmis
Illius eloquio, quæ fana profana fricabant?
Credula pandentes regi præcordia Chriſto:
Nempe vicem Domino ſoluebat calce cruenta,
Dum crucis in patulo ſuſpenſus ſtipite Martyr
Vltima mortalis clauſit ſpiracula vitæ,
Purpureas ſumens, Chriſto regnante coronas.

V.

EPINICION S. ANDREÆ APOSTOLI, DECANTATVM

Juſſu Pij II. Pontificis Maximi, cùm triumphali apparatu eius venerandum caput Romam delatum excepit:

Ab Agapito Epiſcopo Anconitano, ciue Romano, oratore ac Poëta, ætate ſua præclaro.

PRIMVS *hic Jeſum ſequitur vocantem,*
Et crucem primus ſimilem ſubiuit,
Martyr Argiuis veneratus oris
Omne per æuum.
Hinc Pius Graios populante Turca,
Præda ne fiat canibus cruentis
Tollit, & ſancta profugum ſecundus
Excipit vrbe.
Séque cum ſacro comitem Senatu,
Obuium præbet, redolente Roma
Floribus feſtis, reſonante Clero
Cantica laudum.
Sacra fert dextra nitidus ſacerdos;
Splendidi carmen referunt Quirites:
Almæ ſis noſtræ columen precamur,
Et pater vrbis.
O pugil ſanctæ fidei ſupremus!
Primus agnoſcens Dominum vocantem,

Primus & letho simili triumphans
Protege Romam.

Fusioris est hymnus ille texturæ, sed suprà integra serie descriptus est, vbi translationis capitis B. Andreæ historia, Pio ipso II. enarrante, refertur.

VI.

Aliud Epinicion ex Fastis Baptistæ Mantuani Carmelitæ Theologi & Poëtæ præstantissimi, lib XI. in fine.

ANDREA *germane Petri, sanctissima Ionæ*
Progenies, qui Baptistæ, documenta, viámque
Antè sequebaris, quàm te cum fratre vocantem
Retibus acciret soboles diuina, Nouembris
Vltima fert aurora tibi pluuialia festa.
Tu Galilæus eras, tu circa littora cymbâ
Vectabare trahens varios ex gurgite pisces.
Sed sine remigio Christus, sine retibus vllis,
Te docuit piscari homines, animásque vocare
Ex scelerum stagnis, stygiísque paludibus Orci,
Mitteréque ingentem diuûm in viuaria prædam:
Tu Pelopis gentes & Achaica regna peragrans,
Spargebas radios vitæ ad mortalia corda,
Sicut ad humanas acies crinitus Apollo,
Sparta vetus meminit, Lacedæmoniæque Mycenæ;
Argos, Amycléique lares, Alpheáque Pisa,
Atque aliæ Danaorum vrbes, quas alta Corinthus
Claudit & angusto duplex mare diuidit isthmo:
Cùm paritura Nurus magno clamore vocaret
Lucinam, Lucina dedit responsa, vetamur
O dilecta Nurus vobis succurrere, nostram
Vir prohibet Galilæus opem, concurrite ad eius
Auxilium, sibi namque meum decus arrogat ipse;
Sic ait, Andreas interpellatus, ad illam
Misit opem, sic diuinam compulsa fateri
Virtutem Lucina fuit, sic inuidus Orcus
Cogitur inuitus Diuorum accedere votis:
Ast vbi deuenit Pelopensia mœnia Patras,
Vnde patet procul Ætolas prospectus ad vrbes,

Ægeas

Ægeas Proconsul erat, qui grandibus actus
Præstigiis, metuebat enim ne sacra deorum
Corruerent, voluit diuino obstare furori,
Qui neque vulgares poterat componere rixas.
Ægeas igitur cùm nec terrore nec armis
Posset ab inceptis hominem reuocare, leuauit
In lignum sublime crucis, quo maximus heros
Supplicio delectatus clamabat ab alta
Arbore, spectantes populos Christúmque docebat
In ligno voluisse pati, quæ semina mortis
Traxerit à ligno princeps, in stemmate nostro.
Talia vociferans biduò sic pectora plebis
Mouit, vt Ægeæ mortem intentaret, atroci
Voce fremens, quibus ille minis perterritus ibat
Cum lictore volens motos sedare tumultus,
Et seruare hominem, fractisque absoluere vinclis:
Id priùs Andreas metuens clamabat, abite,
Ite procul! neu me tali fraudate corona!
Christe faue, succurre animæ terrena perosæ
Omnia, & in superos tua me clementia tollat?
Talibus orantem Deus audiit; Ecce repentè
Aureus erumpens hominem circumstetit ardor,
Et longis mens functa malis, in sydera fugit.

VII.

Aliud editum ab Hieronymo Vida Cremonensi, Albæ Episcopo.

Operum eius lib. 1. cui titulus est, Hymni de rebus diuinis, sub hac epigraphe:

Hymnus, Diuo Andreæ Apostolo.

QVAM *veteres multa arte tuo de nomine dictam*
Cælicolûm Regi, quondam posuere parentes,
Labantem, victámque situ renouauimus ædem,
Andrea tibi, conspicuóque poliuimusære
Marmoréque è niueo candentem ereximus aram.
Huic quicquid nobis bellum exitiale reliquit
Contulimus, tibi, nec pro tempore, rebus egenis,
Defuimus, si fortuna foret illa prioris
Copia nunc, nec opes nostras fera bella tulissent,

Forsitan hîc lento templi quoque plurimus auro
Fulgeret tholus, & rigui plebs læta Ticengi,
Diues te dignos aris inferret honores.
Illa Deum, te, post vnum veneratur & omnem,
In te spem locat, iratum tu sæpe tonantem
Concilias nobis, & iustæ te obiicis iræ.
Quandoquidem nihil omnipotens non annuit vltrò
Deuinctus tibi: nil veteri non donat amori:
Quæque olim in terris fuerat tibi gratia viuo,
Hæc eadem te consequitur cæli arce receptum;
Cælestúmque choros inter spectabilis omnes,
Incedis bis sex procerum, non vltimus, vnus
Quos Deus humanos indutus corporis artus
Subiunxit sibi dilectos ex omnibus vnos,
Retiáque & pisces & flumina linquere iußit;
Fortunati omnes! vobis pro retibus hamisque
Æthereus vigor est menti diuinitùs altæ
Additus, vnde animas hominum pro piscibus ipsas
Venari datur, & superûm coniungere regi,
Ad superósque aperire viam mortalibus ægris,
Piscosis pro fluminibus, pro fluctibus alti
Æquoris, ætherei vobis data regia cæli:
Ventorum flabra vnde absunt violenta, nec vlla
Tempestas metuenda, feri neque prælia ponti,
Sed placida, & sine fine quies, secura voluptas,
Votáque plena, omnisque animi exempta cupido est.
Iam quid enim cupiam æterna luce fruentes,
Atque bonis saturati omnes, & sorte beati,
Quisque sua dulci complexi mutua amore:
Sed vos præcipuo pater insigniuit honore
Omnipotens longè ante alios, quos scilicet omnis
Cùm suprema dies perituro illuxerit orbi;
Atque iterum natum cælo demiserit alto,
Arbiter vt vitas hominúmque & crimina quærat,
Addet ei arbitrij socios, bis sena sedentes
Vos solia accipient bis senos ardua: ibi omnis
Vos tremet, atque metu mussans venerabitur orbis,
Fortunate, domus sub tecto pauperis ortus
Craticeo ad patrias pauper Bessaidos vndas
Piscator, tu sublimi conspectus honore
Iudicis æterni lateri subiunctus amico

Hærebis, neque te sociorum anteiuerit alter
Post fratrem, quem præfecit mortalibus olim
Arbiter ipse Heros, terrásque hominésque relinquens;
Tu prior accesti diuinâ voce vocatus
Ad lucem, verúmque datum est tibi cernere lumen
Ante alios, Petrus ipse tua est pòst voce secutus
Fortunatè, datum est tibi cæli cernere regem
Mortali, & sanctos manibus mortalibus artus
Tangere: tum veras voces, diuináque verba
Haurire, & sociis toties accumbere mensis.
O ego tunc illas cur non sum natus ad vndas
Piscator, quos non hamos, quæ non caua lætus
Retia liquissem, & lembum, & cum flumine pisces
Nassásque, cratésque, & vimineos calathiscos
Et tectum & patriam & charos? me denique & ipsum?
Omnibus adiiciens hæsissem protinùs vni,
Omnia qui superat, quíque omnibus est satis vnus:
Quem qui habet, omnia habet, nulliúsque indigus vltrà est.
Quæ tu præsagi sensisti pectoris haustu
Omnia despexti, præque vno nil ratus esse
Cetera, flagrabas ardentis vnius amore,
Illum animo suspirabas noctésque diésque,
Et dulcem cupido pascebas pectore curam,
Præcipuè postquam moriens terrena reliquit
Sponte sua, & nostram deleuit sanguine labem.
Protinùs ætherea afflatus diuinitùs aura
Cum sociis miróque animum inflammatus amore
Quos casus, quæ non discrimina sponte subisti
Intrepidus, totum quo ferres facta per orbem
Illius, & sanctas vulgares vndique leges,
Mortalésque nouo lustrares luminis ortu?
Cúmque alias alius purgandas isset ad oras
Cura tibi Scythiæ cecidit concredita sorti,
Quam postquàm insolitæ recreasti lumine lucis
Atque omnem factis implesti ingentibus oram,
Græcia restabat, diuinæ imperuia luci,
Dum nimium freta humanis sese artibus effert,
Nec cedit nisi fallaci ratione subacta,
Diuinæque potestati nihil arrogat vltro.
Quæ sensus hominum longè prauertitur ægros,
Et refugit tardos animorum ob nubila captus,

Protinus Argolicas perrexti gnauus ad vrbes,
Nec te vlla tenuere moræ, quod multa piorum
Corpora missa neci, Danaûm acceperis oris
Præsidis Argiui inuidia, cæcóque furore;
Vt faciles omnis tibi Achaia præbuit aures
Audiit, & vox mira rerum nouitate loquentem
Atque animis verum, lucémque volentibus hausit,
Impie quid furis Ægea, diuisque repugnas?
Tene putas posse illustres abscondere cæli
Auricomi flammas, ipsúmque extinguere Solem
Vndantem luce, ac toto res orbe regentem?
Forsitan humentem nebulam præstare breuémque
Obsessis poteris radiis obtendere nubem.
Erumpet lux, erumpet rutilantibus auris
Lampas, & densissima face nebula differet omnia,
Nempe pium nihil obstantem, nullaque arma mouentem
Proscriptum dextra, sed mortis amore ruentem
Optato infando potuisti pendere letho,
Efferues: at clarum vis nulla extinguere nomen
Eualeat, quod per populos magno ore sonabat;
Sed quo tu magis obstabas, hoc latius illud
Serpebat, penitúsque animis hærebat adactum.
Id potuere, quibus præeras, ostendere Patræ
Felices Patræ, quibus vltimam cernere lucem
Hoc monstrante, datum & certam spectare salutem,
Pignore tam certo: quis enim non se eximat vltro,
Protinus abruptis, si detur copia, vinclis?
Sed tibi dulce, Senex; (etenim ad te Sancte reuertor)
Vilem per montes omnes effundere vitam
Pro duce, qui sese nostra ob commissa necandum
Obtulit, infamique trabi suffixus obiuit.
Quod mortis genus efferres cum multis ad astra
Laudibus, & nostram hinc caneres prodisse salutem;
Supplicia obsequium simulans te afficit eodem
Impius, ingentique parem dedit esse magistro.
Te poteras tam crudeli subducere morti,
Cùm subito tota vrbe ruens manus omnis in arma
Arsisset, dirique faces in tecta tulissent
Præsidis insani, tibi ni vincla arcta laxasset.
Tu vitæ magno æternæ correptus amore,
Mortalem optabas pro Christo effundere vitam.

Atque ideo tendens exutas vincula palmas
Obuius orabas populum pietate furentem
Ne faceret, studio tibi ne malè amicus obesset,
Ne prope iam partum eriperet sub fine triumphum.
Atque adeo sæuis qui tempestatibus actus
Per maria Arcturi dubio sub sydere iniqui,
Si quibus impegit ventorum munere tandem
Litoribus, cumulóque ratem subiecit arenæ,
Non tam auida siccum accipiat telluris amore,
Quàm tu tunc procul aspiciens feralia ligni
Brachia flagrabas, miráque cupidine captus
Impatiénsque moræ, orabas dispendia tolli;
Vtque obiturus olor moriens insueta canebas,
Et dulcem amplectens inhiabas pectore truncum.
Vt te conspicio, vt te animo crux alma volenti
Accipio, ascendóque libens & pectore glisco;
Suscipe me? dignare tuo mea viscera fulcro,
Quæ priùs ingentis diuinos hospitis artus
Læta onere insolito felici sede tulisti,
Vnde decus tibi per gentes, & gloria parta est.
Nunc ducis ingredior tanti vestigia longè,
Nec fuerit mihi rex tantùm, dum vita manebat.
Me me etiam quamuis longè inferiora secutum
Suscipe, & optato sublatum redde Magistro;
Nam veluti angustas duplicis per roboris oras
Vere nouo ingrediens renouat se lubrica serpens,
Sic tua dulce mihi est tunc inter robora molem
Linquere, & exuuias moribundi corporis huius,
Liberiúsque poli volucri petere ardua lapsu.
Hæc repetens robur tandem es sublatus in altum
Heu nimium duros perpessus morte dolores.
Nunc frueris placida felix in secula pace.
Salue bissenos inter pater optime patres!
Aspice nos bonus, atque tuo nos iunge magistro.

Amen.

VIII.

Tabula olim appensa sacrario sanctarum reliquiarum B. Andreæ Apostoli, in sua Metropolitana & primatiali Ecclesia, vrbis Archiepiscopalis ipsius S. Andreæ, in Scotia: Cuius extat series verbatim expressa apud Iacobum Vesserum in Britanicarum Ecclesiarum antiquitatibus Dublinij editis anno 1639. vbi tractat de ipsarum S. Andreæ reliquiarum in Scotia susceptione, & celebri dudum ad eas peregrinatione, pag. 658.

HIC sinus iste maris, malè fertile litus, opima
Transcendit patriæ fertilitate loca.
Hîc regio priùs orba viret, paupercula pridem
Nunc diues; dudum fœda, decora modò.
Huc enim veniunt orare, remota tenentes
Castra viri; patrio turba profecta solo:
Francus magniloquus, belli Normanus amator,
Textor Flandrensis, Theutonicúsque rudis,
Anglicus, Almannus, Hollandus, Pictauus expers
Velleris, & cædis Andegauensis amans;
Qui Rhenum Rhodanúmque bibunt, Tyberímque potentē,
ANDREÆ veniunt hîc adhibere preces.
Nos quoque si tantos inter modò nomen habemus,
Venimus huc vecti prosperiore rota.

IX.

Ex Ephemeride Ecclesiastica, seu fastorum sacrorum Compendio Nicolai Oudaërt Canonici & Officialis Mechliniensis.

Mense Nouembri, die 30.

ET patrem Andreas, & cymbam, & retia liquit,
Christus, vt audiuit, quàm placido ore vocet:
Piscatórque hominum factus, lustrauit Achiuos,
In nassam Domini millia multa trahens;
Donec eum Ægeas seu recta sæuus adegit,
Siue decussata schema subire crucis.

X.

Ex lib. XII. Sacrorum Faſtorum, Ambroſij Nouidij Franci Ferentinatis.

VLTIMA piſcator fert tempora menſis & anni,
Súntque velut ludi lubrice Thybri tui.
Nam qui rara trahunt piſcoſo retia ponto,
Qui iacit & iaculum, qui tegit ære cibos,
Feſta colunt: viſunt caput & piſcantis ad aram,
Hìc vbi cum nauta, munera fratre petit.
Intereà è ſummo lux terris proſpera cælo
Panditur aduentus, & ſibi nomen habet.
Stat cum menſe labor, piſcator contrahe vela,
Portus adeſt: nobis vna tenenda via eſt.

XI.

EX FASTIS CHRISTIANIS; SIVE PANTHEON,

Ioannis Bachot, olim in Academia Pariſienſi Profeſſoris, &c.

Nouemb. XXX.

SANCTO ANDREÆ.

A rdent diuinis Andreæ viſcera flammi S
N imbiferáque niue incipiunt igneſcere ſol I
D epoſuiſſe cruci de nudo pectore flamma M
R es agitur: gelidas omni reſcindere mund O
E xtemplò glacies molitur, in æthere carme N
A udiuit, ille crucem vano præponit amor I
S icclamans; bona crux, quæ cælo perdita ſalua S.

Frigidiſſimo cælo (ait S. Ambroſius epiſt. 82.) nudus cru- " cem ſuſtinuit, ſed non nocebat plagæ glacialis frigiditas, " cui feruenti ſpiritu feruebat deuotio. Quod mundani mi- " lites faciunt, eò magis decet Chriſtianos exercere: "

Frigora ſæua pati, grauibus non cedere nimbis, Claudian. 3. Honorij.
Æſtiuum tolerare iubar.

HYMNI SACRI

OLIM IN ECCLESIIS, GALLIÆ PRÆSERTIM, decantati, in Natali S. Andreæ Apostoli gloriosi: Ex antiquis Breuiariis tam Manuscriptis quam impressis, excerpti.

I.

Ex antiquo Breuiario Gebennensi

POST *Petrum primum principem*
Andreas est Apostolus,
Verbum salutis prædicans
In Achaia prouincia.
Captus in Patras oppido
Traditur diro carceri,
Ferali pœna caditur
Tortor calles visania.
Dilaniatur ictibus,
Ligno crucis suspenditur,
Biduò viuens non cessat
Fidem docere populum.
Clamor plebis attollitur,
Charus Deo exposcitur,
Reddi iustus & innocens,
Sanctus & bonus quæritur.
Fallax mox ad patibulum
Quasi ad soluendum properat.
Deuotus Martyr in pœnis
Orat ne arctioribus
Loris resoluat impius
** Diuis indeptus muniis*
*Frater instigat iurgiis**
Iustisque querimoniis.
Eant tecum quæ tua sunt
Ægea tam dirissime:*
Completa eius passio
Deuicto hoste callido.
Implores ergo meritis
Suis pro nostris actibus,
Vt mereamur consequi
Sancta in fine præmia.
Gloria tibi Domine,
Gloria vnigenito,
Vnà cum sancto Spiritu
In sempiterna sæcula.
Amen.

* Duris inditus vinculis.
* Satrocles.
* quem nequissime.

II.

ALIVS HYMNVS,

Ex veteri Breuiario Vasatensi.

SVMMI *Regis potentia*
Cuncta disponens sæcula,
Diuina spargit munera
Credentium per pectora.
Quem postulemus supplices,
Vt nos excitet desides;
Quo simus apti capere
Donum supernæ gratiæ.

Cuius

Cuius nitoris ſtemmate
Ornati decentiſſimè,
Laudes promamus inclytas
ANDREÆ *ſancto debitas.*
Qui per crucis patibulum
Peruenit ad æthereum
Excelſi throni thalamum
Sanctorum conſors ciuium.
ANDREA *Chriſti famule,*
Noſtros clamores ſuſcipe:
Et tuis ſacris precibus
Munda nos culpis omnibus.
Vt luce ſpiritalium
Reſplendentes chariſmatum,
In corde ſimus ſobrij,
In carne ſemper liberi.
Tuóque nos precamine
Fac ſumma cæli ſcandere;
Quò valeamus cernere
Ieſum benignum ſedulè.
Laus, honor, virtus, gloria,
Deo Patri cum Filio,
Vnà cum ſancto Spiritu
In ſempiterna ſæcula. Amen.

FINIS.

MISCELLANEA QVÆDAM
AD SECVNDÆ PARTIS LIBROS DE GLORIA B. ANDREÆ APOSTOLI PERTINENTIA,

Quæ dum hoc opus typis mandaretur, ab Auctore collecta sunt.

Ad Libri III. *titulum de dispersione reliquiarum S. Andreæ Apostoli. per modum appendicis.*

§. I.

OMO 1. magni Bullarij, Constitutione XII. pag. 317. initio: *Brachium S. Andreæ in pretioso vase nouiter confecto recludi fecit Sixtus IV. illúdque cum nonnullis aliis reliquiis in Archihospitali de Saxia perpetuò venerandum collocauit.*

§. II.

In Ecclesia Compostellana, in altare dextro, in quo est vocabulum sancti Petri, sunt reliquiæ SS. Petri & Pauli Apostolorum, de sepulchro Domini; S. Andreæ Apostoli. *Martyrol. Hispanicum, 6. Maij, pag. 97.*

§. III.

In Catalogo Reliquiarum SS. quæ in sacrario Ecclesiæ Valentinæ in Hispania seruantur. apud Salazar in suo Martyrol. Hisp. die 7. Maij, pag. 109. legitur: *Item capita SS. Matthiæ, Barnabæ, & Andreæ Apostolorum.* Quod falsissimum esse patet ex iis quæ notauimus de S. Matthia, 24. Febr. de S. Barnaba 11. Iunij, & de S. Andrea ex historia susceptionis eius capitis Romæ, sub Pio II.



Ad Caput VI. *libri* IV. *de præcipuis Miraculis sancti Andreæ Apostoli.*

APPARITIO sanctorum Petri & Andreæ, Pauli & Martialis, ad transitum B. Geraldi Confessoris signandum breui futurum esse. ex eius vita à sancto Odone Abbate Cluniacensi scripta apud Surium die 13. Octobris lib. 3. cap. 5.

APPENDIX AD LIBRVM V. de Regnorum Patrociniis Sancto Andreæ Apostolo vindicatis.

§. I.

QVANTA deuotione Blanca Francorum Regina coleret S. Andream Apostolum, inde patet, quòd filium suum S. Ludouicum Regem (cuius pupilli curam regníque simul gerebat) inungi fecerit apud Rhemos, in festo ipsius gloriosi Apostoli anno 1226. per Iacobum Suessionensem Episcopum vacante sede Rhemensi, cuius Archiepiscopus Guillelmus in expeditione Albigensi morbo nuper obierat. vide Matthæum Paris ad annum signatum, & Ioannem Ionuillam in eiusdem sancti Regis historia, Notis illustrata à Claudio Menardo Consiliario Regio in Præfectura Andegauensi, pag. 295.

§. II.

Primum Carmelitarum Discalceatorum monasterium fundatum Abulæ in Castellæ regno, & dedicatum in festo S. Andreæ Apostoli, quod in primam Dominicam Aduentus Domini incidebat anno 1568. Quæ reformatio Ordinis S. Mariæ de Monte Carmelo sic superno afflatu à S. Teresia de Iesu, nobili Virgine inchoata, postinde per vniuersum ordinem Christianum propagata est, ac floret etiamnum fœtibus feracissimis tam virorum quàm fœminarum. Vide Spondanum eodem anno, numero 29.

Ad libri VII. *de Ecclesiarum inferiorum tutela, Cap.* II. *de iis in Italia, in fine* §. I. *de Pontificibus S. Andreæ Apostolo deuotis.*

APVD Auberium tom. 4. Historiæ generalis Cardinalium, pag. 299. & 300. Iulium III. Pontificem Maximum pios quoque gessisse erga Beatum Andream venerationis affectus, speciali argumento est sacrum ædificium, quod eius auspiciis eiusdem sancti Apostoli gloriosæ memoriæ dicatum est: de quo testis est inscriptio quam Balduinus Cardinalis ipsius Iulij Pontificis frater, in aditu vineæ de Monte prope Flaminiam appendit, hoc sub tenore: *Julij III. Pont. Max. auspicio, Balduinus eius frater hoc suburbanum ab Antonio patruo Cardinale olim animi causa comparatum, &c. atque illustratum aqua virgine, Templóque imprimis Deo Opt. Max. ac Diuo Andreæ ab ipso Julio Pont. erecto atque dicato*, &c.

Vrbanus VIII. sanctum Andream Apostolum speciali quadam veneratione prosequebatur, cuius insigni monimento est magnificum altare, quod ei in Basilica Vaticana, inter quatuor à summo præcipua, eius pretioso capiti honorando erexit; cui sacrario hanc epigraphem in marmorea tabula exaratam iussit imponi,

Sancti Andreæ caput, quod Pius II. ex Achaia in Vaticanum exportandum curauit, Vrbanus VIII. nouis hîc ornamentis decoratum, sacrísque statuæ ac sacelli honoribus coli voluit.

Nec hîc prætereundum, morem olim inoleuisse Constantinopoli, vt sepulchrum Patriarchis commune esset cum Imperatoribus, apud S. Andream, ex Constantini Magni qui celeberrimum eius templum fundauit, institutione. Porrò sic Romæ summis Pontificibus iamdudum vsu probatum, ipsos post obitum, ad S. Petri Basilicam in Vaticano solenni ritu efferendi, & sub S. Andreæ titulo, qui ibidem erat insignis, deponendi & sepeliendi, quandiu vetus illud templum sancti Petri à Constantino ædificatum stetit; quo ex nimia vetustate collabente, alióque quod nunc extat, magnificentiori fabrica Pontificum pietate extructo, eò (vel vbi commodiùs ipsorum suc-

cessoribus visum est) translata de more fuerunt eorum corpora : quemadmodum Bonifacio VIII. contigit, cuius corpus anno 1605. in ipso Vaticano templo sepultum secus altare S. Andreæ, integrum adhuc repertum est, ac Pontificali apparatu adhuc conspicuum, annis ab eius obitu iam trecentis & duobus, eodem Octobris recurrente die vndecimo, scilicet quo ex hac luce migrauerat. Sic enim testatum habetur apud Bzouium in authentico instrumento illius inuentionis tum confecto, cuius hæc extrema est clausula. *Acta sunt hæc in Basilica S. Petri, & in sacrario eiusdem respectiuè, templo scilicet rotundo quod antiquitùs diceba tur S. Andreas, hora 24. die, anno, mense, Pontificatu, de quibus suprà.* nimirum anno à Natiuitate Domini 1605. qui Pontificatus Pauli V. itidem quintus erat, indictione 3. feria 3. vndecima mensis Octobris.

Quem morem olim seruatum recidiuo vsu confirmat translatio corporis Pij V. sanctissimi Pontificis, quod mox ab obitu in Capella S. Andreæ depositum, ibidem plerisque annis quieuit, quousque tandem iussu Sixti V. insigni pompa hinc leuatum anno 1588. die 9. Ianuarij ad Basilicam S. Mariæ Maioris deportatum sub sumptuoso Mausoleo prope venerandum præsepe Domini extructo à dextro latere reconditum, situm inuenit deinceps immobilem, præfixa hac epigraphe,

Pio V. Pontifici Maximo ex Ordine Prædicatorum Sixtus V. Pontifex Max. grati animi monumentum posuit.

Ad §. II. *eiusdem capitis, adde quod sequitur.*

Romæ, S. Gregorij tempore erat Ecclesia SS. Andreæ & Luciæ monastica, cuius erat Abbas quidam Probus synodicè auditus à S. Gregorio, super quadam dispensatione.

Ad §. III.

Neapoli, sede Regia, ciuitate Archiepiscopali Campaniæ maritima, Ecclesia spectabilis est S. Andreæ de Nido dicta : prope quam Raynaldus de Brancacio Cardinalis Diaconus tituli sanctorum Viti & Modesti ab Vrbano VI. creatus die 7. Ianuarij anno Domini 1385. Hospitale construxit cum Ecclesia S. Angeli & S. Andreæ, in qua ex testamento sepultus est. Quid mouerit hunc Cardinalem vt Angelo custodi S. Andream sociaret in eiusdem Ecclesiæ patroci-

nio, minimè obſcurum eſt; intellexit enim vir ſolerter ſapiens, Angeli cuſtodis & S. Andreæ Apoſtoli commune eſſe munus, animas ad Chriſtum adducendi; quemadmodum de Angelo ductore notum eſt: de ſancto autem Andrea ſuperiùs eſt liquidò demonſtratum. Vide Auberium tom. 1. Hiſtor. Cardinalium pag. 642.

Eiuſdem Cap. §. VIII.

Florentiæ olim erat Abbatiola S. Andreæ intra muros ſita, ſicut patet ex litteris Radingi Epiſcopi Florentini ſedentis ſub Ludouico Pio: quas refert verbatim Ferd. Vghellus tom. 3. Italiæ ſacræ pag. 34. vbi ferè in exordio hæc verba leguntur; *Qui D. Ludouicus ſereniſſimus Auguſtus per ſuum præceptum petitionem meam confirmauit prædictæ domui ſancti Ioannis quandam Abbatiolam; vbi parua Congregatio puellarum eſſe videtur, & eſt constructa intra eandem ciuitatem in honorem ſancti Andreæ: quæ nunc eſt ſimplex Parochia penes vetus emporium. Huic Parthenonæ idem Epiſcopus Bertam Comitis Huilpoldi filiam præfecit Abbatiſſam anno* 853. *qua mortua Andreas eius ſucceſſor inſtituit Idembertam anno* 870.

Eſt etiam in Florentino Præſulatu Abbatia S. Andreæ de Calderolis Ordinis Camaldulenſis.

§. IX.

Sub Volaterranis Epiſcopis (quorum ſedes eſt in Hetruria ſub Archiepiſcopo Florentino) Ferd. Vghellus tom. 2. Italiæ ſacræ meminit Abbatiæ ſanctorum Apoſtolorum Andreæ & Thomæ his verbis:

Benedictus Epiſcopus ad partem ſui Epiſcopatus, &c. *In cauſa commutationis integra vna Eccleſia quæ eſt in Comitatu & territorio Volaterranenſe, & eſt in loco & fundo vbi dicitur Alanes, quæ eſt in honore B. Andreæ & S. Thomæ cum terra culta eiuſdem*, &c. n. 22. col. 141.

Idem eodem tom. & titulo, col. 346. ex Charta quam refert, quæ incipit, *Dum in Dei nomine in iudicio reſideret D. Mathilda Dux & Marchioniſſa in ſua Caſa, quæ eſt iuxta clauſtrum plebis S. Andreæ ſitæ in burgo de Martiali ad cauſas audiendas*, &c. *Data anno ab incarnatione D.N.I.C.* 78. *poſt mille*, 3. *Idus Februarij.*

Idem Vghellus ibidem col. 370. n. 44. quo Reynuccium Epiſcopum Volaterranum recenſet, ait: *Anno* 1342.

Abbatiam S. Andreæ de Postierra, vt vocant, Monachis montis Oliueti donauit, &c.

§. X.

Vercellis, S. Andreæ extat Monasterium fundatum à Iacobo Gallone, Cardinale S. R. E. Archipresbytero creato ab Innocentio III. qui eidem Cœnobio cuncta bona sua ex testamento legauit, quod antea pretiosis donariis, ac maximè Sanctorum plerisque reliquiis locupletauerat. Vide Onuphr. & Ciaconium, ac Auberium, &c.

§. XI.

Arimini, quæ ciuitas est Romandiolæ non obscura, tempore S. Gregorij erat Monasterium sanctorum Apostolorum Andreæ & Thomæ; de quo S. Gregorius scribit ad Castorium Episcopum Aniciensem lib. 4. ep. 43.

§. XII.

Trebiæ (vulgò *Treui*) ciuitate olim Episcopali Vmbriæ, nunc oppido non obscuri nominis, S. Andreæ Apostoli est Ecclesia parochialis, de qua obiter Ciaconius in Benedicto X. & Auberius part. 1. Historiæ Cardinalium, in Nicolao de Bocasino, pag. 373.

§. XIII.

Tomo 3. Bullarij pag. 262. & 263. inter Pauli V. Constitutiones habetur Bulla n. 106. qua suppresso titulo Parochialis Ecclesiæ S. Andreæ Auximani, propter incolarum paucitatem, illam transmutat in simplex beneficium; & hanc Congregationi Siluestrinorum Monachorum Ordinis S. Benedicti in ciuitate Auximana perpetuò vnit & appropriat ipse Pontifex; & Episcopo Auximano mandat, vt ad executionem actualem procedat ipse, seu eius Generalis Vicarius.

Ad Cap. III. *de Eccles. S. Andreæ Apost. in Germania.*

§. III.

MAXIMILIANVS I. Imperator, Austriacæ Domus apex, & ideo Ordinis equestris Velleris aurei (qui sanctum Andream patronum habet & colit) supremus Magister, deuotione succensus aduersus sanctissimum hunc Apostolum, in ipsis Ordinis Minimorum primordiis, viuente adhuc S. Francisco de Paula illorum fundatore, primus eius familiam in Germania suscepit & stabiliuit; in

cuius gratiam tria (quæ ipſi nouo Ordini dedit) fundauit Monaſteria ; primum ſub titulo diuinæ Trinitatis ; ſecundum ſub ſanctæ Annæ matris beatiſſimæ Virginis Deigenitricis inuocatione : tertium verò in honorem S. Andreæ Apoſtoli, Ordinis eiuſdem Velleris aurei tutelaris. Vide Iconiſmum S. Franciſci de Paula nuper editum auctore R. P. Hilarione à Coſta, ex familia P P. Minimorum Theologo, huius ſæculi celeberrimo ſcriptore, part. 7. pag. 146. & 152.

Ad Cap. IV. *de Eccleſſ. S. Andreæ Apoſt. poſt Epiſcopales in Gallia præcipuis, Appendix.*

§. I.

ATTREBATI in Belgio eſt Eccleſia S. Andreæ, in qua iacet Henricus de Marſac, ex Abbate Claræuallenſi, creatus ab Alexandro III. Cardinalis Epiſcopus Albanenſis, qui morti proximus voluit ante maius altare ſub tanti Apoſtoli patrocinio deponi. Inter Beatos illum cenſui die 14. Iulij, in Martyr. Gallic.

§. II.

In diœceſi Cameracenſi, Eccleſia S. Andreæ Apoſtoli in Caſtello Ordinis ſancti Benedicti. Antuerpiæ Ducatus Brabantiæ Metropoli, ac totius Belgij ocello, inter pleraſque ſtructura & ornatu ſpectabiles Eccleſias, ſacra S. Andreæ ædes eſt parœcialis, in cuius diſtrictu fuit olim fratrum Eremitarum Ordinis S. Auguſtini Congregationis Saxonicæ Collegium cum templo ſpecioſo. Sed cùm Lutherus, virus ſuæ hæreſis longè latéque diffunderet, loci illius incolæ hac lue miſerè infecti, quòd ciues multos eodem contagio imbuerent, nec moniti reſipiſcerent, meritò inde profligati ſunt; quidam verò eorum ſacerdotio exauctorati, pœnas ſuæ apoſtaſiæ & corruptionis inſuper luerunt.

§. III. *&* IV.

Rhemis in ſuburbio extat Eccleſia parœcialis tit. S. Andreæ. Item Carnuti.

§. V.

Pictauis in Cathedrali S. Petri Eccleſia eſt Sacellum ſancti Andreæ, in quo Bertrandus de Malomonte 77. Epiſcopus ſepultus eſt : de quo Robertus in Catalogo, ait : *Conſecrat Eccleſiam Cathedralem* 17. *Octobris* 1379. *Epiſcopatus*

patus anno 1. Obiit 1384. in eadem Cathedrali in Capella S. Andreæ ſepultus.

§. VI.

Apud Auenionem eſt vetus Eccleſia S. Andreæ, vbi ſancta Cæſaria eſt ſepulta. Vide Martyrol. Gall. 4. Idus Decembris, pag. 986.

§. VII.

Aquis Sextiis in Phocenſi prouincia, eſt Eccleſia cum cœnobio ſancti Andreæ Apoſtoli, PP. Minimorum Ordinis S. Franciſci de Paula propria, in qua B. Franciſcus Saleſius Epiſcopus Gebennenſis & Princeps, qui tota Quadrageſima ſacrum Euangelium prædicauerat, cùm eſſet in procinctu ſuam ad ſedem redeundi, tertio Ordini eiuſdem Beati Franciſci adſcribi voluit, in cuius teſſeram, cingulum manu P. Antonij Billiaci Superioris ſuſcepit, deincépſque ſemper circumtulit: quemadmodum in eius elogio notaui, quod inſertum eſt Martyrologio noſtro Gallicano die 28. Nouembris.

§. VIII.

Bituricis fuit olim porta vrbica S. Andreæ. Vide Quercetanum de caſtris & vrbibus regni Franciæ, vbi de vrbe diſſerit Bituricenſi, &c.

Ad Caput V. *de Eccleſiis Angliæ, Libri* VII. *de Eccleſiarum inferiorum tutela.*

Ex Monaſtico Anglicano, recèns edito Londini, vbi

De Monaſterio Glaſtonienſi, olim in Anglia celeberrimo,

Pag. 2. col. b.

TITVLO de diuerſis nominibus inſulæ, quo ſita iacet Eccleſia Glaſtonienſis, & de inſulis circumiacentibus illi ſubiectis *Andre de ſey*, ſiue *Plonde* ceteras inſulas loci ſitu & amœnitate antecellens: dicta eſt autem *Andredeſey*, propter Eccleſiam S. Andreæ, quæ ibi habetur.

Ex eodem libro pag. 5. col. a.

In recenſione reliquiarum de Apoſtolis, quæ conditæ erant olim in hac nobili Eccleſia, *De ſancto Andrea, quinque minuta oſſa, duo dentes, & de cruce eiuſdem.* Hæc nota pertinet ad librum 3. partis 2. vbi de Reliquiis S. Andreæ Apoſtoli.

Pag. 27. col. a.

Sub titulo, *Roſenſe Cœnobium in Cantia:* Anno ab Incar-

natione Domini 600. *Rex Æthelbertus fundauit Ecclesiam* (Cathedralem) *S. Andreæ Rofi.* Cuius Ecclesiæ recensentur ſubiunctim Priuilegia, à tempore prædicti Regis, &c. vſque ad pag. 31.

Weſtmonaſterienſe Cænobium regale, Petro, deinde Paulo dicatum, pag. 60. col. b. & reliquias dedit Apoſtolorum Petri, Pauli, Andreæ, Bartholomæi, Barnabæ, & aliorum plurimorum Sanctorum.

Item de Reliqq. lib. 3. 2. p.

Vellenſe Cænobium, cuius eſt Eccleſia Cathedralis, ſub S. Andreæ Apoſtoli nomine fundata, à Cyneuulpho Occidentalium Saxonum Rege, anno Dominicæ Incarnationis 766. ſicut patet ex eiuſdem fundationis Charta ipſius Cyneuulphi Regis, eodem anno data Indict. 12.

Cum conſenſu Epiſcoporum & Satraparum meorum Dei Apoſtolo atque Miniſtro Andreæ, humiliter adſcribendo, donabo, &c. *vt eo diligentiùs in Eccleſia S. Andreæ Apoſtoli Deo ſoli deſeruiant*, &c. pag. 186. col. B.

Athelingenſe Cænobium in agro Somerſetenſi. pag. 203. col. B.

Anno Domini 1241. *fuit aßiſa de aduocatione Eccleſiæ S. Andreæ, pro Abbate & Conuentu eiuſdem loci.* Perſoreoſis Abbatia.

Pag. 205. fit mentio Capellæ *S. Andreæ, quæ ſita eſt intra limites Cæmeterij Monachorum.* Et pag. 206. col. a. memoratur Parochia S. Andreæ de Perſore.

Item de Reliqq. lib. 3. 2. p.

Euonienſis Abbatia, pag. 226. ſub titulo, de Reliquiis ab Æthelſtano Rege collatis, col. a. initiò: *De S. Andreæ Apoſtoli baculo.*

Titulo, *de Eccleſia de Colum*, pag. 437. b. in Charta Henrici I. Regis fit mentio *Eccleſiæ S. Andreæ obnoxia Eccleſiæ Abindonenſi:* Et pag. 438. a. Adelelmus de Burgete per manum Abbatis in eodem loco, Deo & ſancto Andreæ obtulit, vt ibi poſt mortem ſepeliretur. Et infrà, vbi de *Alberico de Ver, ſancto Andreæ perpetuâ largitione contulit*, &c.

Ardenenſe Cænobium in agro Eboracenſi, pag. 500. col. b. *Et Eccleſia S. Andreæ de Ordene.*

In agro Beuonienſi, Cella Abbatiæ de Lonley in Gallia, pag. 577. col. a. Hugo de Nouilla conceſſit Monachis Eccleſiam ſancti Andreæ de Stokecurſy, cum tota terra quæ eidem Eccleſiæ pertinet, & cum tota decima Parochiæ.

Et Wilelmus de Curcy Dapifer domni Regis Angliæ concessit & suo scripto confirmauit *Ecclesiam S. Andreæ de Stokes*, & Monachis in eadem Ecclesia Deo seruientibus vnam hidam terræ.

Et Ioannes de Nouilla (col. b.) in puram & liberam & perpetuam eleemosynam, *Ecclesiam S. Andreæ de Suntistok*, &c.

Pag. 586. col. a. *Tyuuardreitensis Prioratus in terra Cornubiensi*, Cella Abbatiæ sanctorum Martyrum Sergij & Bachi prope Andegauiam, in Charta Regis Henrici III. Ecclesia sancti Andreæ de Tiuuardreith, quæ est subiecta Ecclesiæ S. Sergij Andegauiæ, omnes donationes quæ ei in Cornubia factæ sunt.

Pag. 592. in Charta Ranulphi Comitis Cestriæ fit mentio *Ecclesiæ S. Andreæ de Mentingis*.

Pag. 652. vbi *de Prioratu Pontisfracti Ordinis Cluniacensis*, col. a. censetur Capella S. Andreæ Apostoli iuxta Culcait cum eius pertinentiis.

Pag. 679. refertur fundatio *Prioratus S. Andreæ de Northamptonia Ordinis Cluniac.* facta à Wilelmo Notho filio Ducis Normaniæ: Qui Prioratus subiacet Monasterio sanctæ Mariæ de Charitate: In cuius augmentum variæ Carthæ referuntur, scilicet Simonis I. Comitis; Mathildis de Mundeuilla; Regis Stephani: Alia eiusdem Simonis Comitis I. Fundatoris. Insuper confirmatio Donationum per Hugonem Lincolniensem Episcopum; qua perplures Ecclesias recenset eidem Prioratui S. Andreæ de Northampton subiectas. Item Charta Regis Henrici I. confirmatoria.

Ex Archiuio Cathedralis Ecclesiæ Amalphitanæ.

HISTORIA TRANSLATIONIS BEATI ANDREÆ APOSTOLI, de Constantinopoli Amalphim,

Quam accepi ex Patrum Oratorij S. Andreæ de Vallicella Romæ liberalitate, officiosóque interuentu R. P. Hilarionis de Costa Ord. PP. Minimorum insignis Theologi, & Historiographi celeberrimi in Conuentu Parisiensi, ad Plateam regalem.

CREATOR *omnium Deus, qui fidelium votis semper assistit, piæ mentis desideria si in tempore differt, numquam tamen despicit, nec auertit lachrymas, quæ de corde puro procedunt: est enim adiutor in opportunitatibus, in tribulatione, &*

non derelinquit sperantes in se, vt enarrent mirabilia eius in conspectu filiorum hominum, & omnis lingua confiteatur magnalia Dei, quæ in Sanctis suis mirabiliter operatur. Inter alias Regni Siciliæ Ciuitates vrbs quædam nobilis, & famosa rutilabat, Amalphia, in maritima Principatus, quæ situ terræ fortis, & opima diuitiis fuerat; Gentes eius strenuæ, probitate vicinis vrbibus præpollebant: huius incolæ semitas maris assueti nauibus peragrare, ac de diuersis mundi prouinciis diuersarum rerum commercia mercatores egregij reportare, nomen eius, & famam, longè latéque velut vnguentum aromaticum effundentes, vrbem ipsam fecerunt, atque auxerunt in orbis facie gloriosam. Erat enim tunc populus idem Deo deuotus, mitis omnibus, ac beneuolus, studens ea vicinis impendere, quæ ab aliis sibi vellet exhiberi, nec aliis inferens, quæ sibi nollet inferri: Idcircò grata pacis tempora feliciter producebat, quin etiam populus ipse matrem suam maiorem Ecclesiam, sub B. Andreæ Apostoli vocabulo, cui se summa deuotione dicauerat, temporalium bonorum opibus, variisque ornamentis ditare nitebatur: Ad summum tamen gloriæ cumulum, semiplenum gaudium reputabat, eo quòd eiusdem Apostoli, cuius patrocinio fruebatur, reliquias non haberet velut indigni tanto munere viderentur. Sed Deus omnipotens, qui non tantùm opera attendit, sed & affectus discernit, æstuantis populi suspiria clementer aduertens thesaurum pretiosum à sæculis, & generationibus peroptatum opertum tempore suis deuotis contulit, vt eos, quos vndique cladis instantia vrgebat, Apostoli merita, præsentiáque corporalis tuerentur.

Regnante igitur Illustrissimo Federico Siciliæ Rege Federici Ænobarbi Imperatoris, & Constantiæ Gulielmi Siciliæ Regis filio, qui posteà fuit decimus-quartus Germanorum Imperator, ac feliciter sedente Innocentio huius nominis tertio Pontifice Maximo . . . . . qui tutelam eiusdem Federici, regnique procurabat: vir quidam venerabilis, & Deo dilectus, Petrus scilicet, sanctæ Romanæ Ecclesiæ tituli sancti Marcelli Presbyter Cardinalis, scientia, moribus, & honestate in Romana Ecclesia velut Lucifer inter astra nitebat. Hic autem de præfata ciuitate Amalphitana extitit oriundus, parentibus secundùm sæculi nobilitatem admodum nobilibus ac præclaris, quos ipse probitate mentis, bonísque actibus decorabat: Erat enim Deo acceptus, gratus hominibus, scientia insignis, ingenio strenuus, & facundus eloquio, semper eodem vultu, & eo-

dem animo mansuetus. Hoc enim tempore, cùm ex diuersis partibus Occidentis, Orthodoxæ fidei cultores ad recuperationem, subsidiúmque terræ sanctæ confluerent; præfatus Cardinalis pro Christi seruitio suscepto Legationis officio, à prædicto Innocentio in partes Orientis dirigitur, vt Dei populum contra hostes Christiani nominis dimicantes, diuini verbi pabulo confoueret, ac lucerna posita super candelabrum Ecclesiæ luceret gentibus vniuersis. Qui cùm præcessisset naualem exercitum, Christo præuio, feliciter in Syriam transfretauit, ipso namque tempore Alexius perempto fratre suo Isacio, qui totius Monarchiæ regebat habenas, fraternum vsurpauit imperium, sed nepos eius Alexius filius Isaaci, qui Alexij patrui fraudibus seruabatur perimendus, diuina voluntate mortis ereptus faucibus, solius Dei confisus auxilio, in Italiam transfugit.*

* aliter se res habet Orientis.

Igitur Gallorum Principes sagaces strenuíque, diuino protecti numine, cum copioso exercitu militum pedestriúmque contra hostes fidei Christianæ tendentes ad portum Venetum, multis cum triremibus, nauibúsque peruenerunt, quibus Veneti copias suas iungentes, diuinóque inspirati consilio, Alexij nepotem suis in nauibus ducentes in Græciam, multorum dierum spatio fretis sulcatis, tandem ad Constantinopolitanum portum ventis prosperis applicuerunt: vbi ex pietatis officio pro pupilli iure diebus multis cum Græcis confligentes, vrbem inexpugnabilem amplissimis vallatam mœnibus, & innumerabilis populi intra mœnia clausi plenam obsederunt, & tandem, operante Dei dextera, contritum est robur Græcorum, & vrbs ipsa octo & sexaginta diebus capta est. Tunc vnus persequebatur mille, & duo fugabant decem millia, quia manus Domini subdidit eos, & fidelium manibus tradidit illos, & data ciuitate in Latinorum prædam & direptionem, Isaaci filium Alexium in paternum reduxerunt palatium, ac Alexium patruum iugulauerunt.

Tunc Latini vrbem ipsam cum suis opibus, thesaurísque præcipuis obtinentes, vicinas etiam prouincias Latino subiugauerunt dominio. Tunc Græci vnctionem imperij amiserunt, & Balduinus genere Francorum, Flandrorum Comes, Latinorum primus eligitur, & creatur Imperator, & suscepit eiusdem Monarchiæ principatum. At subitò fama celebris omni velocior aura volat in Orientem, occasum vrbis inclytæ referens, miseræque gentis vix credenda mortalibus exterminia, excitans populos in stuporem, & gentes in admirationem conuertens,

mittuntúrque ab Imperatore nouo, ac Principibus & magnatibus, præfato Sedis Apostolicæ Legato, in Syriam Cursores vt accidentiam facti, & quomodo fauente Domino patratum fuerat, auribus Latinorum exponerent, petentes & obsecrantes personam suam ad vrbem accedere, eámque prædicatione sua firmari, & ad gloriam vniuersalis Ecclesiæ, fideique Orthodoxæ, Græcorum Ecclesiis ordinandis dispositionis, ac visitationis eius magisterio prouideri.

Præfatus itaque Cardinalis, qui Latinum in Syriam præstolabatur exercitum, pro quo Legationis sortem acceperat, audiens quod acciderat, & cognoscens ab eo factum, cui nihil impossibile est, eius fretus auxilio in Byzantinam ciuitatem properat, vt debitæ prædicationis officio saluti populi succurreret, Romanæque Ecclesiæ commodis consuleret: considerauit enim quanta sua præsentia cadenti populo Græcorum prouenirent vtilissima, si prædicatione sua Græcorum populos ad Christi veram fidem reduceret. Tandem per varia ductus pericula Constantinopolitanum portum prosperè tenuit, vbi ob Apostolicæ Sedis reuerentiam, satis honorificè ac reuerenter exceptus cum gloria totius Ecclesiastici ordinis, Imperatore cum Latinorum exercitu comitantibus in Patriarchalem Ecclesiam sanctæ Sophiæ solemniter ingressus est.

Hæc autem fuit immutatio dexteræ Excelsi, quæ voluit Græcorum Ecclesiam, per errorum deuia lapsam, ad veritatis Catholicæ documenta redire, vt vnus Pastor, Christi Vicarius, populo Latino, & Græco praeesset, & sub vno Rectore in Ecclesiæ arca, omnis caro saluaretur. Et quoniam diu multis retrò lapsis temporibus Sedis Apostolicæ Legatus, vrbem Constantinopolim non intrauerat, quasi nouum cernentes miraculum omnes populi, tribus, & linguæ nouis laudibus personantes, deuotè applaudentes manibus, prædictum Sedis Apostolicæ Legatum in Patriarchales thalamos induxerunt. Deinde cunctis prosperè dispositis, quæ enarrare longum esset, Legatus desiderio Patriæ, quo interim flagrabat, de gloriosissimo corpore sanctissimi Andreæ Apostoli, cœpit esse sollicitus, cogitans, suóque reuoluens in animo, qualiter ad eiusdem sanctissimi corporis notitiam perueniret. Erat enim Constantinopolitana ciuitas, plurimorum Sanctorum consecrata reliquiis, & Sanctorum munita corporibus, quorum præsidio primatum gloria inter omnia Regna meruit, numerositate populi dilatata, honoribus, & diuitiis ita cunctis gentibus præminebat, vt sua comparitione magnitudinis minor

qualibet alia putaretur. Tamen populi exigente malitia, qui se indignos Sanctorum meritis, & præsentia fecerant, quos ipsi inemendabiles facti suis operibus in iram prouocabant, elegerant Sancti relictis Græcorum sedibus, per diuersa loca mutari, vt à fidei cultoribus debitæ venerationis consequerentur effectum.

Verùm quia Dominus, qui dicit, Pulsate, & aperietur, quærite & inuenietis, *piæ voluntati non deerit; Præfatus Cardinalis vir Deo plenus, ad Ecclesiam sanctorum Apostolorum oraturus accessit; vbi per sacerdotes honestos, ac seniores Amalphitanæ Gentis illhic commorantes, qui loca bene nouerant, didicit sacratissimum corpus gloriosissimi Andreæ Apostoli, quod vigesimo Constantini Jmperatoris anno à Patras ciuitate Achaiæ prouinciæ in hanc vrbem Constantinopolitanam, vnà cum ossibus sanctorum Lucæ Euangelistæ, ac Timothei discipuli B. Pauli Apostoli septimo Idus Maij translatum fuerat, in ipsa Apostolorum Ecclesia reconditum fuisse. Tunc prædictus Cardinalis Legatus viso eiusdem Apostoli Andreæ sacratissimo corpore gratias Deo egit, quia quod quærebat inuenit, quod desiderabat iam tenuit, reperit, & vidit, sicut Domino placuit, thesaurum deuotè seruatum, reuerenter ostensum, super aurum, lapidémque pretiosum: quem quidem pretiosum thesaurum occultè inde auferens, cum aliis Sanctorum reliquiis, & sacris rebus, quas ab Jmperiali munificentia fuerat assequutus, in suo recondidit hospitio, in quo laudes Deo iugiter & Sanctis eius cum aromatibus, & sacrificiis opportunis soluebantur. Dehinc procedente tempore, consummatis omnibus fideliter ob gloriam vniuersalis Ecclesiæ Orthodoxæque fidei Christianæ, cuius ipse cultor, & procurator extiterat, ac seminibus vitæ æternæ fidelium erogatis, remeare disponens, comitante deuota fidelium turba, qui subiectionis, & deuotionis obsequio sequebantur, benedicens solenniter omnibus cum thesauris cælestibus, quos habebat, se in Jtaliam nauigaturus pelago committit.*

Sed vt virtus Dei demonstraretur in Sanctis suis, præfato Cardinali cum suis nauigantibus, pericula, multáque naufragia succedunt; mare fluctibus intumescit, densatur obscuris nubibus aër, ventorum agmina ruunt, rapidis procellis naues impelluntur, & in supremo discrimine positi, vt fit, Sanctorum auxilia precibus atque lamentis postulant. Adsunt Sanctorum patrocinia, desperatis naufragantibus diuina assistit virtus, & post diuersa pericula, fletus & lachrymas in gaudium commutarunt: nam interea mare placatum præbuit fauentia sydera, optatos ventos,

& cœli denique serenitatem, Sanctorum meritis, & intercessione obtinuerant. Deinde cunctis prosperis succedentibus felici remigio, & Sanctorum protectione rura pontica sulcant, & vir Dei compos voti effectus, postmodum transactis paucis diebus remeauit in Syriam, vbi peracto suæ Legationis fideliter ministerio, dispositione diuina commonitus, qui Sanctos suos ad loca destinata trahebat, ipsorum intercedentibus meritis Italiam repetit, ac per arctos Siciliæ sinus ad portum Caietanum applicuit. Vnde sacris omnibus secretè dimissis in patriam suam propriam, ad Romanam vrbem feliciter properauit. O mira Dei prouidentia, mirabilis & laudanda deuotio, qui secretum huius mysterij silentio clausit occulto, vt nulli quantumcumque familiari, vel subdito, Sacramenti reuelaret arcanum, quod eiusdem Apostoli consilio actum est, quoad vrbem sibi concessam à Domino, expeditior esset accessus.

Tandem celebrata Resurrectionis Dominicæ in Romana Curia, optatus venit in patriam suam, quæ continuis tunc bellorum pulsata procellis, Sanctorum patrociniis, ex eiusdem viri consilio salubriter indigebat; Vbi ad honorem, & gloriam eiusdem Apostoli, cuius adhuc latebat arcanum, & sub cuius titulo maior iam dedicata fuerat Ecclesia, eandem suis opibus breui tempore fabricauit, in cuius operis arte mirabili quæ multo decore coruscat, deuotionis eius insinuaret affectus.

Completo igitur opere, quia secretum Dei reuelare oportebat, vt tota Prouincia gauderet Apostolica præsentia illustrata, venerabili Archipræsuli Matthæo, qui tempore illo Ecclesiæ Amalphitanæ præsidebat, Ciuitati, Clero, & populo totius Prouinciæ sancti corporis patefecit arcanum: qui videntes thesaurum cælestem de Sanctorum generationibus optatum, laudes Deo referunt in communi, qui populum humilem visitauit in sua misericordia, & Andreæ Apostolo vrbem deuotam, præsidio ipsius Apostoli, præsentiáque vallauit contra hostes, qui tam durè, & crudeliter infestabant. Et quoniam disposuerat sacratissimum corpus, in præfata Ecclesia sollemniter collocare, conuocatis ad hoc totius Prouinciæ Prælatis Cleróque, & multitudine populi copiosa, ad eandem maiorem Ecclesiam hoc ordine peruentum est.

Anno Dominicæ Incarnationis millesimo ducentesimo octauo mensis Maij vndecimæ Indictionis, nocte verò præcedente, sanctum Corpus in loco celebri, vbi deuotè seruatum fuerat, cum vigiliis, psalmis, & canticis spiritualibus, cum cereis, diuersisque

sisque fumis aromatum ab omnibus venerabatur, vt nullus ciuium sibi crederet Apostoli merita profutura, qui non huiusmodi vigiliis interesset. Illucescente die splendet tota Ciuitas nouis coronata triumphis, diuersis respersa floribus, & variorum colorum vestita palliis, plaudit canora turba fidelium, vtriusque sexus innumerabilis multitudo cum cereis accensis sancto corpori precedunt. Præfatus verò Cardinalis cum Archiepiscopo, & Prouinciæ Episcopis nudis pedibus incedentes sanctum onus humeris suis imponunt, & præcedentibus Ecclesiasticæ Religionis viris Catholicis, Episcopis, Abbatibus, Monachis, & Clericis in iubilo concinentibus pro sequenti caterua populi exultantis deferunt ad Ecclesiam sui nominis consecratam; vbi clementer impetrato silentio, de pulpito eiusdem Ecclesiæ idem Cardinalis verba diuina fecit in populo: accendit multitudinem ad deuotionem Apostoli, vt eius corpus debitæ venerationis officio colerent, precibus frequentarent assiduis, complacarent operibus, & vitæ meritis honorarent, & aperta cassa argentea, in qua sancti corporis reliquiæ claudebantur, ossa cunctis cernentibus reuerenter ostendit, vt omnes scirent, & crederent quia visitauit Deus plebem suam per virtutem B. Andreæ Apostoli, qui sibi sedem in Amalphia elegerat: attollitur clamor populi, laudes Deo referunt, fundunt gaudio lacrymas, fletus lætitiæ commiscentes, tunduntur pectora palmis, & per vnius horæ spatium in laudes Apostoli voces & ora laxantur. Quinimo peracto reuerenter officio dies ille festiuus ducitur, & solemnis, & per totius octauæ circulum resonat Ecclesia laudibus, vigiliis, & Letaniis ad honorem Dei, & B. Andreæ Apostoli, cuius merita gloriosa præcipuis effulsere miraculis, quibus inuitati fideles vrbium vicinarum eiusdem Apostoli limina votis, & ordinibus frequentant assiduis benedicentes Dominum, qui populum humilem sancti corporis patrocinio, & præsentia corporali communiuit per famulum suum virum Catholicum omni memoria dignum, qui bono Patriæ benignè consulens domum pauperum in eadem ciuitate construere fecit, sub vocabulo & nominatione sanctæ Mariæ Virginis de Hospitali voluit denominari, & eam sub cura, & administratione Religionis Ordinis fratrum Cruciferorum, cuius ipse Cardinalis Protector fuerat, supposuit, & ipsam domum hospitalis, in qua languentes, ac debiles temporalium rerum solatio destituti, misericorditer alerentur, & salutiferis fluerent auxiliis, quam vtique domum prædiis, ac possessionibus dilatatam pauperum Christi perpetuis

mancipauit obsequiis, sperans sibi salubriter profuturum in cœlis, quod charitatis opera seminaret in terris. Itaque pietatis spiritu Christum gerebat in pectore quod Marthæ procurante ministerio temporalia egenis ministrabat, & Mariæ contemplantis officio secus pedes Domini cælestia fidelibus erogabat, exterioríſque hominis vitam corporalis panis edulio sustentabat, & interioris salutem sacræ Scripturæ panibus, quos eisdem tractatibus frangebat aſsiduis, & spiritualiter procurabat.

Et quia non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei post beneficium pauperum cælitus inspiratum, vt in vtroque homine populus eius aleretur & cresceret, ac sapientiæ proficeret institutis, scholas Artium in ciuitate sua constituit & ad opus magistri qui studio semper intenderet redditus instituit opportunos, vt quærentes doctrinæ pabula gratis inueniant & sine argento emant gloriosa commercia disciplinæ, quam ordinationem suam successiuis mansuram temporibus sanæ voluntatis consilio, scriptis authenticè firmauit, ac summi Pontificis confirmatione muniuit, vt discendi commoditas studere volentibus semper adesset, & simul in vnum diues, & pauper huius beneficio gratiæ fruerentur; sed cùm charitas semel accensa suis proficit incrementis & rediuiuo virtutum germine fecundatur ad honorem omnipotentis Dei & Beati Petri Apostoli Andreæ germani, & in paſsione socij, cuius ipse Cardinalis nomine censebatur, Canonicam in parte Occidentali circa mœnia Ciuitatis construxit, in qua siquidem Canonici sub Regulari Cisterciensis vita & ordine Domino famulantes salutem suam perpetuis obsequiis, & orationum suffragiis promouerent. Vbi structura mirabilis artificij ingenio præcellit, quia materiam superauit opus omni specie decoratum, vt dignè cum Psalmista dicere poſsis, Domine dilexi decorem domus tuæ, & locum tabernaculi gloriæ tuæ. Hanc autem domum dotauit poſseſsionibus, dilatauit prædiis, & beneficiis congruis ampliauit, vt militantes in ea Domino laborum suorum stipendia perpetuò consequi poſsent. Considerauit enim prudentis viri solertia, quòd ciuitas ab Oriente, & Occidente munita montibus arduis, & castellis bella despiceret, nec hostium formidaret incursus, vt ex omni parte securitatis potiretur auxilio ab Aquilone, & mari ciuitatem ipsam vtriusquè domus obstaculo præmuniuit: nam ex parte maris canonico surgente celsiùs ædificio clauditur, & continua cura custodia hostium prohibetur acceſſus. Ab Aquilone

Hospitalis fabricam muris, & turribus ciuitas defensat, & malorum præcauent insidia, vt populus eius ex omni parte securus periculorum discrimina nulla timeret, ac tutioris vitæ consilio saluaretur. Attendens etiam quòd hyemali tempore flantibus Austris à pelago, quibus ciuitas est exposita naues impulsa scopulis frangerentur, vbi hominum ac rerum discrimina frequenter acciderant, diuino confisus auxilio in vrbis faciem, vbi terra modica simul marinis fluctibus imperabat sub præfata Canonica elegit & disposuit portum facere, in quo euadentes pelagi pericula saluarentur: cui beneficio multis collatis opibus, quia arduum opus multas opes & temporis prolixitatem exigebat, statutis præfectis idoneis cum ciuitatis consilio, qui continuis operibus superessent, ipse Cardinalis ad Romanam Curiam lætus accessit. Elegit enim ordinata charitate propinquorum indigentiam releuare, & ciuium obuiare periculis, vt vbi maior erat necessitas, maior adesset & gratia, ac futura discrimina paternæ pietatis curarentur auxilio, in quo virtus operabat Apostoli, vt qui per famulum suum remotis gentibus innotuerat, per eum sui corporis habitaculum dilataret, & ciuitatem suam temporalium erigeret incrementis, & populum eius portus præsidio tutaretur. Pensandum itaque, dilectissimi, est quantum nobis contulit Christi pietas, quantum nobis Apostoli, cuius visitatione securi, eiúsque meritis incolumes; cuius præsentia fortes hostium vires repellimus, imminentia pericula propulsamus. Compleuit Deus in filiis patrum desideria: qui voluerunt videre quæ nos videmus, & non viderunt, & audire quæ audiuimus, & non audierunt: Miracula quotidie videmus Apostoli virtute patrata; dum languentibus salutem, tristibus gaudia, oppressis impetrat auxilia, laudes personantes audimus iugiter in Ecclesia, in qua diuersarum gentium linguis ipsius Apostoli præconia gloriosa narrantur. Hospes noster est, si aures, & corda nostra suis prædicationibus reseramus: Medicus noster est, si mores nostros & vitia suis consiliis corrigimus: Patronus noster est, si doctrinæ suæ monitis efficaciter intendimus; obseruemus hospitem, honoremus medicum, veneremur patronum, frustra namque patrocinium eius precibus inuocamus, si ab eo dissentiamus moribus, si recedamus operibus, qui non flectitur vocibus, sed vitæ rectitudine, & bonis operibus complacatur; faciamus nos habitaculum eius acceptum, in quo cùm inuocatus fuerit exaudiet, in tribulatione subueniet, in aduersitatibus adiuuet, in periculis & semper assistat, humiliemus ei animas nostras in

munditia operum, & contritione pœnitentiæ, vt eius muniti custodia transeamus tempora læta ad laudem, & gloriam Domini nostri Iesu Christi. Verùm quia sancti corporis reliquiæ multis coruscant miraculis, ad fidelium corroborationem vnum tantùm, quod eodem die quo corpus sanctissimum in Ecclesiam afferebatur, demonstratum fuit, referam; quia si cuncta velim perpetrata miracula ab eadem die vsque in hanc diem referre, faciliùs me tempus, quàm copia desereret. eo namque prædicto quo corpus sanctissimum allatum est in Ecclesiam, in qua, vt dictum est, innumerabilis totius Prouinciæ conuenerat multitudo, dum pueri currerent ad fenestras & speculantes contemplari cuperent Sacramenta quæ solemniter agebantur, contigit infantem quemdam de loco magnæ altitudinis in pauimentum Ecclesiæ cadere; concurrentibus ergo multis factum est murmur in populo, & dum qui ceciderat mortuum putarent, surrexit incolumis sine dolore, nullúmque læsionis habens signum: Nulli dubium est quia Apostoli virtus operata sit mirabiliter; ne lætitiam tantæ festiuitatis perturbaret, aut lætitiam suæ translationis præsentia sui corporis in lamentum verteret; cuíque contemplatione miraculi deuotio populi magis in Apostoli venerationem ita accenditur, vt in diebus eiusdem solemnitatis nocturnis laudibus, & vigiliis interessent; quæ in eius Ecclesia solemniter agebantur: quot enim per eiusdem Apostoli intercessionem saluantur? liquet ex deuotione fidelium, qui votis, & oblationibus eius Ecclesiam visitant magnificantes Deum, & virtutem sancti corporis, cuius merita gloriosa coruscant ad laudem, gloriam & honorem omnipotentis Dei, qui cum Patre, & Spiritu sancto, perenniter viuit & regnat per infinita sæcula sæculorum. Amen.

FINIS.

INDEX

ANALECTA.

§. I.

Ad librum III. *de reliquiis S. Andreæ Apostoli.*

Ex Flodoardo Presbytero & Canonico, historiæ Ecclesiæ Remensis lib. 4. c. 46. Vbi de Monasterio Puellarum agit sancti Petri Remensis.

HIC *haberi asseritur dens S. Andreæ Apostoli : cuius beneficia multi, qui eum osculari promerentur, frequenter experiuntur infirmi.* Ita ille.

Ad librum VI. *de Ecclesiarum inferiorum Titulis B. Andreæ Apostolo consecratis.*

§. II.

GRATIANOPOLI in Delphinatu est Ecclesia nobilis sancti Andreæ, pinnaculo mirabili conspicua, quæ primaria est immediatè post Episcopalem. *Quercetanus lib. Antiqq. Vrbium & castrorum insignium Galliæ p.* 832.

§. III.

ENGOLISMÆ est in vrbe Ecclesia Collegiata, titulo insignis S. Andreæ Apost. *Ex eodem ibid. sub nom. Engolisma. p.* 588.

§. IV.

CASTRODVNI Carnotensis diœcesis sunt pleræque Ecclesiæ fundationis antiquitate spectabiles, in quibus nonnihil eminet Ecclesia S. Andreæ Apostoli, Collegio Canonicorum insignis. *Ex eodem ibid. tit. de Castrodunensi Comitatu. p.* 270.

§. V.

ROTOMAGI est Ecclesia Parœcialis S. Andreæ, & alia ædicula eiusdem tituli, extra portam Cadomensem. *Ex eodem ibid. p.* 970. *&* 971.

§. VI.

IN agro Vastiniensi Senonensis diœcesis, prope Castrum Nantonis, visitur Monasteriolum seu Prioratus conuentualis S. Andreæ, membrum ab illustri cœnobio Ferrariarum dependens, Ordinis S. Benedicti : ad cuius Priorem & Monachos Innocentius IV. Papa super immunitate à quodam onere, rescribit, beneficis tabulis datis Lugduni, sui Pontif. ann. 4. Quas seriatim refert *D. Guill. Morinus Benedict. Monachus in Ferrar. asceterio professus lib. histor. generalis, quam scripsit, pag.* 371. *&* 372. *sub titulo Castri Nantonis.*

§. VII.

* seu Abbatis villam

APVD* Abbauillam in Ambianis, est non postremi loci, Paroecialis Ecclesia, patrocinio S. Andreæ Apostoli insignita antiquæ fundationis. Item Bellouaci.

§. VIII.

GIRARDVS de Russione (aliàs *de Roussillon*) Comes de Meloduno, qui magnas possessiones in Byrgundia, Aruernia & Aquitania habuit tempore Caroli Calui Imp. & Regis Franciæ: duodecim Abbatias fundauit variis in locis Galliarum, in honorem XII. Apost. quibus insigni deuotione addictus erat. In his non esse non potuit propria S. Andreæ Apostoli, qui in Apostolico Senatu Petro germano suo proximus considet: Paulô tamen qui intermedius factus est, inter fratres duos interposito. *Vide Sebast. Rouïllard in historia Melodunensi pag.* 213.

§. IX.

In Vceticensi Præsulatu, est vetus Monasterium S. Andreæ Villænouæ. *Claud. Rob. Gallia Christiana p.* 505.

Ad librum IX. *Sacrorum Poëtarum Epinicia, & Psalmos Ecclesiasticos complectentem.*

§. I.

Ex Breuiario antiquo Rhemensi.

GAVDE *sacrata meritis*
Andreæ tellus inclyti
Festa reuoluens annua
Qui petiit cælestia.
Ortus Israëlitica
De gente, legi subdita,
Qua Patriarchæ splendidi
Fulserunt & Prophetici.
Germanus & Clauigeri
Aulæ cœlestis extitit,
Carnali tam propagine
Quàm passionis genere.
Patras hic sanè oppido
Diuo degens suffragio:
Vrbem sanauit languidam
Salutem ferens profluam.
Denos quater exanimes
Eiectos maris fluctibus
Ereptos mortis faucibus
Vitæ donauit vsibus.
Ægea sub Proconsule
Furente contra Dominum,
Crucis ferens suspendium
Reddidit cœlo spiritum.
Laus, honor, virtus, gloria &c.

§ II.

Alter Hymnus ex veteri Breuiario Abrincensi.

MAGNIFICETVR *artifex,*
Lætetur mundi machina,
Rerum laudetur opifex,
Cælorum plaudant agmina.
Simonis Petri socius,
Nec impar in supplicio,
Nec crucis Christi nescius,
Viuens pependit biduò.

Pro cuius pendens nomine
Palam docebat populum,
Eiúsque fultus numine
Sic orabat ad Dominum.
Pie præceptor optime,
Tempus est vt te videam:
Rex Iesu clementissime,
Fac mox vt ad te veniam.
Tuis Andrea precibus
A peccatorum maculis,
Purgemur ac erroribus
Cæli fruamur gaudiis.
Vt cùm dies iudicij
Mundo finem præscripserit,
Securæ mentis conscij,
Stemus cùm iudex venerit.

§. III.

Alter Hymnus, seu Prosa rythmica. Ex eodem.

MITISSIMIS *præcellens moribus,*
Gratissimis fragrans odoribus,
Per te fusis ad cælum precibus,
Exime nos à culpis omnibus,
O Andrea.
Odorata mox Christum percipis,
Inque domum eius te recipis;
A quo verbum, cibúmq; suscipis;
Duc nos tecum in domũ Principis,
O Andrea.
Nunc lætaris cum rege gloriæ
Qui te lactat vbere gratiæ,
Attrahe nos ad portum veniæ
Ab hac sorde lacûs miseriæ,
O Andrea.
Viuis, vales, regnas, & imperas
Incolísque sedes iam superas,
Incedentes per vias asperas
Dirige nos, nec vnquam deseras,
O Andrea.
Patri summo laudis æternitas,
Christo Deo compar diuinitas,
Flaminíque æqua fœlicitas,
Quò nos vehat tua benignitas;
O Andrea.
Amen.

§. IV.

Prosa ex Missali antiquo, & recentiori Parisiensis Ecclesiæ.
Auctore Adam à S. Victore.

EXVLTEMVS *& lætemur,*
Et Andreæ delectemur
Laudibus Apostoli.
Huius fides, dogma, mores;
Et pro Christo tot labores
Dignè debent recoli.
Hic ad lucem Petrum duxit,
Cui primùm lux illuxit
Ioannis indiciô.
Secus mare Galileæ,
Petri simul & Andreæ
Facta est electio.
Ambo priùs piscatores,
Verbi fiunt assertores,
Et forma iustitiæ.
Rete laxant in capturam,
Vigilémque gerunt curam
Nascentis Ecclesiæ.
A fratre diuiditur,
Et in partes mittitur
Andreas Achaiæ.
In Andreæ retia
Currit Dei gratiâ
Magna pars prouinciæ.

Fide, vitâ, verbo, signis
Doctor pius & insignis
Cor informat populi.
Vt Ægeas comperit,
Quid Andreas egerit,
Iræ surgunt stimuli.
Mens secura, mens virilis,
Cui præsens vita vilis
Viget patientia.
Blandimentis aut tormentis
Non eneruat robur mentis
Iudicis insania.
Crucem videns præparari,
Suo gestit conformari
Magistro discipulus.
Mors pro morte soluitur,
Et crucis appetitur
Triumphalis titulus.
In cruce vixit biduum
Victurus in perpetuum:
Nec vult volente populo
Deponi de patibulo.
Horâ ferè dimidiâ
Luce perfusus nimia:
Cum luce, cum lætitia
Pergit ad lucis atria.
O Andrea gloriose,
Cuius preces pretiosæ,
Cuius mortis luminosa
Dulcis est memoria.
Ab hac valle lacrymarum,
Nos ad illud lumen clarum,
Pie Pastor animarum,
Tuâ transfer gratiâ.
Amen.

EPISTOLA

EPISTOLA
PRESBYTERORVM ET DIACONORVM ACHAIÆ,
DE PASSIONE S. ANDREÆ APOSTOLI, AD VNIVERSAS ECCLESIAS:

Tam patenter asserta, quàm accuratè vindicata, aduersus varias Nouatorum argutationes;

Quas congessit & auxit Edmundus Aubertinus, sectæ Caluinianæ Minister, in libro, Geneuæ anno 1633. Gallicè edito, cui titulus est, *Eucharistia veteris Ecclesiæ.*

PASSIO S. ANDREÆ APOSTOLI,

PER PRESBYTEROS ET DIACONOS ECCLESIARVM ACHAIÆ SCRIPTA.

Habetur apud Aloysium, & Surium.

ASSIONEM *ſancti Apoſtoli Andreæ, quam oculis noſtris vidimus omnes Preſbyteri & Diacones Eccleſiarum Achaiæ, ſcribimus vniuerſis Eccleſiis, quæ ſunt in Oriente, & Occidente, & Meridiano, & Septentrione in Chriſti nomine conſtitutis. Pax vobis, & vniuerſis, qui credunt vnum Deum in Trinitate perfectum, verum Patrem ingenitum, verum Filium vnigenitum, verum Spiritum ſanctum procedentem* ex Patre, in Filio permanentem: vt oſtendatur vnus Spiritus eſſe in Patre & Filio: & hoc eſſe vnigenitum Filium, quod eſt, & ille qui genuit. Hanc fidem didicimus à S.* ANDREA *Apoſtolo Domini noſtri Ieſu Chriſti: cuius paßionem, quam coràm poſiti vidimus, prout poſſumus, explicamus.*

* Græciſmus obrepſit, cùm ſic in antiquis MSS. exemplaribus haberi neget Bar. die 30. Nouemb.

Proconſul itaque Ægeas, Patras ciuitatem ingreſſus, cœpit compellere credentes Chriſto ad ſacrificia idolorum. Cui occurrens S. Andreas, dixit: Oportebat vt tu, qui iudex eſſe hominum comprobaris, iudicem tuum, qui eſt in cælo cognoſceres, & agnitum coleres, & colendo eum, qui verus Deus eſt, ab his, qui veri dij non ſunt, animum reuocares. Cui Ægeas dixit; Tu es Andreas, qui deſtruis templa deorum, & ſuades hominibus ſuperſtitioſam illam ſectam, quam nuper dete-

ctam Romani Principes exterminari iusserunt? Andreas dixit: Romani Principes nondum cognouerunt hoc, quòd pro salute hominum veniens Dei filius, docuerit ista idola non solùm deos non esse, sed esse dæmonia pessima & inimica humano generi: quæ hoc docent homines, vnde offendatur Deus, vt dum offensus fuerit, auertatur, & non exaudiat: & cùm auersus fuerit, & non exaudierit, habeantur à diabolo ipsi captiui, & tandiu eos deludat, quandiu de corpore exeant rei & nudi, nihil secum præter peccata portantes.

Ægeas dixit: Ista superstitiosa & vana verba Iesus vester dum prædicaret, Iudæi illum crucis patibulo affixerunt. Andreas respondit: O si velles scire mysterium crucis, quàm rationabili charitate auctor humani generis pro restauratione nostra hoc crucis patibulum non inuitus, sed spontè suscepit! Ægeas dixit: Cùm traditus asseratur à suo discipulo, & à Iudæis tentus, & Præsidi adductus, & ad petitionem Iudæorum à militibus Præsidis crucifixus: quomodo tu dicis eum spontaneum crucis subiisse patibulum? Andreas respondit: Ideo ego dico spontaneum, quoniam simul cum ipso fui, cùm à suo discipulo
Luc. 18. *traderetur; dixit nobis quòd tradendus esset, & crucifigendus pro salute hominum: & die tertia resurrecturum se esse prædixit. Cui cùm frater meus Petrus diceret: Propitius esto tibi Domine, non fiat istud: indignatus, sic ait Petro: Vade retro Satana, quia non sapis ea, quæ sunt Dei. Et vt pleniùs nos instrueret, quomodo spontè passionem susciperet, dicebat nobis:*
Matth. 16. *Potestatem habeo ponendi animam meam, & potestatem habeo*
Ioan. 10. *iterum sumendi eam. Ad vltimum dum cœnaret nobiscum, & diceret: vnus vestrùm me traditurus est, & ad istam vocem omnes contristaremur: ne suspensos cogitatio trucidaret, ait: Cui dedero panis fragmentum de manu mea, ipse est. Et cùm dedisset vni ex condiscipulis nostris, & futura quasi iam præterita narraret, docuit se voluntate fuisse traditum, cùm nec traditorem fugiendo deseruit, & in loco, quò illum sciebat venturum esse, permansit.*

Ægeas dixit: Miror te prudentem virum, istum velle sectari, quem quoquo pacto, aut spontè, aut inuitum, cruci tamen confiteris affixum. Andreas respondit: Hoc est, quod etiam me dixisse iam retines. Magnum est mysterium crucis. Quòd si fortè volueris audire, retexam. Ægeas dixit: Mysterium non potest dici, sed supplicium. Andreas dixit: Ipsum supplicium, mysterium restaurationis humanæ, si patienter audias, comprobabis. Ægeas dixit:

Ego quidem patienter te audiam: sed tu si me obtemperanter non audieris, ipsum crucis mysterium in teipso excipies. Andreas respondit: Ego si crucis patibulum expauescerem, crucis gloriam non prædicarem. Ægeas dixit: Insanus sermo tuus prædicat gloriam supplicij, qui per audaciam, pœnam non times mortis. Andreas respondit: Non per audaciam, sed per fidem, pœnam non timeo mortis. Mors enim iustorum, pretiosa est: Psal. 115. *mors vero peccatorum, pessima. Et ideo audire te volo crucis* Psal. 33. *mysterium, vt agnitum forsitan credas, & credens ad restaurationem tuæ animæ quoque pertingas. Ægeas dixit: Restauratur hoc, quod perisse docetur. Nunquid anima mea periit, vt ad eius me restaurationem venire per fidem nescio quam, tu asseras?*

Andreas respondit: Hoc est, quod te discere desiderabam, vt dum perditas animas hominum docuero, istam restaurationem earum per crucis mysterium pandam. Primus enim homo per lignum præuaricationis mortem induxit, & necessarium hoc erat generi humano, vt per lignum passionis, mors, quæ ingressa fuerat, pelleretur. Genes. 3. *Et quomodo de immaculata terra factus fuerat homo primus, qui per lignum præuaricationis, mundo mortem intulerat: necessarium fuit, vt de immaculata Virgine natus Christus, perfectus homo, qui est Dei Filius, qui primum hominem fecerat, vitam æternam, quam perdiderant omnes, repararet; ac de ligno crucis lignum concupiscentiæ excluderet, panderet in cruce immaculatas manus, pro manibus incontinenter extensis: pro suaui cibo arboris vetitæ, escam fellis acciperet; & in se suscipiens mortalitatem nostram, suam nobis immortalitatem offerret.*

Ægeas dixit: Ista verba illis narrare debes, qui tibi credunt: mihi autem nisi hoc consentias, vt sacrificium diis omnipotentibus offeras, in ipsa cruce, quam laudas, te fustigatum affigi præcipiam. Andreas respondit: Omnipotenti Deo, qui vnus & verus est, ego omni die sacrifico, non thuris fumum, nec taurorum mugientium carnes, nec hircorum sanguinem; sed immaculatum agnum quotidie in altari crucis sacrifico, cuius carnes, posteaquam omnis populus credentium manducauerit, & eius sanguinem biberit: agnus, qui sacrificatus est, integer perseuerat & viuus; & cùm verè sacrificatus sit, & verè carnes eius manducatæ sint à populo, & verè sanguis eius sit haustus: tamen (vt dixi) integer perma-

net, & immaculatus, & viuus. Ægeas dixit: Quomodo potest hoc fieri? Andreas respondit: Si vis discere, quomodo hoc potest fieri, assume formam discipuli, vt poßis doceri, quod quæris. Ægeas dixit: Ego à te tormentis exigam huius rei notitiam. Andreas dixit: Miror te hominem prudentem, tam stultè locutum. Ergo tu tormentis putas me diuina tibi pandere sacrificia? Audisti mysterium crucis, audisti mysterium sacrificij. Si credideris Christum filium Dei, qui crucifixus est à Iudæis, verum Deum esse, pangam tibi quo ordine occisus viuat agnus: qui cùm sacrificatus fuerit, & comestus, integer tamen & immaculatus in suo regno permanet. Ægeas dixit: Cùm sit occisus, & ab omni populo (vt asseris) deuoratus, quomodo integer perseuerat, & viuus? Andreas respondit: Si credideris ex toto corde tuo, discere poteris; si non credideris, penitus nunquam tu ad indaginem huius veritatis attinges.

Tunc iratus Ægeas, iußit eum in carcerem retrudi. Vbi cùm esset clausus, venit ad eum multitudo pæne totius prouinciæ, ita vt Ægeam vellent occidere, & Andream Apostolum, fractis ianuis carceris liberare. Quos sanctus Andreas his verbis admonuit: Nolite quietem Domini nostri Jesu Christi, in seditionem diabolicam excitare. Nam traditus Dominus omnem patientiam præbuit: non contendit, neque clamauit, nec in plateis aliquis eum clamantem audiuit. Habete ergo silentium, quietem & pacem: & non solùm meum martyrium nolite impedire: verùm etiam vos ipsos quasi athletas Domini præparate; vt vincatis minas intrepido animo, plagas autem per tolerantiam corporis superetis. Si enim terror timendus est, ille est vtique timendus, qui finem non habet: nam humanus timor fumo similis est, & subitò cùm excitatus fuerit, euanescit. Et si dolores timendi sunt, illi sunt formidandi, qui sic incipiunt, vt nunquam finiantur. Isti enim dolores aut leues sunt, & tolerantur: aut graues sunt, & citò animam eiiciunt. Illi autem dolores æterni sunt, vbi est quotidianus fletus, & mugitus, & luctus, & sine fine cruciatus, ad quem Proconsul Ægeas ire non timet. Estote ergo magis parati ad hoc, vt per tribulationes temporales ad æterna gaudia pertingatis: vbi semper lætemini, semper floreatis, sempérque cum Christo regnetis.

Hæc, & his similia sancto Andrea Apostolo per totam noctem populum admonente, diem lux diei, in matutino prorum-

peret, misit Ægeas, & adduxit ad se sanctum Andream, ac sedens pro tribunali, dixit: Existimaui te nocturna cogitatione reuocare animum tuum à stultitia, & à Christi tui laude cessare, vt posses nobiscum non amittere gaudia vitæ. Stultum est enim, vltro velle ad passionem crucis ire, & ignibus ac flammis teipsum pessimis destinare. Andreas respondit: Gaudia tecum habere potero, si credens Christo, dimittas culturas idolorum. Christus enim me misit ad istam Prouinciam, in qua non paruum populum ei acquisiui. Ægeas dixit: Ideo te sacrificare compello, vt isti, qui per te decepti sunt populi, relinquant vanitatem tuæ doctrinæ, & ipsi diis offerant grata libamina. Nulla enim remansit in Achaia ciuitas, in qua templa deorum derelicta non sint, & deserta. Nunc ergo per te restauretur cultura deorum, vt & dij, qui contra te irati sunt, placari possint, & in nostra possis amicitia permanere. Sin aliàs, diuersa pro defensione deorum, patieris supplicia, & post omnia crucis, quam laudâsti, patibulo suspensus deficies. Andreas respondit: Audi fili mortis, & stipula æternis parata incendiis, audi me seruum Domini, & Apostolum Iesu Christi. Nunc vsque mitiùs tecum egi censurâ fidei, vt rationis capax, & veritatis defensor effectus, idola vana contemneres, & Deum, qui in cælis est, adorares. Sed quia in impudentia tua perdurans, me putas minas tuas posse formidare, quidquid tibi videtur in suppliciis maius, excogita. Tanto enim meo Regi ero acceptior, quanto pro eius nomine fuero permanens in tormentis confessor.

Tunc Ægeas iussit eum flagellis cædi extensum. Qui cùm septem terniones transisset, eleuatus est, atque adductus ante eum. Cui Ægeas dixit: Audi me Andrea, & ab effusione sanguinis consilium reuoca. Quod si non feceris, crucis te faciam interire patibulo. Andreas dixit: Ego crucis Christi seruus sum, & crucis trophæum optare potiùs debeo, quàm timere. Tibi autem cruciatus æternus qui debetur, poteris euadere, si postquam probaueris perseuerantiam meam, vel sic credideris Christo. Ego enim de tuo interitu timeo: non de mea passione conturbor. Passio enim mea, aut vnius diei spatium occupat, aut duorum vt multùm: tuus autem cruciatus nec per millia annorum, potest peruenire ad finem. Vnde desine iam miserias tuas augmentare, & ignem ipse tu tibi æternum accendere noli. Tunc indignatus Ægeas, cruci eum affigi præcepit, mandans hoc quæstionariis, vt ligatis pedibus & mani-

bus, quaſi in equuleo tenderetur, ne clauis affixus, citò deficeret, ſed cruciaretur potiùs longo cruciatu. Cúmque eum carnifices ducerent, vt crucifigeretur, concurſus factus eſt populorum, clamantium ac dicentium: Iuſtus homo & amicus Dei, quid fecit vt ducatur ad crucem? Andreas verò rogabat populum, vt non impedirent paßionem eius: gaudens enim, & exultans ibat, & à doctrina non ceſſans. Cúmque perueniſſet ad locum, vbi crux parata erat, videns eam a longè, exclamauit voce magna, dicens: Salue crux, quæ in corpore Chriſti dedicata es, & ex membrorum eius margaritis ornata. Antequam te aſcenderet Dominus, timorem terrenum habuiſti, modò verò amorem cæleſtem obtinens, pro voto ſuſciperis. Sciris enim credentibus, quanta intra te gaudia habeas, quanta munera præparata. Securus ergo & gaudens venio ad te, ita vt & tu exultans ſuſcipias me diſcipulum eius, qui pependit in te: quia amator tuus ſemper fui, & deſideraui amplecti te. O bona crux, quæ decorem & pulchritudinem de membris Domini ſuſcepiſti, diu deſiderata, ſolicitè amata, ſine intermißione quæſita, & aliquando iam concupiſcenti animo præparata: accipe me ab hominibus, & redde me magiſtro meo, vt per te me recipiat, qui per te redemit me. Et hæc dicens expoliauit ſe, & veſtimenta ſua tradidit carnificibus. Qui accedentes, leuauerunt eum in crucem, & extendentes funibus totum corpus eius (ſicut eis iuſſum fuerat) ſuſpenderunt. Adſtantes verò erant turbæ ad viginti millia hominum, inter quos erat frater Ægeæ, nomine Stratocles, qui ſimul clamabat cum populo, iniuſto iudicio ſanctum virum hoc pati. Sanctus verò Andreas confortabat mentes credentium Chriſto, & hortabatur ad tolerantiam temporalem, docens nihil eſſe dignum paßionis ad æternam remunerationis compenſationem.

Interea vadit omnis populus cum clamore ad domum Ægeæ, & omnes pariter clamantes, dicebant: virum ſanctum, pudicum, ornatum moribus, bonum doctorem, pium, modeſtum, rationabilem, non hoc debere pati, ſed debere deponi de cruce: quia iam ſecunda die in cruce poſitus, veritatem prædicare non ceſſat. Tunc Ægeas paueſcens populum, & promittens ſe eum deponere, ſimul cœpit ire. Quem videns ſanctus Andreas dixit: Quid tu ad nos, Ægea, veniſti? Si vis credere Chriſto, ſicut promiſi, aperietur tibi via indulgentiæ. Si autem veniſti ad hoc tantùm, vt me ſoluas, ego penitùs hinc de iſta cruce, viuens in corpore deponi non potero. Iam enim Regem meum

vi-

video, iam adoro, iam conspectui eius consisto. Sed de tuis miseriis doleo; quia paratus te expectat æternus interitus. Curre pro te miser, dum adhuc potes, ne tunc incipias velle, cùm non poteris. Mittentes autem manus ad crucem carnifices, non poterant penitùs contingere eum. Et subinde alij & alij ingerentes se vt soluerent eum, & nullus poterat pertingere ad eum. Stupebant enim brachia eorum, quicunque se extendisset ad soluendum eum.

Tunc voce magna sanctus Andreas dixit: Ne permittas, Domine Iesu Christe, me famulum tuum, qui propter nomen tuum pendeo in cruce, solui: nec permittas eum, qui iam per crucem tuam, cognouit magnitudinem tuam, ab Ægea homine corruptibili humiliari: sed suscipe me tu, Magister meus Christe, quem dilexi, quem cognoui, quem confiteor, quem cernere desidero, in quo sum quod sum. Suscipe Domine Iesu Christe, spiritum meum in pace: quia iam tempus est vt veniam desiderans te videre. Suscipe me Domine Iesu Christe, Magister bone, & iube me de ista cruce non deponi, nisi priùs spiritum meum susceperis. Et cùm hæc dixisset, videntibus cunctis, splendor nimius, sicut fulgur de cælo veniens, ita circumdedit eum, vt penitùs præ ipso splendore oculi eum humani non possent aspicere. Cúmque permansisset splendor ferè dimidiæ horæ spatio, abscedente lumine, emisit spiritum, simul cum ipso lumine pergens ad Dominum, cui est honor & gloria in sæcula sæculorum. Amen.

Quædam verò fœmina, nomine Maximilla, Senatrix, in specu posita, diligens pudicitiam & sanctitatem, statim vt cognouit Apostolum perrexisse ad Dominum, accessit ad crucem, & suorum solatio, cum omni reuerentia deposuit corpus, & condiuit aromatibus, & in loco, quo se constituerat sepeliendam, illic eum sepeliuit. Ægeas verò iratus contra populum, disponebat contestationem publicam facere, & ad Cæsarem accusationem contra Maximillam & populum destinare. Sed dum ordinat, in conspectu officij sui, à diabolo arreptus est, & in medio foris ciuitatis volutatus expirauit. Nunciatum est fratri eius, cui nomen erat Stratocles, & misit seruos suos, dixítque eis, vt inter Biothanatos sepelirent eum: ipse autem de facultatibus eius nihil quæsiuit, dicens: Non mihi permittat Dominus meus Iesus Christus, cui credidi: vt ego de bonis fratris mei aliquid contingam, ne polluat me crimen

eius, quia Apostolum Domini ausus fuit, pro amore pecuniæ occidere.

Hac autem gesta sunt apud Achaiam prouinciam ciuitate Patras, pridie Kalendas Decembris: vbi etiam præstantur gloriosa eius beneficia vsque in præsentem diem. Tantus autem timor inuasit omnes, vt nullus remaneret, qui non crederet Saluatori nostro Deo: qui vult omnes saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. ipsi gloria in sæcula sæculorum. Amen.

PRÆFATIVNCVLA.

ST fortaſsè quod mireris, pie & erudite Lector, cur epiſtolam hanc diſcipulorum S. Andreæ, de eius glorioſo certamine & triumpho, iamdudum omnibus notam, totóque orbe celebrem, & ſæpe ſæpius editam, iterùm mandare voluerim typis, huícque Commentario de rebus geſtis & veneranda memoria eiuſdem beatiſſimi Apoſtoli, (ſatis alioquin iam fuſo & copioſo) ſubnectere: ſed venia me, confido, dignaberis, ſi mei huius conſilij ſemel audieris non vnicam rationem.

Prima eſt, quòd tota hæc de S. Andrea tractatio, huius epiſtolæ auctoritati potiori parte innititur. Integra igitur erat ſerie, ſaltem ad calcem operis, proferenda; vt quàm ſincerè paſſim citata fuerit in hac lucubratione, pleno conſpectu rerum quæ in ipſa epiſtola enarrantur, tibi in promptu appareret.

Secunda, ne queri quiſpiam poſſit, ibi eam deficere & deſiderari, vbi potiſſimùm ad manum & oculum eſſe oportebat: ſi rectè enim Lipomano & Surio viſum fuit hoc illuſtre Eccleſiaſticæ antiquitatis monumentum, inter præclariora Sanctorum Acta, à ſe ſumma diligentia & fide collecta, congruo ſitu reponere: maiori equidem operæ pretio me cenſui facturum, ſi eam hîc epiſtolam retexerem: locus enim & ſubiectum rei, non ſolùm id decenter, verùm etiam neceſſariò exigebat; Nefas enim exiſtimaui authenticam hiſtoriam de S. Andreæ inclyto martyrio prætermittere, in eo opere, quo proprio ex inſtituto, de eius ſanctiſſima vita & glorioſa morte, ac venerabili memoria, pertractatur.

Tertia ratio eſt, quia inſignis iſte libellus mouet vehementer legentium animos ad pietatem, quemadmodum proprio experimento ſenſit, & præclaro documento admonuit Theodidactus Pater Bernardus ſerm. 3. de S. Andrea ante medium; *Non ſubterfugit vos* (inquit) *quia dulcis hic Apoſtolus, & primitiua vocatio Domini Saluatoris, quodammodò tenerrimus eſt, & dulcior in cordibus fidelium: Cuius paſſio tanta ſuauitate ſpiritus diſtillat, vt mentes audientium*

adipe & pinguedine replere videatur: Vnde non immeritò in singularem auctoritatis arcem suscepta est, quam qui viderunt scripserunt orbi, & ministri fuere sermonis. Eadem motus ratione Cardinalis Bellarminus, in suo de Scriptoribus Ecclesiasticis libro, discipulos S. Andreæ huius historiæ de passione eius, oculatos testes & scriptores sinceros sub finem primi sæculi collocauit, & in indice piorum libellorum, primo loco hanc eorum epistolam constituit, de S. Andreæ martyrio.

Quarta denique, quia plurimùm confert ad fidei Catholicæ asserendam veritatem, aduersus *profanas* (quas recentiores heterodoxi certatim inuexerunt) *vocum nouitates*: Excellentissimum etenim continet S. Andreæ Apostoli testimonium, non solùm eius prolatum ore sacratissimo, sed & profuso ipsius sanguine obsignatum, pro sacrificij Ecclesiæ quotidiani, diuino planè tremendóque mysterio, & vera ac reali in eo præsentia Christi corporis & sanguinis. Et id quidem ita clarum & expressum, vt nulli sit obnoxium elusioni ac tergiuersationi; sicut euidenter infrà (Deo dante) patebit, vbi accuratim refellam quas Nouatores ipsi (vnius Aubertini manu & operâ) aduersus hanc epistolam proposuerunt, ingeniosas quidem, sed futiles & falsas argutationes.

PARS PRIOR.

Qua suprà signatæ Epistolæ germanitas & auctoritas demonstratur.

CAPVT I.

Ritûs scribendi Sanctorum Martyrum agones, & Ecclesiis per Epistolas significandi, ostenditur antiquitas veneranda.

EO, profectò, fine (quo Apostolorum & cæterorum Martyrum agones ac trophæa gloriosa, semper & vbique celebrarentur) S. Lucas in Actis Apostolorum. S. Iacobi cognomento Maioris martyrium genúsque mortis, quam pro Christo passus est Herodis iussu, commemorauit, & B. Stephani Protomartyris gloriosum enarrauit certamen: ***Passio eius insignis est*** (ait magnus Augustinus serm. 2. de sancto Stephano) ***multúmque mirabilis: Hanc modò de libro Actuum Apostolorum, cùm legeretur, non solùm audiuimus, sed etiam oculis perspeximus.*** Sic Beatus Ioannes in sua Apocalypsi cap. 2. vers. 12. & 13. diuino impulsus afflatu æternæ commendauit Ecclesiarum venerationi inclyti Martyris Christi Antipæ triumphalem coronam: ***Angelo Pergami scribe,*** (ait Spiritus sanctus) ***scio vbi habitas, vbi sedes est satanæ. & tenes nomen meum & non negasti fidem meam: in diebus illis quando Antipas testis meus fidelis, occisus, est apud vos,*** scilicet 11. Aprilis sub Domitiano, qui Ioannem ipsum in insulam Pathmon odio fidei relegauerat. Acta ipsius Antipæ testis Christi fidelis tam apud Græcos quàm Latinos etiamnùm extant, ab eius certaminis spectatoribus perpetuæ memoriæ literis fideliter consignata. Moris enim iam erat, vt athletarum fidei gloriosi conflictus, sedulò descripti, tam præsentium notitiæ, quàm posterorum memoriæ mandarentur: Quo ex vsu B. Paulus hortatur Hebræos ad eiusmodi Actuum meditationem ac imitationem, *Mementote Præpositorum vestrorum qui vobis locuti sunt*

Hebr. 13. 7. *verbum Dei, quorum intuentes exitum conuersationis, imitemini fidem.* Sed & S. Petrus admonet fideles dispersionis Ponti, Galatiæ, Cappadociæ, Asiæ, & Bithyniæ, vt maximè sanctorum Apostolorum salutaris doctrinæ, ac gloriosi excessus
2. Pet. 3. 2. sint memores: *Excito vestram* (inquit) *in commonitione sinceram mentem, vt memores sitis eorum quæ prædixi vobis verborum, à sanctis Prophetis; & Apostolorum vestrorum.* Non scilicet tantùm illorum, quos vas electionis dicebat, *supramodùm Apostolos*; nempe illos quos primùm Christus in Ecclesia sua constituerat, & in vniuersum mundum ad suum prædicandum Euangelium miserat: sed illorum quoque, qui proprij fuerant localium Ecclesiarum fundatores, aut primi pastores: vtrorumque enim memoriam recolere, gesta eorum ac documenta assidua mente reuoluere, merita celebrare, exempla imitari semper, fidelibus hoc breui monitu, commendabat. Hinc mos natus est, vt præclarè ab illis gesta dictáque in singulis locis, quæ lumine fidei irradiauerant, diligenter annotarentur; maximè verò postremæ concertationes, vbi trophæa sua fixerant, profuso pro Christi gloria extremo spiritu cum sanguine; libellis propriis conscriberentur, aut epistolis quas singulæ Ecclesiæ, vel earum Præsules varia in loca transmittebant, ad cæterarum Ecclesiarum notitiam magno cum fidei incremento peruenirent. Sic Polycrates priscus Ephesiorum Episcopus, passionem S. Timothei sui decessoris, præcipuíque Apostoli Pauli discipuli, in litteras misit, quas vbique per Asiam transmisit sub eiusmodi inscriptione: *Cunctis Asiæ, Phrygiæ, Pamphyliæ, Ponti, & Galatiæ, & omnibus in Catholica pace degentibus compresbyteris: omnium vestrùm minimus Polycrates, pacem & salutem in Christo Domino nostro: Multi multas historias & vitas, mores etiam ac conuersationes & fines Deo amabilium & sanctorum virorum, conscripserunt, quibus eorum notitiam posteris commendauerunt. Quapropter non præter officium & nos tale quid facturos existimamus, si memoriæ tradere vitam & conuersationem ac transitum succinctè sancti Apostoli Timothei, & primi Hierarchæ Ephesi magnæ Metropolis Asiæ, festinemus.* Sic Smyrneorum Ecclesia illustrissimum certamen & triumphum in igne sancti Polycarpi, Beati Ioannis Euangelistæ auditoris, Apostolicorum virorum principis & primi sui Episcopi, insigni epistola significauit aliis Ecclesiis, vt patet ex Eusebio hanc

per seriem recitante lib. 4. Hist. Eccles. cap. 14. *Quum autem* (inquit) *maximis persecutionibus turbaretur Asia, Polycarpus martyrio consummatur. Arbitror autem summè necessarium, finem eius, qui etiamnùm scripto circumfertur, monumento huius historiæ commendare.* Extat autem scriptum hoc in persona Ecclesiæ, cui ille præfuit, Parœciis quæ erant per Pontum quæ cum illo gesta sunt significans ad hunc modum; *Ecclesia Dei quæ Smyrnam incolit, ei quæ incolit Philomilium, & cunctis per vniuersam Pontum sanctæ Catholicæ Ecclesiæ Parochiis, misericordia, pax & dilectio Dei patris ac Domini nostri Iesu Christi multiplicetur,* &c. quæ plerisque locis ob scripti prolixitatem intercidit, seruato tamen vbique continuo sensu; demúmque subnectit ipsemet Eusebius. *Talia B. Polycarpo vnà cum duodecim è Philadelphia, Smyrnæ martyrium passo acciderunt,* &c. Sunt autem in eodem de Polycarpo scripta & alia martyria coniuncta, eodem martyrij Polycarpi tempore Smyrnæ tolerata, &c. Consequenter & aliorum Martyrum qui Pergamopoli Asiæ martyrium passi sunt, monumenta circumferuntur, quæ ipsemet Eusebius se complexum esse profitetur in Codice, quo collegit & expressit veterum Martyrum Acta. Denique idem Eusebius lib. 5. cap. 1. refert verbatim epistolam Ecclesiarum Gallicarum Lugdunensis & Viennensis de inclyto certamine plurimorum fidei athletarum, qui ibi sub imperio Antonini Veri martyrium compleuerunt; *Galliæ itaque* (inquit) *regio erat, in qua stadium eorum certaminum fuit,* &c. *Metropoles huius insignes, & præ reliquis eius regionis ciuitatibus præcipuæ celebrantur Lugdunum & Vienna, per quas vtrasque, Rhodanus totam regionem copioso flumine circumfluens dilabitur.* Scriptum igitur de Martyribus clarissimæ illius Ecclesiæ, Asianis & Phrygianis Ecclesiis miserunt, quo gesta apud se hunc in modum exposuerunt; *Serui Christi Viennam ac Lugdunum incolentes, fratribus per Asiam & Phrygiam eandem nobiscum redemptionis fidem & spem habentibus, pax & gratia & gloria à Deo patre & Christo Iesu Domino nostro.* Deinde post præmissum exordium, narrationis initium hisce verbis subiiciunt: *Magnitudinem igitur nostræ huius tribulationis, tantámque gentium iram aduersus Sanctos, & quæ passi sunt sancti Martyres, nec verbis edicere, nec scripto exactè complecti possumus.* Graphicè tamen mox addunt agonis ipsorum Martyrum

narrationem : quæ quòd prolixior ſit, & eius integra deſcriptio præſentem in rem non conferat, hîc mihi prætereunda viſa eſt, cùm qui totam volet perlegere, facilè apud ipſum Euſebium eius exſcriptorem inuenire poſſit. Satis ex his exemplis quæ ipſe refert, nobis eſt quod intentum habemus : inde nimirum planè conſtat verum eſſe quod in limine capitis huius ſignauimus, moris fuiſſe fidelium in primitiua Eccleſia, adeóque ipſo Sanctorum Apoſtolorum ſæculo, & vicinis ætati ipſorum temporibus, non ſolùm diligenter acta ipſorum & aliorum Martyrum certaminis obſeruare & in ſcripta mandare, ſed etiam per litteras encyclicas, vel Eccleſiaſticorum Præfectorum, vel ipſarum Eccleſiarum, apud quas res geſtæ fuerant, aliis Eccleſiis ſignificare, quo Dei gloria in ſuorum athletarum agonibus & coronis manifeſtaretur, & ipſorum triumphi vbique innoteſcerent, fides pro qua ad extimos vſque ſpiritus decertauerant, firmaretur & augeretur in cordibus fidelium, qua etiam ad illorum imitationem excitarentur.

CAPVT II.

Presbyteros, (hoc eſt tam Epiſcopos, quàm ſecundi ordinis ſacerdotes) & Diaconos Achaiæ, functos fuiſſe munere ſuo ſpectatæ à ſe S. Andreæ Apoſtoli (cuius diſcipuli fuerant) paßionis Acta deſcribendo, & notitiæ diſſeminandæ gratiâ, ad vniuerſas orbis Eccleſias per hanc epiſtolam referendo, inclyti illius certaminis, ac præclaræ tot titulis victoriæ accuratam hiſtoriam.

SANCTVS Lucas Beati Pauli Apoſtoli primarius diſcipulus, comes, & amanuenſis præcipuus fuit ; adeo vt (ait S. Hieronymus lib. de Scriptoribus Eccleſiaſticis in Luca,) *quidem ſuſpicentur, quotieſcumque in epiſtolis ſuis dicit Paulus, iuxta Euangelium meum, de Lucæ ſignificare volumine : Aliud quoque edidit egregium volumen* (ait idem Pater) *quod titulo, Acta Apoſtolorum, prænotatur ; quæ ſicut viderat ipſe compoſuit, eámque hiſtoriam vſque ad biennium Romæ commorantis Pauli annum, perduxit*, &c.

Sanè poſt Apoſtolorum Acta deſcripta à S. Luca, provt ipſe ſuis oculis conſpexit, Sanctorum res geſtæ quæ ab eorum diſci-

discipulis & alumnis, ad æternam memoriam, litteris mandatæ fuerunt, genuinæ germanitatis & sinceræ auctoritatis, ac grauissimi momenti semper habitæ sunt, quemadmodum non ita diu ostendimus part. 1. Panopliæ Clericalis lib. 2. vbi agimus de historiæ Sanctorum auctoritate, & Actorum eorumdem legitimo delectu. Quo iure rectè Beatus Petrus Damiani S. R. E. Cardinalium sua ætate primicerius, palmam honoris, Presbyteris & Diaconibus actorum passionis S. Andreæ Apostoli scriptoribus, æquissimo titulo adiudicat serm. 2. de ipso sanctissimo Apostolo, vbi hac de historia sic loquitur, *Non immeritò in singularem auctoritatis arcem suscepta est, quam qui viderunt, scripserunt, & ministri fuerunt sermonis.*

Eos verò non arrogâsse sibi alienum munus, sed legitimo suo satisfecisse officio, tam clarum est, vt qui probatum ire velit, soli in meridie coruscanti facem admouere velle non abs re videatur. Vopiscus scribit in Tacito, moris antiqui fuisse iam olim apud Romanos, vt scribendas sibi historias rerum sacrarum Pontifices reseruarent; idipsum munus & studium Sacerdotibus & Prophetis apud Hebræos communi consensu delatum, Iosephus lib. 1. cont. Apionem seriò asseuerat; quin & apud Ægyptios, qui propiùs cæteris Gentibus, Iudæorum ritus & mores affectabantur, religioso more; idem tradit fuisse vsu receptum, vt res sacratiores nonnisi à sacris hominibus possent legitimè posteris commendari. Iuxta quam, diffusam vbique iam olim consuetudinem, Fabianus Papa & Martyr gloriosus, Clementis primi Apostolorum principum discipuli ac successoris sacra vestigia sequens, (provt liber enarrat Pontificalis) munus referendi in publica monumenta Sanctorum Martyrum agones, Diaconis & Subdiaconis, qui per septem vrbis regiones constituti, ipso iubente, Notariis imminebant (qui colligendis Martyrum Actis præfecti erant) demandauit.

Non erat tamen ad Diaconos, Subdiaconos, & Notarios ita arctè redactum munus, vt superioribus ordinibus hoc fungi officio non liceret; imò quantò res erat maioris momenti, vt narrationi maior adhiberetur auctoritas: Ecclesiarum nomine, Sanctorum in pugna fidei coronatorum Acta, circularibus litteris diuulgabantur; sicut suprà patet ex litteris ab Ecclesia Smyrnensi conscriptis de inclyto B. Polycarpi eiusdem Ecclesiæ Episcopi, à Beato Ioanne Apostolo ordinati,

martyrio: & Epistola Lugdunensis ac Viennensis Ecclesiarum ad Asiaticas Ecclesias, de illustrissimo Martyrum suorum conflictu. Ipsi etiam Ecclesiarum Antistites hanc sibi curam assumebant, quemadmodùm Polycrates Ephesiorum Episcopus, præclarum & omni æuo memorabile certamen S. Timothei, præcipui S. Pauli Symmystæ, ab eóque ordinati Ephesinæ Ecclesiæ primi Episcopi, in litteras misit, quas direxit cunctis Asiæ, Phrygiæ, Pamphyliæ, Ponti, & Galatiæ Ecclesiis. vbi non erant Episcopi, Presbyteri primas ibi tenebant, secundas verò partes Diaconi. Andrea igitur Apostolo Achaiæ Ecclesiarum parente, crucis triumphali curru in cælum euecto, cùm Patrarum Metropolis, & cæteræ Ecclesiæ huius regionis tanto patre & pastore orbatæ essent, Presbyteri vicem eius pro tempore subeuntes, regimen ipsius prouinciæ sibi adiuuantibus Diaconis, gerendum assumpserunt, & cùm non nescirent Christi esse triumphum Apostolorum victorias, Beati verò Andreæ certamen & trophæum quod oculis suis perspexerant, præ cæterorum agonibus fuisse gloriosum, ex quo, præter diuinæ (quæ in eo eluxerat) maiestatis ac virtutis clarificationem, Christianæ religioni magnum augmentum, & immortale tanti Apostoli venerabili memoriæ decus, multipléxque fidelibus fidei ac patientiæ documentum; infidelibus verò potens ad fidem Christi incitamentum, sperabant, nec frustra (vt probauit euentus) accessum iri: hoc diuino zelo succensi, ardenti non minùs mente, quàm manu calamum quasi calido adhuc sanguine beatissimi huius Apostoli tinctum arripientes, vnanimi spiritu, hanc de eius mirabili martyriò epistolam conscripserunt, non vt Polycrates Ecclesiis tantùm Phrygiæ, Pamphyliæ, Ponti, Galatiæ & Asiæ, nec solùm Africæ, aut Europæ, sed orbis totius, quia tanti splendoris fulgor vniuersum mundum qui repleret suis coruscationibus dignus erat.

Cæterùm, cùm Achaia prouincia esset Romani imperij in Oriente ampla non minùs, quàm illustris, diúque in ea S. Andreas Apostolatu suo fuerit strenuè perfunctus, quem quidem splendidissimo quoque martyrio ibidem obsignauerit: non dubium quin quibusque locis vbi semen fidei sparserat, cultores cælestis illius germinis instituerit, proinde & Episcopos, ac Presbyteros, Diaconos, ac inferiores Ministros passim constituerit; sine quibus stare religio nec ipso vi-

uente, & post eius mortem consistere non poterat: Ecclesia siquidem non est quæ sacerdotes non habet: Presbyteri verò & cæteri ministri, Episcopatu deficiente dum humana sorte intereunt, necesse sit cum sacerdotio Ecclesiam perire. At verisimile esse non potest S. Andream huic incommodo, quod futurum præuidebat, non prospexisse: cùm etiam dum aliquando transiret Argyropolim, in ipso transitu Stachim virum Apostolicum legatur in Græcis monimentis & Romanis diptychis, Byzantij ordinâsse Antistitem, ne quos ibi Christo collegerat fideles, pastoris solatio destituerentur. Dato autem quòd in Achaia Episcopos similiter ordinarit; quî fit vt Presbyteri primas sibi partes arrogent? dum litteras encyclicas ipsi cum Diaconibus scribunt de sancti Andreæ Apostoli martyrio, ad vniuersas Ecclesias, inconsultis Episcopis, at ne nominatis quidem. Responsio peruia est, Presbyterorum nomine etiam Episcopos tunc temporis consueuisse designari, quòd licèt distincta essent munera, promiscua tamen vtrisque essent nomina. Hinc B. Paulus scribens ad Philippenses suam epistolam inscribit omnibus Sanctis, qui sunt Philippis, cum Episcopis & Diaconibus, nullam Presbyterorum mentionem faciens expressam, quia sub Episcoporum nomine tam maiores quàm minores sacerdotes comprehendebat. Et vice versa scribens ad Titum ait, *Huius rei gratia reliqui te Cretæ, vt constituas per ciuitates Presbyteros*, (id est Episcopos) *sicut & ego disposui tibi*. Sic Petrus, Apostolorum quamuis princeps, se Presbyterum appellat, & pastores Ecclesiarum eodem nomine compellat dicens: *Seniores ergo qui in vobis sunt obsecro consenior & testis passionum Christi*, &c. *pascite qui in vobis est gregem*. Vnde fit consectaneum, sub Presbyterorum nomine qui encyclicam Epistolam de S. Andreæ Apostoli martyrio, cum Diaconis ad vniuersas Ecclesias conscripserunt, etiam Achaiæ Episcopos, cum propriè dictis Presbyteris designari, & hoc ipso Presbyterorum nomine, vtriusque gradus Sacerdotes contineri: nec enim Presbyterorum nomen excludit Episcopos, nec Diaconorum facta ipso in titulo expressio, prætermissos Presbyteros, qui Diaconis sunt gradu, dignitate, & potestate potiores, existimare permittit. Quemadmodum igitur ex vniuersa Achaia, populi certatim Patras confluxerant ad S. Apostoli gloriosum intuendum agonem: Episcopos quoque, quos per singulas ciui-

tates idem S. Apoſtolus conſtituerat, ab ipſo, vel illis paſſim ordinatos, nec non Presbyteros & Diaconos pleroſque eòdem confluxiſſe, rationi conſentaneum eſt credere, vt eiuſdem Beati Apoſtoli conſpicerent illuſtre certamen ac triumphum: vt ſcilicet ex viſu & auditu poſſent maiori auctoritate quæ vera erant teſtificari. Ex qua ratione epiſtolæ illius toto orbe celebris exordium auſpicantur: ſeu potiùs conſtituunt ſuæ narrationis fundamentum.

CAPVT III.

Ex Regulis à Gelaſio Papa in Concilio 70. Epiſcoporum ſtatutis & promulgatis elicimus epiſtolam illam, non apocrypham, ſed veram & authenticam eſſe.

Decretum iſtud exſtat apud Gratianum part. 1. diſt. 15. Canone, *Sancta Romana Eccleſia.*

SVNT in eo Decreto Regulæ generales quædam poſitiuæ ac probatiuæ: aliæ exceptiuæ ſeu excluſiuæ: aliæ etiam ſpeciales, quibus nonnulla ſcripta nominatim damnantur & reprobantur. Inter eas quæ prioris ſunt generis, hæ noſtrum maximè ad propoſitum faciunt: *Item* (legenda decernimus) *geſta Sanctorum Martyrum, qui multiplicibus tormentorum cruciatibus, & mirabilibus confeſſionum triumphis irradiant.* Conſonat huic regulæ can. 13. Concilij Africani, qui ſic habet, *Liceat etiam legi paſſiones Martyrum, cùm anniuerſarij eorum dies celebrantur.* Quo ex iure ac ritu, paſſio S. Andreæ à Presbyteris & Diaconis Achaiæ conſcripta ad vniuerſas orbis Eccleſias, iam olim vbique, vt certa & authentica, in die eius natalis recitari conſueuit; vt patet ex antiquis Græcorum & Latinorum diuini officij formulis. Habeo Eccleſiarum Occidentalium perplura Breuiaria in membranis MSC. exploratæ vetuſtatis, in quibus illa Paſſio beatiſſimi ipſius Apoſtoli, in eius ſolennitate, diſſecta per varias lectiones ſeriatim recitatur, ex eáque antiphonæ & reſponſoria manifeſtè exprimuntur.

Verùm exceptiua regula quæ hanc generalem ſequitur, minimè eam deſtruit: vel encyclicam epiſtolam de paſſione S. Andreæ Apoſtoli excludit, ab eius in ea lectionis vſu: Apocryphas enim tantùm reiicit Martyrum paſſiones,

quarum *ſcriptorum nomina penitus ignorantur*. Etenim in limine ipſius epiſtolæ, auctorum eius expreſſa eſt deſignatio, eorúmque veneranda patet ipſo ex titulo auctoritas. Hoc enim modo incipit: *Paßionem ſancti Apoſtoli Andreæ, quam oculis noſtris vidimus, omnes Preſbyteri & Diacones Eccleſiarum Achaiæ, vniuerſis Eccleſiis quæ ſunt in Oriente & Occidente*, &c. *in Chriſti nomine conſtitutis, Pax vobis & vniuerſis, qui credunt vnum Deum*, &c. Licèt enim nomina propria non conſignent, (quæ prolixum nimis fuiſſet ſeriatim contexere) collectiuo nomine ſcribentes, locum, ſubiectum de quo tractant, ſuúmque expreſſim indicant in Eccleſia gradum, officium, & teſtimonij quod illis in litteris vnanimiter ferunt, maiorem omni exceptione firmitatem: ſeſe ſiquidem ea teſtari, quæ propriis oculis perſpexerunt, diſertè profitentur. Expendit & inculcat S. Bernardus ſerm. 3. de beatiſſimo hoc Apoſtolo, ponderis illorum teſtimonij grauitatem hanc, *Dulcis* (inquit) *hic eſt Apoſtolus & primitiua vocatio Domini Saluatoris*, &c. *Non ſubterfugit vos quia quodammodò tenerrimus eſt & dulcior in cordibus fidelium; cuius paßio tanta ſpiritus deuotione diſtillat, vt mentes audientium adipe & pinguedine replere videatur. Vnde non immeritò in ſingularem auctoritatis arcem ſuſcepta eſt; quam, qui viderunt, ſcripſerunt orbi, & miniſtri fuère ſermonis.* Vnde patet prædictam epiſtolam, ea minimè reprobationis (quæ mox ſequitur) regula contineri, qua reiiciuntur Sanctorum Acta Martyrum, *quæ ab infidelibus aut idiotis ſuperfluè aut minùs aptè quàm rei ordo fuerit, ſcripta fuiſſe perhibentur.* At Preſbyteros & Diacones vniuerſæ Achaiæ, quis (niſi emotæ mentis fuerit) infideles fuiſſe aut idiotas, vel cogitare audeat? Quòd verò ea in epiſtola ſuperflua aut inepta ſcripſerint, ipſius eorum epiſtolæ non prolixa ſeries: dictorum autem quàm appoſita connexio, rerum denique geſtarum quas ex viſu referunt genuina narratio, ab eiuſmodi labe delirij, illos facilè reddunt immunes.

Nec porrò alia hæc regula exceptiua, in hanc eorum epiſtolam cadere poteſt: quòd paſſiones Sanctorum Martyrum ſcriptæ ab hæreticis, non vt eorum memoriam commendarent, ſed eos vel iniuria afficerent, aut eorum auctoritate ſua impia dogmata communirent, ab Eccleſia Catholica reiiciuntur. Siquidem ea epiſtola nihil habet quod Chriſtianæ fidei repugnet, aut ſanæ doctrinæ tantillum aduerſetur.

Nec enim noui sectarij, qui eam suppressam iri volunt, vllam hæresim, aut falsitatem, vel minimam impietatis maculam in ea inuenerunt, aut hactenùs aduersus eam obiecerunt; quia tametsi maximè vellent, vllum eiusmodi næuum in ea notare nequierunt. At contrà eximiam sapit per omnia pietatem, magnam excitat deuotionem & plurimùm confert ad diuinam glorificationem: sancti verò Apostoli, cuius gloriosum agonem graphicè describit, beatam memoriam sempiternæ consecrat venerationi; cuius etiam ad imitationem Lectores vehementer impellit. Ideo magnus Cardinalis Bellarminus, peritissimus librorum censor, in indicis librorum piorum apice: Martyrium S. Andreæ hac in epistola genuinè expressum meritò constituit, ad finem libri sui celeberrimi de Ecclesiasticis Scriptoribus, indice 10. Eximitur itaque hæc epistola Presbyterorum & Diaconorum Achaiæ ab hac regula, quam Origenes homil. 1. super Cantica primus tradidit, & posteà Gelasius cum Synodo vltrò secutus approbauit, *Scripturæ apocryphæ appellantur* (ait Origenes) *eo quòd multa in eis corrupta sunt, & contra fidem inueniuntur tradita, & sine auctoritate pleraque dicta.* Atqui hac in epistola nihil est eiusmodi: igitur inter apocrypha non debet, neque sine iniuria potest recenseri.

Idem docet S. Hieronymus epist. 7.

Alia verò in eodem Decreto Gelasij regula est Synodica, ad cuius amussim si hanc epistolam exæquemus, dignam esse quæ sine vlla ambiguitate recipiatur, promptum fuerit colligere: *Item suscipimus eos Actus qui Romæ leguntur à Catholicis, & quos pro antiquo vsu multæ Ecclesiæ, ea in lectione imitantur.* Atqui passionis S. Andreæ, quæ hac in epistola, historia descripta est, adeóque ipsa epistola, non à quibusdam Catholicis, vel nonnullis tantùm Ecclesiis suscipitur & publicè legitur: sed quod longè maius est, ab ipsa Romana Ecclesia, quin & aliis toto orbe Ecclesiis, & quidem vsu antiquissimo, in sacris ipsis officiis recitatur, vt suprà lib. 1. huius 2. partis plenariè demonstratum est. igitur non est epistola hæc apocrypha, sed authentica, vtpote vera & sincera, ac vbique probata & recepta.

CAPVT IV.

Catalogus testium, quorum suffragiis epistolæ huius sinceritas innuitur ac asseritur.

VNT in hac causa testes in quadruplici differentia: sunt enim 1. aliqui sancti Patres qui loci passionis S. Andreæ, & generis mortis notitiam ex huius auctoritatis historicæ fonte, id est ex illa epistola, tanquam ex primordiali principio non obscurè delibant, huícque tanquam certo & notorio documento, quod ideo non indicant, innituntur. 2. Alij qui verba ipsissima eiusdem epistolæ hinc elicita palam exprimunt ac proferunt. 3. Alij insuper qui eam nominatim allegant, hincque testimonium petunt. 4. Alij denique qui eius auctoritatem non tantùm commendant, sed etiam asserunt & tuentur. Singulos cum notula propria suæ cuiusque classis proferam, successione ætatum ordine continuo seruato: ne intercisa ipsorum testium series, rectum temporis cursum interrumpat, Lectorémque perturbet.

1. Sanctus Ambrosius, qui florebat in Episcopali sede Ecclesiæ Mediolanensis anno 374. Liturgiam seu Missam, quæ Ambrosiana ab ipso auctore passim dicitur, composuit, qua abhinc etiamnùm vtitur eadem Ecclesia Mediolanensis: porrò in præfatione natalis ipsius sanctissimi Apostoli, sic triumphum eius in cruce prædicat ac celebrat, *Æterne Deus*, &c. *adest enim nobis dies magnifici votiua mysterij, qua venerandus Andreas germanum se Petri Apostoli, tam prædicatione Christi tui, quàm confessione monstrauit. Et Apostolicæ numerum dignitatis simul passione suppleuit ac gloria; vt id quod libera prædicauerat voce, nec pendens taceret in cruce, auctorémque vitæ perennis tam in hac vita sequi, quàm in mortis genere meruit imitari.* Vbi manifestè verba illa, *vt id quod libera prædicauerat voce, nec pendens taceret in cruce*; ex ipsa epistola Presbyterorum & Diaconorum Achaiæ de passione eius deprompta sunt, quæ sic habet; *quia iam secunda die in cruce positus veritatem prædicare non cessat*; sicut & illa verba, *Auctorémque vitæ perennis tam in hac vita sequi, quàm in mortis genere meruit imitari*; eadem ex Testis 1. classis.

epistola desumpta esse satis est perspicuum; vbi S. Apostolus sic ait, *Tanto regi meo ero acceptior, quanto pro eius nomine in tormentis permanens ero Confessor. Ego crucis Christi seruus sum, & crucis trophæum optare potiùs debeo, quàm timere.* & rursus vbi sic crucem alloquitur: *Securus & gaudens venio ad te, ita & tu exultans suscipias me discipulum eius qui pependit in te, quia amator tuus semper fui & desideraui amplecti te,* &c. *Redde me Magistro meo, vt per te me recipiat, qui per te me redemit.* Quò spectâsse non abs re videtur ipsemet S. Ambrosius, citata in præfatione subiungens, *vt cuius præcepto terrena in semetipso crucifixerat desideria, eius exemplo ipse patibulo figeretur.*

Testis 1. classis. II. Sanctus Damasus Papa ipsius S. Ambrosij synchronus (vt patet ex ipsius S. Ambrosij scriptis) ex hac epistola didicit triumphalem in cruce S. Andreæ concertationem, & eius in ipsam crucem vehementem affectum, vicissímque crucis in ipsum eximiam amoris propensionem: qua de re hymnum elegantem cecinit, cuius est exordium, DECVS SACRATI NOMINIS: hunc autem totum expressimus libro 9. & vltimo huius 2. partis inter selecta ipsius beatissimi Apostoli epinicia in ipso libri initio. Laudauit porrò S. Hieronymus S. Damasi Papæ sacra poëmata, hócque nomine illum recensuit inter Scriptores Ecclesiasticos, numero 114. *Elegans* (inquit) *in versibus componendis ingenium habuit, multáque & breuia metro edidit;* quale est illud carmen de S. Andrea, quod extat cum cæteris hymnodiis ipsius S. Damasi tom. 8. Bibliothecæ Sanctorum Patrum. Vidit igitur S. Hieronymus hunc hymnum cum cæteris, & probauit dum omnes laudauit, suóque suffragio commendauit; qui & ex eodem passionis S. Andreæ celebri documento Presbyterorum Achaiæ, hausit notitiam eius prædicationis & agonis in Achaia: *Erat* (inquit) *Christus cum Andrea in Achaia,* &c.

Testis 1. classis. III. Sanctus Augustinus, vel alius, siquis est, vetus auctor apud eum, in libro de vera & falsa pœnitentia cap. 8. qui extat editus inter ipsius Beati Augustini opera Tomo 4. in fine, verba ipsa S. Andreæ pendentis in cruce, desumpta ex prædicta epistola patenter recitat; *In hoc* (inquit) *desiderio erat Andreas, qui in cruce positus à Domino requirebat; tempus est vt commendes terræ corpus meum. Volebat enim eum plebs de cruce deponere, ipse autem cœpit Dominum roga-*

rogare, ne me permittas Domine descendere viuum, &c. Quæ verba S. Apostoli pulchrasi ac pia paraphra continuò illustrat, quam hac clausula concludit, *Hic dolebat iam non esse cum Domino*, &c.

DIGRESSIVNCVLA.

De auctore libri de vera & falsa pœnitentia.

SED qui auctoritatem huius testimonij eleuare volent, sibi effugium contra hoc, inde non dubito captabunt, quòd liber iste qui fertur esse S. Augustini, ipsius Augustini reuerà non sit: etiam peritorum censorum piorúmque iudicio, qui huic ipsi libro, in ipsa fronte hanc animaduersionem inscripserunt: *Non est Augustini, vt constat tum ex aliis tum ex eo quòd auctor c. 17. referat sententiam Augustini ex homil 41. inter 50. & ab ipsa dissentiat.* hoc admonuerat præsenti ineunte sæculo Antonius Posseuinus suo in Apparatu sacro, Tom. 1. sub voce, *Aurelius Augustinus* pag. 158. Venetæ editionis, vbi ait: *Liber de vera & falsa pœnitentia non est Augustini, quod multis probari posset, sed illud sufficiat quod capite 12.* * *addducit sententiam Augustini ex sermone 41. quinquaginta homiliarum, & ab ea dissentit.* Adde quòd neque hoc opus est in Retractationibus aut in Indiculo. Quam notam videtur Cardinalis Bellarminus ab illo (cuius apparatum constat suum præcessisse librum de Scriptoribus Ecclesiasticis) mutuatus; verbis enim pæne iisdem vtitur, in Augustino, vbi agit de libris tomi 4. eiusdem operum, dicens: *Liber de vera & falsa pœnitentia non est sancti Augustini; nam præterquam quòd non sit eius mentio in Retractationibus nec in Indiculo, c. 17. hic auctor adducit sententiam quandam eiusdem Augustini, & ab ea dissentit.* Sed triplex hic funiculus nos non magis quàm vnicus premit, cùm vnus ab alio pendeat: vel enim Censura præfixa huic libro, animaduersionem Posseuini & Bellarmini peperit, vel ipsius Posseuini obseruatio lumen censuræ auctori prætulit: Bellarminus autem vel ex Posseuino, vel ex præliminari hac censura notationem suam deprompsit: vtvt sit, tenuis est texturæ illa animaduersio, nec solida nititur argumentatione; hæc enim

* octauo

Auctor autem libri de vera & falsa pœnitentia cap. 17. sic dicit, *Debet enim* (pœnitens) *dolere de crimine, & de omni eius prædicta vanitate: quod quoniam vix licet, de eius salute Augustinus potuit dubitare.* Vbi palam est eum doctrinam S. Augustini non impugnare, sed benignè interpretari, & ad sensum commodiorem inflectere.

Instabit quispiam; Sed hic auctor citat Augustinum, er- »
go alius est ab eo, loquitur enim de eo non in persona pro- »
pria, sed tanquam de alio quem in tertia persona nominat. »
Ad hæc, duo dico: primò, non omnino sequi, nam & Moyses passim in suo Pentateucho sui ipsius meminit, tanquam si alius libros illos scriberet: Sic Iosue in suo libro sui ipsius quasi alterius personæ, ab eo qui auctor est, passim mentionem facit: sic & Prophetæ nonnulli, signatim verò Isaias & Hieremias, imò & Paulus ad Corinthios scribens, *Nunquid Paulus pro vobis crucifixus est? aut in nomine Pauli baptizati estis?* Secundò, dico non esse certum an illa homilia, à qua dicitur (Quis sine causa) auctor libri de pœnitentia dissentire, sit ipsius beati Augustini, an verò S. Ambrosij eius Magistri; sicut ex animaduersione ipsi homiliæ præfixa constat, quæ sic habet, Cùm non desint qui hæc dicta Ambrosio tribuere malint: inter cuius opera exhortatio quædam est ad pœnitentiam, hanc homiliam pæne totam complectens. Vnde verisimile fit apud Auctorem libri de vera & falsa pœnitentia, Augustinum pro Ambrosio irrepsisse, & sic Augustinum non à seipso sed ab Ambrosio dissentire, si qua esset (quæ tamen non est, vt suprà demonstraui ex vtriusque loci collatione) vlla dissensio.

Cæterùm liber ille de vera & falsa pœnitentia, S. Augustino neutiquam est indignus, neque propter stylum, neque propter spiritum: quoad stylum cùm S. Augustinus aliquando se attollat, aliquando demittat: Sanè vix vlla est apud eum sublimior aut speciosior laudis vllius rei expressio, hoc pœnitentiæ elogio, quo librum de quo agimus exorditur; *Quantum sit appetenda gratia pœnitentiæ, omnis auctoritas declarat, omnis bonorum vita conatur ostendere: Langores enim sanat, leprosos curat, mortuos suscitat, vitia fugat, virtutes exornat, mentem munit & roborat, omnia satiat, omnia redintegrat, omnia lætificat: sanitatem auget quam conseruat; Claudis gressum, aridis copiam, cæcis restituit visum: Temperat successus, constringit impetus, moderatur excessus: Ignorans se, per hanc*

ſe recognoſcit, quærens ſe per hanc ſe inuenit. Hæc eſt quæ homines ad Angelos ducit, & creaturam reddit Creatori. Iſta ouem perditam monſtrauit quærenti, & decimam dragmam obtulit anxianti: Hæc diſſipatorem filium ad patrem reduxit, & vulneratum à latronibus cuſtodi curandum reſeruauit. In hanc omne bonum inuehitur, per hanc omne bonum conſeruatur. Nónne verè hæc digna ſunt magno Auguſtino acumina, iſtæ phraſes, illi flores, iſta nectendi ſcripturam & pro materia inducendi ſolertia ſingularis, quæ in eius ſcriptis paſſim irradiat? Non eſt fateor huius libri per omnia æquè floridus & elaboratus contextus: ſed quis neſcit, ſeſe non rarò infra ſe Auguſtinum demittere, vt ad captum audientium ſeſe prudenter accommodet; qua de re cùm quidam cum eo expoſtularet, quaſi priſtinæ eloquentiæ eſſet immemor, ſibique met impar, piè ac cordatè reſpondit. SPERNANT *Grammatici, modò intelligant Chriſtiani.* Cui dicto æternùm memorabili, illud Gregorij Magni conſimile eſt præfatione Commentariorum in Iob: *Quæſo vt huius operis dicta perquirens, in his verborum folia non requiras; ipſam enim artem loquendi, quam magiſteria diſciplinæ exterioris inſinuant, ſeruare deſpexi. Nam ſicut huius quoque præfationis tenor enunciat, non metaciſmi colliſionem fugio, non barbariſmi confuſionem, ſitus motúſque propoſitionum caſúſque ſeruare contemno: quia indignum vehementer exiſtimo, vt verba cæleſtis oraculi reſtringam ſub regula Donati.* Veruntamen liber de quo hìc agitur, hos non patitur defectus, ſed hunc ſolùm, (ſi defectus tamen nominari debet) quòd ſtilus non eſt vbique æqualis, ſed aliquando cultior, aliquando demiſſior, initio attollitur, medio placidè decurrit, ſensímque demittitur, at in fine priorem in dictorum elegantiam aſſurgit; qui ferè mos eſt perpetuus omnium Beati Auguſtini, & nonnullorum Sanctorum Patrum, qui nobis Chriſtianæ doctrinæ & pietatis monimenta ſuis in ſcriptis conſignarunt. 2. Quoad ſpiritum, nec huius libri auctor ab Auguſtino deſultat: Spiritus S. Auguſtini, hic eſt (vel Gennadio teſte libro de Scriptoribus Eccleſiaſticis cap. 38.) quod, *vt vita purus, ſic integer ſit fide.* Nec enim (ſcribit ad Epiſcopos Galliæ S. Cæleſtinus Papa *) *hunc ſiniſtræ ſuſpicionis ſaltem rumor aſperſit.* At verò liber ipſe de vera & falſa pœnitentia totus eſt orthodoxus, nec ab vllo cenſore Catholico de aliqua hæreſi vel errore vnquam notatus fuit. Quia igitur,

* Octaua eſt epiſtola inter epiſtolas Cæleſtini.

vt aiunt Iurisperiti, *partus sequitur ventrem*, tanto parente liber hic dignus est fœtus, cùm hac ipsa integritate sua in fide, paternam planè referat effigiem: ideo sub nomine S. Augustini in Codice Canonici Iuris passim citatus est, ex quo plerique Canones eliciuntur, v. g. 2. parte Decreti de pœnitentia dist. 5. 15. can. *Consideret*, & dist. 6. c. *Qui vult*; nec non dist. 1. c. *Quem pœnitet*; ac dist. 3. c. *Sunt plures*, & dist. 7. c. *Nullus*, &c. Quas etiam Augustini auctoritates inter eius dicta, Magister sententiarum recensuit in 4. dist. 15. cap. *Satis arbitror*, & dist. 7. c. *Nullus*, & dist. 16. cap. *In persecutione*, & dist. 19. c. *In perfectione*. Porrò tam Gratianus, quàm Petrus Lombardus, qui dictus est Magister sententiarum, ante annos 500. vt norunt omnes floruerunt: At neque inter illustres canonum aut sententiarum collectores, hi primi sunt, qui librum de vera & falsa pœnitentia intrepidè sub nomine S. Augustini allegarunt: Nam Iuo Carnotensis, qui centum & suprà annis ante hos claruit, canones & sententias sacras hoc ex promptuario desumpsit; Et Burchardus, sanctus ille Wormaci nsis Antistes, qui ante annos 600. & 50. sedebat, illas aliásque inde deprompsit. Nullus autem scriptorum Catholicorum inueniri potest, qui librum hunc vlla nota reprehensionis asperserit, aut Augustini genuinum esse fœtum fuerit inficiatus: hoc tantùm sæculo Posseuinus & Bellarminus, cum nupero Censore, extiterunt, qui hoc nomine illum spoliarint; sed qui ab inuicem pendent & verba ipsa vicissim mutuantur. Porrò ex præmissis patet legitimam nullam subesse causam, cur libri huius proprietas S. Augustino abrogetur, vt cuique alij, qui hactenùs ignotus fuerit tribuatur. At verò his excussis, iam operæ pretium est, vt ad examen nostrorum reliquorum testium, relicto diuerticulo redeamus.

CATALOGI TESTIVM CONTINVATIO.

IV. TESTIS est S. Gregorius Papa cognomine Magnus, qui vt iam insinuatum est in hac secunda parte, singularis deuotionis ardore sanctum Andream coluit, in cuius honorem duo Monasteria fundauit; in quorum altero, eóque præcipuo quod erexit in cliuo Scauri, in domo paterna erecto, Monasticen professus est. Ad quod rediens Constantinopoli Romam è Legatione Apostolica

brachium sanctissimi eiusdem Apostoli, à Tiberio II. Imperatore sibi pretioso munere datum detulit, vbi etiamnum condigno cum honore asseruatur. Cuius Apostoli cùm esset deuotissimus, officium eius de nouo composuit, & Codici diuinorum præconiorum inseruit, quo etiamnum vtitur sancta Romana Ecclesia, vt testatur Abbas Rupertus ex antiquis monimentis lib. 8. de diuinis officiis cap. 2. Ex quo hanc insignem obseruationem mutuatus est Durandus lib. 7. Rationalis diuinorum officiorum cap. 38. Et Arnoldus Wion lib. 5. ligni vitæ cap. 12. Emblemate 4. Quod officium totum ferè ex prædicta epistola Presbyterorum & Diaconorum Achaiæ, de inclyto ipsius B. Andreæ martyrio, compactum est, ex qua non tantùm rei gestæ series ad verbum tota constat, sed & antiphonæ & responsoria conserta sunt. Nec his stetit terminis B. Gregorij in sanctum hunc Apostolum eximia deuotio: at modum adinuenit valde rarum, quo eius Natalis triumphum singularis testimonio celebritatis decoraret: Nouem dumtaxat erant in Romana Ecclesia speciales præfationes (præter communem quam edidit Gelasius I. vt testis est Alcuinus lib. de diuinis officiis cap. de celebratione Missæ) quæ statutis diebus in venerabili Missæ sacrificio legebantur: vetuerátque Pelagius Pontifex sancti ipsius Gregorij decessor, ne plures recitare fas esset, vt patet ex eius Decreto, quod extat can. *Inuenimus*. de Consecrat. dist. 1. quod etiam asserit Honorius lib. cui titulus est, Gemma animæ, seu de antiquo Missæ ritu cap. 130. hac verborum serie; *Pelagius Papa nouem præfationes cantari statuit, scilicet,* Quia per incarnati, *de Natiuitate:* Quia vnigenitus, *de Epiphania:* Qui corporali ieiunio, *de quadragesima;* Qui salutem humani generis, *de passione Domini, vel de sancta cruce:* Te quidem omni tempore, *de Pascha;* Qui post resurrectionem, *de Ascensione;* Qui ascendens super omnes cælos, *de Pentecostes;* Qui cum vnigenito filio tuo, *de Trinitate:* Te Domine suppliciter exorare, *de Petro & Paulo, quæ etiam de pluribus Apostolis dicitur. Gregorius Papa decimam,* Qui Ecclesiam tuam, *de sancto Andrea,* &c. *Nouiter autem Vrbanus II. Papa vndecimam de sancta Maria addidisse non ignoratur, quæ à pluribus vbique frequentatur.* Hæc ille, qui vtinam totam præfationis, quam propriam composuit de S. Andrea B. Gregorius seriem, eo loci expressisset; Primùm enim nobis contulisset luminis

S. Gregorium auxisse & correxisse Romanum Breuiariú, Platina ac Onuphrius in eius vita referunt.

Pentecoste.

ad nostrum intentum confirmandum ; Mos enim dudum erat in præfationibus passiones Sanctorum summatim ex certis elicitas Actis exprimere, vt aliàs ostendi in apparatu ad Martyrolog. Gallican. cap. 9. vbi de Liturgicis Sanctorum præfationibus, &c. Et rursùm videre licet in præfationibus antiquis Grimoaldi Abbatis operâ collectis, quæ in vsu erant priusquàm Pelagius II. præfationum numerum ad nouem dumtaxat restrinxisset, quibus edita paulò pòst propria S. Andreæ præfatio à S. Gregorio, accessit; & propria de Beatissima Virgine ab Vrbano II. Cæterùm in Sacramentario S. Gregorij, vt hodie extat, duplex præfatio de S. Andrea legitur, vna in vigilia, eáque breuis quæ incipit, *Ut qui Beati Andreæ festum*, &c. altera in die, cuius est exordium, *Quoniam adest nobis dies magnifici votiua mysterij:* quæ ex Liturgico codice Ambrosiano est desumpta & superiùs descripta. At hæc illa non est quam composuit & concinendam tradidit vniuersali Ecclesiæ S. Gregorius ; ipsa enim (vt suprà notatum est ex libro inscripto, Gemma animæ, seu de antiquo Missæ ritu) incipiebat, *Qui Ecclesiam tuam*, &c. quam mihi reperire non licuit nec in vllis Missalibus editis, nec etiam in Liturgicis Codicibus MSC. Quod factum existimo, vel quia iampridem vsu exoleuerit, vel cum nonnullis S. Gregorij scriptis perierit; plura enim scripsit quàm quæ hodie supersunt: siquidem Ioannes Diaconus in eius vita testis est, multa eius opera tam inuidia Sathanæ, quàm hominum perfidia interiisse : sed officium S. Andreæ vbique diffusum adhuc extat & in viridi semper vsu perseuerat, tam in Romana ipsa Ecclesia, quàm cæteris, non tantùm sæcularibus, sed etiam Monasticis & Regularibus, seruato tamen vbique proprio ritu ac vsu. Nam Monachi & vniuersi ferè regulares duodecim lectiones habent ; Porrò Ecclesiæ Cathedrales, Collegiatæ, & parœciales, & sæculares reliquæ, dumtaxat nouem. Verùm antiphonæ & responsoria sunt eadem, vtpote quæ sunt primordialis texturæ illius officij, quod S. Gregorius composuerat. Lectiones sunt variæ quoad stylum, & sectiones, ac numerum, & in nouo Breuiario Romano, quod aliæ Ecclesiæ certatim imitantur, non sunt illæ ipsæ quas S. Gregorius assignauerat, etenim abbreuiatæ sunt, sed totæ eodem ex fonte delibatæ : At S. Gregorius pro lectionibus historiæ, ipsam epistolam Presbyterorum, & Diaconorum Achaiæ

de passione S. Andreæ præstituerat: quæ quoniam prolixior erat, quàm vt semel & simul integra legeretur: vel pars præcipua legebatur, reliquâ prætermissâ, vel quando octauam sui Natalis habebat S. Andreas diebus illis sensim decurrebatur, ita vt absolueretur in ipsa octaua, quemadmodum patet ex antiquis Breuiariis, quorum MSC. pleraque exemplaria penes me sunt, in quibus in festo sancti huius Apostoli legitur ipsa epistola encyclica Sacerdotum Achaiæ ad vniuersas orbis Ecclesias: Ex qua à S. Gregorio antiphonæ & responsoria, quæ etiamnùm vbique in Latina Ecclesia (siquidem, vt demonstrauimus, Græca natalis eiusdem Apostoli officium ex eodem principio collegit & construxit) vsitantur; adeout Cardinalis Bellarminus testimonium pro reali præsentia corporis Christi in Eucharistia, ex sæpè dicta epistola proferens aduersus huius sæculi segreges Sacramentarios rectè dixerit, quod genus passionis S. Andreæ, & verba eius ad crucem, quæ in Ecclesia celeberrima sunt, ex hac ipsa epistola *sine vlla dubitatione sint desumpta*, videlicet à S. Gregorio, qui eiusdem Apostoli venerantissimus, officium de eo proprium construxit.

Lib. 1. de Sacramento Eucharistia, c. 1.

V. est Sophronius Hierosolymitanus Patriarcha, qui tempore Honorij I. Papæ, & Heraclij Imperatoris circa annum Domini 630. tam sanctitatis quàm doctrinæ laude præstans, inter cætera præclari sui ingenij quæ reliquit monumenta auctarium libro S. Hieronymi de Scriptoribus Ecclesiasticis, seu de viris illustribus, constans quibusdam elogiis attexuit, librúmque ipsum S. Hieronymi Græca phrasi expressit; quæ versiò inter opera S. Hieronymi edita, cum ipso Catalogo ab eodem Hieronymo Latinè conscripto legitur, vbi hoc breue S. Andreæ Apostoli extat elogium c. 2. ab ipso Sophronio insertum, *Andreas frater huius* (Petri scilicet) *vt maiores nostri prodiderunt, Scythis & Sogdianis, & Saccis prædicauit Euangelium Domini nostri Iesu Christi; Et in augusta ciuitate prædicauit, quæ cognominatur Magna, vbi est irruptio Apsari & Phasis fluuiorum, illic incolunt Æthiopes interiores.* Huc vsque Sophronius ex sanctis Patribus*, qui de prædicatione S. Andreæ ad diuersos populos tractant, delibauit: At quæ subiungit pro elogij coronide ex testimonio Presbyterorum & Diaconorum Achaiæ satis est apertè mutuatus, *Sepultus autem Patris ciuitate Achaiæ, cruci suffixus ab Ægea Præfecto Elesenorum,*

* Hos lib. 3. 1. partis indicaui.

ex

ex eodem fonte deriuauit, quod breuiter notat.

VI. Gregorius Turonensis Ecclesiæ Gallicanæ non postremum lumen, qui Miraculorum lib. 1. cap. 31. quo de miraculis tractat ad sepulchrum S. Andreæ coruscantibus, hanc insignem obseruationem interiicit, nota à se ex illa epistola expressam, *Hæc autem aguntur apud ciuitatem Achaiæ*, in ciuitate Patras, *in qua Beatus Apostolus siue Martyr, pro Redemptoris nomine crucifixus, præsentem vitam gloriosa morte finiuit.* Certè nonnisi ex Achaia ipsaque ciuitate Patras, quæ miracula refert apud sepulchrum S. Andreæ fieri solita, didicit; vnde etiam epistolam historicam de eius passione facilè adeptus, breui epilogo causam & genus eius mortis, gloriam eius martyrij, & sepulchri splendorem illum perennem expressit: Emphasis autem gratiâ hac præclara clausula vsus est ipse Gregorius, *præsentem vitam gloriosa morte finiuit.* Apostolorum enim vix vllus est qui illustriori passione, quàm Andreas cursum vitæ suæ consummârit, vt ex illa epistola, non minùs quàm luce meridiana, sit cuilibet perspectum; Hinc Ecclesia ei occumbenti illustri triumpho in cruce, occinit,

O Andrea gloriose;
Cuius preces pretiosæ,
Cuius mortis luminosæ
Dulcis est memoria.

Spectans videlicet ad illam passionis eius celeberrimam narrationem, quæ disertè refert tandem sanctum exclamasse Andream, *Suscipe me Domine Iesu Christe Magister bone, & iube me de ista cruce non deponi, nisi priùs spiritum meum susceperis! Et cùm hoc dixisset, videntibus cunctis splendor nimius sicut fulgur de cælo veniens, ita circumdedit eum, vt penitùs præ ipso splendore oculi eum humani non possent aspicere; cúmque permansisset splendor ferè dimidia horæ spatio, abscedente lumine emisit spiritum, simul cum ipso lumine pergens ad Dominum.* Gloriosiori morte quisnam, ne dicam Apostolorum, sed nec aliorum Sanctorum (dempta beatissima Virgine) vnquam ab hoc mundo discessit? at hoc ipsum est quod paucis his, sed præclaris verbis innuere Gregorius Turonensis voluit, dicens, *pro Christi nomine crucifixus præsentem vitam gloriosa morte finiuit.*

VII. Venerabilis Beda suo in Martyrologio, epistolam illam de passione S. Andreæ in epitomen manifestè contra-

xit : totum ſiquidem eius per crucem triumphum graphicè ex ea deſcripſit, verbis etiam eiuſdem epiſtolæ paſſim expreſſis, ſic enim ſcribit: Pridie Kalendas Decembris ; *In ciuitate Patras prouinciæ Achaiæ natale beati Andreæ Apoſtoli, qui interpretatur virilis, vel decorus, frater Petri. Hic prædicauit in Scythia, qui ab Ægea Proconſule comprehenſus, cùm perſeueranter in fide Chriſti & Euangelio duraret, carcere clauſus primùm, inde coram Proconſule grauiſsimè cæſus, ad vltimum cruce, ligatis manibus & pedibus, funibúſque toto corpore tenſus, vt longiùs cruciaretur, biduo inibi ſuperuixit, non ceſſans ea quæ Dei ſunt populum docere : Cúmque hi qui Chriſto crediderant Domino, ſatis agerent vt deponeretur, Ægeámque vt hoc faceret, nolentem impellerent: Apoſtolus Domini, circumſtante populo, & Ægea Proconſule vt ſolueretur agente, poſt verba orationis fulgore cæleſti, ferè vna deſuper circumfuſus hora, cum ipſo lumine abſcedente emittens ſpiritum perrexit ad Dominum : Cuius Maximilla potentiſsima matronarum corpus reuerenter depoſitum ſepeliuit.* Hactenùs venerabilis Beda. Nec eſt quòd aliquis excipiat Martyrologium hoc, quod inter opera eius editum eſt, nonnullis additamentis eſſe aſperſum: Sanctos ſiquidem pleroſque eo in Martyrologio recenſeri, qui nonniſi diu poſt eius mortem nati ſunt, & feſtiuitates per accrementum ſubinde inſtitutæ. Hoc autem minimè inficior, ſed additiones illæ nonniſi de Sanctis, aut ritibus, poſterioribus ſunt, nec cadunt in primordialem ſeriem, cui inſertum fuiſſe S. Andream Apoſtolum ſignata die Natalis eius, nemo ſanæ mentis abnutum ire poteſt. Porrò quod ibi Beda illi appendit elogium, eâ texturâ conſtat, vt nulli pateat in ea locus, qui interpolationis ſuſpectus eſſe poſſit: adeo ſeria, ſtricta, denſa, & pura eſt, ac per omnia ſibi cohærens, vt vno ſpiritus impetu, eodem calami curſu manifeſtè ſit contexta, ſtylúmque & genium Bedæ Venerabilis vndequaque ſpiret & planè referat.

VIII. Vſuardus Monachus, qui iuſſu Caroli Magni Martyrologium breue quidem, ſed accuratum ac celebre ſcripſit anno 812. quo multæ Eccleſiæ hactenùs vſæ ſunt ; S. Andreæ Natalem arctiori adhuc elogio, ſed eodem ex fonte delibato illuſtrauit, hoc digeſto tenore, *Pridie Kalendas Decembris, in ciuitate Patras prouinciæ Achaiæ, Natalis S. Andreæ Apoſtoli, qui etiam apud Scythiam prædicauit:*

Hic beatißimus ab Ægea Proconſule comprehenſus primò in carcere eſt clauſus, deinde grauißimè cæſus, ad vltimum verò in cruce appenſus biduò ibi ſuperuixit.

IX. Ado Viennenſis Archiepiſcopus eodem tempore ſcientia ac virtutibus inſignis, præter Chronicon & Martyrologium, præclarum ſcripſit libellum, quem prænotauit, *de feſtiuitatibus Sanctorum Apoſtolorum & reliquorum, qui diſcipuli aut vicini, ſucceſſoréſque ipſorum Apoſtolorum fuerunt;* In quo B. Andreæ martyrium ac triumphum iiſdem pæne verbis, quibus Beda expreſſerat ex ſæpedicta Preſbyterorum Achaiæ epiſtola, ſed paulo fuſiùs deſcripſit: adeo vt ipſius epiſtolæ perſpicuum ſit ac genuinum compendium, breui tantùm excepto corollario, quod ſubiunxit de prima ipſius Apoſtoli tranſlatione. Cæterùm in ſuo Martyrologio pridie Kalend. Decembris, nullum ponit eiuſdem aliud præconium, ſed ſimplici dumtaxat hac ſignat notatione, *Natalis S. Andreæ Apoſtoli;* vbi in margine monet Roſweydus, Vide librum (eiuſdem Adonis) de feſtiuitatibus Apoſtolorum.

X. Remigius Monachus Antiſſiodorenſis, ſæculi Eccleſiæ noni non poſtremum lumen, cuius (doctrinâ ſua ætate percelebris) ope feliciter vſus beatus Fulco Remenſis Archiepiſcopus, ſcholas ſua in metropoli reſtituit: epiſtolæ Sacerdotum Achaiæ tam compertam habuit ſinceritatem: vt eius auctoritate nixus, repullulantis hæreſis Sacramentariæ peſtiferos ſatores intrepidè aggreſſus, valida manu repreſſerit, corporis Domini in Euchariſtia (petito hinc S. Andreæ teſtimonio) aſſerens veritatem. Si quidem in Commentario ſuo ſuper Pſal. 21. ad illa verba, *Manducauerunt & adorauerunt omnes pingues terræ,* ſic inquit: *Quid ſint intelligent, ſcilicet dominicum corpus eſſe non ſolùm commemorationem, vt quidam hæretici voluerunt, cùm tamen Dominus apertè dixiſſet: Hoc eſt corpus meum quod pro vobis tradetur:* multíſque interiectis, quæ, ne fuſior ſim, impræſentiarum prætereo, tandem ſubiungit, *Et quamuis hoc Sacramentum à pluribus accipiatur, non tamen (vt videtur) in partes eſt diuiſum, ſed totum ſingulis eſt indiuiſum,* ANDREA APOSTOLO *ſic teſtante: Agnus quamquam ſacrificatus eſt, integer perſeuerat & viuus,* &c. *Et pauperes Chriſti hoc modo intelligentes, edent ſcilicet illud ſacrificium, & ſaturabuntur,* &c. *Et non ſolùm pauperes, ſed etiam diuites terræ manduca-*

Circa an. Dom. 890. opera eius inſigniora extãt in magna Bibliotheca veterum Patrum, Coloniæ edita anno 1618. tom. 9. ſiue ſæculi 9. parte 2.

bunt & adorabunt. Hæc ille, qui rursus eiusdem epistolæ verbis vtitur in Psal. 40.

XI. Sanctus Wolphemus, Confessor & Abbas Bruuilerensis, in Dioecesi Coloniensi, anno 1050. clarus doctrina, sanctitate, & diuinæ operationis signis, eo tempore iam senex quo Berengarius funestæ memoriæ dogmatista, magnæ pietatis Sacramentum, videlicet diuinam Eucharistiam, impugnabat, euertereque Ecclesiæ fidem de vera in hoc mysterio & reali corporis Christi præsentia omni contentione nitebatur; Rogatus à Meginardo Abbate Gladebacensi, hac de re quid sentiendum sibi esset præscribere, eruditam ad eum scripsit epistolam, qua fidem veram de reali existentia corporis Domini in hoc sanctissimo & venerabili Sacramento, strenuè asseruit, tenendámque irrefragabilem efficacissimis edocuit rationibus. Sub finem verò, auctoritate fultus sæpedictæ epistolæ, quam nominatim allegat, hunc in modum disserit: *Hoc autem corpus post expletam more Catholico communionem, sanum & incolume, viuum & integrum se recipit ad Patrem,* SIC ENIM TESTATVR ECCLESIA ACHAIÆ B. ANDREAM DICERE, *postquàm omnis populus credentium agni carnes comederit & sanguinem biberit, agnus qui sacrificatus est integer perseuerat & viuus: & cùm verè sacrificatus sit, & verè carnes eius comestæ sint à populo, & verè sanguis eius sit bibitus, tamen, vt dixi, & integer permanet & immaculatus & viuus.* Extat hæc epistola apud Surium descripta à Conrado ipsius S. Wolphemi discipulo & alumno in eius vita, die 22. Aprilis, quo sancti huius Confessoris anniuersaria colitur memoria.

XII. Lantfrancus Archiepiscopus Cantuariensis ex Monacho Beccensi, & Abbate Cadomensi in Gallia, malleus fuit eiusdem Berengarij sui synchroni, perniciosissimique pacis & vnitatis Ecclesiæ Catholicæ dissectoris; aduersus quem librum illum percelebrem & planè diuinum de corpore & sanguine Domini non sine columbino gemitu perscripsit, qui tribus supra viginti capitibus constat; quorum decimo argumentum ipsius hæresiarchæ contra realem in magno Eucharistiæ Sacramento Christi præsentiam, ductum ex perpetuo Christi ipsius in dextera Patris consessu refellens; validum hoc ipsum telum, ex eadem depromptum pharetra epistolæ Ecclesiarum Asiæ, intorquet, quo

potenter illi lethale infert vulnus, inito argumento ad hominem; Dixerat Berengarius, sed eleuata re in cælum, (id est Christi corpus) sedénsque ad dexteram Patris vsque in tempora re- ,,
stitutionis omnium (quod scribit Apostolus Petrus) cælo de- ,,
uocari non poterit. Annuit Lanfrancus, & Berengarium cau- ,,
sam quam impugnat agere, solerter aduertit ac demonstrat, sanctique Andreæ auctoritate (scilicet ab Achaiæ Sacerdotibus, in epistola præsignata, testimonio ineluctabili obfirmata) ipsius Berengarij argutiam refringit: *Christus tamen* Rom. 6.
(inquit) *resurgens ex mortuis, iam non moritur; mors illi vltrà non dominabitur. Sed sicut dicit S. Andreas Apostolus: Cùm verè in terris carnes eius sint comestæ, & verè sanguis eius sit bibitus, ipse tamen vsque in tempora restitutionis omnium in cælestibus ad dexteram patris integer perseuerat & viuus.* Sanè non mirum est, si recentiores heterodoxi, toruis hanc epistolam aspiciant oculis, qua (cùm sint indubitati ipsius Berengarij hæredes) iugulum patris, ab ipso initio Sacramentarij quod mouerat belli, petitum & transfixum fuisse à fidei Catholicæ primariis propugnatoribus, tam ægrè ferunt, quàm grauiter dolent.

XIII. Iuo beatæ memoriæ Episcopus Carnotensis, qui eodem sæculo vixit, (cuius etiam nonnihil auxit splendorem) eodem tramite quo illi testamenti Christi primarij defensores, contra eius hostes incessit, iisdémque pro eius assertione & tutela aduersus eos armis vsus est, speciatim verò dictæ epistolæ, suprema dicta S. Andreæ referentis auctoritate, tractatu seu sermone de conuenientia veteris & noui sacrificij inter medium & finem, *Ecce* (inquit) *ad memoriam veniunt verba B. Andreæ Apostoli, quibus asserit & in cælis esse corpus Domini, & de altari posse sumi corpus Domini. Cuius* (inquit) *carnes cùm sint comestæ in terris à populo, & sanguis eius bibitus, ipse tamen vsque in tempora restitutionis omnium, in cælestibus ad dexteram Patris integer perseuerat & viuus.* *Extat Tom. 10. Biblioth. SS. Patrum pag. 790. &c.*

XIV. Beatus Petrus Damiani S. R. E. Cardinalis ac Ostiensis Episcopus, vir in quo iure dubites, quo magis titulo gloriæ præcelluerit, vel raræ suo sæculo sanctitatis, vel diuinæ sapientiæ ac doctrinæ: quibus dotibus, Ecclesiam tunc temporis nonnihil afflictam velut opportuno solatio recreauit. Is inter cætera excelsi sui ingenij & pietatis eximiæ monumenta quæ reliquit, egregios litteris consignauit sermones

iuxta mensium ordinem distributos, in quibus duo sunt ab eo in Natali S. Andreæ habiti, quibus effusis deuotionis affectibus eum summis præconiis attollit & celebrat; At verò serm. 2. indicat ex quo potissimùm fonte Martyrij eius triumphalis epinicium delibarit, *Magister* (inquit) *& Dominus noster: cuius schola est in terris & cathedra est in cælo, ex his omnibus quos elegit, elegit & prælegit Andream Apostolum, cuius solennitatem & vocibus & cordibus inclamamus. Non subterfugit vos, quia quodammodo tenerrimus est & dulcior in cordibus fidelium: Cuius passio* (scilicet in epistola de qua agimus graphicè descripta) *tanta spiritus deuotione distillat, vt mentes audientium adipe & pinguedine replere videatur*; VNDE NON IMMERITO IN SINGVLAREM AVCTORITATIS ARCEM SVSCEPTA EST, *quam qui viderunt scripserunt orbi, & ministri fuere sermonis.* Hæc B. Petrus Damiani, censor siquis prudentissimus, & consensus vniuersalis Ecclesiæ, in epistolæ illius discipulorum S. Andreæ approbationem, testis omni exceptione maior, qui non modò ait illam epistolam ab Ecclesia susceptam, sed in arcem insuper euectam singularis auctoritatis; quasi diceret inter acta magis pura & authentica Sanctorum Martyrum, quæ in Ecclesia Catholica leguntur, hanc passionem S. Andreæ ab eius discipulis, gloriosi eius certaminis spectatoribus, & testibus legitimis conscriptam præminere singularis auctoritatis fastigio.

XV. S. Bernardus (quem vel notare perinde est ac indicare solem Ecclesiæ fulgentissimum) propensissimus itidem fuit in B. Andreæ venerationem, in cuius pij affectus testimonium tres copiosos insignésque sermones de ipso habuit, & litteris piorum memoriæ consignauit; primum in ipsius vigilia, secundum & tertium in eius solennitate: in quibus cùm totus sit in celebrando eius miro & planè stupendo erga crucem amore, & feruentissimo in ea pro Domini gloria moriendi desiderio, verbis eius igneis, vt vocat, & potiùs Angelicis quàm humanis sæpe sæpiùs prolatis, expensis, inculcatis, variáque expositione, commendatione celebratis: tandem vt fodinam, ex qua aurum eruit tam pretiosum indigitet, venas tanti thesauri inquirentibus, hanc ipsam indicat epistolam, iisdem quibus Petrus Damiani præfatus illam commendarat terminis, vtens: *Vnde* (inquit) *non immeritò in singularem auctoritatis arcem sus-*

cepta est, quam (passionem) *qui viderunt scripserunt orbi, & ministri fuere sermonis.* Subiungit verò, *Vocatio eius, vita eius, & passio cognita sunt vobis: & nunc quid superest vt à me amplius expectetis.*

Atque hîc gradum sistimus, vlteriùs progredi in hac disquisitione haud necessarium existimantes: quoniam manifestum est posteriores Doctores qui sanctos Patres secuti sunt (quorum S. Bernardus agmen claudit) ipsorum hac de re sententiæ constanter hactenùs inhæsisse, quæ, vt notum est, vna eadémque in Catholica Ecclesia hucusque perseuerat.

CAPVT V.

Veritatis huius Ecclesiasticæ traditionis perspicua demonstratio.

TRADITIONIS Ecclesiasticæ germanitatem in Panoplia nostra Clericali certis indiciis ac notis nuper ostendimus; quamobrem haud operæ pretium fore puto, fusè hîc de eadem materia disserere: ideóque omissis quæ illic copiosè dicta sunt, breuiori tramite hîc procedam. Vtar siquidem B. Vincentij Lerinensis optimo ac perapposito demonstrationis, veræ Apostolicæ traditionis, compendio, quo aduersus profanas vocum nouitates mira methodo, rationéque præscripsit. *In ipsa autem Catholica Ecclesia* (inquit cap. 3.) *magnoperè curandum est, vt id teneamus, quod vbique, quod semper, quod ab omnibus creditum est. Hoc est enim verè propriéque Catholicum (quod ipsa vis nominis ratióque declarat) quæ omnia verè & vniuersaliter comprehendit: sed hoc ita demum fit, si sequamur vniuersitatem, antiquitatem, consensionem; sequemur autem vniuersitatem hoc modo, si hanc vnam fidem veram esse fateamur, quam tota per orbem confitetur Ecclesia; antiquitatem verò ita, si ab his nullatenùs sensibus recedamus, quos sanctos maiores ac patres nostros celebrasse manifestum est: consensionem quoque itidem, si in ipsa vetustate, omnium vel certè pæne omnium Sacerdotum & magistrorum definitiones sententiásque sectemur.* Ita ad verbum Vincentius Lerinensis, qui anno 440. magna inter lumina Ecclesiæ, admirandæ doctrinæ eximiæque sanctitatis gloria radiabat.

Porrò non nescius sum illum de traditione dogmatica loqui, non de historica: nec historicam de qua hîc agitur exæquare volo dogmaticæ quæ spectat ad fidem; sed per aliquam analogiam, sine errore licèt, authenticam esse in Ecclesia historiam, quam asserimus, à Presbyteris & Diaconis Achaiæ conscriptam, iisdem rationibus & lineamentis demonstrare.

Traditionem tam de fide, quàm de ritibus & rebus sacris Catholicam esse docet præfatus Pater, quæ nititur vniuersitate, antiquitate, & consensu, seu vt etiam ait, quæ credita vel seruata probatur, vbique, ab omnibus, & semper: Atqui illa traditio quæ ex epistola sæpedicta deriuatur; ipsáque epistola suscepta reperitur in Ecclesia vbique, ab omnibus, & semper; igitur verè est Catholica, nec reiici potest, nisi vniuersitas, antiquitas, & consensus reprobetur. Minor constat ex superiùs dictis & inductis; siquidem probatum est, quòd vt à S. Andreæ discipulis illa historica epistola de doctrina & passione eius ad vniuersas Ecclesias orbis directa fuit, sic toto orbe diffusa, suscepta fuit, hactenúsque tenetur. Deinde quòd hic vsus tantæ est antiquitatis, vt ab ipso primo Ecclesiæ sæculo, quo discipuli ipsi, testésque rei coram ipsorum oculis gestæ & peractæ, eam litteris encyclicis consignarunt, eius origo perenni temporum serie decurrat. Quod quidem planum & perspicuum fit tam ex sacrorum officiorum ritus Græci formulis, Menologio, & Mænis, cæterísque spectatæ antiquitatis monimentis & præsentis vsus indiciis: quàm ex Romanæ Ecclesiæ & cæterarum Occidentalium Breuiariis, Martyrologiis, Missalibus, adeovt, vllo sacris ex eiusmodi Ecclesiasticis libris, theoriis, & praxibus nequeat ostendi contrarium. Nam manuscripta omnia eiusmodi officia diuina, quę ex omni antiquitate supersunt, hoc perhibent. Et Rituales libri qui mox ac ars impressoria inuenta fuit, typis mandati sunt, idipsum testantur. Extat penes me Missale & Breuiarium Romanum Venetiis primùm editum anno 1486. & aliud anno 1512. & Parisiense Venetiis itidem impressum anno 1487. in quibus desumptis ex priscis exemplaribus manuscriptis, idem officium S. Andreæ, cum illo quod nunc extat habetur, demptis Lectionibus 2. Nocturni ad Matutinum, quarum loco habetur epistola illa Presbyterorum & Diaconorum Achaiæ de eiusdem sanctissimi Apostoli mar-

martyrio, quæ etiam expressa legitur in aliarum Ecclesiarum Breuiariis, quorum nonnulla, in libraria mea supellectili, iam à multis annis possideo, à me variis ex locis collecta, cum aliis quæ ex antiquis deprompta primùm typis edita sunt: porrò eandem traditionem in Ecclesia antiquissimam manifestissimè ostendunt; Denique consensus non tantùm ex duobus illis patet principiis, at insuper ex Sanctorum Ecclesiæ Patrum & Doctorum, quod inductione superiori capite demonstraui, spectato testimonio, & vnanimi consensu. Igitur illa traditio verè est Catholica, nec reiici potest, nisi omnia principia quibus traditio de fide Catholica nititur & probatur; continuò euertantur. quod si fieret nullum ferè dogma in Christiana Religione, posset inconcussum subsistere. Quamobrem hîc non immeritò, præclaram S. Augustini sententiam mihi vsurpare licet, quæ extat lib. 3. de peccatorum meritis & remissione cap. 7. Vbi cùm ipse attulisset quædam Patrum consona testimonia, pro peccato originali subiungit. *Hac non ideo commemoraui, quod disputatorum quorumlibet sententiis tanquam Canonica auctoritate nitamur, sed vt appareat ab initio, vsque ad præsens tempus, quo nouitas ista orta est, hoc apud Ecclesia fidem, tanta constantia custoditum.*

CAPVT VI.

Epistolam istam, tanta esse auctoritatis, vt etiam ab Ecclesiæ Catholicæ defensoribus, in dogmatum de fide confirmationem, iam olim (Ecclesia ipsa annuente) producta fuerit.

SANCTVS Bernardus, & Petrus Damiani, tanti esse ponderis hanc epistolam asseuerant, locis suprà citatis, vt (post canonicas fermè Scripturas) *in singularem auctoritatis arcem suscipi meruerit*. Ideo ad dogmatum fidei muniendam aduersus hæreticos veritatem, à fidei Catholicæ probatis ab Ecclesia assertoribus, plerisque iam à sæculis est inducta, etiámque nunc passim allegatur; sic ante annos 600. cùm Berengarius nouus hæresiarcha, veræ præsentiæ corporis Christi in Eucharistia realitatem, exertis viribus impugnaret; Catholici Scriptores qui veritatem fidei Catholicæ aduersus eum asserendam susceperunt, post Scripturæ

canonicæ auctoritatem, nullum aliud propugnaculum ipsius veritatis, eo validius censuerunt, quàm præclarum illud S. Andreæ, de vera Christi in hoc magno pietatis Sacramento existentia, documentum; discipulorum eius qui aderant ipsius passioni constanti testimonio obsignatum. Sic S. Wolphemus suprà laudatus (superiori capite numero 11.) in epistola eum in finem allegata ad Meginardum, super ipsius Berengarij nuper enascenti hæresi: Sic Beatus Lantfrancus, primus ille, vel saltem præcipuus, ipsius Berengarij (cuius erat coætaneus) antagonista; in illo celeberrimo de corpore Domini aduersus eundem hæresiarcham tractatu, cuius quoque argumentum, signato loco numero 12. & testimonium, sincera relatione expressimus: Sic Iuo Carnotensis beatæ memoriæ Episcopus, libello siue sermone *de conuenientia veteris & noui sacrificij*, vt patet ex eius ipsissimis verbis, quæ proprio itidem graphicè loco repræsentauimus.

1. Porrò Wolphemus omni est exceptione maior; vindicatæ vir sanctitatis, quæ omnem recusationis testimonij remouet obicem, vt patet ex sacris Ecclesiæ Catholicæ tabulis die 22. Aprilis, quo venerabilis eius memoria perpetuæ est obseruationi consecrata. Eius res gestæ exstant apud Surium, die signata, à Reynero Monacho descriptæ.

2. At verò Lantfrancus, quem modernus eius operum Euulgator scitè & meritò *ingeniorum phœnicem*, suæque ætatis *miraculum* appellauit; sed excelsiori & non indebito elogio S. Anselmus recèns prouectum ad Archiepiscopale solium Metropoleos Cantuariensis, congruenter exploratæ veritati nuncupauit, *fidei & sapientiæ lucernam, à Deo in eminenti candelabro constitutam, vt omnibus quæ in domo eius sunt præluceret.* Is inquam Lantfrancus, ad quem velut ad alterum Salomonem, non modò ab vltimis Galliæ finibus, sed remotis etiam Europæ prouinciis, frequentissimo concursu, ceu ad commune cælestis doctrinæ oraculum, & omnis virtutis ac pietatis magistrum, omnes conuolabant: Lantfrancus denique, cuius laudes veraci, sed succincto hoc elogio expressimus in Supplemento nostri Martyrologij, 5. *Nonas Iulij* (quo die eius sacra fulget memoria perpetua
« veneratione celebris) Is est qui noui & æterni Testamenti
« veritatem, contra Berengarium Andegauensem Archidia-
« conum, hoc humanæ salutis pretiosum pignus, & Seruato-

ris nobiſcum inuiolabile fœdus omni arte euacuare contendentem, orthodoxis ac aculeatis ſcriptis ab Eccleſia collaudatis fortiſſimè propugnauit, viuificatricíſque Chriſti carnis & ſanguinis exiſtentem hoc in myſterio ſubſtantiam ad alimoniam æternitatis fidelibus realiter exhiberi irrefragabiliter demonſtrauit. Primus Chriſtiani ſacrificij vindex, & Berengarianæ impietatis debellator.

3. Iuo denique Carnotenſis Epiſcopus, vir ille nunquam intermorituræ laudis & gloriæ, qui (vt de eo ſcribit Trithemius lib. de Scriptoribus Eccleſiaſticis) *in diuinis Scripturis maximè exercitatus, & canonum Sanctorum Patrum ac generalium Conciliorum cautiſſimus interpres, nec minùs ſanctitate quàm ſcientia reuerendus, ordinis ſui Canonicorum ſcilicet Regularium magnificus inſtaurator,* ac ſolertiſſimus de Eccleſiaſticis Sacramentis ac officiis diſſertator, aſſertórque fideliſſimus Sacramenti Euchariſtiæ diuinæ maieſtatis extitit.

Hi tres, inquam, Catholicæ fidei magnanimi defenſores aduerſus Berengarium (ipſo pacem Eccleſiæ perturbante) vno ſpiritu & animo decertantes, licèt locis diſcreti diuino afflatu irradiati, teſtimonium hoc diſcipulorum S. Andreæ, imò ipſius beatiſſimi Apoſtoli teſtamentum, doctrinæque cæleſtis qua plenus erat, in ipſo extremo agone ab eo prolatum oraculum, quaſi delapſum è ſuperno fulmen contra ipſum hæreſiarcham, euibrarunt, potentíque manu intorſerunt, ac incuſſerunt, quo monſtrum hoc caput in cælum erigens, ſpectante vniuerſo orbe, lethali ictu confoderunt. *Funiculus triplex* (vt ait Sapiens) *difficilè rumpitur:* nec aduerſus tres tantæ auctoritatis teſtes, quicquam opponi poteſt, quo eorum teſtimonium queat refringi; præſertim quòd ſint vnanimes & ab omni immunes exceptione, quin & eorum teſtimonio accedat manifeſtus Eccleſiæ Catholicæ aſſenſus. Audiuit enim eos ipſa loquentes; ſcripta, quæ ediderant legit & expendit, nec reprehendit, ſed laudauit, & quaſi ſua eſſent, propria ſyngrapha obſignauit. Certè Wolphemus, Lantfrancus, & Iuo, viri ſanctiſſimi & ſapientiſſimi ignorare non poterant, ſi proferrent in re tanti momenti quicquam falſum aut apocryphum, à Berengario hoſte ſolertiſſimo ac acutiſſimo, è veſtigio amoliendum iri, & in ipſos notam malæ fidei reiiciendam: Nec itidem neſciebant, hoc cauſæ Eccleſiæ præiudicium, potiùs quàm præſidium, allaturum: Proinde ipſam ſanctam fidelium matrem quam

Eccleſ. 4. 12.

1. Timoth. 3.15. Apostolus appellat *columnam & firmamentum veritatis*, hoc non impunè passuram, sed censuræ suæ inusturam nota publica atque perpetua. Abhorret enim ipsa Christi Ecclesia ab omni fraude, suppositione, falsitate, & librorum apocryphorum inductione ac vsu; Eius enim vox est, in Oecumenico Concilio Florentino (quo Oriens cum Occidente conuenerat sessione 23.) *Non innitimur apocryphis, aut deprauatis libris, & qui multis ignoti sunt, neque ambiguis, sed in ipsis diuinis Scripturis, & Sanctorum sententiis, quæ ab omnibus recipiuntur.* Qua ex regula palam fit dum Lanfrancus, Wolphemus & Iuo, pro Catholici dogmatis de Eucharistia assertione aduersus Berengarium dimicantes, testimonium S. Andreæ relatum ab eius discipulis & auditoribus intorquebant, Ecclesiam ipsam Catholicam quæ ipsorum disputationes audiebat, & verba & media, quibus tuendo fidem vtebantur, attendebat: citatum ab eis testimonium aduertisse, proinde scriptum hoc Sacerdotum Achaiæ, (cui post sacram Scripturam innitebantur) verum, sincerum, legitimum, & penitùs authenticum censuisse; alioquin erroris manifesti auctores illos arguisset, vel post eorum mortem inductionem ab illis perperàm factam, in re tanti momenti, erasisset, vel censura notasset. quod cùm minimè fecerit, illorum dictis annuit & consensit, ipsóque facto ostendit se libellum illum de S. Andreæ triumphali martyrio, non existimasse apocryphum, aut deprauatum, aut passim ignotum vel ambiguum: sed authenticum, sincerum, clarum, vbique notum, & ab omnibus receptum iudicâsse.

CAPVT VII.

Hanc insuper probatam epistolam, constanti sanctæ Sedis Apostolicæ iudicio.

VM S. Gregorius ex hac ipsa epistola expresserit, quod composuit, & in vsum Ecclesiæ edidit S. Andreæ officium, cui ipsam fere totam intexuit, & ex qua elicuit antiphonas super Psalmos & omnia responsoria quæ etiamnum in Natali eiusdem B. Apostoli concinuntur, quemadmodum suprà fuit proprio loco demonstratum: haud

dubium esse potest, quin ipsam epistolam hoc ipso illustri facto, tanquam veram, certam & authenticam approbauerit. Posteriores autem Pontifices, qui traditam ab ipso S. Gregorio & hinc expressam officij S. Andreæ seriem, perpetua in obseruantia susceperunt, & viua in Ecclesiæ praxi teneri viderunt, & retineri voluerunt: eo ipso hanc epistolam, tanquam fontem ab initio purè decurrentem, manifestè comprobauerunt.

Sed Alexander II. speciali, imò expressiori iudicio illam ipsam reperitur approbasse. Siquidem Lantfrancus *, cùm libellum suum de corpore Domini, ipsi sicut præceperat transmisisset: gratanter ipse Pontifex tantum munus suscepit, & irreprehensibile compertum, quin & velut firmum fidei Catholicæ præsidium, vbique iam celebratum laudauit, suáque Apostolica syngrapha quasi Catholicæ Ecclesiæ sigillo obsignauit (dum sub sua suscepit protectione.) In hoc porrò Tractatu testimonium S. Andreæ, eadem ex epistola desumptum c. 10. inculcatum legerat. Censuit igitur scriptum illud vnde expressum fuerat, fide dignum, vt notoriæ suffultum testimonio veritatis, & comprobatæ semper, ab omnibus, & vbique germanitatis.

* *Lantfrancus ep. 3. nuper edita cum ceteris eius opusculis, à doctissimo Patre D. Luca Dacherio asceta Benedictino.*

Paulus III. Clementis VII. successor, non minùs expressum hac de re tulit iudicium, qui cùm præfatus Clemens, vt Breuiarium Romanum in integrum restitueretur mandâsset Francisco Quigonio S. R. E. titulo sanctæ Crucis in Hierusalem Presbytero Cardinali, sic recognosceret vt ad veterem sanctorum Patrum, & Conciliorum antiquorum formam reuocaretur: Opus autem integrum cùm sacrâ illâ fultus iussione, ante ipsius Pontificis obitum absoluisset, non priùs illud euulgauit, quàm ipsius Pauli immediati Clementis successoris subiectum examini, ab eo fuisset auctoritate suprema approbatum, adeóque ab illo iussus fuisset, vt excusum typis in Ecclesiæ communes vsus quantocyùs iret emissum; sic enim ipsemet Cardinalis testatur in præliminari epistola, ad ipsúmque Paulum Pontificem proloquitur: *Breuiarium Romanum nuper à nobis, felicis recordationis Clementis VII. Pontificis Maximi hortatu confectum, ac potiùs in ampliorem sacrarum Scripturarum lectionem, ad veterem Sanctorum Patrum & Conciliorum antiquorum formam reuocatum, tuáque voluntate, sanctißime Pater, editum,* &c. Vnde patet ab ipso Pau-

lo approbatum fuisse. Subiungit autem idem Cardinalis Quigonius, qua ratione se gesserit in Lectionum de Sanctis delectu & expressione : *Ex Sanctorum historiis* (inquit) *diligenter consideratis, quasdam delegimus ex probatis auctoribus Græcis & Latinis ferè decerptas, & has cultiore stilo, non tamen fucato, sed potiùs ex industria Clementis Pontificis attemperato, disposuimus per annum totum : vt igitur quasdam historias Sanctorum retinuimus, aut reposuimus, denuo conquisitas ; sic quasdam omisimus illis nec probabilitate, nec grauitate pares, temeritate videlicet priuata quorundam introductas.* Cæterùm S. Andreæ historia est melioris notæ, & primæ classis, vtpote longo vsu suscepta, éxque authentico libello de eius passione, ab eiusdem discipulis ad vniuersas Ecclesias conscripto (vt palam fit ex tota serie) desumpta, & tantùm abbreuiata, expressaque, cultiore parumper stilo. Hanc igitur inter sincera venerandæ antiquitatis monumenta censuit Paulus III. summus Pontifex, cùm Breuiarium Romanum, iussu Clementis VII. decessoris sui ad amussim priscorum Patrum & sacrorum Canonum instauratum & confectum (non sine præuio serióque examine) approbauit.

Sed Pius V. sanctissimæ memoriæ Pontifex, Concilij Oecumenici Tridentini Decretum de recognoscendis iterùm Missalibus & Breuiariis à Pio IV. suo proximo antecessore probatum & susceptum exequens, omnem curam & operam adhibuit, vt ab omni næuo sacra eiusmodi volumina vindicata vniuersæ Ecclesiæ exhiberet : quod quidem reuerà præstitit, vnde sic in præliminari suo diplomate eloquitur. *Cùm sacrum opus, adhibitis etiam ad illud aliis peritis viris* (præter eos scilicet quos Concilium delegauerat) *maximè vrgeremus, magna in nos Dei benignitate* (*sic enim accepimus*) *Romanum hoc Breuiarium vidimus absolutum : Cuius ratione dispositionis ab illis ipsis qui negotio præpositi fuerant, non semel cognita, cùm intelligeremus eos in rei confectione ab antiquis Breuiariis nobilium vrbis Ecclesiarum, ac nostræ Vaticanæ Bibliothecæ, non discessisse, grauésque prætereà aliquot eo in genere Scriptores secutos esse, ac denique remotis iis quæ* ALIENA ET INCERTA ESSENT, *de propria summa veteris diuini officij nihil omisisse*, OPVS PROBAVIMVS, *& Romæ imprimi impressúmque diuulgari iussimus.* Cæterùm in hoc Breuiario tanta cum districtione iudicij examinato

& probato, Passio S. Andreæ ad amussim Epistolæ Presbyterorum Achaiæ concinnata & expressa, in eius Natali sacris in officiis recitanda proponitur, verbáque illa quæ sanctus Apostolus coram Ægea Proconsule, dixit, de quotidiano Ecclesiæ sacrificio & Eucharistiæ mysterio, patenter ex eodem libello deprompta proferuntur; quæ certè si apocrypha aut ambigua, vel aliena ab Ecclesiæ vsu & consensu, reiecta fuissent; nam Pontifex testatur, ab hoc emaculato Breuiario ea quæ aliena essent & incerta, studiosè remota fuisse.

Verùm Clemens VIII. optimus & sapientissimus Pontifex, iterum exactissimè fecit Breuiarium ipsum Romanum à delectis Censoribus recognosci; *Mandauimus* (inquit*) *nonnullis piis & eruditis viris, quorum consultatione & opera in eiusmodi rebus frequenter vtimur*, (scilicet inter primos Toleto, Baronio, & Bellarmino præcipuis tunc sanctæ Sedis luminibus ac columinibus) *vt idem Breuiarium, noua adhibita diligentia accuratiùs inspicerent atque examinarent, & ea quæ deprauata esse, & recognitione indigere animaduerterent, pro sua doctrina & pietate restituerent. Quod cùm ab iis exactè, ac profectò non mediocri cum emolumento præstitum sit*, &c. *Nos illud in nostra Typographia Vaticana, quàm emendatissimè imprimi ac diuulgari iussimus.*

* *In præfixis eidem Breuiario Litteris Apostolicis.*

Porrò accidit tunc non sine superno consilio & afflatu, vt historia passionis S. Andreæ, quæ in sæpedicta epistola discipulorum eius continetur, & ex ea in eius Natalis officio publicè legitur, mota à quibusdam de eius sinceritate noua controuersia, ad rigidum reuocaretur Apostolicorum illorum Censorum examen. Rem gestam, & latum tunc ab eo sacro consessu hac super quæstione iudicium refert qui tunc aderat Cardinalis Bellarminus: *Audiui* (inquit) *aliquando magnum quendam virum eam historiam in dubium reuocantem; sed certè videtur negari non posse quin vera, & antiqua, & vtilis sit, historia:* Subiunctísque continuò huius suæ sententiæ argumentis, demum concludit, *Denique in Breuiario Romano nuper recognito, historia hæc, cùm de ea inter viros doctos & graues acriter disputatum est,* OMNIVM *consensu approbata, locum suum retinuit*; cum hac clausula quæ in fine Lectionis VI. extat: *Quæ omnia Presbyteri & Diaconi Achaiæ, qui eius passionem scripserunt, se ita vt commemorata sunt, audisse & vidisse testantur.* At verò horum censorum iudicium sua suprema auctoritate

Clemens VIII. (ad quem ſingulis diebus referebantur, quæ hac in delectorum ab eo iudicum congregatione fiebant) confirmauit, & ipſam hiſtoriam manere intemeratam voluit in Breuiario Romano; quod cum tam ſeuero examine diſcuſſum & digeſtum, authentico ſuo diplomate, eidem præfixo, vt hactenùs legitur, approbauit.

Hoc igitur Apoſtolicæ Sedis ſolenni iudicio, ipſimet epiſtolæ acceſſit (vt in re non prorſus abſimili dixit dudum Vincentius Lerinenſis) ROBVR INVICTVM; ita vt vltra (ſicut de Zozimi Papæ quadam definitione ait S. Auguſtinus) de re ſic deciſa, NEFAS SIT DVBITARE CHRISTIANO.

FINIS
PRIORIS PARTIS APOLOGIÆ.

PARS ALTERA.

Qua Aubertini Ministri Caluiniani futiles argutiæ & obiectiones, aduersus hanc Epistolam, refelluntur.

ADMONITIVNCVLA.

ACTENVS epistolæ huius asserui authenticam originem & germanitatem: sed quia Nouatores, qui ægrè ferunt hinc aduersum se, pro fidei Catholicæ dogmatibus confirmandis, testimonia peti, dum proferuntur obmurmurant & grunniunt, atque ad illius auctoritatem infringendum varias argutationes & ratiunculas obiiciunt, quibus imperitorum oculis fumum & puluerem iniiciunt; operæ fore pretium existimaui, has præstigias discutere, vt sol veritatis pulsis procul nebulis, suo in splendore nitidus ac coruscans vndequaque appareat. Sic igitur hîc mihi contigit quod euenit pridem Templi Hierosolymitani instauratoribus, qui cùm à veræ religionis hostibus interturbarentur, *vna manu faciebant opus, & altera tenebant gladium*; Trulla ædificantes, simúlque gladio suos 2. *Esd.* 4. 18. aduersarios repellentes, qui sacram structuram impedire contendebant: sic enim vt præsignatæ epistolæ astruerem sinceritatem, ius eius legitimæ originis certum & exploratum esse demonstraui; nunc verò mihimet incumbit remouere obices, quibus ingenuitatis huius titulos segreges impugnant. At verò Edmundus Aubertinus Caluinianæ sectæ non infimus Minister, suo in libro *De veteris Ecclesiæ circa Eucharistiam politia*, Nouatorum ipsorum, quasi facto agmine, argutias congessit, adauxítque; quibus si non obrueret Catholicam veritatem, tamen eam pro virili impetitum iret, lucentémque aliquatenùs inumbraret: porrò hæresi cuius partes tuetur inderet speciem quandam

probabilitatis, qua plerique non exercitati in deprehendendis discutiendísque sectariorum artibus, facilè ab his decipiuntur; siquidem (vt ait sapienter Philosophus Metaphys. 4.) *Omnes homines non decipiuntur, nisi in eo quod nesciunt: aut in eo, cuius non est cognitio valde manifesta.* Cæterùm ne is argutator, aut alius quispiam pro eo, causetur, bona fide me secum non agere: palam & candidè polliceor me eius exactam disputationis habiturum rationem, nec prætermissurum quicquam, non solùm quod alicuius sit momenti, sed quod aliquantulam habeat ratiocinationis speciem: denique ad omnia perspicuè & accuratè (Deo auxiliante, vt de eius ineffabili bonitate confido) me sponsdeo responsurum.

CAPVT I.

Impingit Aubertinus in ipsum disputationis limen.

AVBERTINVS in limine omnium testimoniorum, quæ proferunt Catholici pro asserenda corporis & sanguinis Domini in Eucharistiæ venerabili Sacramento, veritate, testimonium discipulorum S. Andreæ Beatissimi Apostoli constituit dicens, hoc omnium primum esse Patrum à sæculo 1. vsque ad 6. quæ sui (scilicet nouorum segregum) aduersarij (hoc est Catholicæ fidei vindices) obiiciunt. Propositio ista fortè sine vlla impugnatione apud me transiret, nisi ipse quo cum agimus Aubertinus, sequiorem interiecisset restrictionem, dum vocare non eum pudet, testimonium adeo authenticum (provt ostendimus) non verum, sed suppositititium. ita enim in ipsa fronte examinis, illud vulgari idiomate consignat, *Témoignage pretendu des disciples de S. André.* Quo enim nomine sectam suam nouit passim vocitari, scilicet, *La Religion pretenduë reformée*, placuit ei præclarum hoc testimonium, quo hæresis sua quasi acuto telo configitur, repercutere: Nescio quid magni sese aggressum sibi persuasit, quòd primus ferè ausus sit vocare in dubium testimonium illud, cuius auctoritatem hactenùs vix quispiam sectariorum in controuersiam traduxerat. Quo ausu non prorsus absurdè (vt reor equidem) existimauit se locum aliquem in Auctario Polydori

Virgilij *de inuentoribus rerum*, poſſe promereri.

Hoc motus intento, vt videtur, progrediens, diſputationem ſuam exorditur, rationéſque exſcribit quibus fretus Cardinalis Bellarminus lib. 2. de Euchariſtia cap. 1. teſtimonium iſtud diſcipulorum S. Andreæ affert ac propugnat, legitimúmque & authenticum eſſe demonſtrat. Et mirum quidem mihi eſt, cur tam ſolidis quàm perſpicuis argumentis Aubertinus, qui ea adamuſſim refert, non afficiatur: Vereor autem ne ſicut cæcus lucem circumfuſam non videt, ſic ipſe præoccupatione erroris obcæcatus, lumen veritatis ſibi expoſitum non percipiat; in eiuſmodi enim hominibus, qui manifeſtæ veritati eius ex odio aduerſantur, illud propheticum iuſto Dei iudicio adimpletur, *Quoniam miſcuit vobis Dominus ſpiritum ſoporis, claudet oculos veſtros, & erit vobis viſio omnium, ſicut verba libri ſignati, quem cùm dederint ſcienti litteras dicent, Lege iſtum. & reſpondebit, Non poſſum, ſignatus eſt enim. Et dabitur liber neſcienti litteras, dicetúrque ei, Lege. & reſpondebit, Neſcio litteras?* Iſa. 29. 10. 11. Videtur ſiquidem Aubertinus referens quæ Bellarminus pro fide profert argumenta, tam ab auctoritate quàm à ratione petita, ea ipſa quæ exſcribit non poſſe legere, vel ſi legit non intelligere: nam nec aſſertæ euidentíque veritati cedit, nec ad rationum momenta quæ ſeriatim recitat, vllatenùs reſpondet. His extremis dumtaxat Bellarmini verbis, quibus demonſtrationem concludit, ſubiratus hæret Miniſter, quibus ſe ſuíque ſimiles pungi putat ac perſtringi: *Ad hunc locum non vidi vllam reſponſionem hæreticorum.* Hactenùs Bellarminus. Subiungit ille, *nobiſcum ea ſe gerens modeſtia, quâ Ieſuitæ ſolent.* Nempe veritas odium parit. Bellarminus tametſi eminentiſſimus Eccleſiæ Cardinalis, titulum Ieſuitæ ſemper retinuit, & ſuis in vniuerſis libris numquam ſignare prætermiſit. Sed grauatè fert Aubertinus, ſe ſuóſque Symmyſtas genuino nomine nuncupari, ſcilicet dolet hæreticorum appellatione comprehendi; quia ſe illóſque hæreſis reos non neſcit; quamobrem non erat cur Bellarmino, aduerſarios quoſque magni pietatis Sacramenti, hæreticos (vt reuera ſunt) appellanti, ita ſuccenſeret: ſatius erat eius argumentis promptè & expeditè reſpondere, aut ſaltem hanc extremam dictorum ipſius Bellarmini clauſulam refellere, qua ait non extare ad hunc locum, vllam hæreticorum reſpon-

ſionem : debuiſſet enim Aubertinus è veſtigio oſtendere, fuiſſe ab hæreticis Sacramentariis huic illuſtri teſtimonio ſatisfactum. Hæreſis huius fuiſſe parentem Berengarium nemo neſcit : Cui à Lantfranco iam olim hoc ipſum teſtimonium obiectum eſt, ab Iuone Carnotenſi paulò pòſt denuò propoſitum & incuſſum ; cui tamen Berengarius tum viuens, nec alius deinceps pro eo & eius ſecta, reſpondit.

CAPVT II.

Aubertini futilis interpretatio, qua ipſius teſtimonij vim conatur eludere.

FINGIT tamen vir iſte (cui præ ſe Bellarminus tantus athleta, pygmæus & quid infrà videtur) teſtimonium illud diſcipulorum ſancti Andreæ nihil ſibi omninò aduerſari, ſed facilè ſuum in commodum flecti poſſe & ad ſenſum Caluinianum explicari. *Quid enim* (ait) *me vetat, verba hæc quæ ſanctus Andreas fertur dixiſſe ad Ægeam iudicem : Ego agnum ſacrifico, ſic interpretari, in myſterio & repræſentatione :* ſecundùm quod ait Auguſtinus ep. 23. *In Sacramento quotidie immolatur.* At textus hoc gloſſema non patitur : infrà enim S. Andreas aſtruit ſacrificij agni veritatem, figurámque realitatis expertem, patenter excludit. Porrò dictum Auguſtini non ad rem præſentem ſpectat, ſiquidem loquitur hìc Auguſtinus, non de victima immolata, ſed de modo tantùm immolationis, & dicit, ſemel quidem Chriſtum paſſum in cruce : ſemel in ſeipſo, ſcilicet viſibili forma modóque cruento immolatum, & tamen omni die populis in Sacramento, id eſt incruento more & myſtico ritu, ſcilicet inuiſibiliter ſub ſignis viſibilibus immolari. Non mentiri nos igitur, cùm hìc eum immolari dicimus, quia ſcilicet hìc eſt verè & realiter, quamuis non apparenter : Perfidè autem vt hinc genuinum B. Auguſtini ſenſum præcidat Aubertinus, illa verba eiuſdem Patris, *omni die immolatur*, ſic exponit*, id eſt *quotidie occiditur*, Chriſtus enim *ſemel mortuus eſt, & iam non moritur*, proinde nec occiditur in altari, ſed verè immolatur & offertur : quia hoſtia quæ in cruce immolata dudum fuit, hoc in Sacramento quod ſub ſignis externis eam reipſa continet, realiter exiſtit ; id

* in Gallico, quo loquitur, idiomate.

est quod intendit Hesychius, continuò citatus ab ipso Aubertino, dum dicit nos agnum mysticè immolare: ritus enim immolationis mysticus est, quamuis rei oblatio sit vera. Et ideo Patres, maximè verò SS. Basilius & Augustinus sacrificium Eucharistiæ rectissimè vocant, *Mysticam & veram noui Testamenti oblationem.* Fallit igitur Aubertinus dum vult persuadere mysticam immolationem, realis & veræ supponere exceptionem quin & exclusionem. Paris est ineptiæ quod subnectit ex Leone Magno, serm. 16. de pass. Domini (quem dumtaxat inscribit Leonem I. Romæ Episcopum) videlicet, *verè Dauid in Christo est passus, quia verè Iesus in Dauid carne est crucifixus. Vbi* (inquit Aubertinus) *verè, sumi debet pro moraliter.* Quis enim ferat sine formidine falsi, violentam eiusmodi interpretationem? cùm quod Leo Pontifex ait verè factum, Minister contendit tantùm figuratiuè accipiendum esse, etenim moraliter opponit aduerbio realiter. Argutia sophistæ hîc est manifesta: quæ facilè dissoluitur si adhibeatur hæc distinctio, inter personam & carnem; sicut enim in persona Dauid fatendum est Christum moraliter esse passum; sic in eius carne concedi debet verè fuisse crucifixum, ipse enim est verè *ex Patribus secundùm carnem* Rom. 9. 6. Et sicut (secundùm Augustinum) *caro Christi est caro Mariæ*, ita eius caro, Dauidis caro est & Abrahæ, iuxta illud, *Liber generationis Iesu Christi filij Dauid, filij Abraham:* Filij, inquam, veri & non adoptitij, quia Eua de Adam sumpta est, verè ea ab eo dicta est *os de ossibus eius, & caro de carne eius:* non tantùm moraliter, sed etiam verè & substantialiter. Sanè si Christus non esset verè filius Dauid, non esset verus homo: sed est verus homo, non phantasticus quemadmodum Marcionistæ & Manichæi contendebant, quia verè ex Dauidis carne carnem assumpsit, & verè in carne quam assumpserat crucifixus est. Addit Minister, Et cur hæc verba Apostolo Andreæ attributa? *qui cùm sit verè manducatus à populo, integer perseuerat*, explicari non possent verè, hoc est spiritualiter, sicut alicubi ait ipse Cardinalis Bellarminus, verè reficitur hoc cibo qui manducat corde. Miror argutoris huius impudentiam. Sanè loco signato Cardinalis Bellarminus obiectioni Sacramentariorum ductæ ex quodam loco sancti Augustini respondet hoc modo, *Illud autem: Qui manducat corde, non qui premit dente, dixit Augustinus*

Lib. 1. de Eucharist. c. 7. §. ad alia.

cùm de Sacramento loqueretur, non vt tolleret Sacramentalem esum, sed vt significaret finem Sacramenti huius esse, alere animam non corpus, licèt per instrumentum corporis sumatur: Verè enim reficitur hoc cibo qui manducat CORDE, *non qui premit dente, nimirum* SOLO; quas duas voculas pseudo-dogmatista fraudulenter suppressit, vt Lectori illuderet, & Bellarmino imponeret, qui hæresim illam de sola manducatione spirituali, exclusa reali, omnibus neruis toto hoc vasto opere de Eucharistia impugnat: & eodem loco quo abutitur Caluinianus Minister, refellit, & hac distinctione destruit, *dente nimirum solo*, quod sic continuò explicat ex ipsius S. Augustini mente, *Non enim excludit corporalem esum, cùm ibidem dicit Iudam comedisse solo corpore, sed solùm anteponit spiritalem manducationem corporali, quòd illa sine ipsa prosit, ista sine illa non prosit, sed obsit.* Cæterùm hoc obseruare iuuat, quod scribit S. Bernardus in vita S. Malachiæ: *Fuit quidam sciolus in oculis suis qui præsumpsit dicere, in Eucharistia esse tantummodò Sacramentum & non rem Sacramenti, id est solam sanctificationem, & non corporis veritatem.* Vbi subnectit insigne miraculum, quo ille à B. Malachia *coactus est, vel inuitus veritatem tandem amplecti & confiteri.* Vtinam Aubertinus tum præsens adfuisset, ab eodem quo laborat morbo fuisset (vt piè confido in diuina misericordia) liberatus, didicissétque amplecti ipsam quam impugnat Catholicæ Ecclesiæ fidem, & proprium sensum verborum istorum S. Andreæ, de agno in altari immolato, *qui cùm verè sit sacrificatus, & verè à populo carnes eius manducatæ, integer perseuerat & viuus:* Illud enim aduerbium *verè*, bis inculcatum, manifestè (vt patet) adstruit veritatem & excludit solam figuram, quam ipse Aubertinus dolosè, & ad simplices decipiendum, per modalem vocem, *spiritualiter*, inductum ire contendit. Pergit autem hac fraude præmissa; *Quæ manducatio spiritualis non impedit, quominùs integer & viuens agnus perseueret.* Sed inane hoc effugium præfatus Bellarminus præcluserat, hacce quam alto premit Minister silentio, recta & optima ratiocinatione. *In quibus verbis* (S. Andreæ Apostoli) *illud* (*verè manducatæ*) *excludit manducationem in solo signo aut spiritu.* Ac propterea paulò infrà, cùm Ægeas miraretur, ac peteret sibi explicari, quomodo posset fieri, vt agnus verè manducatus integer & viuus maneret, & S. Andreas re-

cusaret homini ethnico mysterium explicare, & ille insta- »
ret, & per tormenta cogere vellet Apostolum; tandem »
Apostolus subiunxit, fieri non posse vllo modo, vt sine fi- »
de in Christum ad huius myst erij notitiam perueniret. At »
certè si nihil est Eucharistia nisi panis significans Christum, »
non erat difficile etiam sine fide intelligere quomodo Chri- »
stus in signo manducatus integer perseueret; Nam si in pa- »
ne imprimatur imago principis, certè sine vlla sua læsio- »
ne comedi poterit princeps in sua imagine, nec vlla est dif- »
ficultas in ea re intelligenda. Hoc acutum telum quo se »
peti valido ictu sentit Aubertinus, vt aliquatenùs emolliat, subiratè respondet. *Cur denique mihi dicere non liceret, sanctum Andream hoc sensu ad Ægeam dixisse, ipsum assequi non posse huius notitiam mysterij de Christo verè manducato, & nihilominùs illæso & integro permanente, sine fide in ipsum Christum, eo quòd fidem habere oportet ad cognoscendum & operandum spiritualem illam manducationem.* Sed cauillatur Aubertinus, statúmque quæstionis inuertit & commutat; Nec enim quærebat ab Apostolo Proconsul Ægeas modum manducationis; hunc enim S. Andreas bis dicendo, VERE immolari & manducari, satis euidenter expresserat; sed quomodo fieri possit, vt qui VERE (id est non typicè & figuratiuè) manducatur, integer ac viuus nihilominùs perseueret? si quod ait Aubertinus, pro suo effugio à patenti amfractu, ita intellexisset B. Andreas, in promptu respondisset quod expeditè respondere ipse poterat, & facilè intellexisset iudex ethnicus, nec opus fuisset Ægeæ, vt Apostolum sibi reserare tantum mysterium detrectantem, tormentis cogere minaretur ad sibi declarandum; sine enim vlla difficultate, explicationem Caluinisticam, quam adhibet Aubertinus, Ægeas mox comprehendere solo humano sensu poterat. Sed hoc Apostolus non fecit, quia non aliter verè manducari Christi corpus quàm realiter intelligebat; ipsum etenim aduerbium VERE, bis incussum, anxietatem & stuporem Ægeæ ignoranti diuinam omnipotentiam, vnde procedit tantum opus, ingerebat; Quamobrem Apostolus Ægeam ad fidem, per summum fidei mysterium attrahere satagens, tam aptè quàm necessariò respondit, tantum arcanum, (QVOD FIDEI MYSTERIVM à fidelibus singulari prærogatiua dicitur ac creditur) sine fide in Christum minimè concipi posse: *Ægeas dixit* (post-

quam Apostolo tormenta interminatus fuerat; *Cùm sit agnus occisus, & ab omni populo verè, vt asseris, deuoratus, quomodo integer & viuus perseuerat? Andreas respondit: Si credideris ex toto corde tuo, discere poteris; si non credideris penitùs, numquam tu ad indaginem huius veritatis attinges.* Hinc abundè patet quàm inanibus subterfugiis, & euanidis argutiis Aubertinus causam Caluinistarum exertis viribus agens; adeò potens S. Andreæ Apostoli, clarúmque testimonium, de vera Christi corporis in almo Eucharistiæ Sacramento præsentia ac existentia, conatus sit eludere, cùm id suis rationibus potiùs obfirmârit quàm labefactârit.

CAPVT III.

Ministri protestatio aduersus hoc Apostolicum oraculum, quàm sit futilis & ridicula?

LVTHERI Sectariorum recentiorum funesti auctoris ac parentis insolentissima sententia est, *si nihil solidi, quod tutè respondeatur, habetur: satius fuerit omnia negâsse, quàm Missam sacrificium esse confiteri.* Huius sanè pestiferi axiomatis, non immemor Aubertinus, cùm tam illustre S. Andreæ testimonium nullis artibus, nec arietibus expugnare valuerit, eò desperationis abripitur, vt id penitùs negare & reiicere, eum non pudeat; *Sed verò* (inquit) *his meis responsionibus* (scilicet quibus hæc ad me inflectere, S. Andreæ asserta verba conatus sum) *profiteor mea non esse voluntatis, tantillum quid approbationis me delatum ire, huic legendæ apocrypha, ex qua est elicitum.* Sed bonus vir non videt se apertam lucem fugere, hócque ipso prodere, testimonium illud B. Andreæ Apostoli ita clarum & peremptorium esse, vt nulla vi, nullóque artificio labefactari vel obscurari possit. Ideo vafer Minister aduersus seipsum iratus, rationibus quibus conciliandæ sibi tantæ auctoritati studuerat, palam renunciat, & exasperatus hoc ipso suo inani molimine, in probra & conuitia erumpit: sicut vetus habet adagium de vulpe, quæ cùm vuas quibus inhiabat arripere nequiuisset, his (inquit) lubens abstineo, quia acidæ sunt & non maturæ: sic prorsus Minister, *Hac* (ait) *epistola discipulorum S. Andrea nolo niti, nec vti, quia legenda est apo-*

apocrypha? Egregiè profectò, quasi nouus ille vates ex tripode pronunciaret oracula, & alter esset Pythagoras, cui satis erat dixisse, vt sibi ipsi sine vlla discussione crederetur, vnde prouerbium eius discipulorum, *ipse dixit*; hoc enim apud eos satis erat. At non ita credulus sum, vt simplici dicto noui huius Magistri, quasi certo oraculo assentiar, maximè cùm quæ effutit verba, *hæc epistola, non aliud, quàm legenda merè apocrypha est*; non modò temeraria sint, sed & patenter falsa. Temeraria quidem, quia sine vlla auctoritate, ratione, aut exemplo proferuntur: Falsa autem manifestissimè, quia vniuersalis Ecclesiæ iudicio & consensui, quo hæc ipsa epistola ab omnibus, sem: er, & vbique, vt vera, sincera, ac planè authentica, probata ac suscepta est, (vt tota priori parte huius Apologiæ palam feci) ex diametro repugnat. At verò sententia illa insignis S. Augustini locum hîc habet; *hoc reiicere quod vniuersæ Ecclesiæ placuit, insolentissima insania est.* ·

CAPVT IV.

Refellitur Aubertini præcipua exceptio contra epistolam discipulorum S. Andreæ Apostoli de eius passione.

OMNIS *generis hæretici* (inquit) *conati sunt hanc apocrypham legendam pro vera & authentica obtrudere, ad sua falsa dogmata confirmanda. At contrà Ecclesiæ Patres hanc suis censuris & anathematibus summo impetu fulminarunt.* Si Minister non mentiretur, & verum esse quod ait comprobaret, lite profectò non inuitus cederem: sed quot in hoc eius pronunciato sunt verba, totidem sunt putida mendacia, quæ luci veritatis exposita statim concidunt & euanescunt.

Sanè dicenti & asserenti incumbit onus probandi: Aubertinum igitur hîc interpello propositionem suam certis testimoniis, & claris demonstrationibus confirmare.

Primò igitur ostendat quinam sunt illi hæretici qui hanc epistolam obtruderunt, & eius verbis praua sua dogmata conati sunt astruere? A triginta supérque annis non modicam impendi operam scrutandis sacræ antiquitatis monumentis, euoluendis & perlegendis sanctorum Patrum

libris, necnon historiæ Ecclesiasticæ excutiendis auctoribus, & inuestigandis hæreticorum Catalogis, errorúmque ipsorum indiculis: neminem tamen hæreticorum reperi qui hanc epistolam in medium protulerit, eiúsque locis abusus fuerit ad sua pestifera paradoxa obfirmandum. Ipse igitur Minister, vt suis dictis fidem faciat, meam memoriam iuuet, grauémque eius me passum esse lapsum opposita demonstratione patefaciat; non me pudebit tum fateri, me per ipsum tandem didicisse quod hactenùs ignorraueram: sed si alia argumenta aut exempla non habeat, quàm quæ infrà deploratâ profert audaciâ ac manifestâ impostura, (sicut ex nostro subiuncto examine cuique constabit) fateatur oportet se & splendidè esse mentitum, & datâ operâ lectori fucum in re tanti momenti quanti fides est & religio, facere voluisse.

Secundò, probet instantiùs oro, quinam sunt illi sancti Patres, qui hanc epistolam Presbyterorum & Diaconorum Achaiæ ad vniuersas Ecclesias de eius triumphali in cruce martyrio, certatim impugnârunt, vtque suppositiтiam, falsam & hæreses continentem suis censuris ac anathematibus fulminârunt. At tantùm abest vt hoc possit Aubertinus vllatenùs ostendere, cùm sit contrarium prorsus à me in parte priori huius Apologiæ, per tam opportunam quàm necessariam & adæquatam rei quæ vertitur anticipationem, planè prorsus euictum patenti sanctorum Patrum, & veterum Doctorum testimonio, scilicet Ambrosij, Damasi, Hieronymi, Augustini, Gregorij, Sophronij, Bedæ, Vsuardi, Adonis, Remigij Antissiodorensis, Lantfranci, Iuonis Carnotensis, Petri Damiani, & S. Bernardi, qui postremus sanctorum Patrum extitit.

Cui præmissæ demonstrationi & hoc non exigui momenti argumentum accedit, quòd nulla labes hæresis etiam ab inimicis Ecclesiæ, & maiestatis venerabilis Eucharistiæ Sacramenti, in illa epistola hactenùs deprehendi potuerit; cùm potiùs fidei Catholicæ vindices aduersus Sacramentariæ hæresis Patriarcham eiúsque Symmystas, insignes sententias hac ex epistola toto orbe Christiano recepta deprompserint; quin & dogma de vero & mystico agno in altari Christiani sacrificij verè immolato & integro, viuóque nihilominùs permanente, diu antequàm hæresis tam exitiosa quasi fumus è puteo abyssi contra cælum assurgeret, ad-

uersúsque solem Catholicæ veritatis exhalaretur, inde verbis ferè iisdem expresserint & tradiderint; vt patet ex locis iam suprà indicatis, insupérque ex dictis S. Cypriani initio sermonis de cœna Domini, S. Gregorij Nisseni in orat. Catechistica cap. 36. & 37. S. Ephrem libro de natura Dei minimè scrutanda, S. Gaudentij Tractatu 2. in Exodum, & aliorum multorum.

CAPVT V.

Examen locorum Sanctorum Patrum, & Ecclesiasticorum historicorum instituitur: quibus Aubertinus inuerecundâ fronte, probatum ire aggressus est; hanc ipsam epistolam, & ab hæreticis assertam ac inductam, & à sanctis Patribus reiectam fuisse & damnatam.

Primùm itaque discutitur Allegatio Eusebij Cæsariensis.

OBIECTIO.

EVSEBIVS Cæsareæ Episcopus lib. 3. historiæ suæ Ecclesiasticæ cap. 25. postquàm exposuit quinam libri noui Testamenti ab omnibus pro genuinis agniti sunt, & alij quibus à nonnullis contradicitur, subiungit; *Necessariò autem & horum Catalogum fecimus, vt discernamus inter scripta quæ secundùm Ecclesiasticam traditionem nec ficta, nec dubia, sed vera sunt, & ea, quæ præter ista, legitima quidem noui Testamenti, scripta non sunt,* &c. *Et tamen à multis Ecclesiasticis leguntur, vt scire queamus & illa, & quæ sub nomine Apostolorum, siue velut Petri, siue Thomæ, vel Matthiæ, vel aliorum prætereà Euangelia, aut velut Andreæ & Ioannis, & aliorum Apostolorum Acta, ab hæreticis proferuntur: quorum nullam vspiam vel aliquis Ecclesiasticæ successionis scriptor mentionem in commentariis suis facere dignatus est.* Hinc infert Minister ille, epistolam ipsam encyclicam discipulorum S. Andreæ de eius inclyto martyrio, falsam & apocrypham esse.

RESPONSIO.

Sed hîc animaduertendum, insigni fraude Ministrum vti. Neque enim Eusebius reiicit & damnat litteras Ecclesiasticas scriptas à fidelibus testibus, de sanctorum Apostolorum

ac Martyrum certamine. Nam & ipſe copioſum volumen de illorum agonibus expreſſum ex eiuſmodi monimentis contexuit, (vt ipſe teſtatur locis ſuperiùs indicatis) ſed Acta dumtaxat reprobat falsò adſcripta Apoſtolis & Euangeliſtis, tanquam ab ipſis ſcripta: vt à Luca Euangeliſta Pauli diſcipulo conſcriptus eſt Actuum Apoſtolorum liber, qui quidem canonicus ſicut eius Euangelium, ab Eccleſia ſemper habitus eſt. Vnde Auguſtinus lib. de vtilitate credendi, cap. 3. refellit Manichæos, qui, ſicut & Marcionitæ, librum hunc repudiabant, Qui enim credit Euangelio Lucæ, & huic libro credere debet, quoniam vtramque ſcripturam ſimiliter ſibi canonica commendat auctoritas. Qua
In præſcript. c. 2. ex regula (qua nixus Tertullianus Marcionitas confutat) præſuppoſita Euſebius argumentatur, reiicítque pſeudographa Petri, Thomæ, Matthiæ, & aliorum Euangelia pariter & acta Andreæ, Ioannis, & aliorum falsò ipſis adſcripta: quæ ſubinde etiam Gelaſius Papa pariter inter apocrypha recenſuit; ſpuria autem S. Auguſtinus lib. 1. contra aduerſarios Legis & Prophetarum cap. 20. hac ineluctabili ratione demonſtrat, quoniam ſi illa Acta, Apoſtolorum Andreæ, Ioannis, & aliorum Apoſtolorum eſſent, quorum nomina perferunt, recepta fuiſſent ab Eccleſia. At quis non videt hoc argumentum & aliud ſuperius non cadere in epiſtolam diſcipulorum S. Andreæ de eius martyrio? quia ipſi vt auctori non adſcribitur, ſed de eius glorioſè peracto in cruce certamine (quod ipſi eius diſcipuli conſpexerunt, & ad vniuerſas Eccleſias conſcripſerunt) ſcriptam eſſe conſtat. quam ideò Eccleſia, quæ ab Apoſtolorum temporibus, (ait idem beatus Auguſtinus lib. 22. cont. Fauſt. cap. 79.) per Epiſcoporum ſucceſſiones certiſſimas, vſque ad noſtra tempora, & deinceps, perſeuerat; non quidem inter Scripturas canonicas recenſuit; ſed proximè poſt ipſas, ad ipſius Beatiſſimi Apoſtoli, inclyto adeo martyrio coronati, commendationem, necnon ad perpetuum fidei Chriſtianæ decus & fidelium inſtructionem pariter ac incitationem, recepit. Vnde non immeritò (ait S. Bernardus ſerm. 3. de S. Andrea Apoſtolo, inter initium & medium) *In ſingularem auctoritatis arcem ſuſcepta eſt, quam qui viderunt ſcripſerunt orbi, & miniſtri fuêre ſermonis.* Cæterùm quòd Euſebius non de hac epiſtola, quæ ſuprà ait intelligat, ſed de actis ipſis Apoſtolicis tanquam eorum auctoribus falsò attribu-

tis, ipse ibidem manifestè prodit, dum illa triplici de causa repudiat, scilicet à discrepantia styli, & spiritus, ac doctrinæ, illis in scriptis fictitiis expressæ: *Porrò* (inquit) *& phraseos character à consuetudine Apostolica variat, & ipsa sententia & propositum eorum quæ in illis adferuntur, plurimum à veritate rectæ doctrinæ discrepant, & quòd hæreticorum sint virorum figmenta, perspicuè conuincunt; quapropter ne inter adulterina quidem ponenda, sed tanquam omninò absurda & impia auersanda sunt.* Hæc ille. Hinc autem hoc dilemma elicio. vel illa prædicamenta epistolæ supradictæ conueniunt, vel non conueniunt. si non conueniunt, nónne vafer impostor, effrónsque illusor est Aubertinus, qui tam fœdis stigmatibus hoc scriptum prorsus purum & illibatum odio veritatis inurit? *Væ* (ait Propheta) *qui dicitis bonum malum, & lucem tenebras, ponentes dulce in amarum.* Si porrò hęc probra illi scripto conuenire contendit, has in eo labes & notas perspicuè ostendat: dicit enim Eusebius in iis scriptis illa perspicuè apparere, quæ falsa non modò & absurda, sed planè impia esse asseuerat. At nónne palam est, tam Aubertino quàm aliis hæreticis esse penitùs impossibile, hanc epistolam illis scatere horrendis abominationibus, ire euictum? Phrasis sanè non abhorret à prima illa simplicitate Christiana, qua Apostolica ætas, sub qua scripta est, prædita erat. Nec eius auctores epistolæ fuerunt hæretici, at Presbyteri & Diaconi fideles, ordinati à Beato Andrea, eiúsque primarij discipuli. Redolétne hæreticorum figmenta? quæ in ea absurditas, quæ hæresis, aut quænam impietas notari potest? Nullam hactenùs eiusmodi labem in ea sectarij recentiores, quantumuis sacrificij Eucharistiæ acres aduersarij, scilicet Lutherani & Caluinistæ obseruârunt, aut indicârunt. Allatrârunt quidem vt canes, sed morsu aliquo impetere nequiuerunt. At contrà ab ipso ferè Ecclesiæ primordio, sancti & docti homines (vt verbis sancti Augustini vti mihi liceat) qui tunc in hac vita erant, & postmodum huc vsque extiterunt, hanc epistolam encyclicam, per totum orbem diuulgatam viderunt, examinarunt: tantúmque abest, vt aliqua nota absurditatis, hæresis, aut impietatis arguerint, quin è contrà in auctoritatem post canonicas scripturas singularem, receperunt.

Isa. 5. 20.

CAPVT VI.

Quo secunda obiectio diluitur; sumpta ex triplici loco sancti Epiphanij.

I. LOCVS.

hæres. 47.

PIPHANIVS (nec enim dignus visus est hic Pater, Aubertino, qui sanctitatis titulo insigniretur) *loquens de Encratitis hæreticis, ait: vtuntur maximè actis Andreæ & Ioannis, aliisque apocryphis.*

RESPONSIO.

Laborat hæc obiectio eodem vitio, quo argutatio immediatè diluta: Nam acta sancti Andreæ, non sunt epistola de eius passione, ab eius discipulis ad vniuersas directa Ecclesias, de qua hîc vertitur quæstio: sed vt infrà ostendetur *in Gelasio*, Acta quæ iactabant illi hæretici, ab ipso Andrea Apostolo scripta, non tantùm pseudographa & spuria erant ac apocrypha, sed & eorum impietati fauebant: quamobrem, his præcipuè, vt notat Epiphanius, nitebantur.

Certè si hæc epistola impiis faueret dogmatibus, vel aliquid simile contineret, meritò reiiceretur, fuisśetque ab ipso initio, vniuerso Ecclesiæ consensu iampridem reprobata. At è contrà (vt suprà probatum est sæpiùs) *in singularem auctoritatis arcem* (vt ait S. Bernardus) *meritò recepta fuit*, hactenúsque suscipitur, & vbique diuinis in officiis legitur, saltem in compendium contracta. quam integram ideo in fronte huius Apologiæ, vt totus eius tenor conspiceretur, (ne quid lateret, aut de industria prætermissum & de ea resectum aduersarij dicerent) præfiximus. Facile hinc est dispicere, si hæresi Encratitarum (vt vult Aubertinus falsò supponere) vel tantillùm adstipuletur. Itaque hîc ipsam hæresim, quam articulatim refert Beatus Epiphanius, operæ pretium censui ipsis eius verbis oculis lectoris exponere: vt dignoscere possit; qua fide & sinceritate Minister ille iniquitatis & artifex mendacij, hanc patrocinari epistolam impiis Encratitarum paradoxis, persuadere non veretur.

Qui Encratitæ vocantur (ait S. Epiphanius) *Tatiano successerunt, eosdémque nouis opinionibus cumularunt, & maiores nugas ac deliria commenti sunt.* Et paulò infrà, falsa eorum dogmata sic enumerat. *Principia etiam illi plura constituunt, & inter ea Diabolum referunt, quem Dei operibus aduersari, nec illi esse subditum volunt, sed præcipua quadam potestate præditum agere quæ libuerit, non malitia deprauatum. Cum Ecclesiâ quippe minimè consentiunt, sed à veritatis doctrinâ longiùs aberrant: inter primas scripturas habent Andreæ & Ioannis acta, necnon Thomæ, & apocryphos alios. E vetere testamento quæ libuerit eligunt: Nuptiarum auctorem Diabolum manifestè constituunt; Animatis vesci prohibent, non temperantiæ studio, neque peculiari ex instituto vitæ, sed falsò quodam & affectato metu, ne ob animatorum vsum sibi ipsi damnationem accersant. Aquam ad mysteria solam adhibent, nam vino penitùs abstinent, & diabolicum appellant, quod qui bibant, eóve vtantur, improbos ac peccatores esse statuunt. Mortuorum resurrectionem improbant, adeo vt furiosæ cuiusdam insaniæ plena hæc esse videatur hæresis.* Hæc S. Epiphanius de hæresi Encratitarum.

Iam verò hîc lectorem oratum velim seriò diiudicet, an aliquantula sit epistolæ Presbyterorum & Diaconorum Achaiæ de passione S. Andreæ Apostoli, cum his Actis, quæ illi Encratitæ affingebant, & quibus potissimùm nitebantur, affinitas, vlláque appareat vel minima conuenientiæ inter hæc & illam scintilla? Annon potiùs in omnibus terminis, syllabis, sententiis, manifestissima intersit contradictio? Deprehenso autem tanto quantum est inter album & nigrum, tenebras & lucem, discrimine, lectorem interpello iudicem, an vera sit Aubertini suppositio, quòd acta illa pseudographa & impia, quæ illi hæretici mendaciter sancto Apostolo Andreæ tribuebant, aliquam habeant cum illa epistola discipulorum ipsius gloriosissimi Apostoli conspirationem? quæ sanè si reperiretur, vt ipsius epistolæ proscriptioni vltro subscriberem; sic cùm illa epistola omnibus modis ab actis illis pseudographis, impiisque abhorreat, prudens vtriusque scripti inspector candidè fateri debet perspicuâ imposturâ ipsum Aubertinum vsum fuisse, vt permistum iret & confunderet, quæ non solùm ab inuicem prorsus dissonant aut discrepant, sed haud minùs quàm explorata veritas conuictissimo mendacio aduersabatur. Sanè

nemo prudens iure inficiari poteſt dictum hoc celebre ſapientis, *Contraria iuxta ſe oppoſita magis eluceſcunt*: Ac *prorſus impoßibile eſt contraria eidem rei ineſſe.*

Ariſtoteles Rhetor. 2. itidẽque Topicor. 2.

2. LOCVS.

Idémque Epiphanius de Apoſtolicis hæreticis loquens hæreſ. 61. *Iſti* (inquit) *Andreæ ac Thomæ* (ita enim vocant) *Actis potiſſimùm nituntur, ſúntque ab Eccleſia regula prorſus alieni.*

RESPONSIO.

Semper Miniſter ille petit principium: quæſo etenim vnde probet illud, quod pro fixo & indubitato adhuc proponit axioma? Acta illa falsò adſcripta beato Andreæ Apoſtolo, illa ipſa eſſe, *quæ epiſtola de eius paßione ab eius diſcipulis ſpectata, & toti teſtata orbi prænotantur.* Hoc enim potiſſimùm eſt quod ei ab Eccleſiæ Catholicæ defenſoribus denegatur; infinita enim eſt inter hæc & illam epiſtolam diſtantia: nulla autem penitùs conſenſio, ſed æquè patens ac quæ inter diem & noctem oppoſitio patet.

Hæc ſanè ſunt dogmata hæreticorum (qui falſo nomine ſeſe Apoſtolicos vocitarunt) à S. Epiphanio ſeriatim enumerata: *Hoc* (inquit) *diligenter obſeruant ne quicquam poſſideant: Iidem porrò à Tatiani dogmatibus & Catharis, qui omnes præcipuè legem repudiant: habent illi diuerſa à noſtris Sacramenta atque myſteria. De inopia rerum omnium gloriantur, ac ſacroſanctam Dei Eccleſiam adſcititiis ſuperſtitionibus temerè diuidunt ac labefactant, & à diuina clementia excidunt: neque enim eum qui ſemel prolapſus ſit, recipiunt ampliùs. Atque eadem omninò de nuptiis, cæteríſque id genus cum ſuperioribus illis ſentiunt.* Iam verò ſi epiſtolæ quam genuinam aſſerimus & planè Catholicam, collatio fiat cum illis iſtorum hæreticorum peſtiferis dogmatibus, quænam conuenientia reperietur? vbinam in illa apparebit nominis Apoſtolici affectatio, eorúmque imitationis in omnium rerum abdicatione ſimulatio? vbinam quæſo nouorum Sacramentorum & myſteriorum præter ea quæ Eccleſia agnoſcit, & recipit, ac diſpenſat inuentio? Tatiani éſtne quicquam, quod hæreſim monſtruoſam ipſa in epiſtola redoleat? aut ſuperſtitiones ab Eccleſiæ Catholicæ moribus vel doctrina abhorrentes ſapiat? aut Chriſtianam religionem euertat, aut quod diuinæ erga peccatores clementiæ benignitatem inficietur? pœnitentibúſque poſt vel vnicum lapſum dene-

deneget veniam: Denique quod damnet nuptias, aut alia quæuis hæreticorum deliria, quæ segreges illi, non quidem (quod falsò dici volebant) Apostolici, sed verè Apostatici sequebantur. Certè Acta pseudographa quæ S. Andreæ, vt auctori tribuebant, erant consona illorum impiis paradoxis; quamobrem (vt disertè ibidem ait S. Epiphanius) illis potissimùm nitebantur: igitur longè diuersa erant ab hac epistola S. Andreæ discipulorum de eius pia passione, quæ non solùm omnis veneni illorum dogmatistarum hæresis est expers, sed penitus impiis illorum deliriis est aduersa.

3. LOCVS.

Porrò idem Epiphanius, vbi agit de Origenianis, hæresi 63. * *Vtuntur* (inquit) *quibusdam apocryphis, præcipuè verò actis quæ dicuntur Andreæ, & aliorum.* * siue 43.

RESPONSIO.

Locus B. Epiphanij ad verbum sic habet, *Cæterùm varios, vt dixi, tam veteris quàm noui libros adhibent, necnon & apocryphos quosdam, velut Andreæ & aliorum Actus.* Quo ex testimonio constat, nihil omninò Aubertinum ad fucum suum obducendum aliqua veri specie, posse elicere: siquidem quòd S. Epiphanius per spurios & supposititios Actus, quos hæretici illi S. Andreæ affingebant, intelligat epistolam illam eius discipulorum de eius glorioso agone, nulla nedum apparenti ratione, sed nec vlla vel tantilla verisimilitudine ostendere potest. At contrà peruium est cuique legenti animaduertere, hanc epistolam ne minimum quidem illis hæreticis, qui errores suos, & propudiosas obscænitates ex his spuriis & suppositis Actibus numerant, suffragari, at potiùs ex diametro aduersari.

Primò, ait Epiphanius, Origeniani germen erant Gnosticorum, ad quorum impietatem illorum secta conformata erat. Nihil autem prorsus execrabilis Gnosticorum doctrinæ, hæc epistola redolet, at tota purum Christianismum spirat, vt Lectori luce ipsa meridiana clariùs patet.

Secundò, *Diuersos* (inquit) *ex vetere nouóque Testamento libros adsciscebant.* At nec illorum pseudographorum librorum, vllum est ea in epistola vestigium, nec enim in ea citantur, aut quicquam ex ipsis allegatur.

Tertiò, *Nuptias* (ait) *repudiant:* At de damnatione nuptiarum, neque vel exilis ipsa in epistola apparet apex.

Quartò ait: *Neque tamen obscænis libidinibus modum vl-*

lum adhibent; adeóque omni genere ſpurcitiæ & corpus ſuum, & mentem, animámque contaminant. At è contra nihil epiſtola diſcipulorum S. Andreæ, de qua agimus, magis ſpirat, quàm corporis & animi incontaminatam puritatem; qua tota eſt ſuauiſſimis caſtitatis odoribus perfuſa & reſperſa.

Cæterùm ex his Origenianorum dogmatibus & moribus duo notatu digna hic obſeruanda ſunt; Primò, hos nullatenùs potuiſſe auctoritate huius epiſtolæ niti; cùm tamen (vt Aubertinus obiicit) potiſſimùm actibus illis quos falſiſſimè ſub S. Andreæ nomine obtrudebant, ſuam hæreſim & morum turpitudinem tuerentur. Secundò, ipſos Origenianos falſùm ſibi nomen vſurpâſſe; cùm ſcripta & mores Origenis, qui, vt notum eſt, mira caſtitate excelluit, prorſus ab illorum falſis dogmatibus & deteſtandis ſpurcitiis (quas Epiphanius prolixè quidem, ſed cum ingenti horrore commemorat) ſemper abhorruerint: Quapropter nec ipſe Epiphanius auſus eſt, tam fœtidam prolem, parenti tam pudico adſcribere.

CAPVT VII.

Quo obiectioni tertiæ reſpondetur, depromptæ ex Philaſtrio, veteri etiam hæreticorum nomenclatore.

OBIECTIO.

Tom. 4. Biblioth. SS. Patrum init.

AM *Manichæi, apocrypha B. Andreæ Apoſtoli, id eſt Actus quos fecit veniens de Ponto in Græciam, quos conſcripſerunt tunc diſcipuli ſequentes Apoſtolum,* &c.

RESPONSIO.

Ex his ipſis Philaſtrij verbis elicere promptum eſt, ipſum per Acta illa conficta, quæ Manichæi à S. Andreæ diſcipulis ſcripta, ad tuendam ſuam perfidiam, vt canonica proferebant, hanc epiſtolam Preſbyterorum & Diaconorum Achaiæ, qui martyrio eius aſtiterunt, ídque vniuerſis Eccleſiis hac ſua teſtificatione ſignificauerunt, non eſſe intelligendam: tum quòd nihil prorſus habeat quod Manichæorum impiis dogmatibus adſtipuletur, ſed eis tota ſua ſerie repugnet; tum quòd illa Acta pſeudographa ipſius beati Apoſtoli res geſtas (vt comminiſcebantur) ab eius aſſeclis & ſymmyſtis

cùm de Ponto veniret in Græciam scriptas continent; At neque de Ponto, neque de Græcia vlla hic est mentio, sed tantùm simplex & præcisa expressio eiusdem sanctissimi Apostoli gloriosi martyrij, in Achaia peracti: Vnde nec ista epistola Actuum titulo prænotatur, sed Passionis tantùm nomine, hunc enim in modum incipit, *Paßionem sancti Apostoli Andreæ, quam oculis nostris vidimus, omnes Presbyteri & Diacones Ecclesiarum Achaiæ, scribimus vniuersis Ecclesiis:* Et pauculis subiunctis de vera fide in vnum Deum trinum in personis, mox adiiciunt; *Hanc fidem didicimus à S. Andrea Apostolo Domini nostri Iesu Christi, cuius paßionem, quam coram positi vidimus, provt possumus explicamus. Proconsul igitur Ægeas, Patras ciuitatem ingressus, cœpit compellere credentes Christo ad sacrificia idolorum; cui occurrens S. Andreas dixit.* Deinde narrant, continuo verborum nexu, ea quę tantùm pertinent ad eius coram Proconsule Euangelicam prædicationem, & pro fide mortem gloriosam in cruce: & mox breuiter quæ ad sepulturam eius spectant & venerandam memoriam. Nihil igitur affine habet hæc epistola, quæ eius inclytum dumtaxat martyrium refert, cum actis illis quæ Manichæi afferebant, pro horrendæ suæ hæresis sustentatione; hæc enim (teste ipso Philastrio, quem citat ineptè Aubertinus) res gestas continebant, ab ipso beato Apostolo cùm veniret de Ponto in Græciam, de quibus ne gry quidem hac in epistola legitur.

Sed & aliud accedit apertissimum discrimen; Nam Actus illi S. Andreæ, quos Manichæi falsò supponebant, sicut & confictos Actus Ioannis & Petri, quin & Pauli; ridiculas fabulationes de eorum gestis prodigiosis complectebantur; *In quibus* (inquit Philastrius) *quia signa fecerunt magna & prodigia, vt & pecudes, & canes, & bestiæ loquerentur: etiam & animas hominum tales, velut canum & pecudum similes, imputauerunt esse hæretici perditi.* At verò ex hoc vel vnico confictorum illorum Actuum charactere, do lubenter manus Aubertino, & reliquis sectariorum recentiorum Ministris, istam epistolam esse spuriam, apocrypham, absurdam, hæreticam vtpote Manichæorum perfidiæ suffragantem, siquid simile iis quæ in illis confictis Actibus legebantur, ostenderint in ea contineri: sed cùm contrarium manifestè constet: nónne æquum est, ipsum Aubertinum de sua impostura erubescere, & euidentem quam hactenùs in-

ſigni fraude impugnauit veritatem, de huius epiſtolæ ſinceritate palam & vltrò confiteri?

CAPVT VIII.

Obiectionem refellens, ex dictis Innocentij I. Papæ depromptam.

NNOCENTIVS I. *Epiſcopus Romæ* (inquit Aubertinus, Papæ antiquum, & venerabile nomen, in ſummo Pontifice non ferens) *ſua in epiſtola ad Exuperium Toloſanum Epiſcopum* * *ſcribit, ſub nomine Andreæ, quæ a Nexocharide* * *& Leonide Philoſophis*, &c. *ſcripta ſunt, non ſolùm repudianda, verùm etiam noueris eſſe damnanda.*

* Epiſtola 3. imò 2.

* rectiùs Xenocharide.

RESPONSIO.

Miror, quomodo Aubertinum non pudeat hoc teſtimonium Innocentij Papæ in cauſæ ſuæ arceſſere ſubſidium: Pontifex iſte ab Exuperio notæ ſanctitatis Epiſcopo Toloſano, ſuper quibuſdam quæſtionibus maiorum more & exemplo conſultus fuerat, quarum ſeptima & poſtrema erat, *Qui libri in Canone recipiantur?* Horum catalogum antiquæ conſonum traditioni, quam etiamnùm Eccleſia Romana inconcuſſam retinet, (vt patet ex ſerie ipſorum canonicorum librorum in Oecumenico Concilio poſtremo promulgata) ad eum tranſmiſit; ſubinde verò, librorum apocryphorum, quos hæretici ſub Apoſtolorum nominibus, ad proprias tuendum hæreſes hoc indiculo recenſet, *Cætera autem* (ait) *quæ vel ſub nomine Matthiæ, ſiue Iacobi Minoris, vel ſub nomine Petri & Ioannis, quæ à quodam Leucio ſcripta ſunt, vel ſub nomine Andreæ quæ à Xenocharide & Leonida Philoſophis, vel ſub nomine Thomæ, & ſi qua ſunt alia non ſolùm repudianda, verùm etiam noueris eſſe damnanda.* Hactenùs Innocentius I. Ex cuius dictis manifeſtum eſt, illum hîc de Paſſione ſcripta S. Andreæ Apoſtoli ab eius diſcipulis reprobanda nihil prorſus cogitâſſe, quam ſicut inter canonicas ſcripturas referre non poterat, ſic nec inter apocryphas debebat. ſatis erat quòd inter authentica agonum ſanctorum Martyrum monumenta, ab Eccleſia vbique recepta & approbata primam in claſſem, illam admitteret, in qua etiamnum ab Eccleſia Catholica, vt præmonſtratum eſt recenſetur.

Accedit quòd ſcripta quæ reiicit ſub nomine S. Andreæ Apoſtoli, compoſita ſeu potiùs conficta fuerant à Xenocharide & Leonida Philoſophis: At epiſtola de eius martyrio ad vniuerſas Eccleſias non eſt ſub eius nomine, quaſi ab eo profecta, ſed ab eius diſcipulis, oculatis eius extremi certaminis teſtibus fuit conſcripta, ſcilicet Preſbyteris & Diaconis Achaiæ, qui in ipſo eius limine ſeſe eius profitentur auctores: Nec eſt quòd Aubertinus cauilletur, duos illos Philoſophos, forſitan, ſuæ commentitiæ ſcriptioni nomen ſancti Andreæ diſcipulorum præfixiſſe, vt ſub hoc ſpecioſo titulo faciliùs Lectorem deciperent, & venenum ſuum ſpargerent: præterquam quòd enim hoc non probat, verba Innocentij huic falſæ ſuppoſitioni euidenter refragantur; ait enim illa commenta ab his duobus Sophiſtis conſcripta fuiſſe, *ſub ipſo nomine Andreæ*; At ſi ſub diſcipulorum eius nomine ab ipſis duobus impoſtoribus edita fuiſſent, non dixiſſet Innocentius ſub nomine Andreæ, hoc enim falſum erat: ſed ſub nomine quorumdam Achaiæ Preſbyterorum & Diaconorum, qui adſtitiſſe eius martyrio ſe iactabant. Adde quòd his temporibus non tantùm circumferebantur ſuppoſititij Actus ſub nomine Andreæ Apoſtoli, ſed etiam pſeudo-Euangelium, quod ab ipſo ſcriptum fuiſſe Manichæi aſſerebant: Falsò tamen. vtraque ſcripta igitur S. Andreæ, vt auctori proprio attributa, æquè damnat ac reiicit Pontifex Innocentius: quamobrem collectiuè ait, *Cætera autem ſcripta, quæ vel ſub nomine Matthiæ,* &c. *vel ſub nomine Andreæ.* Valde igitur circumſpectè loquitur: Nec damnat libellum vllomodo de Beati huius Apoſtoli martyrio, purè & orthodoxè ab eius diſcipulis (qui quæ viderant tantùm referebant) conſcriptum; ſed dogmatica ſcripta, quibus ſuas hæreſes fulciebant, queis epiſtola illa encyclica de eius glorioſa paſſione, neutiquam adſtipulatur, ſed patenter aduerſatur.

CAPVT IX.

Quo locis ex sancto Augustino adductis, accuratè respondetur.

1. LOCVS.



Tom. 6.

SANCTVS *Augustinus lib. de fide contra Manichæos horum Actuum facit mentionem, quos* (ait) *scriptos à quodam Leontio, seu Leucio Manichæo, & in pretio apud eos haberi.*

RESPONSIO.

Vix mente capio huius Ministri ratiocinationem: *Meminit S. Augustinus* (inquit ille) *horum actuum, quos ait scriptos, a quodam Leontio seu Leucio Manichæo:* Quomodo igitur scit Minister eos ipsos esse, quos Innocentius I. ait scriptos à Xenocharide & Leonida? Vel quomodo probat illam epistolam Presbyterorum & Diaconorum Achaiæ, de S. Andreæ martyrio, illos esse ipsos Actus, vel quos Xenocharides & Leonidas, vel Leontius aut Leucius sub nomine S. Andreæ nefando ausu ediderunt? At tantùm abest vt hoc Aubertinus probare possit, cùm prorsus contrarium ex ipso S. Augustini loco quem profert appareat: sic enim ait c. 5. ab ipso Aubertino citato doctissimus Pater: *In Actibus enim conscriptis à Leontio* *, (non autem dicit illos esse S. Andreæ, vel de S. Andrea) *quos ipsi accipiunt, sic scriptum est; Etenim speciosa figmenta & ostentatio simulata, & coactio visibilium, ne quidem ex propria natura procedit, sed ex eo nomine qui per seipsum deterior effectus est per seductionem.* Quæ verba Manichæisimum spirantia si in epistola Presbyterorum Achaiæ, S. Andreæ discipulorum, inuenirentur, non incerto essent indicio, illam ipsam, per illos Actus quos ait à Leontio scriptos, à Manichæisque in pretio habitos, vtpote ipsis fauentes denotari: At ne vnus quidem apex citatæ à B. Augustino sententiæ in hac epistola deprehenditur: Hinc igitur fit manifestum illam epistolam non esse Actus ab eodem S. Augustino commemoratos, ex quibus hunc locum qui ad Manichæos spectabat decerpsit.

* aliàs Leucio.

2. LOCVS.

Indicat Minister Caluinista alium locum ex eodem libro: sed loci illius seriem non exscribit. At ex eius tenore,

quem de industria prætermittit, patet ad eius obiectionem expedita

RESPONSIO.

Locus igitur sic totus se habet; *Attendite* (ait Manichæis S. Augustinus, in Actibus Leucij, quos sub nomine Apostolorum scribit) *qualia sunt quæ accipitis de Maximilla vxore Egetis: quæ cùm nollet marito debitum reddere, cùm Apostolus dixerit, Vxori vir debitum reddat, similiter & vxor viro, illa supposuerit marito ancillam suam Eucliam nomine, exornans eam, sicut ibi scriptum est, aduersariis lenociniis & fucationibus, & eam nocte pro se vicariam supponens, vt ille nesciens tamquam cum vxore concumberet: Ibi etiam scriptum est, quòd cùm eadem Maximilla & Iphidamia simul essent ad audiendum Apostolum Andream, puerulus quidam speciosus, quem vult Leucius, vel Deum, vel certè Angelum intelligi, commendauerat eas Andreæ Apostolo; & perrexerit ad prætorium Egetis, & ingressus cubiculum, eorum finxerit vocem muliebrem, quasi Maximillæ murmurantis, de doloribus sexus fæminei, & Iphidamiæ respondentis. Quæ colloquia cùm audisset Egetes, credens eas ibi esse, discesserit.* Inuehitur mox sanctus Augustinus contra Manichæos, commenta tam impia, tam absurda ac ridicula, quasi diuina oracula & Acta Apostolica in suorum dogmatum confirmationem afferentes: *Quid ad hoc* (ait) *dicitis, rogo vos? quare non timuit Maximilla per turpissimum lenocinium ancillæ suæ ligare animas in carne? cùm autem illum puerulum tam turpiter credatis esse mentitum, quis vobis credat loquentibus, cùm si mentiamini, Dominum vos dicitis imitari.* Verùm ad rem præsentem redeo & Aubertinum interpello, vt sincerè dicat, cur cùm locum hunc indicârit in obiectione sua, ipsum non itidem transcripserit, vt alia Patrum loca expressit, quæ vt fucum faceret Lectori artificiosè allegabat? silentium eius loquitur & altè clamat ipsum de industria locum hunc prætermisisse; quia eo prolato, eius omnis ratiocinatio concidebat; Euicisse prorsus vt videretur, epistolam Presbyterorum Achaiæ de glorioso martyrio S. Andreæ, iampridem sanctorum Patrum vnanimi sententia, vt suppositiciam & apocrypham, quin & hæreticam, fuisse damnatam & reiectam: Tandem S. Augustinum sibi vadem arcessiuit, cuius testimonio, vt id planum faceret, illam epistolam notâ falsi confixam, & vt confictam à Leucio Manichæorum fauto-

re ſub inſcriptione Actuum S. Andreæ Apoſtoli fuiſſe reiectam ipſius S. Auguſtini ſenſu ac iudicio, illum in libro eius de fide contra Manichæos c. 5. & 38. ſignanter & expreſsè citauit. Quæ fraus eſt intolerabilis, & impoſtura, ſiqua fuit vnquam manifeſta; ſi enim illa epiſtola, ipſa ſcriptura eſt, quam tanto cum horrore præcipuus Eccleſiæ doctor Auguſtinus reiicit, vt palam Manichæorum perfidiæ patrocinantem; iis quæ inde verbis elicit & inculcat ac refellit, tam æquum quàm iuſtum eſt, vt ipſe Aubertinus ila ipſa verba quibus Manichæorum impietatis ſubeſt venenum, eadem in epiſtola (epiſtola quam vult eſſe ſcriptum Lebutij) contineri. Quod ita falſum eſt, quàm quod falſiſſimum, cùm nec vlla ſyllaba huius execrandi figmenti, & tam impiæ quàm impuræ relationis de doctrina & geſtis ſanctiſſimi Apoſtoli Andreæ, in ea reperiatur, quæ ita procul eſt à ſtylo & ſpiritu auctoris eiuſmodi pſeudographorum Actuum, vt omnino ab iis tota qua ſerie patet, diſſonet & abhorreat. Nec eſt quòd Aubertinus, aliqua vt ingenioſa argutia hoc ex amfractu eat elapſum, fortè narrationem illam propudioſam, eraſam fuiſſe & reſectam cauilletur ex primordiali ipſius epiſtolæ contextu; nam locus ita prolixus eſt, vt vix ſine vlla apparenti cicatrice tam lata potuerit eius inde fieri reſectio, nullúſque patet hiatus; & ſtylus ac ſpiritus ita diſcrepat, vt non minùs diſtet hæc epiſtola ab illis Actibus, verbíſque ac figmentis in ipſis expreſſis, quàm cælum à terra, & lux à tenebris, & à falſo verum, ac album differt à nigro.

3. LOCVS.

Idem verò S. Auguſtinus in ſuo opere contra aduerſarium legis & Prophetarum lib. 1. cap. 20. de ipſo aduerſario dicit: Sanè de apocryphis poſuit iſte teſtimonium, quæ ſub nominibus Apoſtolorum Andreæ Ioanníſque conſcripta ſunt: Quæ ſi illorum eſſent, recepta eſſent ab Eccleſia.

RESPONSIO.

Locus iſte Aubertinum potiùs lædit quàm iuuat: & noſtras præmiſſas ſolutiones ad cæteras Patrum auctoritates, quas fruſtrà ac perperàm protulit, mirificè confirmat. Ad quod inſinuandum obſeruari debet, pleraque in Apoſtolatu contineri, quæ mero in Epiſcopatu non ſunt: Latiùs enim Apoſtolatus quàm ſimplex Epiſcopatus patet, & nobilioribus attollitur poteſtatis & honoris titulis; nihil enim

æqua-

æquale eſt Apoſtolorum Chriſti muneri in Eccleſia; Chriſtus enim quoſdam poſuit in Eccleſia : primùm Apoſtolos, (ait vas electionis 1. Cor. 12. & Epheſ. 4.) deinde Prophetas, &c. Doctores, paſtores, &c. Non ſolùm quia primitias ſpiritus receperunt, & tempore, reliquis Sanctis priùs, & omnibus abundantiùs, ſed quia ab ipſo Domino, qui eos elegit ac præelegit, conſtituti ſunt principes ſuper omnem terram; vnde naſcentis Eccleſiæ Patres, & vniuerſi generis humani duces, magiſtri, paſtores, & doctores extiterunt; In Apoſtolatu enim poteſtas conſtituendi Eccleſias, & fidem propagandi, leges ferendi, aliáque ordinandi quæcumque ad doctrinam & politiam ſanctæ religionis pertinent continetur. Quòd enim Apoſtolus ſit immediatus diuini Verbi Miniſter, (vt qui immediatè à Deo doctus ſit) non ſolùm vbique prædicandi, ſed libros etiam ſacros ſcribendi poteſtatem habet. Vnde meritò S. Auguſtinus ſcripta ab hæreticis ſub Apoſtolorum nomine ſuppoſita ac edita, & maximè SS. Apoſtolorum Andreæ & Ioannis reiicit, *quia ſi eorum eſſent, recepta eſſent ab Eccleſia.* Ex quo perſpicuum eſt, illum non ibi loqui de paſſione S. Andreæ ſcripta ab eius diſcipulis, & fidis eius martyrij cui adſtiterant teſtibus & referendariis legitimis, ſed de Actibus à Manichæis & aliis hæreticis, quaſi à ſanctis ipſis Apoſtolis Andrea & Ioanne conſcriptis; quæ non ſolùm falſa erant, ſed & abſurda ac impia, vt ſuprà fuit clariſſimè demonſtratum. Cæterùm cur Eccleſia non illam Presbyterorum & Diaconorum Achaiæ epiſtolam, inter canonicas ſcripturas retulerit, ratio eſt, quia non erant eius auctores Apoſtoli & Euangeliſtæ aut Prophetæ, quibus ſolis hæc diuinitùs libros ſacros ſcribendi, collata fuit auctoritas; ſed tamen quia fidei digniſſimi erant, vt pote ſanctiſſimi Apoſtoli Andreæ diſcipuli, & rei geſtæ cui interfuerant veridici teſtes: idcircò ſecundario quodam ordine illam inter hiſtorica ſcripta Eccleſiaſtica, tanquam certam, ſinceram & authenticam ſuſcepit, & in B. Andreæ Natali, ceu glorioſi eius martyrij triumphalem titulum, & nobile eius in cruce victoriæ epinicium, legi in diuinorum præconiorum celebratione, publicè, conſtituit: vnde ab initio mos, conſtanti vſu cuſtoditus, etiamnum vbique perſeuerat. Non immeritò (ait S. Bernardus *) *in ſingularem auctoritatis arcem ſuſcepta eſt, quam qui viderunt, ſcripſerunt, & miniſtri fuerunt ſermonis.*

Vide S. Thomã 1. 2. q. 106. art. 4. & in Commẽt. Pſal. 44. & 49. Et Card. Bellarminum lib. 2. de Rom. Pontif. c. 2. ad 1. obiectionem Nili ſchiſmatici Græci.

* *Vide ſuprà cap. 5.*

CAPVT X.

Quo dicta Gelasij I. & Romanæ Synodi 70. Episcoporum quibus præfuit, expenduntur, & Aubertini perperàm inde collectum argumentum refutatur.

OBIECTIO.

GELASIVS *Episcopus Romæ, in suo Decreto, damnat vt apocrypha Acta S. Andreæ.*

RESPONSIO.

Damnat Gelasius Pontifex in Synodo multorum Episcoporum, non solùm Actus pseudographos S. Andreæ, sed & Euangelium, his verbis: *Actus nomine Andreæ Apostoli, apocryphi; Euangelium nomine Andreæ Apostoli apocryphum*, videlicet sicut alia Euangelia aliis Apostolis, tanquam auctoribus falsò ab hæreticis adscripta, ait enim idem Pontifex æquipariter, *Actus nomine Thomæ Apostoli, apocryphi, Euangelium nomine Thomæ Apostoli quo vtuntur Manichæi, apocryphum; Euangelium nomine Barnabæ apocryphum: Euangelium nomine Bartholomæi Apostoli apocryphum; Euangelium nomine Thaddæi apocryphum.* Quòd verò Gelasius cum Synodo cui præerat intelligat per hanc vocem quam constanter apponit, NOMINE, tanquam ab illo auctore, patet ex hac eius de quodam libro falsa prænotatione B. Ambrosio sicut auctori attributo sententia, *Liber Physiologus, qui ab hæreticis conscriptus est, & B. Ambrosij nomine præsignatus, apocryphus.* Igitur Aubertinus prorsus insanit, vel apertè delirat, dum adaptare non veretur epistolæ conscriptæ, ab Achaiæ Presbyteris & Diaconis, ad vniuersas Ecclesias, de spectato ab ipsis S. Andreæ glorioso Martyrio, censuram latam non solùm aduersus Actus pseudographos & apocryphum Euangelium, eius confictο nomine ab hæreticis editum & euulgatum. Quæ scripta tanto discrimine differunt, vt vix res vlla in mundo vel esse, vel fingi possit, quæ ab alia magis distet ac deflectat. Quisnam enim hominum nisi emotæ mentis idem esse dixerit, Andreæ Apostoli falsum Euangelium, vel Acta, vt scripta ab Andrea Apostolo supposita & conficta à Manichæis & aliis hæreticis*: & illam epistolam verè Catholicam & orthodoxam semper ab Ecclesia vniuersali tam Orientali quàm Occidentali receptam, cuius genuinus

* ideòque à Gelasio in Synodo damnata.

titulus est, *Epistola Presbyterorum & Diaconorum Achaiæ de passione S. Andreæ Apostoli*; hoc verò natiuum est exordium, *Passionem S. Andreæ Apostoli, quam oculis nostris vidimus omnes Presbyteri & Diacones Ecclesiarum Achaiæ, scribimus vniuersis Ecclesiis quæ sunt in Oriente & Occidente, in Christi nomine constitutis*, &c. Procul dubio sicut cæcus est, qui vigilans lucem solis meridiani non videt, sic omninò mente captus oportet ille sit, qui hanc omnibus ratione præditis perspicuam differentiam, non facilè deprehendat, discernat & conspiciat.

CAPVT XI.

Quo alius remouetur obex, inductus ex Ioannis Withi olim Episcopi Vintoniensis iudicio.

OBIECTIO.

ET ideo Withus quamuis Papista, hos libros absolutè reiicit Diacosiomarty. fol. 3. Sed sit apocryphum (supple ait) *vt est absque controuersia, quod diuus Andreas locutus ad* * *Patres memoratur, ante turbidum Proconsulem, Ego, inquit, Deo rerum optimo, Egea, omni die sacrifico.*

* fortè apud

RESPONSIO.

Conscius malæ mentis Aubertinus Caluinianæ sectæ argutator, hoc profert obiectum, quod vt (quia solidum non potest) saltem speciosum efficiat, multis fucis obducit & fraudibus obnubilat. Hinc data opera decidit proprium nomen auctoris, ne quærendo inuestigari possit, quis enim per simplex cuiusuis hominis cognomentum, eius proprium nomen & opera venari queat & assequi? Deinde eius, de industria, tacet præcellentem Episcopatus & quidem insignis dignitatem: insuper ipsius Auctoris patriam silet, locúmque sedis, tempus quo virtutibus & doctrina emicuit, ac vitæ eius gloriosam coronidem. Prætereà ei odio vertit quòd feruens & sincerus, Catholicus scriptor extiterit, & vt apud suos illum traducat in contemptum, Papistam eum inuidiosè & amarulenter appellat, sed non sine dolo: Catholicum enim Theologum Catholicis opponit, quò aduersus eos ipsius sit efficacius iudicium. Denique nonnisi subobscurè librum ipsius quem allegat auctoris

indicat, & eius dicta coarctat ac intercidit, malisque artibus vtitur, vt imponat auctori & lectorem decipiat. Quæ omnia patentia sunt indicia cauteriatæ conscientiæ, & loquentis hominis mendacium in hypocrisi, vt de hæreticis futurum, prophetauit Apostolus 1. Timoth. 4.2.

Vt dolus igitur Aubertini patescat, dispiciendum imprimis est, quis qualisve fuerit ille Withus, quem ipse aduersus Catholicos allegat, quamuis eum fuisse Catholicum, quem Papistam vocat, haud inficietur. Et primùm ex heterodoxis qui catalogos scriptorum texuerunt, aliquos audiamus: sanè Ioannes Baleus excucullatus sectariorum signifer, copiosum scripsit Commentarium de scriptoribus Angliæ, in quo sicut in dilaudandis nouis sectariis sibi consimilibus totus est, sic in vituperandis quibuscumque antiquæ fidei, hoc est Catholicæ religionis Defensoribus tetrum corrupti stomachi virus effundit. Nec enim quemquam eorum recenset, quem atroci non afficiat iniuria. Ex hoc virulento scriptore, Ioannis Withi, Ioannes Symterus, & Ioannes Iacobus Frisius Tigurinus ambo Lutherani, qui Bibliothecam Conradi Gesneri in epitomen contraxerunt, nonnullisque assumentis nihilominùs, vicissim adauxerunt, hoc breue quidem sed probrosum epitaphium deprompsere, IOANNES WITHVS WINTONIENSIS EPISCOPVS ANTICHRISTI ROMANI TERRIFICVS MINISTER, *composuit Diacosiomartyrion lib. 1. Epigrammata quoque lib. 1. vixit anno* 1557. *Baleus.* Qui scilicet vt odium quo ardebat aduersus Christi Domini Vicarium & Petri successorem comprimere, non potuit, Antichristum eum haud minùs impiè quàm impudenter vocans; sic Ioannem Withum eximium Episcopum Wintoniensem appellans terrificum Antichristi ministrum, quantam putat inurere contumeliam, tanta attollit gloria & honore; sed & dum terrificum nominat, quàm fortis & potens fuerit hæreticorum aduersarius, non tam subobscurè innuit, quàm manifestè significat & fatetur.

Moderatiùs sanè se gessit, in præstantissimi huius Præsulis commemoratione, auctor Commentarij de Præsulibus Angliæ, quamuis & ipse ex segregibus non postremus, in serie Episcoporum Wintoniensium n. 61. cui præfixum nomen, Ioannes Witthus; vbi enarratis eius primordiis, & de Episcopatu Landauensi ad Præsulatum Wintoniensem sub

Maria Regina Catholica, translatione, subiungit, *Cùm vix tres annos sedisset, sub Elizabetha Regina exauctoratus est,* &c. *quòd reformationi institutæ,* (id est hæresi ab ea instauratæ) *repugnaret, eóque promptiùs quòd in concione quadam quam habuit in funere Mariæ Reginæ, cùm immodicis illam laudibus extulisset, Elizabethæ regnantis tam frigidam fecerit mentionem, vt palam esset vituperare voluisse si fuisset ausus: homo* (vt inquit Camdenus) *non vulgariter doctus & poëtica facultate, vt illa ferebant tempora, tolerabilis.* Atque hæc sunt varia hæreticorum de Ioanne Wittho Episcopo Wintoniensi illustri ac præpotenti ipsorum segregum malleo, & strenuo Ecclesiæ defensore iudicia.

Cæterùm Catholici auctores longè aliter quàm faciunt sectarij hoc de Doctore ac Episcopo sentiunt: porrò plurium quin & omnium loco vnus esse potest Ioannes Pitseus & ipse Anglus, Anglorúmque scriptorum orthodoxorum accuratus & fidelis Nomenclator: in fuso quem de iis conscripsit commentario, ætate 16. num. 1013. sub annum 1563. vbi hoc ei de Ecclesia Catholica admodum bene merito insigne elogium appendit.

DE IOANNE WITTHO.

Ioannes Witthus natione Anglus. Deinde multis prænotatis de eius patria, educatione, studiis, & primis progressibus, mox subiungit: *Posteà Lincolnensis & demum Wintoniensis Episcopus constitutus est: Erat sanè vir pietate & doctrina conspicuus, acutus poëta, orator eloquens, Theologus solidus, Concionator neruosus. Ad crucem D. Pauli Londini concionem funebrem habuit in exequiis Reginæ Mariæ super eo versu Ecclesiastes cap.* 9. Melior est canis viuus leone mortuo. *In qua concione solem occidentem tam impensè coluit, vt orientem neglexisse videretur; tantùm enim laudauit Mariam mortuam, vt in perpetuum viuentis Elizabethæ gratiâ exciderit. Scripta huius præclari viri, ipso auctore in vinculis moriente, pæne omnia simul perierunt; saltem nihil eorum quod sciam extat præter quædam carmina. Scripsit præsertim de Eucharistia carmine elegiaco, collectis doctorum virorum testimoniis de veritate corporis & sanguinis Christi in Sacramento Altaris, contra Petrum Martyrem hæreticum Florentinum.*

Diacosiomartyrion lib. 1. *Azymus ergo dies aderat quum. Extat Londini* 1553. *Epigrammatum, & aliorum Poëmatum lib.* 1. *Nubat vt Hispano Regina. vidi aliquando Oxonij*

MSC. exemplar: aliorum operum titulos non inuenio. Londini Confessor obiit in vinculis circa annum gratiæ 1560. cùm iam ad Anglicani regni clauum sederet Elizabetha, &c. Hæc Pitseus de Ioanne Wittho, illustri Doctore, egregio Episcopo, & fortissimo Catholicæ fidei assertore & confessore glorioso, in vinculis pro sanctæ Christi Ecclesiæ defensione, ac Dei gloria, obitu felicissimo, coronato.

Doleo equidem non parum quòd tanti viri scripta ferè omnia perierint, hæreticorum qui eum ad mortem vsque persecuti sunt odio vel inuidia: præter pauca illa quæ Pitseus vt etiamnùm extantia consignat; quæ tamen mihi hactenus videre non licuit, tametsi ea, & præsertim librum inscriptum, *Diacosiomartyrion*, siue ducentorum testimoniorum pro fide realis præsentiæ corporis & sanguinis Christi in Sacramento altaris, non segniter vestigauerim, adhibitâ etiam amicorum operâ, qui Bibliothecas insigniores huius Regiæ vrbis studiosè perscrutantes, librum illum, de quo hîc agitur, huc vsque non inuenerunt. Vix igitur mihi concessum est impræsentiarùm, allegato ab obiectore testimonio respondere; sed licet non indebitas petere inducias, donec feliciori successu librum illum, quo præsens obiectio nititur, perquisitum, Deo duce, fuerim assecutus: quo reperto demum huic argumento plenè satisfaciam. Interim verò siquis importuniùs institerit, vt quid de loco quem citat Aubertinus sentio aperiam, nonnulla dicam per modum coniecturæ.

1. Scilicet hæreticos semper suspectos esse malæ fidei, quando in controuersiis de religione citant in causæ suæ subsidium Catholicorum Auctorum testimonia: velut cùm proferunt sanctorum Patrum sententias, & alias priscorum Doctorum auctoritates; semper enim spinam sub rosa tegunt, & venenum porrigunt præsentissimum in poculo deaurato; siquidem ipsos Patres & Doctores contra propriam eorum mentem semper allegant; illorúmque (vt fallant eò nequiùs quò subtiliùs) vel corrumpunt testimonia, vel dicta decurtant, & scissuris vel additamentis sinceram eorum doctrinam deprauant, vt in re saltem quæ vertitur, illos sibi, lectoribus persuadeant, adstipulari. Quæ fraus sicubi hactenùs splendidè, maximè in colloquio illo celeberrimo Fontis Bellaquensis habito præsente Henrico Magno Galliarum Rege, & toto ferè spectante Regno, propatulo exposita

& sole clariùs manifestata apparuit. Cùm Philippus Mornæus partium Caluinistarum ea ætate signifer, ab illustrissimo Iacobo Episcopo Ebroicensi, deinde Eminentiss. Cardinale Peronio, insignium multarum falsitatum, corruptelarum, additionum & resectionum, quas commiserat in pestilenti suo libro de Eucharistia, conuictus fuit ingenti cum totius sectæ opprobrio, & ipsius Mornæi vituperio ac mœrore: *Il se defendit si foiblement* (vt posteà qui tunc aderat inter ipsos sectarios, Maximilianus à Bethunia Dux Sulliacensis litteris * consignauit) *qu'il faisoit rire les vns, & mettoit les autres en colere, & faisoit pitié aux autres*, &c. *au fonds, il se defendit si mal, que ie ne vis iamais homme si estonné, ny qui se defendit si mal*, &c. Non minùs graphicè Spondanus, rem tunc actam delineat, sed magis propè nostrum ad scopum accedit. De forma (inquit) collationis, déque locorum examinandorum designatione, cùm diu altercatum esset, Plessium adeo pœnitentia suæ confidentiæ subeunte, vt parum fuerit quin Rege insalutato recederet, vixque vnquam à suis pudore ignominiosæ fugæ suffusis, induci potuerit in arenam descendere. Tandem post multas contentiones, &c. libris in medium allatis, cœpere loca examinari: ac deinde de duobus primis ex Scoto & Durando, de re Eucharistica citatis, pronunciatum est à Cancellario, Plessium obiectiones pro solutionibus sumpsisse. De 3. & 4. ex Chrysostomo, & 5. ex Hieronymo de inuocatione Sanctorum Plessium omisisse quæ apponi debuerant. De 6. sub nomine Cyrilli de sanctæ Crucis adoratione verba allegata, nullibi apud Cyrillum inueniri. De 7. circa Constitutionem Theodosij & Valentiniani Impp. de cruce, quam Plessius ex Crinito produxerat, Plessium quidem verè citasse Crinitum, sed animaduertere debuisse, Crinitum in ea falsum fuisse. De 8. ex duobus locis Bernardi de Beatissima Virgine in vnum consutis, ea debuisse separari ad distinctionem sententiarum. De 9. ex Theodoreto de idolis, quod Plessius contra imagines protulerat, locum de simulachris Gentium, non de imaginibus Christianorum intelligendum esse.

En ses Memoires d'Estat p. 441 sur l'année 1600.

Tom. 3. Supplem. Annal. Card. Baronij eodem an. 1600.

Hinc colligere promptum est, quis, qualisve sit genius natalitius recentiorum sectariorum, quorum cùm Aubertinus armiger sit feruentissimus, haud certè præsumendum est illum artes & fraudes suæ ardentissimæ simul & astutissimæ factionis neglexisse; suspectus est igitur vehe-

menter malæ fidei, in Catholicorum Doctorum contra Catholicos Doctores citatione, ex legali & canonico axio-
« mate de Testibus. Suspectus enim testis, propter affectio-
« nem quam habet ad causam principalem iure ac meritò re-
« pellitur: At verò suspecti de fide Catholica, vt inimici & detractores ad testimonium ferendum non recipiuntur, can. *Illi qui* 5. q. 5. suspicio enim, rationabilis est causa ad recusandum, vide cap. *Causam*, quæ 17. *de off. deleg.* Sed verò suspicio est triplex: quædam est manifestè temeraria, quæ non inducit purgationem: Alia probabilis quæ expurgationem inducit: Alia violenta, quæ hac in causa occurrit. Ista verò sufficit non tantùm ad recusationem, sed etiam ad condemnationem; Hac igitur ex Iurisperitorum doctrina, cùm Aubertinus violenta sit præsumptione suspectus, testimonium eius omninò debet repelli.

II. Dico, *Semel malus, semper præsumitur esse malus in eodem genere mali.* At verò moderni hæretici, non semel, sed sæpè falsitatis exploratæ in citandis sanctis Patribus & Auctoribus orthodoxis legitimo in iudicio, & etiam mera demonstratione, remoto forensi strepitu, conuicti sunt. Igitur in eiusmodi controuersiis dirimendis iure ipso fide sunt indigni. Cæterùm Aubertinus eiusdem habitu criminis laborat, vt tam ex præmissis exemplis patet, quàm ex mox sequenti apparebit; proinde ipsa præsumptione iuris excidit à validæ testificationis auctoritate.

III. Dico, tametsi (his non obstantibus) vltrò starem Aubertini dictis referentis Ioannis Witthi Episcopi Wintoniensis testimonium, siue iudicium; nihil haberet ille quo legitimum argumentum conficeret, irétque firmatum. Locum certè non vidi (vt confessus sum suprà) quem hîc profert Minister: sed ex verborum tenore quamuis breuissimo, videtur esse Witthi responsio ad quoddam Sacramentariorum aduersus quos pugnabat effugium. Allegauerat ipse hoc illustre testimonium S. Andreæ Apost. relatum ab eius discipulis pro vera & reali corporis Christi in Sacramento Altaris præsentia: Illi verò ne hoc acuto telo læderentur, exceperant vt assolent (omnia potiùs negando, quàm se patiendo ad hanc veritatem agnoscendam, vlla ratione vel auctoritate compelli) hoc non esse authenticum testimonium, sed apocryphum: igitur Witthus argumento vsus ad hominem illos premit; *Sed sit* (inquit) *apocryphum, (vt est absque contro-*

uer-

uersia) quod diuus Andreas locutus ad Patres memoratur ante turbidum Proconsulem, Ego, inquit, Ægea, Deo rerum optimo, omni die sacrifico. Sanè particula aduersatiua, *sed sit*, innuit Witthum hæreticis quod obiiciunt non concedere, sed vt eos propriis ipsorum constringat laqueis, hoc per modum vsitatum in scholis, dum dialectici dicunt, *transeat*, scilicet per tolerantiam absque approbatione supponere. Nec est quòd Aubertinus hæc quæ Wittho verba tribuit, quasi absoluta obiiciat, *vt est absque controuersia*: tum quia per modum parenthesis interiecta sunt, cuius figuram Aubertinus malignè suppressit; tum quòd illa parenthesis etsi ab ipso hac solita intercisione (——) fuisset signata, foret tamen de illius suppositione, ex genio hæreticorum passim Catholicos auctores deprauandi & perfidè citandi, vehementissima suspicio; tum quòd illa parenthesis apertè est contra auctoris nostri mentem, & destruit eius ratiocinationem, quam aduersatiuè exorditur dicens: *Sed sit apocryphum.* Ex qua loquendi formula satis patet, illum non facilè hoc adeo validum telum sinere sibi de manibus eripi, sed niti contra ipsorum Sacramentariorum obicem, fixiùs intorquere: At verò ne vis tota eius responsionis pateret, Aubertinus cautè non integram, sed admodum decurtatam, videlicet solo expresso initio protulit, formali ratione, & ducta inde conclusione resecta, provt fecit in sequenti, expresso ex verbis Baronij, argumento.

CAPVT XII.

Falsitatis manifestæ conuincitur Aubertinus, imponens Cardinali Baronio contrariam ipsius iudicio sententiam.

OBIECTIO.

SED *& Baronius loqui volens de passione S. Andreæ, dicit ad annum 69. & 44. se cunctabundum hæsitare, præpeditum apocryphorum timore, quominùs liberè vt assolet dicat, in rebus fide exploratis & veris: Ac demum concludit, quòd quia Andreæ Acta à Manichæis corrupta, ab eisdem citari solita fuerunt, remansit eorum in Ecclesia dubia fides.*

RESPONSIO.

Miror, qua fronte hic perditionis Minister, istud Cardi-

nalis Baronij testimonium proferat: nempe vt Lectori persuadeat, ipsum Baronium hoc de epistola discipulorum S. Andreæ Apostoli de eius glorioso martyrio intellexisse, & hanc inter apocrypha scripta, non solùm reiecisse, verùm etiam eandem censuisse, (quòd fuerit à Manichæis supposita & citata) fluxæ fidei ab Ecclesia iampridem iudicatam & reiectam. Quæ, quanta fraus sit, quàm immanis impudentia, ex eodem loco quem allegat ipse Aubertinus, meridiana luce clarius est: Continuo enim verborum nexu ipsemet Baronius, quantum distet ab illa sectariorum opinione palam ostendit, dum illam epistolam disertè excipit ab illis Actis apocryphis, & vt veram ac sinceram fuisse receptam summo consensu, & confirmatam constanti vsu pronunciat. *Quæ verò* (subdit immediatè *) *de Andreæ martyrio, in epistola Presbyterorum Achaiæ habentur expressa; digna existimata sunt, vt in Ecclesia recitentur, quæ cùm publica lectione nota sint omnibus, hic ea describere prætermisimus.* Hæc ibidem ad verbum Cardinalis Baronius. *Mentiri in virum bonum non cadit*, præclarè olim dixit Tullius Offic. lib. 3. Certè hic duplici reatu peccauit Aubertinus, siquidem (vt optimè ait S. Anselmus) qui veritatem occultat, & qui mendacium profert, vterque reus est; ille quia prodesse non vult, iste quia nocere desiderat. Occultauit hic Minister veritatem, dum verba Cardinalis Baronij, iis contraria quæ allegat expressit; protulit autem mendacium, dum asseruit ipsum Baronium sibi in censura epistolæ supradictæ adstipulari, quin & tandem concludere ipsam esse apocrypham. Præcelso mentis acumine dixit suis in moralibus libris S. Gregorius Magnus, *nonnunquam peius esse mendacium meditari quàm loqui*; nam loqui plerumque præcipitationis est, meditari verò studiosæ prauitatis. Sceleris huius se reum Aubertinus inficiari non potest; data enim opera & affectata malitia, Baronij verba, iis quæ citat continua resecuit, qua arte illi mendaciter imposuit & Lectorem studuit decipere.

* *Annal. tom. 1. num. 34. in fine pag. 670.*

CAPVT XIII.

Beati Petri Damiani grauitas & auctoritas defenditur, aduersus Ministri huius ineptam insultationem & garrulitatem.

OBIECTIO.

HINC *patet* (ait) *quanti faciendum sit Petri Damiani, fabularum feruidi amatoris, hac de epistola iudicium.*

RESPONSIO.

Quasi verò, perantiqua & constans de sinceritate huius epistolæ Ecclesiæ traditio, vnica Petri Damiani auctoritate & iudicio niteretur, quæ tot tantorúmque Patrum & doctorum non solùm obsignatur approbatione: sed insuper vniuersalis Ecclesiæ tam Latinæ quàm Græcæ sustentatur consensu, vt priori parte huius Apologiæ fuit satis apertè demonstratum. Attamen quicquid dicat pseudodogmatista, non est testimonium vel iudicium ipsius sancti Cardinalis & Antistitis parui momenti, at magni certè ponderis, propter eius eximiam sanctitatem ac doctrinam: Liceat nobis de eo vsurpare illud celebre S. Hieronymi ad B. Augustinum, de eo ipso, pronunciatum, *Tanto te maiori amore complector, quanto te hæretici acerbiori odio habent.* Vitiorum & errorum fuit B. Petrus Damiani acerrimus hostis. Hinc hæreticorum & quorumuis impiorum aduersus ipsum iræ & iniuriæ proruperunt, quæ quàm iniustæ fuerint, patenti sunt argumento, non solùm egregia eius opuscula diuinam sapientiam virtutémque affatim spirantia, sed & piorum ac eruditorum de ipsomet testimonia atque præconia.

1. Certè S. Leo Papa nomine IX. vindex aduersus infelicem Berengarium, magni pietatis Sacramenti, in epistola ad ipsum Petrum data super eius pro castitate & pudicitia Apologeticum, quod ipsi dedicauerat ita eum affatur: *Subegisti dilecte fili carnis barbariem, qui sic erexisti brachium spiritus aduersus libidinum obscenitatem.* Et infrà: *Plus est docere opere quàm voce,* &c. *quamobrem à Deo palmam obtinebis victoriæ,* &c. *tot mercedibus eris cumulatus, quot ereptis per te à diaboli laqueis fueris constipatus, & quodammodo coronatus.*

II. Chronologus huius æui insignis Lambertus Scafnaburgensis Monachus, in historia de rebus gestis Germanorum ad annum Christi 1069. sic de ipso Petro Damiani litteris prodidit; *Is Legatus erat Sedis Apostolicæ, vir ætate & vitæ innocentia admodùm reuerendus.*

III. Ita & anonymus Benedictinus in vita S. Ioannis Laudensis Episcopi Eugubini eiusdem B. Petri discipuli; *Illo nempe* (inquit) *tempore vir venerabilis, & sacerdos Dei altissimi Dominus Petrus Damiani, virtutibus ornatus & sacris Scripturis eruditus, florebat sanctitate & scientia in eremo vastissima sanctæ crucis Fontis Auellani. Et ipse cùm esset S.R.E. Cardinalis & Legatus*, &c. *horum fratrum colloquio & Angelica conuersatione attractus, Cardinalatùs gloriam deseruit, & cum licentia Domini Papæ in hac Eremo*, &c. *se reclusit.* Et infrà; *Duæ verò columnæ lucidæ fratrum huius Eremi, Reuerendus Prior Petrus, & Clericus Dei Joannes, sicut duo Seraphim diuina claritate inflammati, corde & ore iugiter Deum altissimum collaudabant, & fraternam charitatem accendebant.*

IV. Antiquus auctor Chronici Gualdensis, insigni quoque elogio ipsius Beati Petri Damiani depingit excellentiam, dum sic ait; *Venerabilis Cardinalis S.R.E. Petrus Damiani, in virtute Spiritus sancti sibi dati à Deo, gloriam & dignitatem Romanæ curiæ dereliquit.* Et paulòpòst, Eremi prædictæ mentione facta, *ibi & ipse* (ait) *per plura tempora in magna vixit sanctitate, & pluribus claruit miraculis.*

V. Franciscus Petrarchus in opere celebri de vita solitaria; *Petrus hic* (inquit) *quantum ex nouissimis eius scriptis elicio, Romanum Cardinem non sine laude possederat; Vir haud dignitate clarior, quàm lingua*, &c. *Is Scripturis & honoribus quietissimam solitudinem præferendam duxit, vbi non minùs gloriosè postmodùm latuit, quàm innotuerat primùm Romæ; nec dedecus illi fuit, alti verticis rutilum decus, squallenti cilicio permutâsse.*

VI. Ioannes Trithemius lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis eius ita meminit, *Petrus Damiani ordinis P. Benedicti Episcopus Ostiensis, & S.R.E. Cardinalis vir in diuinis scripturis studiosus & eruditus, & sæcularium litterarum non ignarus, ingenio mitis & acutus, eloquio placidus & compositus, & ad persuadendum satis idoneus, non minùs sanctitate quàm eruditione clarus & insignis effulsit.*

VII. Cardinalis Baronius Annal. Tom 11. ad annum Christi 1072. de ipso Beato viro honorificentissimè meminit: *Sic* (inquit) *Deus in hoc deploratissimo sæculo cùm excreuisset ad Ecclesiam obruendam diluuium carnis, dedit mundo tantum virum, qui austerissimæ vitæ exemplo, verbique prædicatione & scriptis exsiccaret tantam putredinem, paritérque pugnaret aduersus simoniacam hæresim, quæ vbique locorum grassabatur impunè.*

VIII. Cardinalis Bellarminus in libro de Scriptoribus Ecclesiasticis, vbi de eodem sancto Doctore sub anno 1060. testimonium suum promit. *Petrus Damiani* (inquit) *sic à parentis sui nomine vocatus nobilis Rauennas, Monachus fuit Ordinis S. Benedicti, ac deinde Cardinalis S.R.E. Episcopus Ostiensis*, &c. *vir fuit valde sanctus & deuotus, & præcipuè pœnitentiæ & austeræ vitæ amator ardentissimus.*

IX. Cæterùm in Tabulis Pontificalibus Ecclesiæ Ostiensis ipse B. Petrus Damiani pleno sub sanctitatis titulo inscribitur, quin & vir dicitur *plenè sanctus atque doctissimus.* Et in Monastico Martyrologio, die quo in cælum migrauit, scilicet 22. Februarij, eodem prænomine sanctitatis consignatus est. Vghellus Tom. 1. Italiæ sacræ, in catalogo Ostiensium Episcoporum, notat eius corporis translationem: cuius memoria insculpta est in arca marmorea sub eius effigie his verbis; *Anno Domini* 1354. *die* 13. *Aprilis, translatum fuit corpus* SANCTI PETRI DAMIANI RAVENNATIS, *in S. Scriptura Doctoris & Ostiensis Episcopi, & Apostolicæ Sedis Legati, Ordinis S. Crucis Fontis Auellani, in præsentem arcam à R. P. D. Matthæo de Calleo.*

En qualem, quantúmque virum, Aubertinus, vt vibratam eius manu in se sagittam pro epistolæ discipulorum S. Andreæ Apostoli sinceritate, elidat vel eludat, inter mundi peripsemata deprimit, dum eum inter vulgaria capita refert, & vt in contemptum traducat, figmentorum ac fabularum ardentem asserit amatorem ac compilatoem; sic Ioseph Patriarcham à longè venientem mox vt conspexerant fratricidæ, fabulatorem irridendo appellabant; *Ecce* (dicebant) *somniator venit, venite occidamus eum.* Sed Iosephi somnia vera erant nihilominùs vaticinia, & eius innocentia & sanctitas iusto Dei iudicio de illorum odio & calumnia gloriosè demùm triumphauit; sic de impiorum & hostium veritatis atque iustitiæ, rabie ac furore, iam olim

triumphum egit, nouúmque de Aubertini odio ac crimi- natione ducet explorata B. Petri Damiani sanctitas & insignis doctrina; quæ toto orbe etiamnum eximio fulget & rutilat splendore; hæreticis vt canibus frustrà circumlatrantibus, aduersus tanti sideris, quod noctis ignorantiæ ac nequitiæ tenebras depellit, ipsis inuidiosum lumen.

Sanè Aubertinum memorem esse oportebat sui & aliorum sectariorum proprij nominis, illúdque hæreditario iure quo possident, sibi retinere, non autem orthodoxis doctoribus illud in sui præiudicium impertiri. Non enim nescire potest Apostolum hæreticos, qui in animarum perniciem venturi erant, commentorum ac fabularum disseminatores, perpetuo vt iudicio, sic vocabulo nuncupasse; *Erit tempus* (inquit 2. Timoth. 4. 4.) *quo sanam doctrinam non sustinebunt, sed ad sua desideria, coacervabunt sibi magistros prurientes auribus, & à veritate quidem auditum auertent, ad fabulas autem conuertentur.* Quæ causa fuit cur Theodoretus scribens aduersus hæresum portenta, recensénsque exitiosa earum inuenta & paradoxa, fabularum illa nomine appellauit; scripsit enim libros quatuor *de hæreticis fabulis*, quibus, si ad hæc vsque tempora peruenisset, procul dubio hæresim Caluini, (cuius Aubertinus infelix est propola) proprio loco annumerâsset, eiúsque descripsisset; simúlque refutasset pestifera figmenta ac fabulamenta.

At mihi hic excidere incogitanter obseruationem non leuis momenti, & valde huic loco appositam patiebar; Sanè Aubertinus ex sectæ suæ genio infensus viro sanctissimo Petro Damiani, eo quòd tam illustre ferat pro epistolæ Presbyterorum Achaiæ de S. Andreæ triumphali martyrio germana sinceritate suffragium; sícque syngrapha sua obsignet eiusdem Beati Apostoli expressum in illa testimonium pro quotidiano Ecclesiæ sacrificio, & corporis & sanguinis Domini hoc in diuino mysterio veritate, *Fabulatorem ipsum insignem* (vt omnem ei auctoritatem ferendi iudicij detraheret) tam falsò quàm petulanter appellauit. Verumtamen est quòd hîc amicè eum admoneam, ipsum non aduertere eodem ironico nomine simul inurere S. Bernardum Theodidactum Ecclesiæ Patrem; hic enim illam epistolam non tantùm vt genuinam & authenticam pariter approbat, sed eadem prorsus sententia commendat, dum de ipsa hoc idem profert iudicium, serm. 3. de ipso S. Andrea inter ini-

tium & mod. *Paßio eius tanta spiritus suauitate distillat, vt mentes audientium adipe & pinguedine replere videatur. Vnde non immeritò in singularem auctoritatis arcem suscepta est, quam qui viderunt, scripserunt orbi, & ministri fuere sermonis.* At vix est vt Aubertinum existimem, tam deploratæ esse audaciæ, vt S. Bernardum inter fabulatores numerare præsumat, quem Lutherus & Caluinus, etsi Sanctorum explorati hostes, conuicti tamen eius sanctitatis & sapientiæ ei diuinitùs infusæ euidentia, virum sanctissimum, & tam doctrina quàm moribus sua ætate incomparabilem palam agnoscunt & fatentur. Quòd si tanta iniuria quanta est fabulatoris, hoc est doctoris mendacij, appellatione, sanctum ipsum Bernardum affectum ire Aubertinus ipse non vereretur, ægrè non ferat, si illum loco huius pseudodæmonis seu Angeli tenebrarum forem habiturus, qui nequitiæ suæ phialam in solem effundere ausus est, Apocal. 16. vt illum verteret in tenebras, hoc est, in mendacium ipsam veritatem.

CAPVT XIV.

Ioannis Hesellij defensio.

QVOD verò idem Aubertinus Ioannem Hesellium, doctorem grauissimum, & insignibus titulis nobilem, Professorem Academiæ Louaniensis, eodem putido scommate, non alia de causa perstringit, seipsum auctiori inficit contumelia, quin sese omnium risui & ludibrio patenter exponit; sic enim pygmæus in atlantem, lapillus in rupem excelsam, mus in elephantem, hysopus proceram in cedrum assurgit. Nusquam innotuit hominum oculis Aubertinus, nisi infami illo opere ac impio, quo diuinissimum Eucharistiæ Sacramentum destruere, tam propudioso ausu, quàm funesto molimine aggressus est. At Ioannes Hesellius is est qui decus in orbe sempiternum meritis tam vitæ piissimæ, quàm doctrinæ sua ætate incomparabilis (cuius monimenta ipso sole clariora sunt) felici suæ memoriæ conciliauit: Quemadmodum enim eius habet in Bibliotheca Belgica elogium, *sacræ Theologiæ fuit Doctor & Professor celeberrimi nominis, ac diuini planè ingenij,* &c. *quare ad Tridentinam Synodum missus fuit: scripsit autem*

partim in ſacram Scripturam eruditos commentarios; partim de fidei controuerſiis, tomis duobus, hoc ordine diſtinguendos. Mox autem ſequitur eius operum enumeratio; in quibus quædam ſunt præcipua, quæ palato Aubertini, hæreſi Caluinianâ infecto non ſapiunt, nimirùm 1. Liber de Cathedræ Petri perpetua firmitate. 2. Alius inſcriptus, Confutatio nouitiæ fidei, quam ſpecialem vocant. 3. Tractatus de inuocatione Sanctorum. 4. Confutatio confeſſionis hæreticæ Teutonicè emiſſæ, qua oſtenditur Euchariſtiam eſſe ſacrificium propitiatorium. 5. De reali præſentia corporis & ſanguinis Domini in Euchariſtia. Propter hæc ſcripta polemica, pro Catholica fide aduerſus huius æui ſectarios, Ioannes Heſellius immane ipſorum odium (quo feruere ſe prodit in eum Aubertinus) procul dubio incurrit, & inſuper hoc nomine, quòd cenſuram ediderit de quibuſdam Sanctorum hiſtoriis, quas ipſi Nouatores impugnant, ipſe verò doctè ac piè aduerſus eorum cauillationes aut impoſturas defendit. Sed nihil in eo opuſculo eſt quod magis ipſum Aubertinum pupugerit, quàm hoc quod vir ille doctiſſimus & prudentiſſimus tulit de epiſtola illa Preſbyterorum Achaiæ, iudicium, de martyrio S. Andreæ; eo ſiquidem illam piam, veram, & ſinceram pronunciauit, & ideò vt legitimam cenſuit retinendam : *Ioannes à Louanio* (inquit Bellarminus) *vir multæ doctrinæ & iudicij in cenſura de paſſionibus Sanctorum hanc hiſtoriam vt legitimam probauit.* Ideo inſignis fabulator audit apud Aubertinum hæreticum magnus ille Theologus; qui anno 1566. præmatura morte obiit, Louanij (vbi docebat, redux à Concilio Tridentino) ſepultus : magno ſcholæ imprimis Theologicæ luctu & damno. Quæ potiora ſunt eius eximiæ virtutis & præſtantis iudicij ac doctrinæ teſtimonia, quàm vt poſſint vnius prædicantis Caluiniani ironia & vituperio labefactari, at ne quidem vel tantillùm imminui.



CAPVT XV.

Aloysij Lipomani Episcopi Veronensis, & in Concilio Tridentino Legati asserta cum debito honore, pia ac inclyta memoria.

NON insigniori loco, quàm rabulæ & propolæ commentorum & fabularum, habet Aubertinus, hunc numquam satis laudatum virum, qui sui sæculi perlucidum sidus, decúsque, ac delicium eximium fuit. Cuius labores pro Ecclesia Catholica exantlati, tanti sunt, vt vix enumerari & satis vnquam commendari possint. Hic sanè illustri prosapia ortus, Patricius erat Venetus, cùm meritis insignis Episcopus Veronensis factus est, túmque vt lucerna splendida, miris cùm doctrinæ, sapientiæ, & pietatis fulgoribus radiaret, euocatus Romam, à Iulio III. Legatus ad Concilium Tridentinum missus est anno 1551. Redux à Paulo IV. in Poloniam anno 1556. missus contra hæreses, tantum in odium sectariorum incurrit, vt ab eis de vita persæpè sit periclitatus; sed Deo iuuante incolumis reuersus, purpuram quam plerique obtinere ambiunt, neglexit, licèt illam dignissimè promeruisset. Tandem vir integritate, pietate, ac eruditione præstantissimus, in pace Christiana gloriosè obiit anno 1559. De hoc egregio planè viro memorabile hoc est inter cætera vitæ eius decora, quod variis legationibus occupatus, quibus summa semper laude prudentiæ defunctus est, litterarum studium, & scribendi diligentiam non intermiserit vnquam. Catenâ hoc ostendit ex Græcis & Latinis auctoribus, in Genesim & Exodum & Psalmos, inter has arduas occupationes ab eo elucubratâ, cui interdum suas doctas annotationes interposuit. Sermones quoque habuit de Symbolo, insuper & de Sanctis per totius anni circulum: Eximium edidit prætereà patrio idiomate librum prænotatum, *Confirmatio dogmatum omnium Catholicorum.* Collegit denique vitas Sanctorum octo voluminibus, ex quibusque optimæ notæ monimentis, cuius ineundi operis, hanc ipse plures inter causas rationem reddidit, in sua præfatione; *Quoniam huius temporis hæreses, cùm Scripturarum, tum sanctorum Patrum testimoniis iam prostrata, satis & conculcata*

reperiantur, operæ pretium me facturum sum arbitratus, si Sanctorum virorum egregiè factis & exemplis (quod alij hactenùs hæreticos impugnantes parciùs fecerunt) quod reliquum in eis miserrimi adhuc spiritus superesse, & palpitare videretur nunc penitùs extinguerem & suffocarem, &c. *Decreui itaque antiquorum sanctorum Patrum vitas, à scriptoribus illustribus, & omnibus probatis, & fide longè dignissimis conscriptas, in vnum volumen redigere, in quibus improborum istorum blasphemiæ omnes & deliramenta ita iugulata & confossa reperiuntur, vt nisi quis vltrò proteruire, & tenebras in meridie palpare ac prudens (vt dicunt) & sciens in infimi profundum præcipitari voluerit, his vlteriùs accipi & implicari nequeat.* Móxque subiungit se acta Sanctorum collegisse, *vt Christi fideles eadem semper fidei dogmata, easdem semper Patrum traditiones, vsque in hanc diem viguisse considerantes, plurimùm in orthodoxa fide confirmentur, & sine hæsitatione profiteantur Deum Ecclesiam suam, contra innumerabiles hæreticorum nouas adinuentiones, sollicitudine plusquam paterna, in vnitate fidei conseruâsse & protexisse.* Hoc igitur fine inter præclara Sanctorum Acta Passionem S. Andreæ ab eius discipulis scriptam & conspectam, proprio locó exhibuit, & annotationem polemicam ad verba S. Andreæ de sacrificio Eucharistiæ, & veritate corporis & sanguinis Domini in hoc mysterio apposuit. ideo immane hæreticorum odium in se concitauit, & fabularum helluonis tulit ab Aubertino cognomen; cui dicere potest cum Apostolo, Gal. 4. 16. *Ego inimicus vobis factus sum, verum vobis dicens?*

CAPVT XIV. ET VLTIMVM.

Quo vindicatur Eminentißimus Cardinalis Bellarminus, phœnix nostri æui, ab Aubertini insultatione & petulantia.

HINC *patet* (inquit Aubertinus) *non modò quale ferendum sit de Petro Damiani, Ioanne à Louanio, &c. iudicium; sed etiam quanta cum specie rationis, Bellarminus dicere ausus fuerit, libelli huius de paßione S. Andreæ auctoritatem à nullo hactenùs fuisse reuocatam in dubium. En quo & quali titulo Bellarminus suas probationes & argumenta, pro illius scripti auctoritate exorditur, si caput tenebrosum est, quomodo totum corpus lucidum erit?*

RESPONSIO BREVIS ET EXPEDITA.

Tres rationes in limine dissertationis de hoc S. Andreæ illustri testimonio consignauerat Eminentiss. Cardinalis Bellarminus pro indubitabili eiusdem loci sinceritate. Prima hæc erat; *Quia nulli* (*quod sciam;* inquit) *adhuc in quæstionem eius auctoritatem vocauerunt.* Cui rationi, vt aptè & expeditè responderet Aubertinus, nihil erat opportunius, quàm siquis esset sectariorum, qui iam olim huius epistolæ germanitatem in dubium reuocâsset, protinus indigitare. Nec enim Patres quos allegat pseudographa S. Andreæ acta execrantes à Manichæis, aliisque hæreticis supposita, hac de epistola, vt manifestum suprà factum est, vel minimum loquuntur. Adde quòd ipse Berengarius Sacramentariorum funestus parens, aduersus quem pro sacrificio quotidiano Ecclesiæ & veritate diuinæ hostiæ hoc in Sacramento existentis, testimonium istud Apostolicum productum est à Lantfranco, quicquam respondit; Et scribente Bellarmino, *Nullus & nemo adhuc extiterat heterodoxorum,* (nam Catholici omnes authenticum hoc Christianæ pietatis monimentum pro genuino agnoscunt) *qui huius vim & auctoritatem in controuersiam adhuc adduxisset.*

Secunda ratio; *Quia reuerà nihil ea vetus epistola continet, quod nouitatem redoleat.* Certè siquid erat quod nouitatem in ea saperet, ipsius Aubertini intererat hanc nouitatem, quæ antiquitati obuersaret palam indicare, multo magis siquid spiraret Manichæorum & aliorum hæreticorum perfidiam: At hoc non fecit, nec ipse, nec alius quispiam sectarius hoc præstare potest, est enim illa epistola tota orthodoxa, & primitiuæ Ecclesiæ spiritum redolens, pium, purum, simplicem, feruentem, & omninò Apostolicum.

Tertia ratio; *Quia genus paßionis S. Andreæ, & illa eius verba, salue crux sancta, in tota Ecclesia celeberrima, ex hoc libro sine dubitatione sumpta sunt.* Atqui hæc veritas ex vsu, ab omni antiquitate constantissimo manifesta est, eiúsque euidentia suprà fuit patenter, ex testimoniis Patrum & Doctorum insignium (per varios ætatum ab initio ad hanc vsque excursus) sacrorúmque officiorum priscis monimentis, tam Orientalis quàm Occidentalis Ecclesiæ demonstrata. Ad hanc etiam rationem, quæ patentis traditionis Ecclesiasticæ semper, vbique, & ab omnibus seruatæ, plena est demonstratio, & quæ sola sufficit ad illam epistolam ab omni Nouatorum contradictione vindicandum, Minister prorsus conticuit. Obmurmu-

rauit quidem contra B. Petrum Damiani, & Ioannem Hesselium, ac Aloysium Lipomanum, fabularum eos auidos propolas & disseminatores appellans, sed quàm ineptè, falsò, & iniuriosè, patet ex eorum defensione, quam suprà non inaccuratam exhibui.

At verò Cardinalem Bellarminum quem sarcasmo eiusmodi impetere non est ausus, alia via, sed non meliori adoritur: Fingit se siquidem illum hac in arena debellâsse, eíque iactabundus, ceu victor, insultat. Porrò eum monitum velim ne præclaræ huius M. Tullij sententiæ sese prodat nescium aut immemorem, *Deforme est de seipso prædicare, falsa præsertim, & cum irrisione audientium, militem gloriosum imitari:* Qui scilicet victus & prostratus in omnium oculis, se non veretur iactare sui subiugatoris victorem. Scitè ait Augustinus lib. 2. de Trinitate, Præsumptio in errore valde noxia est; iusto enim Dei iudicio ruina iactantiam subsequitur, quæ vt apex superbiæ, sic omnium fons est malorum. Vix sanè capio quomodo Aubertinus eò temeritatis ausus fuerit prosilire, vt sese expugnatorem magni Cardinalis Bellarmini non erubuerit gloriari, tanti viri, inquam, qui hæresomastix nostri sæculi, solus ipse vnus sectariorum innumeras myriades, vt alter Samson pilatas Allophylorum acies, sua dextra prostrauit, iuxta huius sui Anagrammatismi prognosticon,

Roberti Bellarmini, arma, bella, mina, sed rata.

Vnde versus,

Robore cùm valeas, habeásque à robore nomen,
Hæreticis meritò, bella, arma, minásque minaris.
Non solùm hoc, sed & arma infers & martia bella,
Robustis quadrant bella, arma minæque lacertis.

Certè quemadmodùm Andreas à virilitate & fortitudine dicitur, sic Robertus à robore: iura igitur & signa triumphi B. Andreæ Apostoli strenuè qui defendit Cardinalis Bellarminus, fausto ac congruenti omine pertulit Roberti nomen, quod eius hoc in conflictu victoriæ, non obscurum erat indicium, sed fortunatum augurium.

Atque hæc sunt quæ dicere me oportebat, pro epistolæ discipulorum S. Andreæ Apostoli de eius glorioso martyrio, legitima tuenda auctoritate.

FINIS.

SOLI DEO HONOR ET GLORIA. AMEN.

INDEX

INDEX RERVM
ET VERBORVM INSIGNIVM.

IN QVO A. LITERA DENOTAT APOLOGETICVM, pro Epistola Presbyterorum & Diaconorum Achaiæ.

A

C

D

E

F

G

H

I

K

L

M

N

Q

R

S

INDEX LOCORVM SACRÆ SCRIPTVRÆ.

SACRÆ SCRIPTVRÆ.

FINIS.



Errata sic corrigito.

PAG. 247. primæ Partis, in marg. lege *Ianuario*. Pag. 286. lin. 32. *mihi*. lege *inibi*. Pag. 339. lin. 24. *Virensis*. lege *Vicensis*. Pag. 492. lin. 6. *quo*. lege *quâ*. Pag. 14. Apologetici lin. 22. lege *vt ad*. Pag. 15. lin. 31. *illius*. lege *illa*. Pag. 27. lin. 18. dele (*quis sine causa*) Pag. 29. lin. 22. lege *qui librum hunc olim*. Pag. 30. lin. vlt. *primum*. lege *plurimùm*.

Alij errores etiam in secundam Partem forsan irrepserunt, sed quia, vel leuiores, vel non ita patentes sunt, beneuolus Lector æqui boníque consulat.

L.

LEGATORIA A. PANDIMIGLIO
1971
ROMA

Digitized by Google